Sc. sup. 23. Pl. 2.

Digitized by Google

43
1 H
12

Digitized by Google

Digitized by Google

PYMANDER MERCVRII TRISMEGISTI

Cum Commento

FRATRIS HANNIBALIS ROSSELI CALABRI, ORDINIS MINORVM REGVLARIS *obſeruantiæ, Theologiæ & Philoſophiæ, ad S. Bernardinum Cracouiæ Profeſſoris.*

Liber ſecundus de Spiritu S. & Angelis.



Cum licentia & Authoritate Illuſtriſſimi & Reuerendiſſ. Domini Alberti Bologneti Cardinalis, & in Regno Poloniæ Nuntij Apoſtolici.

Cumq; Gratia & Priuilegio Sacræ Cæſareæ M. & Sereniſs. Regis Poloniæ.

CRACOVIAE.
In Officina Typographica Lazari: Anno
M. D. LXXXV.

42 1 H 12

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO PRINCIPI, DOMINO, D. FERDINANDO MEDICES, S. ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALI,

Ordinis noſtri Protectori vigilantiſſimo:

FRATER HANNIBAL ROSSELI CALABER, EIVSDEM *Ordinis de obſeruantia, Cracouiæ ad Sanctum Bernardinum Philoſophiæ & Theologiæ Profeſſor:*

Subiectionem.

CVM PERSPICEREM, DOMINE ampliſſime, Rempub. Chriſtianam noſtris hiſce temporibus plurimùm labefactatam, atq; varijs vndique ijſdemq; compugnantibus dogmatibus agitatam; in mentem venit, cuinam rei ſtatus Catholicæ Eccleſiæ eſſet comparandus. Hæc mihi iterum iterumq; cogitanti, quidam obuiam venit non ignotæ eruditionis & Chriſtianæ atque Catholicæ fidei Magiſter: Omnis, inquit, ſtatus Eccleſiæ, ſimilis eſt magnæ naui, quæ per vndoſum pelagus, diuerſis è locis & regionibus viros portat, ad vnam potentis regni vrbem properare cupientes: cuius nauis dominus, ipſe Deus omnipotens eſt: gubernator verò, Chriſtus: proretbæ officium, Epiſcopi implent: Presbyteri verò nautarum, Diaconi, diſpenſatorum locum tenent: hi, qui catechiſant, nautoligis conferuntur: epibatis, ſiue his qui naues conſcendunt, vt aliquò auehantur, totius fraternitatis multitudo ſimilis eſt. ipſum quoq; mare, hic mundus habetur: ventorum verò varietates, & turbinum, diuerſis dogmatibus, tyrannis, tentationibus conferuntur: perſecutiones, tribulationes, & pericula, fluctibus exequantur. terreni verò ſpiritus, qui vel de torrentibus, vel de conuallibus ſpirant, ſunt Pſeudoprophetæ, ſeductores,

Clemens Romanus Epiſcopus prima epiſt.

Eccleſia magna nauis.

improbæq́; doctrinæ : promontoria autem & loca compagoſa; hi, qui in poteſtatibus ſeculi ſunt iudices , & pericula minantur & mortem: bithalaſſa verò loca, quæ duplicibus vndæ fallacijs æſtibus verberãtur; dubijs mente, & de promiſſionum veritate nutantibus conferuntur, atque his, qui irrationabili fidem noſtram ratione diſcutiunt: hypocritæ autem & doloſi , piratis ſimiles habentur. Iam verò rapidus vortex & tartarea Charybdis, & ſaxis illiſa naufragia, ac mortiferæ merſiones, quid aliud æſtimanda ſunt, quàm peccata? Reſtat igitur, vt hæc nauis, curſu proſpero, tuta poſſit portum deſideratæ vrbis intrare. Sed quis tandem exitus huius tempeſtatis? quis effectus?

Tertullianus de fuga in perſecutione.

quæ merces? vtique probatio & reprobatio fidei , qua ſuos dominus examinare conſueuit. Hæc eſt illa pala, quæ dominicam aream purgat, Eccleſiam ſcilicet, confuſum aceruum fidelium euentilans, frumentum à paleis diſcernens. Hæ ſunt ſcalæ, quas ſomniabat Iacob, alijs aſcenſum in ſuperiora, alijs deſcenſum ad interiora demonſtrantes. Totum quod agitur in iſta naui, in perſecutione, in tempeſtate, in turbine, gloria eſt Dei probantis & reprobantis, imponentis & deponentis. Et reuera , Illuſtriſſime atq; humaniſſime Domine , in hac præſenti vita , propoſita ſunt nobis certamina, paratæ ſunt coronæ , diſtributa præmia; vt vnusquiſque eligat, quod ſibi arriſerit: quia nõ

Herculis electio.

coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. Vnde iuueni quondam Herculi ſecum conſulenti, ad vtram viarum ſe conuerteret, an eam, quæ ad virtutes per labores ducit, an facilem per voluptates ingrederetur;

Baſilius de legendis libris gentilium.

duas ei fœminas , virtutem ac voluptatem , quarum mox tacitus apud ſe, è diuerſo habitu, differentiam agnouerit , apparuiſſe fertur : altera quidem forma conſpicua, molliore facie, laſciuis oculis, ſermone blando, omnia fauſta, faciliaq́;, & ad vitæ ſolatia tendentia, per otium pollicendo , Herculem ad ſe trahere conabatur : altera verò , vultu rigido, ſqualenti, mœſtoq́; ore, magnam fiduciam, atq; conſtantiam præſeferens , nihil iucundum , nihil amœnum oſtendebat ; ſed mille pericula, laboresq́; immenſos, terra mariq́; ſubeundos ; præmiũ tamen horum immortale, ad extremum verò , morientem Herculem ſecuturam, & inter deos collocaturam: quam ſecutum fuiſſe Herculem memoriæ proditum eſt. Sed heu illuſtriſſime Domine, deſunt nobis hodie iſti Hercules , qui durum virtutis iter aggrediantur :

Heſiodi carmina.

nàm ad vitium facilis vicinaq́; ſemita cunctis panditur ; at virtutis iter poſuére remotum cœlicolæ, durumq́; priùs, ſed vertice ſummo dum fuerit, planum ſe offert quærentibus illud : virtus ergo colenda eſt, non

D. Paulus.

imago virtutis ; quia regnum Dei non eſt in ſermone, ſed in virtute, quia laus virtutis in actione conſiſtit. Atqui plurimi ex hominibus noſtræ tem-

ſtræ tempeſtatis, non veras virtutes colunt; ſed vmbras atque imagines virtutum cõſectantur. vnde fit, vt in paucis admodum vera virtus inueniri queat, vitijs vbiq; dominantibus: fides abeſt, infidelitate dominante: pietas receſſit, auaritia imperante: pax auolauit, publicè bellis ſæuientibus, contra veritatem Catholicæ fidei priuatis inimicis vſque ad ſanguinem furentibus: pudicitia in deſertum ſe recepit, libidinibus effrenatis omnem ſexum, & omnes corporis partes contaminantibus. ô perditiſſima ſecula! ô deteſtandam hominum libertatem! qui dum exiſtimant nulli deo nos eſſe curæ, aut poſt mortem nihil eſſe futuros; totos ſe crapulæ & libidinibus addicunt: & dum licere ſibi putant omnia, & impunè viuere, & mori ſine Deo in hoc mundo; hauriendis voluptatibus ſitientes incumbunt, per quas imprudentes in laqueos mortis incurrunt. Cæterùm, vt veritatem ſanctarum ſcripturarum taceam, atq; antiquorum patrum ſententias, quæ contra huiuſmodi veſanos homines diſertè copioſeq; loquuntur; illud vnum in medium afferre curaui, quod ab ipſa natura didicimus. Parens noſter ille, vnus & ſolus Deus, cùm animal intelligens & rationis capax effingeret; ex humo ſubleuauit, & ad contemplationem ſui artificis erexit: hunc Antropon Græci appellarunt, quòd ſurſum ſpectet. Nobis igitur ſtatus erectus, ſublimis vultus, ab artifice deo datus, ſatis perſuadere poteſt; voluptates effrenatas, libidines, ebrietates, contentiones, nouarum doctrinarum inuentiones, rationi humanæ non eſſe conſentaneas, quippe, quæ curuant cæleſte animal, & beluis ſimile efficiunt, quas natura pronis corporibus abiecit in paſtum. O ſtultas hominũ mentes! ô pectora cæca! Quàmlibet in tenebris vitæ, quãtiſq; periclis Degitur hoc æui quodcunq; eſt! Quis hæc ludibria hominum noſtri temporis non derideat, qui habet aliquid ſanitatis? præſertim eorum, qui nouas doctrinas ſectantur, quiq; ſcripturis vtuntur non omnibus, neq; integris; ſed, quæ ambiguè dicta ſunt, eligentes, transferunt illas, ſparſimq; voces pauculas veluti floſculos carpentes, non ſpectant in eis ſignificatum, ſed nuda dictione abutuntur: Quomodo, inquit antiquiſſimus Irenæus, ſi quis regis imaginem bonam, fabricatam diligenter ex gemmis pretioſis, à ſapiente artifice, ſoluens ſubiacentem hominis figuram, transferat gemmas illas, & reformans faciat ex eis formam canis, vel vulpeculæ, & hanc male diſpoſitam dehinc conformet, & dicat hanc eſſe regis illam imaginem bonam, quam ſapiens artifex fabricauit? Eodem modo & homines noſtri temporis, anicularum fabulas aſſumentes, poſt deinde ſermones, & dictiones, & parabolas hinc inde afferentes, aptare volunt fabulis eloquia Dei: atque ita per

Hominis ratio atq; officia.

Clemens Alexandrinus 7. Stromatum.

Irenæus.

gemmarum phanthaſiam decipiunt idiotas, & ſeducunt corda innocentium per dulces ſermones, perditam libertatem viuendi: hinc hæreſes: hinc errores plurimi exorti ſunt: hinc ardet orbis terrarum diuerſis dogmatibus: in cauſa eſt, quòd ſacerdoti Dei non obtemperantur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur: cui, ſi ſecundùm magiſteria diuinæ obtēperarent paternitatis vniuerſa; nemo aduerſum ſacerdotum collegiū quicquam moueret: nemo diſsidio vnitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet: nemo ſibi placens ac tumens, ſeorſum foris nouam hæreſim conderet.

Cyprianus epiſtola 3. hæreſes vnde ortæ.

Hæreſis periculoſior.

Inter autem huiuſmodi errores, nullus periculoſior, nullusq; deterior, quàm qui ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis ſacroſanctum myſterium labefactare, atque euertere nititur. Quapropter, cùm in primo libro Pymandri aduerſus eos, qui filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti diuinitatem, atque æternitatem negant, pro noſtra tenuitate, ac curta in tantæ rei maieſtate ſupellectile diſputarim; in hoc ſecundo aduerſus eos, qui de Spiritu ſancto peruerſiſſimum dogma ſeminant; quod retroactis temporibus euulſum fuerat, quiq; de angelis bonis atque malis perperam obloquuntur, mihi diſputandum eſſe duxi. Volens autem aliquod, vel tenuæ ſaltem, erga Ampliſsimam & Illuſtriſsimam Dominationem tuam gratitudinis ſpeciem prodere, ſub tuis feliciſsimis auſpicijs in lucem produximus, magnum illum Mercurium, de Spiritu ſancto, & de angelis egregiè differentem. Hunc læta fronte dignaberis accipere, Cardinalium S. Romanæ Eccleſiæ decus ſingulare, tui nominis auſpicijs in lucem prodeuntem; tua enim eximia magnaq; authoritate cōmunitus, fauſtiùs proditurū in lucem, candidiſque lectoribus gratiorem quoque futurum, minimè dubito. Id autem vt facerem, non tam mihi perſuaſit ſingularis atque perpetuus animi in noſtrum ſeraphicum ordinem tui fauor, quàm vno omnium ore prædicata morum tuorum integritas, cum admirabili prudentia, pariq; humanitate coniuncta: inſignis quoque doctrina, generoſa animi celſitudo, grauitas, pietas verè Chriſtiana, liberalitas erga omnes, præſertim erga eos, qui de fide Chriſtiana bene meriti ſunt, eximia beneficentia & affabilitas. Sed nulla laus tanto Principe dignior, quàm quòd vbiq; ſtudeas paci concordiæq; Chriſtiani populi, quodq; in ætate florenti Neſtorem quendam, vt ita loquar, præſtes, tùm principibus plurimis, tùm etiam Eccleſiæ Chriſti. Poſſem quidem ex antiquiſsima & nobiliſsima Medices familia, atque ex maioribus tuis omni laude clariſsimis, vndequaq; Reuerendiſsimam atq; Illuſtriſsimam Dominationem tuam commendare, atq; extollere: ſed tùnc aliena magis, quàm propria tua encomia retexerem: nec aliena opus

ena opus habes, qui propria virtute ornaris, non ignota: nec tuas dotes prædico; ſed pro donis in Illuſtriſsimam & ampliſsimam Dominationẽ tuã collatis, & Deo gratias agimus, & nobis omnibus congratulamur. Eia Princeps nobiliſsime, diligentiſsimi proretbæ officium adhibe, in regenda hac naui, quæ per vndoſum pelagus properat ad vnam potentis regni vrbem. Terreni ſpiritus de torrentibus & conuallibus ſpirant, naufragium minantur: promontoria & loca confragoſa, pericula intentant & mortem: bithalaſſa verò loca, nutantes perturbant: aſtant doloſi piratæ, vltimum exterminium oſtendentes: non deeſt rapidus vortex; & tartarea Charybdis: multorum vidimus naufragia, futura timemus. Quapropter optime Princeps, cũ tuis ſimul, compeſce terrenos iſtos ſpiritus: promontoria iſta euerte: deſtrue bithalaſſa loca: piratas doloſos perde: funditus ad terram proſterne rapidum vorticem, & tartaream Charybdim, poteſtate, qua præditus es: ſapientia, qua ornaris: generis nobilitate, & potentia, qua cæteris præſtas hominibus. Illuſtriſsimam atq; Reuerendiſsimam amplitudinem tuam bonis omnibus augeat Deus Omnipotens, qui eſt optimus maximus, à quo ſolo proficiſcitur vera felicitas. Datum Cracouiæ ad S. Bernardinum. Anno 1585. 23. Ianuarij.

Catalo-

Catalogus Tractatuum, qui in hoc ſecundo libro continentur.

De numero ternario.
De productionibus diuinis.
De Spiritu ſpirante, ſecundùm Philoſophos.
De Spiritu S. ſecundùm ſcripturas.
De Spiritu S. ſecundùm Theologos.
De relationibus in communi.
De actione & paſsione.
De relationibus Diuinis.
De Angelis bonis, ſecundùm Philoſophos.
De Angelis bonis ſecundum ſcripturas & Theologos.
De Angelorum creatione & bello.
De creare & creatione, an ſoli Deo competat.
De creatura, an fuerit ab æterno.
De creaturarum productione.
De indiuiduationis principio.
De materia, an ſit pars quidditatis.
De intelligentia, an ſit forma orbis.
De cœlo, an ſit corpus animatum.
De dæmonibus ſecundùm Philoſophos.
De idolis & dæmonum Magia.
De Luciferi effigie ſecundùm ſcripturas.
De Luciferi ſuperbia, bello, & ruina.
De dæmonum ordinibus.
De prouidentia Dei.

PYMANDER

43.1.H.12

PYMANDER MERCVRII TRISMEGISTI.

Cum commento

F. HANNIBALIS ROSSELI

CALABRI ORDINIS MINORVM

Regularis obſeruantiæ.

TEXTVS MERCVRII TRISMEGISTI.

MEns autem Deus, vtriuſq; ſexus fœcunditate pleniſsimus, vita, & lux, cum verbo ſuo, mentem alteram opificem peperit, qui quidem ignis, atque ſpiritus numen.

Commentum primum.

Trinitatis myſterium ſecundum Philoſ.

PYTHAGORÆ, PLATONIS, OMNIumq́ Ægyptiorũ, atq; Græcorum ſapientum antiquiſſima doctrina fuit, & lege quadam ſancita, quæ paſsim quodammodo de ſanctæ atq; indiuiduæ Trinitatis Myſterio, apud illos ſapientiæ duces, doctrinarum, artiumque inuentores illuſtres, legitur, atq; habetur. Sanè, Proclus Platonis Theologiam explicans, quam tradiderat Plato in epiſtola de tribus Imperatoribus, cum illuſtribus illis conſentit Platonicis, nempè Plotino, Porphyrio, Theodoro, Amelio: aſſeritq́ Platonem à Pythagoricis accepiſſe: Pythagoram verò ab Aglaphemo, & Orpheo. Omnis, inquit, Græcorum Theologia, nata eſt ab Orphei myſteriis. Quamobrem idem Proclus, nomina quidem, primùm elicit à Chaldæis, Ægyptiis, nouiſsimè verò à Græcis celebrata. Sunt autem, vnitas, bonum. Plato in 6. de repub. bonum vocat, à quo mens gignitur: in Parmenide dicit vnitatem, diuinarum vnitatum creatricem. Porro diuinæ vnitates, ſunt angelorum chori, quos in nouem diſtinguit: quem Dionyſius forſitan ſecutus eſt. Vnitatem autem præfert ipſi menti, quam ſibi vnit, & copulat Itaq;, vnitas, patri in diuinis competit, filio autem, mens. vnitas eſt omnium rerum cauſa, ſine qua nihil poteſt exiſtere, bonum verò productionis, atq; manationis principium. bonum igitur eſt omnium fons, & origo; vnitas autem coniunctio omnium. Planè, hæc duo nomina, vnum, & bonum, à Chaldæis authore Pſello, primùm tradita fuiſſe legimus: Vnum principium, inquit, dicunt eſſe, quod

Proclus. — Vnitas. — Bonum. — Plato. — Mens. — Pſellus.

Tria principia. *bonum, & vnitatem appellant. Eodem libro: Tria, inquit, principia multis in locis faciunt, bonum, mentem, animam. bonum ſcilicet Patrem, mentem filium, animam ſpiritum*
Plotinus. *ſanctum. Plotinus quoq; ex philoſophia Platonis: Omne, inquit, quod non eſt primum, non eſt ſimplex. Vnum eſt quid, & eius quod dicitur vnum, natura eadem: etenim hæc*
Bonū, mens, anima. *ipſa non eſt aliud: vnum ergo, deinde bonum. Et cùm dixerimus vnum, & bonum, oportet eandem ſentire naturam, ac primò quod ſit ſimpliciſſimum, & ſufficiens per ſe, quod non ſit ex pluribus. ſic enim tolletur, quòd non ſit in alio: quoniam, quicquid in alio eſt, etiam ab alio eſt. Si igitur non ab alio, neq; in alio quidem eſt; neceſſe erit ſuper ipſum nihil eſſe. Deinde, mens ſtatuenda eſt, & id, quod primo intelligit: deinde anima poſt mentem. Bonum ſine mente eſſe non poteſt, neq; mens ſine anima, deniq; neq; anima ſine bono, & mente: atq; ita tria ſunt, & vnum, nec plura, nec pauciora.*
Numenius. *Numenius etiam Platonicus, & temporis antiquitate, & ſapientiæ nobilitate præſtantiſſimus, multa de ſancta trinitate deſcripſit: Deus quidem, inquit, prius in ſeipſo exiſtens, eſt ſimplex, quòd ipſe ſibi vbiq; coniunctus eſt, nec vſquam diuiduus. At, & ſecundus Deus, & tertius eſt vnus.*
Plato. *Plato in epiſtola ad Dionyſiū, qui eum de natura dei percunctatus fuerat, ſcribit: De natura primi, inquit, loquendum eſt tecum per enigmata, vt ſi quid epiſtola terra vel ponto perpeſſa fuerit, qui legerit, nō intelligat. Sic habet res, circa omniū regem, omnia ſunt, & illius gratia exiſtunt omnia, illeq; eſt cauſa omnium bonorum. ſecundum autem circa ſecunda, & tertium circa tertia.*
Porphyrius. Cyrillus. *Porrò hæc à Porphyrio diligenter explanantur, authore Cyrillo lib. 8. contra Iulianum. Scribit igitur Porphyrius in quarto libro hiſtoriæ philoſophi: Vſq; ad tres ſubſiſtentias, dicit Plato, dei progredi eſſentiam, & eſſe quidem ſummè deum bonum: poſt illum autem ſecundum conditorem:*
Animam mū di.i.ſpiritus ſanctus. *tertiam autem mundi animam. vocabant autem ſpiritum diuinū, animam mundi, quandoquidem ab ipſa, vitam mutuent vniuerſa: vnde hominum, pecudumq; genus, vitæque*
Dauid. Virgil. *volantum: & quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus. quam ob rem Dauid cecinit: Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur. & alibi Poeta ait, Deum ire per omnes terras, tractusq; maris, cœlumq; profundum.*
Mercurius. *Mercurius in ſermone ad Aſclepium hæc ait:* Spiritu agitatur, & viuificatur omnis in mundo ſpecies: ſpiritus implet omnia, mundus nutrit corpora, ſpiritus animas.
Plotinus. *Plotinus in libro de tribus imperatoribus. Animatio mundi eſt ſpiritus dei. Anima magna cœlum animauit, Hæc ingreſſa cœleſte corpus dedit vitam, dedit immortalitatem, excitauit ipſum proſtratum. Non immeritò ergo poëta canit: Spiritus intus alit.*
Pythagoras. *vnde Pythagoras, quum audiſſet hunc ſpiritum, cenſuit eſſe animam, per omnem rerum naturam intentam, &*
Cicero. *commeantem: hoc Cicero de natura deorum interpretatur* ψυχὴν *id eſt, animum, quem cæteri dicerent animam. Itaq;, & animus mundi, & anima, & animatio ſolet appellari. Loquens præterea Cicero de ordine mundi: Hæc, inquit, ita fieri omnibus concinnentibus inter ſe mundi partibus profectò non poſſent, niſi ea vno diuino, & continuato ſpiritu continerentur.*
Damaſcius. *Damaſcius Platonicus de Ægyptiis ſic loquitur: Ægyptij, inquit, primū principium appellant tenebras incognitas, ſuper omnem cognitionem, ter iſtud acclamantes: triplicem deitatem, ſiue numina deſignantes.*
Iſa. Dauid. Orpheus. Paulus. *Sic Iſaias, vidit Seraphim, audiuitq; ea dicentia: Sanctus, ſanctus, ſanctus dominus deus Sabaoth: bonum, mentem, & animam. Tenebras autem vocant Ægyptij, quia nimirum poſuit tenebras latibulum ſuum, & eſt caligine ſeptus. deniq;, authore Paulo, lucem habitat inacceſſibilem.*
Plutarchus. *Plutarchus refert apud Ægyptios in templo Mineruæ, hæc inſcripta fuiſſe: Ego ſum omne quod fuit, quod eſt, quod futurum eſt. Velum meum nemo mortalium hactenus reuelauit.*
Calcidius. *Calcidius præterea Platonicus in Timæum ſic ſcribit: Origo, inquit, omnium rerum eſt ſummus deus, poſt quem prouidentia eius: ſecundus deus, lator legis, & vtriuſq; vitæ tam æternæ, quàm temporariæ: tertia eſt ſubſtantia, quæ ſecunda mens, intellectusq; dicitur, quaſi quidam cuſtos legis æternæ. Itaq; primus Deus iubet, ſecundus ordinat, tertius in-*

tius intimat. Poſt ſummum bonum, quod omnia expetunt, ſequitur ſecunda res, id eſt, mens, æmula bonitatis, propter indefeſſam ad ſummum bonum conuerſionem. huic obſequitur ſecunda mens, id eſt, Anima mundi: hinc fatum. Nomina primi apud Calcidium hæc ſunt: Iuſſor, imperator, dictator. Secundi verò, lator legis, iudex, author æternæ & temporariæ vitæ, prouidentia, idea rerum, aula formarum ditiſsima, æmula bonitatis. Tertij, Intimator, vniuerſalis afflatus, bonorum largitor, qui funditur, mittitur, & datur. Pletho & Gemiſtus, ſecundùm Sibyllarum oracula, ac magiam ipſorum, has proferunt ſententias: Omnia, inquiunt, perfecit pater, & menti tradidit ſecundæ. Vnde Plotinus inducit Platonem loquentem: O homines, quem vos arbitramini Deum mundi creatorem, non eſt primus, ſed eſt eo ſuperior. Beſſarion etiam hoc dogma tum Chaldaicum, tum Platonicum comprobauit lib. 2. Seruat, inquit, hoc propoſitum Plato ſemper, vt non primum per ſe principium exiſtimet creatorem rerum ſenſibilium propinquum; ſed eum, qui poſt primum illum, quem vnum vocat, ſecundo loco conſtitutus eſt: cui cùm materia, tum ideæ à primo attributæ ſunt, quas reſpiciens creator ſecundus, formas materiales, atque ſenſibiles materiæ imprimit. hoc cùm Auicenna Arabs legiſſet, & non intellexiſſet, credidit primam intelligentiam creaſſe ſecundã, ſecundam verò producere tertiam. Eſt autem hoc dogma Plotini, aliorumq́ Platonicorum, qui præcipuè tradiderunt à ſecunda mente, id eſt, à filio, tertiam produci, nempe ſpiritum ſanctum. Primam verò duntaxat genuiſſe filium ſuum primogenitum, qui deinde viſibilia, & inuiſibilia creauerit, à quo prodeat anima mundi. Suidas probus author teſtatur Triſmegiſtum appellatum, quia de trinitate quodam diuino ſpiritu locutus ſit. Erat, *inquit,* lumen intellectuale. *Ante lumen intellectuale, ſaltem prioritate originis.* Et erat ſemper mens mentis luminoſa, & nihil aliud erat, quàm horum vnitas, & ſpiritus omnia continens. Extra hanc non eſt deus, non angelus, non ſubſtantia vlla alia, omnium enim eſt dominus, & pater, & deus, & fons, & vita, & poteſtas, & lumen, & mens, & ſpiritus, & omnia in ipſo, & ſub ipſum ſunt. *Conſentit his Plato in epiſtola, quam ſcribit ad Hermiam, & Eraſtum, & Coriſcum. Hanc epiſtolam omnes vos cùm tres ſitis, legere oportet, inquit, & maximè congregatos, adiurantes deum ducem, huiusq́ ducis, & authoris patrem dominum, quem rectè philoſophantes cognoſcamus: Et in Epinomide: Honores tribuamus, ait, non vt huic quidem annum, alij verò menſem, aliis autem nullam partem deputemus, nullumuè tempus, in quo ex ſuo egrediatur polo, ſimulque perficiens mundum, quem conſtituit verbum, quod omniũ ſapientiſſimum. Hoc beatus primùm quidem admiratur, & addiſcendi amorem habet, quantùm mortali naturæ poſſibile. Porrò in hoc Plato clariſsimè oſtendit, patrem, verbum, & amorem. Pythagoras quoq́, authore philoſopho in primo de cœlo, & mundo, trinitatis myſterium cognouiſſe videtur: Ipſa tria, inquit, omnia ſunt, ipſum verò ter eſt ipſum, ſiue id, quod omni ex parte eſt. Nam, vt Pythagorei ſentiunt ipſum omne, ipſaq́ omnia tribus ſunt definita: finis enim medium, atq́ principium eum habent numerum: qui eſt ipſius omnis, hæc autem trinitatis. Quocirca etiam à natura ſumentes, veluti ab illius lege in deorum ſacrificiis celebrandis hoc vtimur numero. Itaq́ per celebres, atq́ inſignes ſapientes, Trinitatis ſanctæ myſterium à longè ſalutantes, ſub inuolucris, atq́ quibuſdam ſimilitudinibus efferre geſtientes, vix tandem ad id deuenerunt, vt nobis ſub quibuſdam nominibus, perſonarum diſtinctionem oſtenderent. Eſt enim hoc ſacroſanctum trinitatis myſterium ab omni prorſus intellectu creato quàm remotiſſimum, vtpote ipſius maieſtatis altitudine cuiuſuis creatæ naturæ captum ſuperans. Quare, ſi quippiam antiquis illis reuelatum eſt ſapientiæ ducibus; id profectò ex diui Pymandri benignitate emanaſſe, dubium non eſt, qui omnes cupit ad veritatis agnitionem pertingere, ſuiq́ participes fieri. Quam ob cauſam, poſtquam ſapientiſſimum Mercurium de incomprehenſibili, ſanctiſſimaq́ verbi ſui generatione inſtruxit, vt in primo libro dixi, iam pergit, alterius perſonæ, nempè diuini*

Pletho Gemiſtus. Plotinus. Beſſarion. Quare Auicenna errauit. Suidas. Triſmegiſtus In Aſclepio. Plato. Verbum ſapientiſsimum. Pythagoras De trinitate. Exponitur textus.

De numero ternario.

ſpiritus productionẽ oſtendere. Mens autẽ Deus,*inquit*, vtriuſq; ſexus fœcũditate pleniſsimus, cũ ſuo verbo mentẽ aliam opificẽ peperit *hæc planè nõ ſine magna animi modeſtia intelligenda ſunt: ſiquidẽ vtriuſq; ſexus fœcunditas, nulla ſancta, ineffabiliq; trinitate, vtriuſq; potentiæ, Intellectus ſcilicet, & voluntatis partus eſt pleniſsimus. Verbum namq; lucidum, atq; diuinum, diuino producitur gigniturq; intellectu, quemadmodum in primo libro dixi: ſpiritus autem numen, partus eſt diuinæ voluntatis.*

Fœcunditas diuina.

Igitur vtriuſq; ſexus fœcunditate noſter Pymander pleniſsimus eſt. De qua quidem fœcunditate, ac perſonarum trinitate, diſtinctione, proprietate, nobis poſthac loquendum eſt atq; diſputandum.

QVAESTIONIS PRIMAE. CAP. I.

Ternarij numeri Sacramentum.

Salomon.

Plato.

QVantùm apud antiquos ſapientiæ cultores ſemper valuerit numerorũ authoritas, cùm ex philoſophiæ principibus, tum etiam ex ſacris literis percipere poſſumus: Omnia, inquit ſapiens, Deus fecit in numero, pondere, & menſura. omnia planè ſuis conſtant numeris, appenduntur ponderibus, menſuris diſcreta ſubſiſtunt. Quamobrem, diuus Plato in Epinomide: Si quis, inquit, ab hominum natura numerum auferat; nunquam prudentes nos erimus. Qui autem veræ rationis, atque prudentiæ expers eſt, is ſapiens quomodo vnquam euadet? cui verò deerit ſapientia, vniuerſæ virtutis pars maxima, is cùm bonus abſolutè eſſe nõ poſsit, nunquam beatitudinem aſſequetur.

Numeri neceſsitas.

Itaq; numerum præſupponere, neceſſe eſt omninò: eo enim ſublato, omnes propemodum artes euaneſcerent: tota enim muſica, motus, & vocum numero indiget. Mali nullus numerus cauſa eſt: nam irrationalis, & inordinata, deformis, inepta, inconcinnaq; agitatio, omnia denique, in quibus mali quippiam ineſt, numero carent. Et 6. de legibus: Nulla, inquit, diſciplina ad artes vniuerſas tantam habet vim, quantam numerorum cognitio.

Pythagoras quid ſit numerus.

Pythagoras etiam Italicæ philoſophiæ princeps, Deum, animas noſtras, cunctaq; quæ fiunt, numeris conſtare aſſeruit, ex eorumq; harmonia, atq; concentu vniuerſa generari. Eſt autem numerus (authore Pythagora, vt dixi in primo libro) extenſio, atque actus ſeminalium rationum in vnitate regnantium.

Ternarij ratio

Numerus præterea eſt in diuina mente conſiſtens; à quo, & ex quo omnia componuntur, & permanent ordine quodam indiſſolubili inuicem diſtributa. Quoniam igitur numeris, & viſibilia, & inuiſibilia, omnia conſtant: illa ergo diuina maieſtas, numero fortaſsis carebit? minimè. Eſt enim numerus ſeipſum mouens: numerus autem vnius non eſt: quippe cùm ſit multitudo ex vnitatibus collecta.

Deus gaudet numero impari.

Cæterùm, quia gaudet Deus numero impari, multitudo verò à ſumma ſimplicitate quàm longiſsimè abeſt: primus ergo numerus impar, nempè ternarius in diuinis, non immeritò eſt conſtituendus. Sanè, Deus ternario numero res prorſus omnes gubernat, atque eodem numero res ipſæ terminantur.

Virgilius.

vnde Virg: Numero Deus impari gaudet: mundi enim faber, primò ſingula creat, deinde illa ad ſe rapit, poſtremò, perficit, atque complet. Planè ſingula quæq; ab illo perenni fonte fluunt, dum inde naſcuntur, in eundem poſtea refluunt, primam ſcilicet originem repetentes. Vltimò, perfectam, atque conſummatam, abſolutamq; perfectionem aſſequuntur.

Orpheus.

Iure ergo Orpheus, Iouem principium, medium, & finem vniuerſi vocauit. Principium, inquam, vt producentem; medium verò, vt producta ad ſeipſum trahentem; finem autem, vt perficientem ad ſeipſum redeuntia. Præterea, non ſolùm eſt principium, medium, & finis; verùmetiam, bonum, pulchrum, & iuſtum: bonum creat: pulchrum allicit: iuſtum perficit. Patri, principij, boniq; ratio competit: medij verò, atque pulchri, filio: diuino autem ſpiritui, finis, iuſtiq; conditio. hoc eſt fortaſsis, quod

Theologi

De numero ternario.

Theologi dicunt, vnum, ſpeciem, & ordinem, quæ in rebus conditis conſpiciuntur : vnumquodq; enim, vnum aliquid eſt, & aliqua ſpecie formatur, atque ordinem aliquem petit, aut tenet : atque ita in creaturis prælucet veſtigium trinitatis. Summa autem origo, authore Auguſt. de vera religione, in diuinis, eſt pater : perfectiſsima pulchritudo, filius intelligitur : beatiſsima verò delectatio, ſpiritus ſanctus. Trinitatem itaq; intelligimus vnum Deum patrem, à quo ſumus : & filium per quem ſumus : & ſpiritum ſanctum, in quo ſumus : hoc eſt, principium ad quod recurrimus, & formam, quam ſequimur, & gratiam, qua reconciliamur. vnum ſcilicet, quo authore conditi ſumus : & ſimilitudinē, per quam ad vitam, ſiue ad vnitatem reformamur : & pacem, qua vnitati adhæremus.

Veſtigiū Trinitatis. Auguſtinus. Vnum. Species. Ordo.

Latiſsimè ergo patet ternarij numeri ſacramentū, quod profectò ſingulæ quæq; res præſeferre videntur. Extat inſuper apud antiquos non contemnenda numeri ternarij authoritas. Multi fuerunt Patriarchæ, & Deus ſeipſum Patriarcharum vocat Deum Ego Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob : non quòd non ſit etiam Deus Moyſi, & Ioſeph, omnium enim Deus eſt, qui inuocant eum in veritate ; ſed veneratur ſicut in imagine, in terris cœleſtia. Tres Patriarchæ ſunt in honorem Trinitatis. Tres virtutes, fides, ſpes, & charitas. In tria diuiſum eſt vniuerſum, nempè in ordinem cœleſtium, terrenorum, & inferorum. In tria ſecantur tempora, in præterita, præſentia, & futura. Tres ſacerdotes nominantur, Moſes, Aaron, & Samuel. Trium celebris eſt memoria Regum, Dauid, Ezechiæ, & Ioſiæ. In camino tres pueri. In montem cum Chriſto conſcenderunt tres Apoſtoli. Multi in cœlo angeli, & tres apparuerunt Abrahæ. Tres dies, & totidem noctes perrexit Abraham, Iſaac immolaturus. Ionas tribus diebus fuit in ventre Ceti. Populo priori tres erant ordines, ſacerdotium, regnum, & prophetia. Cornu item erat olei ſanctificátionis, & vna fuit vnctio, tria verò dona: vnum cornu, tria chariſmata ; inungebantur enim ſacerdotes, Reges, & Prophetæ Tres ſunt angelorū Hierarchiæ. Prima circa omnium principem aſsiduè verſatur, habetq; tres angelorum ordines, nempè Seraphinos, Cherubinos, & Thronos. Porrò Seraphim, Dei charitatem, Cherubini autem ſapientiam, Throni verò, iudicium Dei præſeferre videntur Secunda Hierarchia, vniuerſum miratur; ideò tribus angelorum ordinibus adornatur, nempè dominationibus, virtutibus, & poteſtatibus Cæterum dominationes, Dei regnum, virtutes autem, miracula, poteſtates verò, Dei potentiā oſtendunt. Tertia Hierarchia particularibus inuigilat; vnde habet principatus, archangelos, & angelos : Principatus, Dei diſtributiones, Archangeli, conſilia, Angeli verò enuntiant diuinā prouidentiam. Tres ergo illæ Hierarchiæ, in ſingulos tres ordines diſtributæ, Trinitatis admirabile, ſanctumq; venerantur Sacramentum Tres magi cum tribus muneribus iter trium dierum petijt Moyſes, Exo. 5. Eſtote parati in diem tertium. 19. Exo. Tria ſunt in hoc mundo, omni malo deteriora : anima in peccato perſeuerans, angeli mali eam rapientes, & infernus. tria optima, anima in bonis perſeuerans operibus, angeli boni, & paradiſus. Tres homines commendantur, Noe, Iob, & Daniel. Tres mortui à Domino ſuſcitati. Trina interrogatio, confeſsio, & negatio Petri. Trina oratio Chriſti, & Danielis. Trina demiſsio Linthei in viſione Petri. Actor. 11. Tres menſuræ ſimilaginis accepit Sara, Gen: 18. Tria ſata farinæ, diuinitas, anima, & caro Chriſti. Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, pater, verbum, & ſpiritus ſanctus. & tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis. Tribus digitis appenditur moles terræ Iſa. 40. Tres ciuitates refugij æquali ſpatio à ſe diſtantes. Tria ſunt intellectu difficilia, via aquilæ in cœlo, via colubri ſuper petram, via nauis in Mari. Et hæc quidem ſacris ſufficere puto. Iam ad naturalium ſpeculatores accedamus. Plato in Timæo, tres mundos conſtituit, & tria itidem chaos. Tres mundi principes poſuit Zoroaſtres. Tres ordines, ſcilicet ideas, rationes, & ſemina poſuit Plato; ideas in Deo, rationes in mente, & ſemina in anima. Tribus Pythagorei Deum colere cōſueuerunt, nempè thure, igne, & oratione. Numerus præterea ternarius eſt perfectus :

Ternarij ſimilitudines in rebus.

Scripturæ de numero ternario.

Tres Hierarchiæ angelorum.

Ratio ordinis in angelis.

Numeri ternarij perfectio.

De numero ternario.

Ternarij obſeruatio in rebus.

conſtat enim ex partibus ſuis ſimul ſumptis. in quantitate quoq; continua perfectus reputatur, quæ conſtat ex principio, medio, & fine. Amplius, numerus ternarius conſtat tam ex partibus aliquotis, quàm non aliquotis. inſuper, in duo æqualia diuidi non poteſt, ob vnitatem, quam habet annexam. vnde præter vnitatem nihil habet, quia nimirum tres ſunt perſonæ, & vna deitas, atque ſubſtantia. In creaturarum conditione, Dei apparet potentia, quæ patri attribuitur: in diſpoſitione earundem, ſapientia, & hæc ad filium ſpectat: in ornatu verò, bonitas .i. ſpiritus diuinus. In quolibet præterea indiuiduo, virtutem inuenies, ſpeciem, & vtilitatem. virtus, patri in diuinis conuenit: ſpecies filio: vtilitas autem ſpiritui ſancto. Videmus Solem in cœlo currentem, fulgentem, calentem. Similiter ignis tria habet, motum, lucem, & feruorem, quæ ab inuicem non ſeparantur. Tres præterea ſunt animæ potentiæ, vna autem anima, atque vita. Quamuis, inquit Auguſt. 14. de trinit: Humana mens non ſit eius naturæ, cuius Deus eſt; imago tamen illius eſt, quo nihil melius eſt, ibi quærenda eſt, .i. in mente: eo enim ipſo imago Dei eſt mens, quo capax eius eſt, eiusq; particeps eſſe poteſt. Mens autem meminit ſui, intelligit ſe, diligit ſe. vnde apparet quædam trinitas memoriæ, intelligentiæ, & amoris. hæc autem tria, non ſunt tres; ſed vna vita, vna mens, vna eſſentia: itaq; hæc tria, vnum ſunt; quia vna vita, vna mens, vna eſſentia: vnde non pluraliter; ſed ſingulariter dicuntur: eo verò tria, quo ad ſe inuicem referuntur. Et hæc quidem æqualia ſunt, non ſolùm ſingula ſingulis; ſed etiam ſingula omnibus; alioqui non ſe inuicem caperent: ſe autem inuicem capiunt: capiuntur autem & à ſingulis ſingula, & à ſingulis omnia. memini enim me habere memoriam, & intelligentiam, & voluntatem: & intelligo me intelligere, & velle, atque meminiſſe: & volo me velle, & meminiſſe, & intelligere. Totam præterea meam memoriam, & intelligentiam, & voluntatem ſimul memini: quod enim memoriæ meæ non memini; illud non eſt in memoria mea: nihil autem tam in memoria eſt, quàm ipſa memoria: totam ergo memini. Item, quicquid intelligo, intelligere me ſciò, & ſcio me velle quicquid volo, quicquid autem ſcio, memini: totámq; ergo intelligentiam, totámq; voluntatem meam memini. Amplius, cùm hæc tria intelligo; tota ſimul intelligo: neque enim quicquam intelligibilium eſt, quod non intelligam, niſi quod ignoro: quod autem ignoro, nec memini, nec volo. Quicquid ergo intelligibilium non intelligo, conſequenter etiam nec memini, nec volo. quicquid ergo intelligibilium memini, & volo, & conſequenter intelligo. Voluntas quoque mea, totam intelligentiam, totámq; memoriã meam capit, dum vtor toto eo, quod intelligo: & memini. Cùm igitur inuicem à ſingulis & omnia, & tota capiantur; æqualia ſunt tota ſingula totis ſingulis, & tota ſingula ſimul omnibus totis, & hæc tria vnum, nempè vna vita, mens, atque eſſentia. Non temerè ergo ait Moyſes: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Sanè, vnitatis, ac trinitatis imaginem gerit diuinæ: quippè, qui diuinæ conſors eſt naturæ. Tres apud logicũ habentur ſyllogiſmi, Dialecticus, Sophiſticus, & demonſtratiuus: ex tribus conſtat verus ſyllogiſmus, ſcilicet, maiori, minori, concluſione. Tres etiam habentur apud Rethoricum rationis ſpecies, nempè demonſtratiua, deliberatiua, iudicialis. Tres ſunt numeri apud Arithmeticũ, perfectus, vt ſex; diminutus, vt octo; ſuperfluus, vt duodecim. Triplex eſt muſica, mundana, humana, inſtrumentalis, authore Boëtio: inſtrumentalis, rurſus in rithmicam, metricam, & harmonicam diuiditur. Tres ſunt philoſophiæ partes, rationalis, naturalis, diuina. Tres ſunt leges, naturalis, ſcripta, & gratiæ, nempè euangelica. quòd ſi licet ea, quæ à nonnullis ſcribuntur, adducere, timeo oneri me eſſe legenti: ſubſcribam tamen, vt quisque pro ſuo libitu accipiat.

Imago trinitatis in anima.

Potentiarum æqualitas in anima.

Ternarius numerus in artibus.

Grypus ternarij numeri.

Ter bibe,

De numero ternario.

Ter bibe, vel toties ternos; ſic myſtica lex eſt,
Vel tria potanti, vel ter tria multiplicanti,
In paribus nouies ternis contexere cubum.
Iuris idem tribus eſt, quod ter tribus omnia in iſtis,
Forma hominis cœpti, pleniq́ exactio partus.
Quinque nouem nouies fati tenet vltima finis.
Tris Ope progeniti fratres, tris ordine Parcæ,
Veſta, Ceres, & Iuno decus muliebre ſorores.
Inde triſulca Iouis ſunt fulmina, Cerberus inde,
Inde tridens, triplexq́ Helenes cum fratribus ouum,
Ter noua Neſtorios impleuit purpura fuſos.
Et toties trino cornix viuacior æuo,
Quam nouies terni glomerantem ſecula tractus
Vincunt æripedes ter terno Neſtore cerui.
Tris, quorum ætates ſuperat Phœbeius oſcen,
Quem nouies ſenior Gangeticus anteit ales,
Ales cinnameo radiatus tempora nido.
Ter gemina eſt Hecate, tria virginis ora Dianæ.
Tris Charites, Tria fata, Triplex vox, trina elementa.
Tris in Trinacria Sirenes, omnia trina,
Tris volucres, tris ſemideæ, tris ſemi puellæ,
Ter tribus ad palmam iuſſæ certare camenæ:
Ore, manu, flatu, buxo, fide, voce canentes.
Tris ſophiæ partes, tria punica bella, Trimeſtris
Annorum, cœliq́ vices, noctisq́ per vmbram,
Ter gemini vigiles, ter clara inſtantis eoi,
Signa canit ſerus deprenſo Marte ſatelles,
Et qui conceptus triplicatæ veſpere noctis,
Iuſſa quater ternis ſuſpendit opima trophæis,
Et lyrici vates numero ſunt Mnemoſynarum
Tris Solas, quondam tenuit quas dextera Phœbi,
Sacrauit toties ternas ex ære citeron.
Religione patrum, qui ſex periiſſe timebant.
Trina Tarentino celebrata trinoctia ludo:
Qualia his genito thebis trieterica Baccho,
Tris primas Thracum pugnas, tribus ordine ſellis.
Iuliadæ patri inferias miſere ſepulto.
Illa etiam thalamos per trina ænigmata quærens,
Qui bipes, & quadrupes foret, & tripes, omnia ſolus
Terruit Aonia volucris leo, virgo triformis,
Sphynx volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.
Trina in Tarpeio fulgent conſortia templo.
Humana efficiunt habitacula, ter genus artes,
Parietibus qui ſaxa locant, qui culmine tigna,
Et qui ſupremo fucat tectoria cultu.
Hinc bromij quadrantal, & hinc ſicana medimna,
Hoc tribus, hoc geminis tribus explicat vſus agendi.
In phyſicis tria prima Deus, mundus, data forma,
Tris genus omnigenum, genitor, genitrix, generatum,

Per trina ſpecies trigonorum linea currit.
Æquilatus, vel crure pari, vel in omnibus impar,
Tris coit in partes numerus perfectus, vt idem
Cum grege ter terno per ter tria diſſoluatur.
Ius triplex, tabulæ quod ter ſanxere quaternæ,
Sacrum, priuatum, & populi commune quod vſque eſt.
Interdictorum trinum genus, vnde repulſus
Vi, furto, aut vtrobiq; fuerit, quorumùe bonorum
Triplex libertas. capitiſq; minutio triplex.
Trinum dicendi genus eſt, ſublime, modeſtum,
Etenui filio, triplex quoque forma medendi,
Quæ logos aut methodos, cuique experientia nomen.
Et medicina triplex, ſeruare, cauere, mederi.
Orpheus hinc tripodes, quia ſunt tria, terra, aqua, flammæ.
Triplex ſyderibus poſitus, diſtantia, forma,
Et modus & genitrix modulorum, muſica triplex:
Miſta libris, ſecreta aſtris, vulgata theatris.
Martia Roma triplex, equitatu, plebe, ſenatu.
Tris equitum turmæ, tria nomina nobiliorum.
Geriones triplices, triplex compago chimæra,
Scylla triplex, commiſta tribus, cane, virgine, piſce.

Sed de numeri ternarij ſimilitudinibus, authoritatibus, atque exemplis, hæc adduxiſſe, ne dum ſufficere puto, verùm conſuetæ methodi ordinem excedere.

CAP. II.

Si in diuinis ſit propriè numerus.

Quid ſit numerus.

NVmerus, authore Boetio, eſt multitudo ex vnitatibus aggregata: Multitudo autem interdum tranſcendens dicitur, quatenus ſcilicet rerum eſt ſecundùm eſſentiam differentium. Aliquando verò prædicamentaria, quæ ex continui diuiſione cauſatur. Pari etiam modo, quædam vnitas tranſcendens appellatur, quæ eſt entis paſſio: alia verò prædicamentalis, à continui diuiſione proficiſcens. Cæterùm Auicenna vnitatem tranſcendentem, ſiue vnum tranſcendens, accidens appellauit: tale ſiquidem vnum, denominatiuum eſt, quod profectò ad accidentis naturam ſpectat. Eſt etiam principium numeri, quod eſt accidentis. Inſuper aliquod addit poſitiuum reale, alioqui nugationis vitium incideremus, dum dicimus, ens eſt vnum, idem repetentes. Oppugnat hanc Auicennæ ſententiam Auerroes 4. met. philoſo. authoritatem ſequens: Methaphyſici, inquit, intereſt, quemadmodum de vno; ita etiam de ente cogitare: vnum enim, & ens realiter non diſtinguuntur. Præterea, ſi vnum, enti diſpoſitionem additam dicat; profectò proceſſus eſſet in infinitum. Etenim, ſi homo eſt vnus, ob eam ſanè diſpoſitionem entis naturæ additam: Aut certè illa diſpoſitio eſt ens, vel nihil: Porrò dici non poteſt nihil eſſe; eſt ergo ens: ſed omne ens, eſt vnum per diſpoſitionem ſibi additam, atq; ita illa diſpoſitio erit vnum per aliam diſpoſitionem, & ſic in infinitum.

Auicenna de vnitate tranſcendenti.

Commẽtator

Vnum & ens quomodo diſtinguuntur.

1.

2. *Præterea, quæ ſunt eadem realiter, eandem profectò ſubeunt naturam: ſed ens & vnum, ſunt idem realiter: ea namq;, quorum ſeparatio contradictionem includit, ſunt idem, ſed ens & vnum, ſubiectum & propria paſſio ſunt huiuſmodi: ſunt igitur idem realiter. Quare ens & vnum, eandem prorſus ſubeunt naturam.*

3. *Amplius, omne prius à ſuo ſuperio-*

9 Si in diuinis ſit numerus.

ſuperiori eſſentialiter diſtinctum, atq; abſolutum, ſine illo certè conſiſtere poteſt: quare ſi ens prius ſit quàm vnum, ſicuti ſubiectum prius eſt accidente; ens vtiq; in rerum natura, ſine vnitate conſiſtere poterit: eritq́; ens, & non vnum. Suffragatur nobis philoſophus 7. met. Subſtantia, inquit, prior eſt accidente, non ſolùm natura, ſed etiam tempore. Vnde, quantum ad ſe pertinet, ſine accidente poteſt conſiſtere: quod profectò õnibus modis falſum eſſe reputeamus, vt ens ſit, & non vnum. Adhuc, Auicenna reputat vnum eſſe accidens, quia eſt principium numeri, quod eſt accidens. Atqui, idem per ſe in diuerſis eſſe prædicamentis, authore Boetio, capitulo de qualitate, eſt impoſſibile. Sanè, diuerſorum generum, & non ſubalternatim poſitorum diuerſæ ſunt ſpecies, & differentiæ, teſte philoſopho in ante prædicamentis: & in primo poſteriorum ait, prædicamentorum eſſentias eſſe impermixtas. Sed vnum, quod cum ente conuertitur, in omni planè genere inuenitur, quemadmodum & ipſum ens: determinati ergo eſſe generis, eſt impoſſibile, alioqui diuerſes in generibus inueniretur: atq; ita tale vnum non eſſet principium numeri. Itaq́; vnum tranſcendens, in quocunq; ente inueniatur, præter illud ens, cuius paſſio nominatur, poſitiuum dicit nullum: niſi duplicem ex principali ſignificato negationem in ente. Prima quidẽ eſt, diuerſitatis negatio à ſeipſo, quæ eſt ſui ipſius indiuiſio: Altera verò eſt negatio identitatis cum alio, hoc eſt, diuiſio ab vnoquoq;, quod non eſt ipſum. Hæ autem negationes ex natura rei, abſque omni intellectus operatione in ente habentur reali, & ſecunda primam præſupponit, ideo enim ab aliis ſecernitur, quia in ſeipſum non diuiditur, ſiue à ſeipſo non ſegregatur. Ad Auicennæ autem rationes ſic reſpondere poſſumus.

Rationes contra Auicennã. Ariſt. 7. met. cap. 4.

Vnum tranſcendens.

Duplex negatio.

Soluuntur rationes Auicennæ.

1. *Ad primam, quæ ita arguebat: Vnum non eſt genus, nec differentia entis, nec ponitur in diffinitione quidditatiua alicuius ſubſtantiæ: ergo eſt accidens. Reſpondeo, vnum non eſſe accidens prædicamentale, ſiue vnum ex nouem accidentium generibus, ſed prædicatiuũ potiùs, quod reuera formalem rei rationem non ingreditur, nec de ente, aut de aliis prædicatur in primo modo dicendi per ſe. Porrò tale accidens prædicatiuum, naturæ rei, cuius eſt accidens, non addit aliquid reale, niſi indiuiſionem.*

2. *Ad 2. Si eſt idem aliquid eſſe ens, & vnum, ergo eſt nugatio dicere ens vnum, ac ſi diceres ens eſt ens: Reſpondet Commentator 4 met. Com. 3. non ſequi aliquam nugationem: nam etſi ens & vnum eandẽ ſignificent eſſentiã, modis tamen diuerſes .i. diuerſa ratione illam enuntiant: qua de cauſa, nulla committitur nugatio. Proinde, quamuis vnum & ens eſſentialiter, aut realiter non diſtinguantur; ens nihilominus aliam rationem indicat, nempe poſitiuam, vnum verò negatiuam in genere, hoc eſt, indiuiſionem.*

3. *Ad 3. ſicut bis vnum numerale conſtituunt binarium; ita & bis vnum tranſcendens: ſed primum eſt accidens: ergo & ſecundum. Reſpondeo, quòd quamuis vtrumq; ſit numeri conſtitutiuum, non eiuſdem tamen eſt generis. Etenim, quemadmodum duplex eſt vnum, quod vt accidens, & non accidens diſtinguitur; ita planè duplex eſt numerus tranſcendens: vnus quidẽ, qui ex vnitatibus tranſcendentibus conſtituitur, abſtrahitq́; à ſubſtantia, & accidente, vnde eſſentiarũ, vel formalis nominatur, vtpote ens: alius verò quantitatiuus dicitur, quippè, qui ex vnitatibus conſtituitur quantitatiuis, ſpectatque ad prædicamentum quantitatis: ex diuiſione enim continui cauſatur, vt docet tertius liber phyſicorum. Porrò Auicenna arbitratus eſt omnem numerum, omnemq́ue vnitatem, ad accidentis pertinere naturam, vt refert Commentator 4. met: com. 3. Præterea, illud vnum, quod de omnibus prædicamentis dicitur, reputauit eſſe numerorum principium: numerus autem eſt accidens: quare illud vnum accidens appellauit. ſed certum eſt, omnibusq́ue propemodum probatur, vnum tranſcendens non eſſe principium numeri. Sed dicet aliquis, quamuis vnum non dicat aliquid poſitiuum cum ente, veluti accidens à ſubiecto eſſentialiter diſtinctum; ſecundum tamen ſuam rationem formalem, qua diſtinguitur ab ente, non meram ſanè negationem, ſed aliquid certè poſitiuum annuntiat. vnum ſanè, quod eſt principium numeri, multitudinem, quæ eſt aliquid poſitiuum, præcedere, clariſſimè conſtat. Pari ergo ratione,*

Duplex numerus.

Vnum non eſſe meram negationem.

tione,

Si in diui-nis ſit nu-merus.

tione, vnum, quod conuertitur cum ente, quodq́ eſt principium numeri tranſcendentiũ,
eiuſdem erit naturæ: eſt enim menſura, vt dicitur 4 met. Vnitas præterea perfectionem
dicit ſimpliciter: quò enim aliquid eſt perfectius; eò magis eſt vnum: denique vnum
ſecundùm ſuam formalem rationem, eſt paſſio entis ſcibilis de ente. ſpectatq́ ad metha-
Rationes contrariæ. *phyſicum: dicit ergo aliquid poſitiuum, ſiquidem de non ente non habetur ſcientia. Itaq́*
vnum, hoc modo dicit aliquid poſitiuum, & eſt nihilominus negationis, vel priuationis
1. *principium. Verùm, huic ſic diſputanti, nonnullæ rationes aduerſantur: & prima quidẽ,*
et conformis eſt, quæ à Commentatore contra Auicennam diſputante, adducitur. Pla-
nè, ſi illud poſitiuum formale, ſeipſo vnum eſt; eodem modo, & ens: quòd ſi aliquo alio
2. *formali poſitiuo vnum erit; ſic certè proceſſus erit in infinitum. Amplius, ens ſecun-*
dùm ſuam rationem formalem poſitiuam, qua ab vno diſtinguitur, aut eſt vnum, aut
non. vnum autem eſſe, omninò neceſſe eſt. Tunc quæro, aut ſeipſo, & proprio poſitiuo;
aut profectò, aliquo alio ſibi addito: ſi ſeipſo; habeo intentum: ſi extraneo addito; in
eandem reuera abſurditatem incidemus, quam prius reprobauimus: nempè proceſ-
3. *ſum aſcendendi in infinitum dari. Adhuc, quæcunque formaliter ex natura rei diſtin-*
guntur in creaturis; eadem planè realiter diſtingui, neceſſe eſt: igitur ſi ens, & vnum,
vt poſitiua formaliter diſtinguantur: realiter ergo diſtinguerentur, quod eſt falſum. ex
Soluuntur rationes. *quo patet prædictam ſententiam, veritati, rationiq́ minimè conuenire. Ad primam ra-*
1. *tionem dico, in numero aliquid eſſe poſitiuum, & aliquid negatiuum: ſicut enim vnum*
negationem dicit, & connotando ſubindicat poſitiuum, vel naturam ſubſtratam; ita
etiam & numerus: itaq́ vnum, quòad ſuum connotatum poſitiuum, numeri pars, aut
principium eſt: ſecundùm autem huiuſmodi ſignificandi modum ab ente non diſtingui-
tur. quare, quæ ab argumento à proportione arguit, nullius valoris reputatur argumen-
2. *tatio. Ad 2. vni formaliter accepto non conuenit ratio menſuræ; ſed ei potiùs, cui con-*
3. *uenit eſſe vnum, nempè ſubſtrato enti, ac poſitiuo. Ad 3. vnum formaliter acceptum,*
non perfectionem; ſed vnius fundamentum indicat: illud autem, quod eſt ens ſubſtra-
4. *tum interdum perfectionem dicit ſimpliciter. Ad 4. vnitas non eſt paſſio poſitiua en-*
tis, ſed negatiua: idq́ ex natura rei. Porrò de non ente habetur ſcientia per rationem
alterius entis. Cæterùm, quamuis vnum, & ens realiter, atque eſſentialiter non diſtin-
guantur; non ſunt tamen realiter idem: affirmatio enim, & negatio nunquam ſunt idem
realiter: alioqui negatio per ſe eſſet res, quod eſt impoſſibile: nec ſunt realiter diuerſa,
ſed non idem formaliter, quia nimirum vnum non eſt de conceptu quidditatiuo alterius;
ſed extra potiùs, ſicuti negatio eſt extra conceptum affirmationis: quam ob cauſam rea-
liter, aut formaliter non ſunt idem. His itaq́ ſic elucidatis, ad id, quod in principio nobis
Vnitas quomodo ſit in Deo. *quærendum eſſe propoſuimus, accedamus. Vnitas namq́ tranſcendens Deo attribuitur,*
quæ planè duo ſubindicat: alterum quidem in ſe, atque à ſe indiſtinctionem entis, ab a-
lioq́ diſtinctionem, aut cum vno non identitatem potiùs, idq́ ex formali ſignificato:
alterum verò, ipſum ens ſubſtratum, atque fundamentale connotando. ex quo patet v-
nitatem in Deo tum aliquid poſitiuum, tum verò aliquid negatiuum dicere. cùm enim
dicitur Deus vnus, indiſtinctio quidem diuinæ ſignificatur eſſentiæ, negaturq́ deorum
pluralitas. vnde huius nominis vſus in diuinis, negat magis, atque remouet, quàm aliquid
Vnitas numeralis non cõpetit Deo. *ponit, aut ſtabilit. Porrò, vnitas numeralis propriè Deo conuenire non poteſt: illa enim*
ab alia vnitate eſſentialiter diſtinguitur: deinde, vnitas & vnitas ſiue duæ vnitates ali-
quid maius, perfectiusq́ efficiunt, quàm vna tantùm vnitas. ſed ambæ conditiones à di-
Quomodo numerus ſit in Deo. *uinis remouentur: vnitas quippe diuinæ eſſentiæ, neque maior fieri poteſt, neque à ſeipſa*
diſtinguitur: eſt ergo in diuinis illa vnitas ſimpliciter tranſcendens, non numeralis. Cæ-
1. *terùm, quemadmodum vnitas numeralis in Deo eſſe non poteſt; ita etiam numerus pro-*
priè Deo non eſt tribuendus. numerus enim quantitas, eſt accidens: ſed in Deum nullũ
cadit accidens: igitur in Deum non cadit numerus, qui eſt quantitas: nec etiam nume-

rus tranſ

Duæ productiones in diuinis.

rus tranſcendens : nam ſicuti ibi non ſunt virtutes eſſentialiter diſtinctæ, ſic nec eſt ali-
quid maius. Amplius, numerus cauſatur ex diuiſione continui : ſed in diuinis non inue-
nitur quantitas : ergo quod prius. Quòd ſi numerus ſeſe extenderit ad quamcunq; mul- 2.
titudinem, ſeu pluralitatem ſignificandam; tunc, abſque dubio, in diuinis numerum re-
ponimus, atque collocamus, quo, & perſonarum pluralitatem diſtinguimus, & attribu-
torum, perfectionumq́; diuinarum multitudinem diſtinctè, clareq́; diſcernimus. Siqui-
dem duplex eſt diuiſio, vna quidem materialis, quæ fit ſecundùm diuiſionem continui,
quã ſanè conſequitur numerus, qui eſt ſpecies quantitatis, inuenitur q́; in rebus materiali-
bus, quantitatem habentibus : alia eſt diuiſio, quæ per oppoſitas fit atque diuerſas for-
mas. hanc autem, multitudo ſequitur, quæ non eſt in aliquo genere ; ſed in tranſcenden-
tibus potius, ſicuti ens diuiditur per vnum, & multa. porrò hæc multitudo in rebus im-
materialibus inuenitur tantùm. Quare, multitudo ſic accepta, vtpote tranſcendens, ad
multa ſe habet, de quibus prædicatur, ſicut vnum, quod conuertitur cum ente : vnum
autem ſignificat ens indiuiſum. itaq́; termini numerales in diuinis, illa ſignificant de qui-
bus dicuntur, ſolamq́; addunt negationem. Perſonarum igitur confuſionem excludunt,
quod eſt contra Sabellium, earundem verò ſolitudinem, quod Fotino aduerſatur. Quam
ob cauſam termini numerales, cùm ſint adiectiua, ſi ſubſtantiuis eſſentialibus addita fu-
erint, propoſitionem vtiq; falſam reddunt : veluti ſi quis diceret tres deos, aut tres ſapi-
entias. Quòd ſi perſonis addantur, nullum erit inconueniens : ſignificant enim perſona-
rum diſtinctionem, per relationis modum. quid ergo ſit numerus, aut quomodo diuinis
conueniat perſonis, dictum eſt.

Termini numerales in diuinis.

CAP. III.

Vnitatem, aut numerum non eſſe in diuinis.

VNitas dicens aliquid poſitiuũ, ad genus ſpectat quantitatis: ſed in deo nul-
la eſt quantitas : igitur, nulla eſt in eo vnitas. Sanè, vnum, multitudini, ſi-
cuti habitus priuatio opponitur : ſed priuatio non dicit aliquid poſitiuum:
nec ergo vnitas. Amplius, quod non eſt in diuinis; nõ dicit aliquid poſitiuũ: 2.
ſed numerus non eſt in diuinis, eſt enim quãtitas diſcreta, quæ in Deum non
cadit : numerus ergo in Deo non dicit aliquid poſitiuum. Adhuc, ſicut ſe habent vnũ, & 3.
multa; ſic album, & alba 4. met. ſed vnitas non dicit aliquid poſitiuũ in diuinis: nec ergo
terminus numeralis.

CAP. IIII.

Solutio.

AD primum, verum quidem eſt in diuinis numerum non inueniri, qui eſt 1.
quantitas : nam in Deo nullum poteſt eſſe accidens, nec vnitas, quæ primò
eſt illius numeri principium, ſi propriè numerum acceperis. Ad confirma-
tionem dico, quòd vnum non opponatur multis, ſicuti vna negatio multis :
principaliùs enim negationem, quàm aliquod poſitiuum annuntiat. Ad 2. 2.
numerus in diuinis non dicit aliquid poſitiuum ſicut menſura, & menſuratum. Quòd ſi
menſuram, atque menſuratum, vnitati, ſeu pluralitati diuinæ attribueris ; ad modum v-
triuſq; vnitatis ſe habebit, & numeri : non dicit tamen aliquod poſitiuum formaliter ; ſed
fundamentaliter, idq́; per quandam connotationem. Ad 3. numerus in diuinis, ſiue ter- 3.
mini numerales (ſi modò numerum largo modo acceperis) præcipuè negationes ſigni-
ficant, quemadmodum & vnitas, connotant tamen poſitiua. Et hæc quidem de numero
in diuinis diximus.

Duæ pro-
ductiones
in diuinis.

QVAESTIONIS SECVNDAE CAP. I.

Duas in diuinis productiones eſſe.

*Poſtquàm oſtenſum eſt quomodo numerus ſit in diuinis, deinde oſtende-
re oportet, duas eſſe productiones: principium enim productiuum,
aut eſt naturaliter productiuum, aut liberum. Plura ſanè principia pro-
ductiua, aut productiones eſſe nequeunt: ſed in diuinis memoria inuenitur
fœcunda, quæ eſt principium naturalis generationis: aliud igitur principi-
um liberum productiuum, nempè diuinam voluntatem in diuinis inueniri, omninò neceſ-
ſarium eſt. atq; ita veriſſima eſt Mercurij ſententia, vtriuſq; ſexus fœcunditate deum
eſſe pleniſſimum. Hæc ſanè duo, ad vnum reduci non poſſunt, quod ſit alterum ipſorum:*
Prima ratio. *principium enim, quod ad aliud reducitur; profectò imperfectum reputatur, quod pla-
nè diuino intellectui, aut voluntati competere nequit: ſunt certè ſimpliciter perfectiſſi-
ma. Neutrum ergo ad alterum ipſorum eſt reuocandum, aut reducendum. Nec ambo ad
aliquod tertium, puta ad eſſentiam: eſſentia namq; eſt eiuſdem rationis: ſed principia
ſunt alterius rationis. ſiquidem productio per modum naturæ, authore philoſopho 2.
phy. alterius eſt rationis, quàm productio libera. ſed in diuinis ſunt huiuſmodi produ-
ctiones, vt dicit Auguſt 5. de Trinit. Filius, inquit, procedit, vt verbum, & imago, per*
1. *modum naturæ, ſpiritus verò ſanctus, vt donū, & amor, per modum voluntatis: ergo & e.
Amplius, quod in diuinis, vnius eſt rationis; ex ſe augeri aut multiplicari non poteſt:
quod enim eſt vnius rationis, non eſt in potentia ad ſingularitatem: ſed in diuinis ſunt*
3. *plures productiones: non eiuſdem ergo, ſed alterius creduntur rationis eſſe. Adhuc, vir-*
4. *tus ſummè actiua, ſummè ſeſe diffundit: ſumma autem diffuſio eſt, ſeipſum communica-*
5. *re, nempè naturam ſuam alteri largiendo: ergo. Boni præterea eſt, ſeipſum communicare:
ſummum ergo bonum, eſt ſummè communicatiuum, idq; ad intra, nihil enim aliud poteſt
eſſe ſummum bonum. Item perfectum eſt, quod poteſt producere ſibi ſimile. 1. Met. &*
2. *4. metha. Sed deus eſt agens perfectiſſimum: igitur vniuoca productione, producit
ſibi ſimile. Porrò, quoniam proceſſiones in diuinis ſunt actiones in agente manentes, hu-*
3. *iuſmodi autem in diuinis, non niſi duæ eſſe poſſunt, ſcilicet intelligere, & velle: ſi vtraque
non eſſet fœcunda proceſſio; profectò non eſſet deus vtriuſq; ſexus fœcunditate pleniſ-*
6. *ſimus. Amplius, Omne id, quod ex ſua ratione formali eſt principium productiuum, in
quocunq; illud fuerit perfectum, erit certè productiuum. ſed memoria perfecta, ſiue
intellectus, obiectum habens intelligibile ſibi præſens, ex ſua ſanè ratione formali, eſt
productiuum notitiæ genitæ: vt videre licet in intellectu creato. In quocunq; igitur fue-
rit huiuſmodi principium, eſt vtiq; productiuum. At, in deo eſt ſecundum rationem*
Memoria fœcunda. *ſui: Eſt ergo ibi productio notitiæ genitæ. Porrò, per memoriam perfectam productio
perfecta dici non poteſt, niſi illius extiterit notitia, quæ adæquetur memoriæ, ſiue intelle-
ctui, reſpectu huiuſmodi obiecti. At, memoriæ, ſiue intellectui diuinæ perſonæ, quoni-
am eſt infinitus, notitia ſola adæquatur infinita: obiectum enim eſt infinitum, & intel-
lectus quoq;, ideo illius eſt obiecti comprehenſiuus. Aliqua ergo perſona diuina per me-
moriam, notitiam produc.t infinitam. Tale autem productum per intellectum, in nullo
natum eſt recipi: non enim in diuinis, ſicut in creaturis, illud poteſt accidens appellari:*
Notitia genita. *Itaq; notitia genita, per diuinum intellectum producta, eſt in ſe ſubſiſtens, atq; alia per-*
Amor productus. *ſona à producente. Et eodem modo eſt amor, qui ex diuinæ voluntatis fœcunditate pro-
ducitur. Sanè, intellectus & voluntas nedum ſunt principia operatiua; verùm etiam pro-
ductiua. Quatenus autem intelligunt, & volunt, reſpectu illorum actuum, qui ſunt in-
tellectio, & volitio, operationes immanentes, principia vocantur operatiua: productiua*

verò,

Duæ productiones in diuinis.

verò, illorum actuum reſpectu, qui ſunt, dicere, & ſpirare. In creaturis, intellectus eſt
potentia receptiua, quod certè ad imperfectionem ſpectat, & idem eſt potentia produ-
ctiua, quod perfectionẽ ſonat. Ad vnum ergo deueniendum eſt principium productiuũ,
ſimpliciter perfectiſsimum, quod videlicet ex infinitæ perfectionis plenitudine, producit
ſuamq́; non expectat perfectionem à productione, vel producto. huiuſmodi agens pro-
ductiuum ab Auicenna, agens ex liberalitate appellatur. Sanè, in omni genere, eſt de-
ueniendum ad ſimpliciter perfectum: ſed nullum eſt agens ſimpliciter perfectum, niſi
quod ſua ſponte, & liberè agit, ſecundùm eum planè modum, quem paulò ante recitaui-
mus: in genere ergo principij productiui, eſt tale principium productiuum perfectiſsi-
mum, cuius intellectus, per intellectionem, quam gignit, non perficitur. Igitur, productũ, 1.
non ideo productum eſt, vt producens per ipſum perficiatur; ſed potiùs eſt ex perfectiſ-
ſima plenitudine producentis. Quòd ſi aliqua notitia genita eſſet in paterno intellectu,
quæ non adæquaretur illi; aliam vtiq; gignere poſſet, atq; ita eſſent plures filij in diuinis,
& plures amores. ſed notitia genita, diuinæ æquatur memoriæ: igitur vna eſt ibi noti-
tia genita, & ſimiliter vnus amor. Potentia præterea ex ſe productiua alicuius produci- 2.
bilis, producit quidem; quòd ſi productum non ſit natum in aliquo ſibi proportionato re-
cipi; per ſe vtiq; manebit ſubſiſtens. Itaq; pater notitiam genitam habet, non agendo vti-
que, hoc eſt, aliquid in ſe producendo, nec faciendo, id eſt producendo aliquid extra ſe,
eſſentialiter diſtinctum. Verùm, quia productum in nullo recipi poterat; intellectus ve-
rò diuinus eſt ſufficiens principium productiuum, vtpotè infinitus: ideo notitiam produ-
xit ſubſiſtentem, quæ eſt perſona filij, & cum filio, alteram mentem opificem, hoc eſt, ſpi-
ritum ſanctum. Duæ ergo ſunt in diuinis productiones, & vna quidem naturalis, vt filij,
altera verò libera, id eſt ſpiritus ſancti.

Dicere. Spirare.

Auicenna.

Quare duæ ſint productiones.

Plenitudo producentis.

Filij Dei productio.

CAP. II.

In diuinis nullam eſſe proceſsionem, ſiue productionem.

*Poſſet aliquis contra prædicta elucidandæ veritatis gratia nonnullis argu-
mentis ſic arguere. Nullum productum eſt ex ſe neceſſarium; nihil enim
eſt ex ſe neceſſarium, & ab alio poſsibile. nam ſi ex ſe eſt neceſſarium, eti-
am quocunq; alio non exiſtente, ſemper profectò erit neceſſarium. Porrò,
productum, poſsibile eſt produci: ſed poſsibile & neceſſarium non coinci-
dunt, imò inter ſeſe pugnant: igitur, verum eſt, nullum productum eſſe neceſſarium.
Sed quicquid eſt in diuinis, eſt ſimpliciter neceſſarium, alioqui non eſſet æternum, & di-
uinum: igitur in diuinis nihil eſt productum, ſiue nulla productio. Amplius, in diuinis 2.
non eſt aliquod principium productiuum: ergo non eſt aliquod ibi productum. Conſe-
quentia patet, quia non eſt productum ſine producente: nihil enim ſeipſum producit.
Antecedens autem clariſsimum eſt: illud ſanè principium dicitur productiuum, quod
reuera ex notitia producta perficitur, habetq́; notitiam à ſe diſtinctam: ſed intellectus
diuinus, non eſt talis, alioqui eſſet imperfectus: ergo quod prius. Sanè, ſi habeat notiti-
am ſibi adæquatam, non poteſt aliam producere: quòd ſi producit, vtiq; perfici, neceſſe
eſt. Item, eſſentia diuina non habet ex ſe ſuppoſitum productum: quòd ſi habeat illud 3.
per productionem, fiet certè de non habente habens, atq; ita mutationi ſubderetur. At,
in diuinam eſſentiam nulla cadit mutatio: ergo nulla poteſt ibi eſſe productio. Præterea, 4.
ſicut vnumquodq; ſe habet ad eſſe: ita planè ſe habet ad operari. ſed intellectus, & volun
tas eſſentialiter ſunt in diuina eſſentia: igitur, quemadmodum in eſſendo ad diuinam
reducuntur eſſentiam; ita etiam & in operando. Principium igitur productiuum in di-
uinis, eſt diuina eſſentia. ſed tunc ſanè in diuinis nulla eſſet productio: nam cùm ſit tota*

 ſimul

Duæ productiones in diuinis.

ſimul in qualibet perſona,ſi principium ſit producendi diuina ſuppoſita, ſeipſam vtique
produceret,quod eſt impoſſibile. Adhuc ,ſi aliquid idemptitate, ſen virtute, calorem,
5. lucemq; contineret ; illud profectò diceretur & calefactionis , & illuminationis princi-
pium Sed diuina eſſentia idempticè continet intellectum,& voluntatem : eſt ergo prin-
cipium,& generationis,& ſpirationis diuinæ. Primum profectò, in vnoquoq; eſt perfe-
ctiſſimum, habetq; rationem principij : ſed eſſentia diuina, inter diuinas perfectiones,
eſt prima: igitur, eſt principium effectiuum,atq; productiuum in diuinis Inſuper,intel-
lectus,& voluntas in creaturis,quamuis ſint animæ conſubſtantialia,non ſunt tamen na-
turæ communicandæ principia : igitur intellectus,& voluntas diuina, non ſunt principia
productiua. Reſtat ergo,vt in diuinis principium productiuum,ſoli diuinæ conueniat eſ-
ſentiæ.ſed illa,vt diximus,non eſt alicuius productionis principium:igitur in diuinis non
6. datur aliqua productio, ſiue productum. Item, ſi per impoſſibile intellectus & volun-
tas diuina producerentur,diuina vtiq; eſſentia illa producerentur. igitur diuina eſſentia
7. eſt principium productiuum. Item, natura eſt principium motus, vel productionis,au-
thore philoſ. 2. Phy. quemadmodum eſt etiam via in naturam, vti in terminum : ſed in
diuinis,natura eſt diuina eſſentia,intellectus autem,& voluntas,ſunt illius potentiæ : ad
diuinam igitur naturam,ſiue eſſentiam ſpectat officium producendi. Intellectus præte-
rea,& voluntas ab ipſa ſubſtantia mutuant virtutem principij,ſeu producendi:vnde iam
patet,ſubſtantiam eſſe principalius principium producendi. ſed diuina eſſentia ex ſua
ratione formali non eſt alicuius productionis principium productiuum.imò,ſi huiuſmo-
di officium illi competeret,non duarum tantùm eſſet productionum principium produ-
ctiuum,ſed plurium:quippè,quæ ex ſe non ſit alicuius determinatæ , diffinitæq; produ-
ctionis; ſed indifferens ad plures. Itaq; diuina eſſentia nullo modo in diuinis erit princi-
pium productiuum, & ex conſequenti nec intellectus,aut voluntas.Quare in diuinis nul-
lum eſt principium productiuum,nec etiam aliquod productum,ſiue productio.

CAP. III.

Soluuntur argumenta.

AD primum,Negatur maior, & ad primam probationem dico,nihil eſſe ex
1. ſe formaliter neceſſarium, & ex alio ſimiliter. bene tamen fieri poteſt, vt
quod ex ſe eſt formaliter neceſſarium , ab alio quoq; ſit neceſſarium ; non
quidem formaliter, ſed productiuè. Cùm ergo dicis, neceſſarium ſimplici-
ter,ſiue ex ſe;id certè dicitur,quod ſemper eſt neceſſarium,etiam quocun-
que alio circumſcripto. verum quidem eſt,ſi illius circumſcriptio, aliquod incompoſſibi-
le non includat. Ad ſecund. Maior eſt vera de poſſibili logico,non autem de poſſibili
reali : poſſibile enim logicum differt à poſſibili reali , vt dicit philoſophus 5.met.cap.de
potentia. nam poſſibile logicum, eſt modus compoſitionis formatæ ab intellectu illius
quidem,cuius termini non includunt contradictionem. Vnde poſſibilis eſt hæc propoſi-
tio,Deum poſſe produci,& deum eſſe. At poſſibile reale accipitur ab aliqua potentia
in re,ſicut à potentia inhærente alicui,vel terminata ad illud , velut ad terminum : itaq;
filius, non eſt poſſibilis,poſſibilitate reali, nec poſſibilitate alicui inhærente, nec termi-
nata ad ipſum,ſicut ad terminum. ſiquidem poſſibilitas actiua , ſiue paſſiua, vt dicitur
5 & 9. met.eſt principium tranſmutandi aliud , vel ab alio in quantum aliud : proinde
eſt ad aliud in natura. filius autem eſt terminus potentiæ productiuæ, quatenus ſcilicet
abſtrahit ab effectiuæ potentiæ ratione. Quòd ſi huiuſmodi potentia dicatur ſimpliciter
potentia;& terminus quoq; illius potentiæ ſimpliciter poſſibile dici poſſet. verùm huiuſ-
modi poſſibilitas non repugnat neceſſario formaliter, ſed tantùm illa, de qua philoſophi
locuti ſunt. Patet ergo quomodo productum in diuinis ſit neceſſarium: & poſſibile. Ad 2.

Neceſſarium formaliter productiuè.

Poſſibile logicum.

Poſſibile reale

negatur

Duæ productiones in diuinis.

negatur antecedens, & ad probationem, patet ſolutio ex his, quæ paulò ante à nobis reci-
tata ſunt. Principium enim productiuum in diuinis ex ſuæ perfectionis plenitudine pro-
ducit, non expectans ſui ipſius perfectionem à productione vel producto. Ad 3. negatur 3.
conſequentia: eſſentia enim etſi ex ſe non habeat productum; per productionem tamen
illud includit. Non ergo ſequitur: Ergo eſſentia de non habente, fit habens: ſed illud bene,
ergo eſſentia ex ſua ratione, non habet, ſiue includit illam perſonam: Relatio ſanè non
pertinet ad rationem abſoluti. Igitur, eſſentia per productionem habet perſonam, in qua
ſubſiſtit: quæ profectò productio non pertinet ad rationem eſſentiæ: vnde nulla poteſt
ſequi mutatio. vt enim ſit mutatio, aliquid ineſſe alicui opus eſt, cui priùs infuiſſe oppo-
ſitum, conſtat: ſed in diuina hæc cadere nequeunt. Ad 4. Illa maior ſic eſt intelligenda, 4.
vnumquodque ſic operatur, ſicuti eſt, & quo operatur, eo eſt. Proinde maior vera eſt,
nihil ſcilicet operari niſi ens. ſed tunc nihil eſt ad propoſitum. Nam ſi quippiam ad ali-
quid reducitur ſub ratione eſſendi; non inde ſequitur, illud reduci ſub ratione operandi:
attributa namque ad eſſentiam, veluti ad primam perfectionem ſimpliciter reducuntur,
non tamen, vt principia. Accidentia præterea, ad ſubiectum reducuntur, idque ſecundùm
rationem eſſendi, non autem operandi. Ad 5. Negatur ſimilitudo: lux namque & calor 5.
nequaquam ſunt perfectiones ſimpliciter: quam ob cauſam, ſi in aliquo vno inueniantur;
ibi profectò eminenter inueniri, neceſſe eſt, quippè, quæ non diſtinguantur à continente.
Proinde continens, tum calefactionis principium, tum etiam illuminationis appellatur.
Porrò intellectus & voluntas, ſunt perfectiones ſimpliciter; ideo principia productiua
dicenda ſunt: ex quo nihil eſſe ſimile, clariſſimè conſtat. Ad primam probationem, ne-
gatur minor: eſſentia enim diuina ſecundùm ſuam rationem formalem, non eſt principi-
um naturæ communicandæ, niſi addita ſibi potentia intellectiua: atque ita ex potentia in-
tellectiua, & ex ipſa eſſentia, vt obiecto, efficitur memoria fœcunda. Eſt autem in patre
memoria principium operatiuum, ſiue productiuum, quo pater exiſtens in actu primo, Memoria fœcunda in diuinis quid ſit.
producit, vt in actu ſecundo notitiam genitam. Itaque intelligere, quod eſt operatio patris
& dicere, quod eſt, reſpectu notitiæ genitæ, producere patris, ad eundem actum primũ,
qui planè eſt patris memoria, ordinem quendam habere videntur, nempè, intelligere pa- Intelligere & dicere in patre.
tris non eſſe verbi elicitiuum, ac formale principium: verbum enim non gignitur ab in-
telligentia, ſed à memoria 15. de trin. ſicut etiam in primo libro diſputauimus. Memoria
igitur fœcunda, ex potentia, & obiecto conſtat, quæ eſt principium communicandi di-
uinam naturam, non autẽ ipſa diuina eſſentia. Ad 2. probationem, ſeu confirmationem,
negatur ſimilitudo: intellectus planè, & voluntas diuina, ſunt idem ſimpliciter diuinæ
eſſentiæ: quod profectò in nobis non inuenitur, ideo nullam habent ſimilitudinem ad
probandum id, quod Argumentum nititur oſtendere. Ad 6. Diuina eſſentia non continet 6.
intellectum, & voluntatem per modum principij productiui: friuolum eſt ergo, quod ar-
gumentum adducit. Ad 7. Natura, quatenus ab intellectu, & voluntate ſecernitur, non 7.
eſt principium verbi geniti, ſed memoria, vt dictum eſt. Ad confirmationem dico, vo-
luntatem, & intellectum non vniuocè de creaturis, & de deo dici: in deo enim ſecundùm
ſuas rationes formales ſunt infinita, atque propter ipſarum rationes productiua: ſunt igi-
tur duæ in diuinis productiones, vna quidem naturalis, altera verò libera.

CAP. IIII.

In diuinis vnam tantùm eſſe productionem.

Quidam nituntur probare in diuinis vnam tantùm eſſe productionem hoc
modo. Vnius naturæ, vnus eſt modus communicandi, ſecundùm ſententiam Auer. contra Auicennam.
Commentatoris 8. phyſ. com. 46. contra Auicennam diſputantis. Sed in diui-
nis eſt

Duæ productiones in diuinis.

nis eſt vna tantùm natura : ergo eſt vnus modus communicandi : Maior autem multis
probari poteſt rationibus. Sanè, alterius materiæ, altera eſt forma: alioqui non eſſet hu-
ius materiæ hæc propria forma; ſed quodlibet generaretur ex quolibet: atq; ita materiæ
eſſent ocioſæ, quod eſt falſum. At, materiæ, quæ diuerſis correſpondent agentibus, ſeu
producentibus, non eiuſdem ſunt rationis, ſicut videre eſt in his, quæ per propagationem,
& putrefactionem fiunt: propagatum enim, ex ſemine, illud verò, ex putri corpore fit,
Diuerſæ igitur materiæ ſunt amborum, atq; diuerſæ formæ, deniq; diuerſus modus com-
municandi. Præterea, quod per putrefactionem gignitur, aut ſe habet vt ſemper, aut vt
in pluribus, aut vt in paucioribus. non quidem vt ſemper, aut in pluribus: Igitur, vt rarò,
& in paucioribus, & à caſu. At, quæ per generationem propagantur, illa ſe habent, vt
in pluribus. Diuerſæ ergo ſunt rationis: alioqui eadem ſpecies eſſet à natura, & à caſu: &
ita homo poſſet vtiq; ex alterius ſpeciei ſemine gigni: naturaq; ſuis in operibus eſſet mon-
ſtruoſa, & hoc profectò in dedecus retorqueretur primi opificis naturam ſic inſtituentis;
2. quod falſum eſſe, omnibus modis conſtat. Amplius, Diuerſorum motuum ſpecies, diuerſi
quoq; ſunt termini ſpecie, authore philoſopho 5. phyſ. ſed productiones in diuinis ſunt di-
uerſæ rationis: igitur termini quoq; earundem. At, vna eſt eſſentia diuina, omnium pro-
fectò productionum formalis terminus : vna eſt ergo in diuinis productio; quia vnicus
3. eſt terminus formalis; motus enim ex termino diſtinguuntur, vel vniuntur. Adhuc, quem-
admodùm vna natura à ſuppoſitis eiuſdem naturæ non niſi vnico modo communicatur,
ſicut homo generat hominem; ita etiam, & natura diuina. ſed illa eſt ſummè vna : igitur
4. vnicum habet modum communicandi, & non plures, vt alij dicunt. Item, ſi in diuinis alia
detur generatio, ſiue proceſſio, quàm verbi geniti ; eadem quoq; facilitate alia daretur,
atq; ita in infinitum, quod eſt inconueniens. in prima ergo ſtandum eſt proceſſione, vt
vnica ſit in diuinis proceſſio: Sanè in omni plane natura, eiuſdem communicandæ vnus
habetur modus; operationes enim ex terminis vnitatem, diuerſitatemq; ſortiuntur, vt di-
ctum eſt: ſed proceſſio in diuinis, eſt ſecundùm diuinæ communicationem naturæ, quæ
5. cùm ſit vnica, vnicum vtiq; habet actum communicandi. Præterea, ſi in diuinis alia ſit
proceſſio, quàm ea, quæ eſt verbi lucidi: illa vtiq; erit amoris, quæ à voluntatis actu pro-
ficiſcitur. verùm, quia voluntas in deo non eſt aliud, quàm ipſius intellectus : igitur non
duæ in diuinis, ſed vnica tantùm eſt proceſſio.

CAP. V.

Soluuntur Argumenta.

Genita ex putrefactione, & ex propagatione.

1. AD primum, negatur maior : nam idem ignis, tum ex igne, tum etiam ex col-
liſione generatur: vegetabilia præterea fiunt ex ſemine, & ex putrefactio-
ne. Item, muſcæ, & mures interdum per propagationem generantur, non-
nunquam per putrefactionem: ſic veſpæ, ex veſpis, & ex cadaueribus equo-
rum : item, apes, ex apibus, & ex cadaueribus vaccarum. hoc idem probat Commen-
tator 3. cœli com. 56. & 12. met. com. 19. Huiuſmodi autem genita, eiuſdem eſſe naturæ,
per eaſdem certè operationes, quas exercent, notum eſſe poteſt. Quamobrem, genita
per putrefactionem, vniuocè ſibi ſimilia propagare, Auguſt. 3. de trinitate, clariſſimè
docet. Quædam præterea, vt dicitur 7. met. fieri poſſunt ſine ſemine, virtute vtique cœ-
leſti, ſeminis vice fungente. Ad primam probationem dico, vtrorumq; materiam eiuſ-
dem eſſe rationis : quatenus ſcilicet materia pars eſt generati, ſiue per propagationem
quidem, ſiue per putrefactionem. Quòd ſi materia intelligatur, quatenus eſt ſub priua-
tione formæ introducendæ, vt genitum eiuſdem ſit naturæ; non opus eſt certè eandem
materiam eſſe. Quare, non eſt neceſſe, ſemen eiuſdem eſſe rationis cum cadauere, quam-
uis ma-

Duæ productiones in diuinis.

nis materiam intret geniti ex ipſo. Ad 2. probationem, aliquid eſſe in pluribus, vel in
paucioribus, bifariam poteſt intelligi: Vno quidem modo ſic, vnus effectus ſpecie, po-
teſt duas cauſas habere: vnam quidem vniuocam; æquiuocam alteram. vnde, ſi vniuo-
cæ comparetur; eſt, vt in pluribus: ſi verò æquiuocæ, vt in paucioribus. ſed hoc modo
non ſequitur argumentum: vtraque enim cauſa ordinem habet, ſiue ordinata eſt ad ta-
lem effectum producendum. Alio modo, idem effectus, atque ſuum oppoſitum, eidem
cauſæ comparantur: & tunc ſi effectus contingit, vt in pluribus; illius oppoſitum erit, vt
in paucioribus, & è conuerſo: proinde eſſe in maiori, vel minori parte, æquiuocũ eſt. Ita-
que, ſi comparentur cauſæ determinatæ; vt in pluribus fiunt: ſi verò indeterminatæ;
vt in paucioribus, ex hoc tamen non ſequitur intentum. Ad 2 propoſitio illa, locum ha- 2.
bet in his, quorum forma, ſecundùm quam fit fluxus, eiusdem eſt rationis cum forma
terminante. At productio non eiusdem eſt rationis cum termino formali, nempè eſſen-
tia diuina; illa enim eſt relatio, hæc autem ad ſe dicitur; ideo productionum pluralitas,
diſtinctam productorum, atque ſpecificam non includit diſtinctionem, ſeparationemq́.
Ad 3. Natura communis in creaturis, vnico tantùm modo à ſuppoſito illius communica- 3.
tur, ob certè principij productiui limitatam, finitamq́ naturam. At, in diuinis, quoni-

Natura in creaturis.

am duo ſunt principia productiua, vt dictum eſt; idcirco diuina, humanis non ſunt con-
ferenda. Sanè, in natura diuina duo ſunt principia productiua, quorum vtrumq́ eſt æquè
perfectum cum natura; ideoq́ quodlibet ipſorum eſt perfectiſſimum principium com-
municandi. hæc, quoniam in creatam nequeunt cadere naturam; hac de cauſa, vnius
naturæ, vna eſt productio. Ad 4 non opus eſt in diuinis proceſſionibus in infinitũ pro- 4.
ficiſci: proceſſio ſiquidem, quæ eſt in diuina natura; voluntatis proceſſione clauditur.
Ad confirmationem patet reſponſio ex iam dictis: per quamlibet enim proceſſionem,
quæ nõ eſt ad extra, communicatur diuina natura, quæ ita fœcunda eſt, vt per duo prin-
cipia productiua, eadem ſemper communicetur. Ad 5. Quamuis in Deo non ſit aliud 5.
voluntas, quàm intellectus; ad intellectum tamen, voluntatisq́ diuinæ rationem ſpectat;
vt proceſſiones vtriusque, quæ ſecundùm actiones fiunt, quodam ordine diſtinguantur,
atque ad ſe inuicem ordinentur. Proceſſio quippè amoris, ad verbi proceſſionem tendit:
nihil enim voluntate amatur; niſi id, quòd prius intellectus conceperit. Eſt ergo quidam
inter huiusmodi, ordo, quamuis idem ſint in Deo, cuius profectò ordinis gratia, diſtin-
ctas habent proceſſiones.

CAP. VI.

In diuinis plures, quàm duas productiones inueniri.

QVemadmodum ſcientia, & voluntas Deo attribuitur; ita etiam & potentia: 1.
ſic enim infinita eſt illius potẽtia, ſicuti intellectus, & volũtas. ſed in diuinis;
duæ ſunt proceſſiones, vna quidem per intellectũ, altera verò per voluntatẽ.
tertia vtiq́ ſit neceſſe eſt, nẽpè per omnipotentiã. Amplius, vbi eſt infinita 2.
bonitas; ibi, reuera, neceſſaria eſt illius bonitatis proceſſio, ſiue diffuſio: bo-
nũ namq́ ſuiipſius eſt diffuſiuum. ſed in Deo eſt infinita bonitas: igitur aliqua eſt apud
Deum, ſecundùm illius bonitatẽ proceſſio. Porrò, ſi noſtri verbi non eſt vna tantùm, ſed
plures proceſſiones; quare ergo diuinũ verbum his carebit, cuius virtus eſt infinita? Non
vna ergo, aut duæ, ſed plures proceſſiones in diuinis. Amplius, vbi ſunt plura prin- 3.
cipia productiua, ibi profectò plures ſunt productiones: ſed in diuinis plura ſunt princi-
pia productiua, nempè natura, intellectus, & voluntas: Naturam enim & intellectũ,

Natura.

tanquã duo principia actiua, atq́ diuerſa in 2. Phyſ. Philoſophus diſtinguit, atq́ diſcer-
nit: igitur, præter productionem voluntatis, ſunt quoq́ aliæ duæ, naturæ ſcilicet, & in-

 Duæ productiones in diuinis.

POſtquam viſum eſt, quomodo ſint duæ productiones; deinceps videndum, quomodo trinitas ſtet cum vnitate. Intellectus habens obiectum actu intelligibile, producit actum ſibi adæquatum, hoc eſt, infinitum. porrò, vt dicit Rationes. 1.
Auguſt. primo de trinit: nihil ſeipſum producit: quòd ergo actu intellectus producitur, aliquo modo à producente diſtinguitur: non quidem eſſentialiter; quoniam vna eſt tantùm in diuinis eſſentia. Perſonarum ergo eſt illa diſtinctio, inter productum per actum intellectus, & producentem. Cùm autem duæ ſint in diuinis productiones, Perſonarum
vna quidem per actum intellectus, altera verò per actum voluntatis; duæ quoq; ſint, ne- diſtinctio.
ceſſe eſt, perſonæ productæ: qualibet enim iſtarum ad vnam terminatur perſonam, quæ profectò huiuſmodi eſt adæquatus productioni terminus. vnam namq; eandemq; perſonam, duabus productionibus totalibus, ſufficientibusq; produci, eſt impoſſibile. vna quippe productio ſufficit, quæ eſſe perfectum largitur, atque completum. Eſt præterea 2.
vna perſona improducta: eſſentia enim ſimpliciſſima non habet plures modos eſſendi: quod certè contingeret, ſi plures perſonæ improductæ in diuinis inuenirentur. Tres ergo ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, pater, verbum, & ſpiritus ſanctus. Sanè, omnis perfectio ſimpliciter eſt communicabilis: ſed diuina eſſentia eſt perfectio ſimpliciter, & omninò indiuiſibilis: multis ergo ſuppoſitis eſt communicabilis. Perfectio namq; ſimpliciter eſt, quæ melius eſt in quocunque ipſum eſſe, quàm nõ ipſum. nam ſi ad vnam tantùmmodo perſonam eſſet determinata; non eſſet melior quocunq; ſibi incompoſſibili, niſi tantùm in illa ſubſiſtentia, alteri planè ſubſiſtentiæ eſſet incompoſſibilis. Paternitas præte- 3.
rea, & filiatio (cùm ſint oppoſitæ relationes) ad duas ſpectare videntur perſonas, patris ſcilicet & filij: ambas enim, vni conuenire perſonæ, eſt impoſſibile. proceſſio autẽ patri conuenire nõ poteſt, & filio, vel alteri eorum: alioqui proceſſio intellectus, quæ eſt generatio in diuinis, vnde accipitur paternitas, & filiatio, ex proceſſione prodiret amoris, ex qua ſpiratio accipitur, ſi perſona generans, & genita procederent à ſpirante: itaq; plures ſunt in diuinis relationes ſubſiſtentes ad inuicem realiter diſtinctæ. Realis autem diſtinctio diuinarum vtique relationum, ex oppoſitionis relatiuæ ratione proficiſcitur. Duæ ergo relationes oppoſitæ, nempè paternitas, & filiatio, ad duas pertinẽt per- Relationes
ſonas, patris ſcilicet & filij. Paternitas namq; ſubſiſtens, eſt perſona patris: & filiatio oppoſitæ.
ſubſiſtens, eſt perſona filij. Cæterùm, ſpiratio, quoniam oppoſitionem non habet relatiuam ad paternitatem, ſeu filiationem, ambobus, hoc eſt, patri, filioque conuenit: & ex conſequenti illius proceſſio alteri perſonæ, quæ per modum amoris procedit. Ex relationibus ergo diuinis conſtat, tres eſſe diuinas hypoſtaſes, ſiue perſonas. Amplius, in diui- 4.
nis pater eſt principium originis: vnum ergo eſt in diuinis principium improductum: alioqui non eſſet ordo in diuina trinitate, ſi plura ibi eſſent principia improducta. Profectò ratio boni eſt propagatio ſui. quò ergo meliora ſunt; eò certè magis propagatiua ſui ſunt: igitur, infinitum bonum, infinitam, atque intimam habet propaginem. Nullum autem infinitum extra ipſum immenſum propagatorem, exiſtit. Quare, filius infinitè bonus, apud patrem infinitè bonum exiſtit; apud quos ſe mutuò diligentes, viget amor infini- Producere ſi-
tus. Sicut ergo filius à patre per modum naturæ; ita etiam, & ſpiritus ſanctus per modũ bi ſimile.
voluntatis procedit. Perfectiſſimo præterea enti nulla perfectio ſimpliciter dicta, deeſſe 4.
poteſt: ſed producere ſibi ſimile eſt perfectio ſimpliciter dicta: Deo ergo deeſſe non poterit: Nunquid ego, qui aliis generationem tribuo, ſterilis ero? dicit dominus. Huius Iſaiæ. vlt.
autem ſanctæ trinitatis exempla non habet humanæ naturæ pauperies ad amuſſim ex- Qui alijs gene
preſſa; ſed à longe ea colligere ſtudet, ſicut hactenus diximus, atq; oſtendimus, per lu- rationem præ
cem Solis, per ignem, in quo tria quædam inſeparabilia conſpicimus, ſubſtantiam, ſplen- ſto nunquid
dorem, & motum. Sicut, inquit Auguſt. 6. de trinit: cap. 1. ſplendor, qui gignitur ab ſterilis ero?
igne, ſiue à Sole coæuus eſt illi; ita & filius à patre. Porrò ſplendor nõ eſt ſine motu, nec filius ſine ſpiritu ſancto. Tria ergo ſunt ſimul, ſcilicet, Sol, ſplendor, & motus, quæ quo-

Triũ perſonarum vnitas.

dam modo ſanctæ trinitatis exemplar præſeferre, videntur. ſi in aula præterea illuſtri, lucernis tribus ardentibus quiſpiam deambulauerit; tres vmbræ reſultant: & ſi illis tabulã opponas, in cuius medio ſit foramen, tria lumina per illud traijciuntur è transuerſo in oppoſitum: ex quo cognoſcimus emicantia lumina in aëre non confundi, quamuis ſint coniuncta loco; diſtincta tamen manent. ſpiritualis autem ipſorum natura facit, vt non commiſceantur inuicem in vnam nouam, communemq́; naturam. Ex hac certè ſimilitudine, aliquo modo, quamuis tenui, ſanctæ trinitatis exemplar intelligere, atque perſpicere valemus. Quomodo ergo ſint tres perſonæ in vna eſſentia, dixi. Sed contra prædicta poſſet aliquis ſic arguere, vt patebit in capitulo ſequenti.

Exempla trinitatis.

CAP. II.

Tres perſonas cum vnius eſſentiæ vnitate conſiſtere nõ poſſe.

1. *SI plura in diuina natura ſuppoſita, ſiue perſonæ numerentur, & ſint: igi-*
tur, diuina eſſentia, aliquid eſſet potentiale ad ſuppoſita, veluti vniuerſale
ad ſua inferiora: ſuppoſita enim ſecundum vniuerſalis intentionem conue-
nirent, ſolamq́; haberent ordinis, aggregationisq́; vnitatem, quod eſt im-
poſſibile: non ſunt ergo in diuinis plura ſuppoſita. Sanè, extra intellectũ,
vniuerſale inueniri, eſt omninò impoſſibile. Si ergo plura ſint in diuina eſſentia ſuppoſi-
ta; continget profectò hoc abſurdum. omnis enim natura, communis pluribus ſuppoſitis,
eſt vniuerſalis: ſed natura diuina, tribus communicatur perſonis, vna numero exiſtens:
2. *erit ergo vniuerſale extra intellectum conſiſtens: quod eſt falſum. Amplius, quemad-*
modum Deo conuenit ſumma vnitas; ita etiam, & ſumma entitas: ſed maior eſt eſſentiæ
perſonæq́; vnitas, quàm eſſentiæ tantùm: in Deo ergo cum vnitate eſſentiæ, eſt vnitas per-
ſonæ. Profectò, aliquam eſſentiam in diſtinctis ſuppoſitis, ſine aliqua eſſentiali, aut ac-
cidentali diſtinctione, intelligere, reputatur impoſſibile. At, natura diuina, quoniam
eſt ſimpliciſſima, nullo modo eſt diuiſibilis: igitur, non eſt pluribus communicabilis.
3. *Adhuc, aliquid eſſe vnam, & plures res, rationi congruere non poteſt: ſed quælibet*
perſona eſt aliqua res, erunt ergo tres: at, tunc non eſſet vnus Deus. Deus enim eſt ali-
quid vnum ſimpliciſſimum, non plura ſimpliciſſima, ſi fas eſt, dicere plura ſimpliciſſi-
ma. Sanè, ſi tria ſint diuina ſuppoſita, quodlibet planè ipſorum ab alio ſecernitur, atque
conuenit; idq́; ob aliud, & aliud, quod reuera, diuinæ non congruit ſimplicitati: vna er-
4. *go & non plures ſunt diuinæ perſonæ. Præterea, ſi ſint in diuinis plura ſuppoſita: igitur,*
non eſt vnum tantùmmodo ens neceſſarium: quodlibet enim ſuppoſitum eſt neceſſariũ,
alioqui diuinum dici non poſſet. ſed tria numerantur ſuppoſita: tria ergo ſunt entia pri-
mò neceſſaria, quod profectò nedum Theologo non probatur, ſed ne Philoſopho quidem.
5. *Eſſe namq; vnum, & plura ſummè entia neceſſaria, contradictionem includit. Ampli-*
us, quæcunque vni, & eidem ſimplici ſunt eadem realiter; illa abſque dubio, authore
philoſopho 7. Topicorum, ſunt eadem inter ſe realiter: ſed quælibet perſona, eſt eadem
realiter diuinæ eſſentiæ: ergo eadem eſt omninò alteri perſonæ, atque ita nulla eſſet per-
ſonarum diſtinctio. Quæcunque præterea ſunt eadem realiter, ſi vnum augeri, aut mul-
tiplicari contigerit; & alterum eandem ſubibit naturæ qualitatem; alioqui non eſſet e-
orum realis, atque eſſentialis concordia ſed diuinæ eſſentiæ, atque perſonæ eſt vnio eſſen-
tialis: igitur, ſi in diuinis plures ſint perſonæ, plures quoq; erunt diuinæ eſſentiæ, quod
6. *certè falſum eſt. ex quo in diuinis plures non eſſe perſonas, clariſſimè patet. Amplius,*
in ſummo, atque perfectiſſimo ente, nihil ſanè ponendum eſt, quod maiorem non ſonet
perfectionem: ſed pluralitas perſonarum, non maiorem dicit perfectionem, quàm ſim-
plicitas, alioqui quælibet illarum non eſſet infinita, & ita non eſſet Deus, quod impium
eſt di-

Perſonarum trinitas.

eſt dicere: Porrò infinitum non ſuperat infinitum: Tantæ ergo perfectionis eſt, vnam
eſſe in diuinis perſonam ac plures. Quare, ſine cauſa eſſe videtur, vt plures in diuinis
numerentur perſonæ. Quicquid enim perfectionis eſt in vna; & in alia quoque. Vn-
de, ſi vna tantùm in diuinis perſona extiterit; nihil perfectionis ſubtraheretur enti per
fectiſſimo, rerumq́ vniuerſitati: ergo quod prius. Adde, quòd perſona eſt rationalis natu
ræ indiuidua ſubſtantia: quam ob rem, ſi plures ſint perſonæ in diuinis; plures quoq; eſſe 7.
ſubſtantias, dicere oportebit, quod à vera fide quàm longiſſimè abeſt. Amplius, ſi ab-
ſolutarum pluralitas proprietatum, tum in deo, tum etiam in nobis diſtinctionem per-
ſonarum non efficit; multò minus pluralitas relationum, ſed in deo tantùmmodo eſt plu-
ralitas relationum: illa ergo non efficit perſonarum diſtinctionem. Suffragatur no-
bis Boëtius, qui de Deo ita loquitur: Hoc, inquit, verè vnum eſt, in quo nullus eſt numerus.
ſed pluralitas importat numerum: non ſunt ergo plures perſonæ in diuinis. Sanè, vbicun-
que eſt numerus, ibi totum inuenitur, & pars: ſed in deo hæc inueniri non poſſunt: ergo,
quod prius. Præterea, hæc trinitas, aut eſt rerum, aut conceptuum. non rerũ quidem, alio- 8.
qui deus, & vna planè res eſſet, & tres, quod eſt impoſſibile. neq; conceptuum, conceptus
namq; ad nos pertinent, nihilq́; ponunt extra mentem concipientis: quod ſanè ſummo enti
congruere non poteſt. Adde, aut illa trinitas eſt ſubſtantiarum, aut accidentium: non ac-
cidentium, in diuinis enim nullum eſt accidens: neque ſubſtantiarum, aliter non eſſet
vnus deus, niſi compoſitione tantùm. Præterea, ſi cum vnitate diuinæ eſſentiæ, conſiſte- 9.
re poteſt trinitas, & dualitas pariter, & infinitudo; nam non eſt maior vnius, quàm alte-
rius ratio: Non ſunt ergo tres diuinæ perſonæ cum vnitate eſſentiæ conſiſtentes. Adhuc,
quicquid alicui conuenit, aut eſt ei eſſentiale, aut certè accidentale: ſed illud, quo perſo-
næ diſtinguuntur, accidentale eſſe non poteſt, quippè, cùm diuina non ſubſit accidenti-
bus eſſentia: erit ergo eſſentiale, ſed quod eſſentialiter diuinæ conuenit eſſentiæ, ſi auge-
tur numero; & ipſa quoq; eſſentia augebitur, quare, ſi plures ſint perſonæ, plures erunt
vt diximus, & diuinæ eſſentiæ: Quod eſt impoſſibile. Amplius, perſonarum pluralitas in 10.
diuinis ex relatiuarum proprietatum numero dependet: ſed quatuor ſunt relationes in
diuinis, ſcilicet paternitas, filiatio, ſpiratio, & proceſſio: igitur quatuor perſonæ. Sanè, in-
finita patris bonitas ſeipſam communicauit, filium producendo, & filius ſimiliter: igitur
ſpiritus ſanctus, cùm ſit ſumma bonitas, ſeipſum communicare debet, aliam perſonam
producendo, & illa, aliam, & ſic in infinitum. Itaq; plures perſonas cum vnitate eſſentiæ
diuinæ, conſiſtere non poſſe, clarum eſt.

CAP. III.

Soluuntur argumenta.

Eſſentia diuina non eſt aliquod vniuerſale.

AD primum, negatur conſequentia: & ad probationem dico, vniuerſalis na- 1.
turam, diuinam eſſentiam ſubire non poſſe: eſt enim vna, eademq́; in di-
uinis perſonis indiuidua. quam ob cauſam, ſuppoſita diuina, ſecundùm v-
niuerſalis intentionem nequaquam conueniunt; ſed ſicut in natura potiùs
ſingulari, quæ ipſis largitur eſſe diuinum. vnde vnitatem habent ſingula-
rem, non aggregationis, quandoquidem non ſint eſſentialiter diſtincta, imò eiuſdem om-
ninò ſingularis naturæ. hæc, quia in rebus conditis inueniri non poſſunt; propterea dici-
mus, ſuppoſita ſecundùm vniuerſalis intentionem inter ſe inuicem conuenire. Ad confir-
mationem, patet ſolutio: Diuina namq; eſſentia non diuiditur, aut à ſuis ſeparatur ſuppo-
ſitis, idcirco vniuerſalis ratio illi non conuenit. Ad 2 In deo eſt ſumma vnitas, ſicuti ſum- 2.
ma entitas: perſonarum autem pluralitas, non violat vnitatem, quia eſſentialiter ab in-
uicem non ſeparantur: eſt ergo in diuinis ſumma vnitas, quia nimirum qualibet perſona
eſt ſummè vna, nullamq; affert eſſentiæ diuerſitatem, in cuius ſanè ratione, vera conſi-

 ſtit vni-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Perſonarum trinitas.

ſtit vnitas. Ad confirmationem reſpondeo, nullum eſſé inconueniens, naturam infinitam
à ſuis ſuppoſitis indiſtinctam intelligi, præſertim cùm ipſa ſuppoſita ſint eſſentialiter
3. *idem. Ad 3. Aliquid eſſe vnam eſſentiam, & plures eſſentias, eſt impoſſibile: plurali-*
tas namq; huiuſmodi opponitur vnitati. Porrò in diuinis, dicimus eſſe vnam rem abſolu-
tam, nempè diuinam eſſentiam, aliasq; res denominatiuè, quarum quælibet eſt perſona:
hæc autem pluralitas, diuinam non deſtruit vnitatem, quia vnam ſemper ſeruat naturã.
Ad confirmationem dico, quamuis perſona diuinam includat eſſentiam, in qua omnes
perſonæ ſunt idem eſſentialiter, relationem quoq; includit, qua diſtinguuntur ab inuicem;
nulla tamen ibi eſt compoſitio, ſed quælibet illarum eſt ſimpliciſſima, quemadmodum in
4. *primo libro dictum eſt, vbi de dei ſimplicitate diſputaui. Ad 4. negatur conſequentia:*
plura namq; ſuppoſita, quoniam eſſentialiter non diſtinguuntur; ideo plura primò entia
neceſſaria dici non poſſunt, ſed vnum ens, quamuis inter ſe perſonaliter diſtinguantur,
quæ profectò diſtinctio naturæ non mutat authoritatem. Quoniam igitur tres perſonæ
ſunt vnum ens neceſſarium, nempè vnus deus; ideò non ſequitur tria eſſe entia abſolu-
5. *tè, primoq; neceſſaria. Ad 5. Argumentum valet in abſolutis, non autem in relatiuis. Ete-*
nim abſoluta ſi ſint eadem tertio ſimplici, ſunt quoq; eadem inter ſe: non ſic autem rela-
tiua, quæ alicui tertio eadem ſunt, inter ſe tamen relatiuè diſtinguuntur. Ad confirma-
tionem dico, diuinas perſonas non eſſe omninò idem diuinæ eſſentiæ, ſed ab ea diſtingui
ex natura rei, ideoq; non ſequi, vt ſecundùm perſonarum numerum, & ipſa quoq; augea-
6. *tur eſſentia, quæ vna, eademq; eſt indiuidua in tribus ſuppoſitis. Ad 6. ponendæ ſunt in*
diuinis plures perſonæ, idq; ex neceſſitate perfectionis, quia ſic nimirum exigit diuina
perfectio: neq; enim eſſe poteſt mens diuina ſine verbo, neq; verbum ſine amore, neq; a-
mor ſine mente, & verbo. Ad confirmationem dico, ſubſtantiam non poni in perſonæ
diffinitione, quatenus eſſentiam, ſed quatenus ſuppoſitũ ſignificat: atq; ita nihil eſt, quod
7. *militet aduerſus nos. Ad 7. Maior eſt falſa: ſanè, proprietates abſolutæ in diuinis, vtpo-*
te, bonitas, ſapientia &c. non opponuntur ad inuicem, neq; realiter diſtinguuntur. Quam
obrem, etſi eis ſubſiſtere conueniat; non tamen plures ſubſiſtentes ſunt, ſicuti perſonæ. In
rebus autem creatis, non ſubſiſtunt quidem, ſed ab inuicem realiter ſeparantur, vt albe-

Relatiuæ proprietates in deo.

do, & dulcedo. Cæterùm relatiuæ proprietates in deo, & ſubſiſtunt planè, & realiter ab
inuicem diſtinguuntur. Talnum ergo pluralitas proprietatum, pluralitatem diuinarum
inducit, efficitq; perſonarum. Ad Boetij autem authoritatem dico, abſolutorum plurali-
tatem à deo quàm longè abeſſe, idq; ob ſummam illius ſimplicitatem, vnitatemq;, non au
tem relationum, quæ tamen nullam in deo compoſitionem indicant, quemadmodum Boë-
tius in ipſo libro clarè docet. Ad aliam confirmationem reſpondeo, nullum eſſe inconue-
niens ſi in deo numerus inueniatur abſolutus atq; abſtractus, vtpote, duo, tria &c. qui in
noſtra conſiſtunt acceptione intellectus: beneverò ſequeretur abſurdũ, ſi deo tribueretur
numerus, qui in rebus numeratis reperitur, vt duo homines, vel duo equi: ita enim in re-
bus quidem creatis, vnum eſt pars duorum, & duo, trium, quæ profectò in deo eſſe non
8. *poſſunt. Ad 8. hæc trinitas non rerum abſolutarum, ſed relatiuarum eſt: ideo non ſequi-*
tur, vt deus ſit res abſolutè, ſed communis tribus rebus relatiuis, id eſt tribus perſonis,
quarum quælibet eſt Deus. Ad confirmationem reſpondeo, hanc trinitatem non eſſe ſub
ſtantiarum, aut accidentium, ſed perſonarum, quæ non ſunt tres ſubſtantiæ, ſed tres per-
ſonæ. Ad aliam confirmationem, nego conſequentiam: trinitas namq; illa ſtat, augeri, mi-
nuiq; non poteſt. Cùm enim duo ſint in ea principia productiua, intellectus ſcilicet &
voluntas, duæ vtiq; ſunt perſonæ productæ, vna verò improducta. Tres igitur ſunt &
9. *non plures, aut pauciores perſonæ. Ad 9. perſonæ diuinæ non diſtinguuntur aliquo ex-*
traneo, ſiue accidenti, ſed eo potiùs, quod quaſi accidentaliter aliquid perficit: in diuinis
enim non eſt verum accidens; ſed nonnulla, ſi fas eſt dicere, illius imago. Sanè, quum per-
ſonæ, ſubſtantia non diſtinguantur, ſed relationibus; profectò relationes, quandam viden
tur ac-

 Perſonarum trinitas.

tur accidentium ſimilitudinem gerere: tametſi ipſæ ſubſiſtentes ſint. Ad 10. Duæ ratio-
nes productiui, ob diſtincta principia producendi ibi concurrentia, in eodem ſimul ſup-
poſito inueniri poſſunt: non ſic autem duæ relationes productæ: ſed diſtinctæ perſeue- 10.
rant perſonaliter, quia productum eſt per ſe ſubſiſtens, & ſuppoſitum. non enim ſic po-
teſt idem duabus productionibus totalibus produci, ſicut idem poteſt duabus productio-
nibus producere. Quamobrem, quamuis ſint in diuinis quatuor relationes: ſpiratio tamen
patri, filioq́ conuenit. vnde licet ſit relatio, non dicitur tamen proprietas, quippè, quæ non
vni tantùm perſonæ conuenit. Neq; etiam relatio vocatur perſonalis, hoc eſt; perſonam
conſtituens: tres namq; ſunt proprietates perſonales, nempè paternitas, filiatio, proceſ- Tres proprietates perſonales.
ſio. Ad confirmationem dico, rationem illam non concludere, ſiquidem ſpiritus ſanctus
non habet aliam numero bonitatem à patris bonitate diſtinctam: vna enim eademq́ eſt
patris, & ſpiritus ſancti bonitas, nullaq́ eſt inter eos diſtinctio, niſi ea, quæ in perſona-
rum relationibus inuenitur. Itaq; vna, eademq; bonitas, & ſpiritui ſancto congruit, vt ab
alio ſibi communicata, & patri, veluti à quo alteri communicatur. Tres igitur eſſe diuinas
perſonas in vna eſſentia, ſatis patere arbitror.

QVAESTIONIS QVARTAE. CAP. I.

Perſonarum trinitas per diuinas oſtenditur ſcripturas.

QVi diuinas ſcripturas rectè, legitimeq́ interpretantur, hæc ſolent adduce-
re teſtimonia, quæ de diuinæ trinitatis myſterio clariſsimè loquuntur. In
primis illud Deuter. 6. Audi Iſrael, deus, deus noſter, deus vnus eſt. Deus Deuter.
ſcilicet pater, deus filius, qui noſter dicitur ob aſſumptæ carnis conſortium,
deus ſpiritus ſanctus Hoc idem canit Iſaias 6. Sanctus, ſanctus, ſanctus do- Iſa.
minus deus Sabaoth. Vnde Rabbi Ionathas, & Symeon; ſanctus hic pater, ſanctus hic fi-
lius, ſanctus hic ſpiritus ſanctus. Deutero 32. Videte nunc, quia ego, ego ipſe, & non ſunt
dij mecum. Hebraicè, Ani, Ani, hu, id eſt tres perſonæ, & non ſunt dij mecum, id eſt,
non ſunt tres dij, ſed vnus eſt Deus. Zachariæ 2. Ecce ego venio, & ſcies quòd dominus Zachar.
miſerit me Perſona exprimitur patris mittentis, & perſona filij, qui à patre mittitur. Iſa.
48. Et nunc dominus miſit me, & ſpiritus eius: quibus in verbis tota trinitas manifeſta- Iſa.
tur. Pſal. 44. Vnxit te deus deus tuus oleo lætitiæ: vbi vngens, vnctus, & vnctio annotan- Pſal.
tur. Pſal. 49. Deus, deus, deus locutus eſt, & vocauit terram. Prouerb. 3. Dominus in ſapi- Prouerb.
entia fundauit terram, notitia eius abyſſi eruperunt, ornauit cœlos prudentia. Exod 20 Exod.
Ego deus, deus tuus, deus zelator. Ioſuæ 22. Deus deus, deus deus, deus deus ipſe ſcit. bis Ioſu.
repetit, quia in his tribus creatus eſt mundus, & in his tribus data eſt lex. Pſal. 33 Ver- Pſal.
bo domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius, omnis virtus eorum. Eccleſ. Funiculus tri-
plex difficilè rumpitur, id eſt, myſterium trinitatis difficilè cognoſcitur. Pſal. 110. Dixit
dominus domino meo &c. Iob. 28. Ipſe ſtatuit omnes terminos terræ, quod nomen eius, &
quod nomen filij eius? Prouerb. 4. Filius fui patri meo tener, & vnicus matris meæ: pater
namq; ſenex vocatur, quia principium totius trinitatis; filius verò tener, quia ſummè di-
lectus. De ſpiritu ſancto teſtimonia ſcripturarum. Pſal. 143. Spiritus tuus bonus, ſeu bo- De ſpiritu ſancto.
nitas tua deducet me. Pſal. 50. Spiritus vocatur principalis, ſpiritus rectus. Iob. 33. Spiri-
tus dei fecit me, & ſpiramen omnipotentis viuificauit me. Pſal. 103. Emitte ſpiritum tu-
um. Iob. 26. Spiritus eius ornauit cœlos. Iſaiæ 11. Et requieſcet ſuper eum ſpiritus domini,
& 61. Spiritus domini ſuper me, & 2. Cuius ſpiritus in naribus eius, duæ nares, vnus naſus:
à naribus diuinis, id eſt à patre & filio procedit ſpiritus ſanctus, ſpiritum autem ſan-
ctũ eſſe deum, ſatis oſtenditur pſal. 139. Quò ibo à ſpiritu tuo? & quò à facie tua fugiam
Geneſ. 1. Et dixit Elohim, faciamus hominem ad imaginem, ſecundum, vel tanquam ſimi

Perſonarum trinitas.

litudinem noſtram. Et creauit hominem ad imaginem deorum. facere, Adæ & Euæ corpora reſpicit, quæ ex terra compacta ſunt; creare verò, ipſorum animas, quæ ex nihilo conditæ ſunt. Et iterum, in principio Geneſ. Creauit dij cœlum, & terram. Elohim, dij, El vel Eleha, deus: indiuiſa enim ſunt opera trinitatis: propterea dixit, bara non bareu, id eſt creauit, non creauerunt.

Creauit hominem ad imaginem ſuam.

Hebræi reprehenduntur.

Perperam ergo Hebræi hanc ſcripturam interpretantur, qui aiunt hanc nominis ſignificationem in ſingulari quidem deum verum, in plurali verò falſos deos oſtendere. Vnde illud creauit Elohim, id eſt creauit Deus, & non dij, dicunt eſſe intelligendum: contrarius enim eſt ſcripturarum vſus. Gene. 11. Deſcendamus, inquit, & confundamus labia eorum, & deſcendit dominus. Geneſ. 35. Quia apparuerunt ibi dij: & ſubditur ibi: Fac Altare domino Deo, qui apparuit tibi. Ieremiæ 23. Et peruertiſtis verba deorum viuentium. Elohim ergo pro deo vero accipitur. Nam ſi pro deo vero acceptum ſemper ſingulariter tenetur; non diceret: Faciamus hominem, ſed faciam: Ad imaginem, non ad imagines noſtras, vt diuinæ eſſentiæ vnitatem oſtenderet.

Scripturæ noui teſtamenti.

Noui teſtamenti teſtimonia Mat. vltimo. Baptizantes in nomine patris, filij, ſpiritus S. Mar. vidit ſpiritum ſanctum deſcendentem ſicut columbam, & vox patris audita eſt: Hic eſt filius meus dilectus. Lucæ, Spiritus ſanctus venit ſuper eum 4. & Ieſus plenus ſpiritu ſancto &c. Ioan. 1 In principio erat verbum. & iterum: Super quem videris ſpiritum ſanctum 7. ſpiritus non erat datus. 14. Paraclitus, quem mittet pater in nomine meo. 10. Ego & pater vnum ſumus. 16 Si non abiero, paraclitus non veniet ad vos. Epiſt. 1. Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, verbum, & ſpiritus ſanctus. Paul. Rom. Secundùm ſpiritum ſanctificationis. 8. ſi quis ſpiritũ eius non habet, hic non eſt Chriſti, qui proprio filio ſuo nõ pepercit. 5. Charitas dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Epheſ 1 Benedictus deus, pater domini noſtri Ieſu Chriſti. & iterum: Signati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.

Nomen Iehouah.

Itidem ex literis componentibus nomen tetragrammaton, non ineptè aſtrui confirmariq́; poteſt. Illud enim nomen non dicebatur ab Hebræis, niſi in ſanctuario à Sacerdotibus domini. Et ſolùm in benedictione ſacerdotum à ſummo pontifice in die magno ieiunij ſanctificationis. Literæ huius admirandi, tremendiq́; nominis, & ſi, quoad numerum, quatuor ſint; in rei tamen veritate non niſi tres eſſe comprobantur, Iod, He, Vau. Tres igitur huius nominis literæ, tres diuinas oſtendunt perſonas.

Iod, He, Vau.

Iod principiũ

Prima autem litera, principium interpretatur, eò quòd omnium aliarum principium ſit, & ab ea vnaquæq; litera originem ſcripturæ habeat, ipſa verò à nullo originem accipit. Cùm autem pater in diuinis à nullo originem habeat, filius autem à patre, & ſpiritus ſanctus à patre & filio procedat; hinc eſt, quòd litera, Iod, perſonæ patris in diuinis, rectiſſimè attribuitur: quia principium, ſine principio nominatur.

He vita.

Secunda litera He, eſſe, vel viuere ſignificat: cùm autem vita, filius Dei in ſcripturis nominetur: Et vita, inquit, erat lux hominũ, in hoc tremendo nomine, filio optimè congruit. Duplicatur autem hæc litera, propter duplicem Chriſti natiuitatem, diuinam ſcilicet & humanam.

Vau copulatiua.

Vau, quæ copulatiua eſt, ſpiritum ſanctum commodiſſimè exprimit: copula enim, id eſt, nexus patris & filij nuncupatur.

Ritus benedicendi cum tribus digitis.

Sacerdos præterea in veteri lege, alicui benedicens, protenſis ante vultum ſuum palmas vtraſq; tenebat: cùm verò dicebat Dominus, tres digitos priores, pollicem videlicet, indicem, atq; medium manus vtriusq; erectos altiùs: & dicto ita Domino, digitos vt prius remittebat. Itaq; hac trina digitorum eleuatione, trinitatis excellentiam oſtendebat. Item, Angelus præcedens patres in deſerto, nunc angelus domini, nunc Iehouah, dicitur. Exod. 14 & Num. 14. Ille autem angelus præſeferebat myſterium ſacroſanctæ & indiuiduæ trinitatis: alioqui Iudicum 6. non permiſiſſet ſibi ſacrificium offerri.

Perſona quid.

Vocantur hi tres perſonæ, eò quòd Deus vnus per illas, quaſi aſpectus quoſdam nobis ſe cognoſcendum præbeat.

Hypoſtaſis.

Paulus ad Heb. 1. vocat hypoſtaſim: Caractir, inquit, hypoſtaſeos. Sed dices, perſonæ ſubſtantialis non relatiuè proprium eſt, per ſe ſubſiſtere, & habere ſuum eſſe, peculiare, indiuiduum, incommunicabile

& di-

Obiectio. Solutio.

& diſtinctum: Sed in trinitate non ſunt tres perſonæ diſtinctæ, alioqui eſſent tres dij: Ergo. Reſpondeo, tres deos nequaquam appellari, propter vnitatem eſſentiæ: vt dictũ eſt in primo libro.

Solutio.

Contrà, vbicunq; tres ſunt perſonæ ſubſtantiales; tres quoq; ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ: ſed hoc eſt falſum: ergo. Soluitur: Perſonæ ſunt vna ſubſtantia, quia vna eſſentia, à qua non abſtrahimus perſonas; ſed quamuìs in ipſa eſſentia reſideant, ab inuicem hypoſtaticè ſunt diſtinctæ.

Solutio.

Contrà, Perſona non eſt in perſona, vel in ſubſtantia alterius perſonæ: ſed de filio dicitur, quòd ſit in patre: igitur non eſt perſona. Soluitur: Perſona filij non eſt in patris perſona: nam ſicut pater habet vitam in ſeipſo, ſic dedit filio habere vitam in ſeipſo: in patre autem dicitur eſſe, quia in eo inhabitat plena diuinitas patris.

Conciliũ Antiochænum.

Porrò, hanc ſalubrem doctrinam de myſterio ſanctiſſimæ trinitatis antiquiſſimorum conciliorum authoritas proteſtatur. Inprimis occurrit Concilium Antiochænum, poſt Chriſti aſcenſionem celebratum, Anno 278. quod quidem Paulum Samoſatenum damnauit, vt refert Euſebius lib. 7. cap. 25.

Gregorius Neocæſarienſis.

Et in eodem capite ponit inſignem confeſſionem Gregorij martyris & Epiſcopi Neocæſarienſis de tribus perſonis: Vnus deus pater verbi viuentis, ſapientiæ ſubſiſtentis, & virtutis ſuæ: Vnus filius verus veri, & inuiſibilis ex inuiſibili, immortalis ex immortali, & ſempiternus ex ſempiterno: Vnus ſpiritus ſanctus, ex deo ſubſtantiam habens, & qui per filium apparuit, imago filij perfecti, perfecta viuentium cauſa, ſanctificationis præſtatrix, per quem ſuper omnia, & in omnibus cognoſcitur, & filius per omnes. Trinitas perfecta maieſtate & ſempiternitate, & regno minimè diuiditur. Neq; defuit vſquam filius patri, neq; patri & filio ſpiritus ſanctus; ſed inuertibilis & immutabilis eadem ſemper trinitas.

Concilium Nicænum.

Eadem doctrina inuenitur in Concilio Nicæno aduerſus Arium in Nicæa vrbe Bithyniæ celebrato Ann. à Chriſti ad cœlos aſcenſione 332. vt citat idem Euſebius lib. 10. cap. 6. Credimus, inquit, in vnum Deum patrem omnipotentem, omnium viſibilium, & inuiſibilium factorem. Et in vnũ Ieſum Chriſtum filium dei, natũ ex patre vnigenitũ, id eſt, ex ſubſtantia patris, & cætera quæ ſequuntur. Et in ſpiritum ſanctum dominum viuificantem, qui ex patre filioq; procedit.

Conſtantinopolitanum.

Idem aſtruit Concilium Conſtantinopolitanum, tempore Gratiani & Theodoſii Imperatoris Anno. 383. Huic Concilio interfuit Gregorius Nazianzenus, Gregorius Niſſenus, Cyrillus Ieroſolimæ Epiſcopus, & 150. Epiſcopi. In hoc Concilio damnati ſunt Macedonij ſectatores, qui docebant ſpiritum ſanctum eſſe facturam: ſimiliter damnati ſunt Eunomiani, Sabelliani, Apollmarij, vt habetur in lib. tripartitæ hiſtoriæ 9. cap. 4. & cap. 16. in quo continetur profeſſio fidei catholicæ Damaſi Papæ ad Paulinum: Quoniam poſt Nicænum Cõcilium talis error exortus eſt, inquit, vt quidam dicere prophano ore præſumant, ſpiritum ſanctum per filium fuiſſe factum; anathematizamus eos, qui non cum omni prædicant libertate cum patre, & filio ſanctum ſpiritum, vnius eiuſdemq; ſubſtantiæ atq; poteſtatis exiſtere. Similiter anathematizamus Arium & Eunomium, qui dicunt filium & ſpiritum ſanctum creaturam eſſe. Similiter Sabellianos, qui dicunt patrem eſſe quem filium. Item, ſi quis non dixerit ſanctum ſpiritum ex patre eſſe verè, & propriè, ſicut & filium de diuina ſubſtantia, anathema ſit.

Conſtantinopolitanum S. Concilium.

Conſtantinopolitanum Concilium vniuerſale, 5. tempore Iuſtiniani Imperatoris, Anno Chriſti 552. edidit Canones 14. de trinitate, & de duabus naturis in Chriſto, quorum primus eſt: Si quis non confitetur patris, filij, & ſpiritus ſancti vnam virtutem & poteſtatem, Trinitatem conſubſtantialem, vnam deitatem in tribus perſonis adorandam; talis anathema ſit. Vnus enim deus & pater, ex quo omnia; & vnus dominus filius, per quem omnia: & vnus ſpiritus ſanctus, in quo omnia.

Carthaginenſe.

Carthaginenſe Concilium 2. tempore Valentiniani & Theodoſii Imperatorum, eandem doctrinam tradidit de tribus perſonis.

Sardicenſe.

Sardicenſe Concilium in Sardica Illyrici vrbe celebratum Anno domini 353. illuſtrauit doctrinam de diuinitate filij dei, & ſpiritus ſancti, congruentem cum ſymbolo Niceno: Athanaſium, & alios orthodoxos patres, qui ab hæreticis pulſi fuerant, reſtituit. Refert hiſtoria tripartita lib. 4. cap. 23. ad huiuſmodi

Perſonarũ trinitas Concilium ex Occidentalibus partibus conueniſſe Epiſcopos quaſi trecentos,ex Orientalibus verò ſex & ſeptuaginta.Et cap. 24. ponuntur literæ Concilij Sardicenſis: Sancta ſynodus Dei gratia Sardicæ congregata ex vrbe Roma,Hiſpaniis,Galliis,Italia, Campania,Calabria, Africa,Sardinia,Pannonia,Myſia,Dacia,Dardania,altera Dacia,Macedonia,Theſſalia,Achaia,Epyris,Thracia, Rodope,Aſia, Caria, Bithynia, Helleſponto, Phrygia,Piſidia,Cappadocia,Ponto,Cilicia, altera Phrygia, Pamphylia, Lydia, Inſulis
Conciliũ Toletanum. Cycladibus,Ægypto,Thebaide,Lybia,Galatia,Paleſtina,& Arabia. Conciliũ Toletanum primum in Hiſpania,tempore Honorij Imperatoris celebratum Cano.21. contra Priſcillianiſtas.Credimus,inquit,in vnum Deum patrem omnipotentem, & in filium,& ſpi-
1. ritum ſanctum,viſibilium & inuiſibilium factorem. Credimus in vnum Deum,& vnam eſſe dicimus diuinæ ſubſtantiæ trinitatem. Ingenitus eſt pater,genitus filius à patre,ſpi-
3. ritus verò non genitus,ſed à patre filioq; procedens.Concilium tertium Toletanum,circa annum Chriſti 600.à Gottorum Rege Reccaredo congregatum , orthodoxam fidem de diuinitate filij dei ſancit,& amplectitur,ſub Pelagio ſecundo,in quo A·ij hæreſis in Hiſpania condemnatur: Quicunq;,inquit,filium dei,dominum Ieſum negauerit à paterna ſubſtantia ſine initio genitum, & æqualem patri eſſe, vel conſubſtantialem; anathema ſit Quicunq; ſpiritum ſanctum non credit à patre & filio procedere; anathema ſit.Quicunq; dixerit dominum Ieſum,& ſpiritum ſanctum iuxta deitatem patre eſſe minorem;
4. 6. anathema ſit. Concilium Toletanum 4. anno 630 ſub Honorio primo Papa. Et Concilium ſextum ſub eodem ſummo Pontifice,in primo Canone pronunciatur ſymbolum fidei.Concilium Bracharenſe primum ſub Honorio Papa primo celebratum in Hiſpania citeriori: Si quis,inquit,patrem,filium,& ſpiritum ſanctum non confitetur tres perſonas vnius ſubſtantiæ,& virtutis,ac poteſtatis,ſicut catholica eccleſia docet;anathema ſit.fuit celebra
Concilium Bracharenſe. tum hoc Concilnum in Brachara,Luſitaniæ vrbe anno 585.Denique vt ſemel dicam Concilium Tridentinum ſeſſione tertia ponit fidei catholicæ aſſertionem,nempè ſymbolum fidei.
Nazianzenus Aſtipulatur huic veritati catholicæ Gregorius Nazianzenus in oratione contra Arianos: Vna,inquit,natura eſt in tribus perſonis ſubſiſtentibus; ſi aliqua ex perſonis creata eſt,deus vtiq; non eſt:æquales ſunt perſonæ per ſe ſubſiſtentes: vnus dominus, vna fides, vnum baptiſma. Si hoc abrogo,apud quod nam erit ſecundum? Quid dicimus baptizantes in nomine patris,filij,& ſpiritus ſancti? Non eſt poſſibile quenquam eſſe ſpiritualem ſine ſpiritu,igitur ſpiritum venerare.Et lib.5. de theologia. Erat,erat,erat, lux,lux,lux: ſed vna lux,vnus dominus: In lumine tuo,id eſt,ſpiritu ſancto,videbimus lumen , id eſt,
Tria lumina, vnum lumen filium. Tria ſunt,ſi vnum ex eſſentiæ ſolo deturbaueris, reliqua duo in ſua ſede non manebunt: perfecta enim deitas non eſſet. Qui inter ethnicos accuratiùs diuina tractaue-
Ethnici de ſpiritu S. runt,numinis huius ſimulachrum quoddam viderunt , in nomine verò diſſentiunt, dum aliùs mentem vniuerſi,alius mentem extrinſecus aduentitiam, alius aliter nominauit. Euangelium dicit:Spiritus ſanctus,qui à patre procedit:non ergo creatura:& quia non gignitur,non eſt filius:at quoniam ingeniti,& geniti medius eſt: Deus ergo eſt, Patris,filij,& ſpiritus ſancti,trium perſonarum vna natura,& inconfuſa diſtinctio:Tria hæc dei
Adoratio vnius, trium eſt. tate ſunt vnum, & vnum hoc perſonarum proprietate tria. Vnius adoratio, trium eſt adoratio; quia in tribus per omnia par gradus eſt, tum dignitatis , tum deitatis. vna eſt deitas,etſi tres perſonæ credantur;ad vnum tamen referuntur : non enim alia eſt magis, aut minùs deus quàm alia : neq; priùs,aut poſteriùs : tum nec voluntate diſſident, nec poteſtate partiuntur. In diſtinctis ergo perſonis, impartibilis eſt deitas, & velut in tri-
Tres ſoles. bus ſolibus ſe complexis,vnius lucis temperatura. Quare, cùm ad ipſam deitatem animũ figimus,vnum quiddam animo concipimus, cùm ea,in quibus eſt deitas, tria quædam adoranda conſpicimus. Singulis eadem eſt eſſentia,eademq; poteſtas. Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo,ait Ioan.in ſua canonica, & hi tres vnum ſunt. Porrò,ſpiritus ſanctus dicitur ſpiritus dei,ſpiritus Chriſti,mens Chriſti,ſpiritus domini,bonus,rectus,prin
cipalis,

Perſonarũ trinitas

cipalis,ſpiritus adoptionis,veritatis,libertatis,ſpiritus ſapientiæ,& intellectus,conſilij,& fortitudinis,ſcientiæ,& pietatis.ſpiritus timoris dei, ſua natura, non alterius authoritate ſanctificans: impartiens ſe aliis,ſed ipſe aliunde nihil accipit:implet, non impletur:continet,non continetur: Reges nos facit per baptiſmum,cognoſcit omnia,docet omnia,reuelat,illuminat,diſtribuit dona,facit legatos,vates, Euangeliſtas,paſtores,doctores,ſpiritus multiplex,manifeſtus,perſpicuus,purus ab omni inquinamento, nullius imperio addictus, omnes penetrans puros & ſubtiliſſimos ſpiritus , declarator ipſe , & illuſtrator omnium. Eiuſdem ergo eſt cum patre,& filio diuinitatis, & poteſtatis.

Spiritus ſancti diuinitas oſtenditur.

CAP. II.

Antiquorum Græcorum aſſertio de trinitate.

Libet huic ſpeculationi inſiſtere, atque antiquiſſimorum , eorundem doctiſſimorum Græcorũ ſententiis eam munire,pro virili conabor; vt perſpicuum fiat, quàm longè aberrent à rei veritate , qui de ſacroſanctæ trinitatis myſterio perperam loquuntur. Inprimis autem obuiam venit Dionyſius Areopagita,vita & doctrina planè cœleſtis.Is cap.1.Eccleſiaſticæ hierarchiæ,de ſacroſancta trinitate ita clarè loquitur : Fons vitæ,inquit,eſſentia bonitatis, vna exiſtentium cauſa trinitas eſt,ex qua & eſſe,& bene eſſe eſt ſubſiſtentibus per bonitatem.Hæc autem omnium ſummitas diuiniſſima, principali beatitudine trina , vnica verè exiſtit, ſecundùm quod nobis incomprehenſibile eſt. Hæc Dionyſi. Senſus eſt : Sancta & indiuidua trinitas omnibus rebus communicauit eſſe & bene eſſe,actum ſcilicet primum,& ſecundum:ſiue eſſe,eiusque perfectionem per bonitatem ſuam : quia bonus eſt , propterea omnia fecit. Principali beatitudine trina,vnica verè exiſtit. Senſus eſt, Deus in tribus perſonis trinus,in quibus eſt eadem numero principalis beatitudo Eſt etiam verè vnitas propter vnitatem naturæ.Et in lib.de diuinis nominibus cap.2.vocat decoras perſonarum proceſſiones. Communis noſter magiſter in epiſt.ad Cor.1. cap.8. Nobis,inquit,vnus Deus pater,ex quo omnia,& nos in ipſum,& vnus dominus Ieſus Chriſtus,per quem omnia,& nos per ipſum. Etenim in diuinis vnitates diſcretionum anteprincipantur,& nihilominus ſunt vnitiuæ. Has decoras proceſſiones veneramur. Omnis ergo benefica appellatio dei de quacunque diuinarum perſonarum dicitur,abſque vlla diſtinctionis obſeruatione, in tota ſimul accipitur deitate : nam ſolus deus eſt bonus , filius quoque dicitur bonus paſtor , & de ſpiritu ſancto Pſal 141.Spiritus tuus bonus. Item 13. cap.de diuinis nominibus. Vnitas inquit, laudatur & trinitas,ſuper omnia deitas. ſed etſi ſuper diuinã fœcunditatem verè laudemus triadica,& monadica diuina denominatione; pluſquam nominabilẽ,id eſt, appellatione trinitatis ac vnitatis,pluſquam nominabilem nominamus. Et 3. cap. eiuſdem libri: Inuocantes,inquit,Trinitatem declaratiuam omnium ſui optimarum prouidentiarum: ipſa enim trinitas neque in loco eſt,vt à quodam, aut ex aliis in alia tranſeat; ſed & in omnibus exiſtentibus eam eſſe,dicere relinquitur ,ſuper omnia , & omnium comprehenſiua. Diuus Ignatius epiſt. 12. ad Antiochenſes , ſcripturarum teſtimonia adducit, quæ de myſterio ſanctæ trinitatis affatim loquuntur:Fecit,inquit,Deus hominem ad imaginem ſuam. De filio autem Iſa.7. Et vocabitur emanuel : & 9. Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis.Omnis ergo qui verum Deum annunciat, intercipit autem Chriſti diuinitatem, filius eſt diaboli,& inimicus iuſtitiæ.Qui autem non confitetur Chriſtum filium eius eſſe,qui fecit mundum,ſed alterius cuiuſdam incogniti,præter eum,quem prædicat lex & prophetæ;hic organũ eſt ipſius diaboli. Quicunque autem incarnationem Chriſti recuſat,& crucem eius erubeſcit,hic eſt antichriſtus.Quicunque verò purum hominem dicit eſſe Chriſtum,maledictus eſt. Videte ergo malignos operarios , & inimicos crucis

Dionyſius Areopagita.

Decoræ proceſsiones.

Solus Deus bonus.

Trinitas & vnitas.

Ignatius martyr.

rũ trinitas Chriſti, quorum finis interitus. Baſilius magnus epiſt. 60. Eccleſiæ Antiochenæ. Eſt, in-
Baſilius. quit, Eccleſiæ noſtræ, à ſanctis patribus, qui Nicææ conuenêre conſcripta fides, ſcilicet, Cre-
Symbolum. do in vnum Deum patrem omnipotentem, viſibilium omnium & inuiſibilium factorem:
& in vnum dominum Ieſum Chriſtum, genitum ex patris ſubſtantia, lumen de lumine,
deum verum de deo vero, genitum, non factum, coëſſentialem patri, per quem omnia fa-
cta ſunt: qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit è cœlis, & in-
carnatus eſt, homo factus eſt, paſſus eſt, reſurrexit tertia die, aſcendit ad cœlos, ventu-
rus eſt ad iudicandos viuos ac mortuos. Et in ſpiritum ſanctum iſtic credimus. Quoni-
am verò doctrina de ſpiritu ſancto indefinita eſt, propterea quòd tum nondum compa-
rerent pneumatomachi, an condemnandi ſint, creata ac ſeruilis eſſe naturæ dicunt, in ea
Nihil creatũ ſynodo nulla facta eſt mentio: nihil enim prorſus creatum eſt in diuina, & beata trini-
in diuina tri- tate. Eos verò qui dicunt, erat aliquando tempus, quando non erat, & antequam gignere-
nitate. tur non erat, & quòd ex non exiſtentibus factus ſit, aut ex alia ſubſiſtentia eſſe, vel ver-
tibilem, vel alterabilem filium dei dicunt: anathemate catholica & Apoſtolica eccleſia
condemnat. Hæc Baſilius. Et in epiſtola 43. Ex patre, inquit, eſt filius, per quem ſunt om-
Exemplum nia, cum quo ſimul ſpiritus ſanctus ſemper indiuulsè conſideratur ac coniungitur: non
trinitatis. enim fieri poteſt, vt filium mente quiſpiam comprehendat, quem non antea illuſtrauerit
Cathena ſan- ſpiritus. Vnde fit, vt quemadmodũ qui vnius anuli ſummitatem apprehendit, hoc ipſo ſi-
ctæ trinitatis. mul & alterum inſertum attrahit; ita & hic qui ſpiritum ſanctum trahit, per ipſum &
filium, & patrem traxerit. Et ſi quis verè filium apprehenderit, habebit & ipſum vtrin-
que, hinc patrem illius, illinc ſpiritum ſanctum vnà compactum. Neq; enim à patre ab-
ſcindi poterit, qui ſemper eſt in patre: neq; à proprio ſpiritu ſeiungetur, qui in ipſo ope-
ratur omnia. Conſimiliter & qui patrem aſſequutus fuerit; & filium vtiq; cum illo, &
ſpiritum ſanctum eadem profectò virtute aſſequutus eſt: non enim poteſt cogitari ali-
qua vllo pacto ſectio vel diuiſio, vt filius ſit ſine patre & ſpiritu ſancto, & ſpiritus ſan-
ctus ſine patre & filio. Ineffabilis ergo eſt in his tribus, & quæ nulla cogitatione appre-
hendi poteſt communio, & diſcretio. Neq; enim per differentiam perſonarum con.inua-
tio naturæ diſſipatur, neq; per naturæ communionem proprietas notionum confunditur.
Cyrillus. D Cyrillus lib 12. cap. 1. egregiè, & luculenter oſtendit ſpiritũ ſanctum eiuſdem eſſe cum
patre, filioq; ſubſtantiæ Spiritus ſanctus, inquit, in ipſo Deo eſſentialiter eſt, & inſepara-
biliter ex eo prodit. Per nullam enim creaturarũ Deus pater ſecreta ſua reuelat, ſed per
ſpiritum ſanctum: igitur ſpiritus non eſt creatura Deus ergo eſt. Quis hominum nouit,
inquit Apoſt. 1 Cor. 2. quæ hominis ſunt, niſi ſpiritus hominis? Sic & quæ dei ſunt, nullus
Spiritus inue- nouit, niſi ſpiritus dei Spiritus autem omnia inueſtigat, & profunda dei. Vnde, ſicut ſpi-
ſtigat profun- ritus hominis non eſt alienus à natura hominis; ita & ſpiritus dei patris eiuſdem ſubſtan-
da Dei.
Spiritus Chri- tiæ eſt cum deo patre Eundem appellat ſpiritum Chriſti Rom. 8. Si quis ſpiritum Chri-
ſti. ſti non habet, hic non eſt eius: ſpiritus ſanctus ergo ex ſubſtantia filij procedit. ſed vna
eſt filij patriſq; ſubſtantia, ſeu eſſentia: igitur ſpiritus ſanctus ex patre filioq; procedit.
Cùm ſpiritus ſanctus in nobis habitat, Chriſtus in nobis habitat; non autem cùm angelus
in nobis habitat, Chriſtus in nobis habitat: Chriſtus ergo & ſpiritus ſanctus vnius ſunt
Spiritus ado- naturæ. Adhuc, qui ſpiritu dei aguntur, filij dei ſunt. Accepiſtis, inquit, ſpiritum adoptio-
ptionis. nis, in quo clamamus Abba pater. Si ergo ſpiritus ſanctus filios dei facit eos, in quibus
habitat, & participes dei oſtendit, deoq; coniungit, adeò, vt clament Abba pater; pro-
culdubio ſpiritus ſanctus non eſt ſeruus, ſed dominus: non eſt creatura, ſed creator. Ipſe
ſpiritus conteſtatur ſpiritui noſtro, quòd ſimus filij, & hæredes. Ex quo patet, ſpiritum
Spiritus ſan- ſanctum natura, & eſſentialiter Deum eſſe: quoniam qui ipſum ſuſcipiunt, filij dei per
ctus natura gratiam adoptionis efficiuntur. Item, Pater viuificat, filius viuificat, ſpiritus ſanctus vi-
Deus eſt. uificat 1. Cor. 15. Vocat Paulus viuificantem ſpiritum: Igitur vnius eſt naturæ cum vtroq;.
Ad Cor. 2. 6. Nos templum Dei viui ſumus per inhabitantem ſpiritum ſanctum. Nolite

ergo

ergo contriſtare ſpiritum ſanctum, qui habitat in vobis. Si ergo per ſpiritum ſanctum efficimur templum dei, & Deum inhabitantem in nobis habemus: Deus eſt ergo, & non creatura. Item, ſi ſpiritus eius, qui Ieſum Chriſtum ſuſcitauit à mortuis, habitat in vobis. Rom. 8. ipſe qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora per ſpiritũ ſuum, qui habitat in vobis. Cùm autẽ filius naturaliter ſit vita, & ſpiritus etiã ſanctus; neceſſe eſt omninò confiteri ſpiritũ ſanctum ex ſubſtantia patris & filij eſſe, totãq; ipſius virtutẽ, & operationẽ habere: veluti ſi ex aqua vapor aſcenderit, & eos frigeſaciat, ad quos peruenerit; non aliam naturã, quàm ipſius aquæ oſtendet. Itẽ 2. Cor. 3. Apo. vocat ſpiritũ ſanctum dominũ, nullã planè filij & ſpiritus ſancti eſſentialem differentiã nouit: Quando conuertetur ad dominum, inquit, auferetur velamen: dominus verò ſpiritus eſt: vbi autem ſpiritus domini, ibi libertas. Et iterum: Transformamur à gloria in gloriam, ſicuti à domini ſpiritu. Quoniã ergo ſpiritus ſanctus dominus eſt, ex Chriſto, & in Chriſto exiſtens; hauddubium, quin Deus ſit, & non creatura. Item, 1. Cor. 2. nos autem mentem Chriſti habemus, id eſt, ſpiritum ſanctum. ſi autem ſpiritus ſanctus mens Chriſti vocatur; quomodo erit creatura, cùm in natura Chriſti diuina nihil ſit creatum? Aſtipulatur huic ſententiæ Ioann. in ſua canonica. 14. In hoc cognoſcimus, quia in ipſo manemus, & ipſe in nobis, quia de ſpiritu ſuo dedit nobis: ſi ergo ſpiritu ſancto habitante in nobis, Deus eſt qui inhabitat; quomodo ſpiritus ſanctus non erit Deus, cùm omnia propria quæ Dei ſunt, habeat? Item, ſpiritus ſanctus appellatur digitus Dei. Luc. 11. Si in digito Dei eijcio dæmonia &c. Procedit ergo ex ſubſtantia patris, & filij: brachium enim & dexteram Dei, filium Dei ſcripturæ appellant: Pſalm. 97. Saluauit dextera eius, & brachium ſanctum eius. Quemadmodum igitur brachium toti corpori coaptatur; ſic filius à patre dependet, ſpiritus verò ſanctus à patre & filio: non eſt ergo aliud ſpiritus à deitatis eſſentia; ſed ex ipſa, & in ipſa naturaliter, ſicut & digitus in manu, & manus in corpore: eiusdem enim ſubſtantiæ digitus cum manu, & manus cum corpore. Item, 5. cap. actorum: Cur mentitus es ſpiritui ſancto? non mentitus es hominibus, ſed Deo. ſi ergo ſpiritui ſancto mentitus, Deo mentitur; Deus rectè ſpiritus ſanctus eſt, & non creatura. Et 20. cap. Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit Epiſcopos. Nõ eſt ergo ſpiritus ſanctus à deitatis eſſentia, ſed quaſi cooperatio naturalis, & eſſentialis; in propria tamen hypoſtaſi, ex ipſo prodiens Deo, & in ipſo manens, omnia quæ Dei ſunt operatur. Item Math. 4. & Luc. 4. Ieſum à ſpiritu ductum fuiſſe legimus: igitur ſpiritus non eſt creatura. Quomodo enim filius Dei, qui eſt ſapientia & virtus patris, ipſius ſpiritus virtute, modò in Galilæam ducebatur; modò in eremo diabolum vincebat? An fortaſſis ita imbecillis erat; vt creati ſpiritus virtute opus haberet? Et quomodò eſſet dominus virtutum, ſi creaturæ adminiculo vteretur? Eſt ergo ſpiritus ſanctus verus Deus, qui ex patre, filioq; procedit: verbum autem per ſpiritum ſanctum vincit, vtitur autem ipſo, vt propria virtute. Item, 2. Cor. 12. nemo in ſpiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu. Et nemo poteſt dicere, dominus Ieſus, niſi in ſpiritu ſancto. Nemo ergo cognoſcit dominum Ieſum, niſi particeps extiterit ſpiritus ſancti. Ex ſubſtantia igitur filij ſpiritus ſanctus eſt: vna autem cùm ſit ſubſtantia patris & filij: igitur ſpiritus ſanctus eſt de ſubſtantia patris & filij, & per conſequens Deus & non creatura. Item, ſi ſpiritus ſanctus eſt creatura, per quem reſurrectio Chriſti facta eſt: Rom. 1. Per ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione de mortuis, Ieſu Chriſti domini noſtri; videtur vtique filius Dei auxilio creaturæ indigere, & non potius ſpiritu ſancto, tanquam ſua vſus virtute. Item, qui largitur gratiam fidei, & menſuram donorum vnicuique quantam vult; proculdubio Deus verus eſt, & non creatura. ſed huiusmodi eſt ſpiritus ſanctus, vt docet Apoſtolus. 1. Cor. 12. Alij, inquit, datur ſpiritus ſapientiæ, alij fides, & huiusmodi; & hæc omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus, prout vult: igitur ſpiritus S. eſt verus Deus. Itidem confirmat ad Rom. 15. Nec enim audeo quicquam

Perſonarum trinitas.

Spiritus ſanctus ex ſubſtãtia patris & filij.

Spiritus dominus.

Spiritus libertatis.

Spiritus ſanctus vocatur mens Chriſti.

Spiritus ſanctus dicitur digitus dei.

Brachium dei.

Spiritus ſanctus poſuit vos Epiſcopos.

Spiritus ſanctus duxit Chriſtum in deſertum.

Nemo poteſt dicere, dominus Ieſus, niſi in ſpiritu ſancto.

Spiritus ſanctificationis.

Spiritus ſanctus diſtribuit dona ſic vt vult.

Perſonarū trinitas.

Spiritus ſanctus eſt virtus dei.

deo quicquam loqui, inquit, eorum, quæ non perfecit Chriſtus per me, in obedientiā gentium verbo & opere, in virtute ſignorum & prodigiorum, in virtute ſpiritus ſancti. ſi ergo prodigia & ſigna per Paulum Chriſtus operabatur in virtute ſpiritus ſancti. quomodo ergo ſpiritus erit creatura, qui naturaliter in Deo, & ex Deo eſt? Porrò, hanc virtutem Chriſti, Dei virtutem appellat 1. Cor. 2. Sed in demonſtratione, inquit, ſpiritus, & virtutis, vt fides veſtra non eſſet in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Demonſtrationem ergo, atque operationem ſancti ſpiritus, virtutem Dei appellauit: ex ipſo enim, & in ipſo naturaliter ſpiritus ſanctus eſt, quo vniuerſa perficiuntur. non eſt ergo inter creaturas connumerandus. Item, ſolus Deus propria authoritate poteſt dimittere peccata: ſed ſpiritus ſanctus propria authoritate dimittit peccata: Deus ergo eſt, & non creatura. ſic enim loquitur Apoſtol. 1. Cor. 6. Hæc, inquit, aliquando fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu dei noſtri. Sanè, qui coniungitur cum ſcorto, vnū corpus fit: qui autē coniungitur cum deo: vnus ſpiritus fit cum deo. Si ergo participatione ſpiritus ſancti, dei participes efficimur; Deus eſt ergo, & non creatura. Membra ſiquidem noſtra templum ſunt ſpiritus ſancti in nobis habitantis: nulla autem creatura, vt Deus, in templo dicitur habitare: non poteſt ergo rectè ſpiritus ſanctus creatura appellari. Item, nihil naturaliter eſt vita, niſi ſolus Deus; pater enim eſt vita, & filius ſimiliter: ſed ſpiritus ſanctus eſt naturaliter vita. 2. Cor. 5. Qui autem effecit nos in hoc ipſum, Deus eſt, qui dedit nobis arram ſpiritus. Arram autem ſpiritus, ſpiritum ſanctum appellauit, qui eſt naturaliter vita.

Spiritus ſanctus dimittit peccata.

Spiritus ſanctus eſt arra vitæ.

CAP. III.

Spiritum ſanctum verum Deum eſſe, diuinis oſtenditur ſcripturis.

DIxi circa finem præcedentis capitis, Spiritum ſanctum ab Apoſtolo vocari arram vitæ, propterea quòd naturaliter ſit vita: ex quo rectè colligi poſſe arbitror, ſpiritū ſanctum verum Deū eſſe, conſubſtantialem patri & filio; quia ſimiliter vita ſubſtantialiter eſt. ex diuerſis ſiquidem naturis, puta creatoris, & creaturæ eadem virtus profluere non poteſt: eadem enim virtus, atque operatio, vnitatem ſubſtantiæ, atque naturæ arguit. Item, Chriſtus eſt, qui nos renouat, atque in nouam creaturam tranſponit. 2. Cor. 5. Si qua, inquit, cum ipſo noua creatura, Vetera tranſierunt, Ecce noua facta ſunt omnia: ſed ſpiritus ſanctus hanc eandem præſtat renouationis gratiam, Pſal. 103. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Apoſt. Rom. 8. dicit ſe accepiſſe primitias ſpiritus: rerum primitiæ ſunt fruges nouæ; vt prima poma, primi arborum fœtus: primum, ſiue nouum vinum, nouum triticum. Et in eadem epiſtola: Vt ambulemus, inquit, in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate literæ. Ezechiel propheta, vocat ſpiritum nouum: Dabo vobis ſpiritū nouum. Similiter Dauid obnixè precatur: Et ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Hæc autem omnia iure ſpiritui ſancto ſunt attributa, eò quòd veteri Adam, ipſius virtute exutos, in nouum Adam transformet: qui plenè nouus homo, ſecundus Adam in nobis, in iuſtitia & ſanctitate creatus eſt. Eph. 4. Itaq́ ſpiritus ſanctus, qui miſſus eſt ad renouandum creaturam, ſanctæ Trinitatis complementum eſt, Deus de Deo. vnde in vltimo cap. eiuſdem epiſtolæ: Gratia domini noſtri Ieſu Chriſti, inquit, charitas Dei patris, & communicatio ſancti ſpiritus ſit cum omnibus vobis. Quare, neceſſe eſt dicere, ſpiritum ſanctum diuinæ ſubſtantiæ eſſe, cuius participes effecti, Deum habent habitantem. Spiritus ſiquidem ſanctus in Deo eſt, & à Deo eſt naturaliter, quaſi fructus, non ad extra productus, neque ex nihilo; ſed ex patre, filioq́ue emanans. Item, Gall. 5. Si ſpiritu ducimini; non eſtis ſub lege: ſi per virtutem ſpiritus ſancti à ſeruitute legis, in libertatem

Spiritus eſt renouator creaturæ.

Primitiæ ſpiritus.

Spiritus ſanctus eſt implementum ſanctæ trinitatis

Spiritus ſanctus liberat nos à ſeruitute legis.

Perſonarũ trinitas.

bertatem filiorum Dei vocamur; Deus profectò ſpiritus ſanctus eſt, qui poteſt nos tali libertate legis donare. Dignitas enim hæc, & poteſtas liberationis huiuſmodi, Deo ſoli cõpetit; quia nullus poteſt, excepto Deo duntaxat, peccata dimittere: Niſi filius vos liberauerit, inquit dominus Ioan: 8. ſerui eritis vtique legis & peccati. Cùm ergo ſpiritus ſanctus liberet nos à ſeruitute peccati, & legis; magna profectò eſt inſania, velle aſſerere ſpiritum ſanctum creaturam eſſe. Reuera, ſi ſpiritu ſancto ſignati, ad Deum reformamur; quomodo erit creatura ſpiritus ſanctus, per quem eſſentiæ diuinæ character nobis imprimitur? quo ſuſcepto, ipſius increatæ naturæ ſigna in nobis imprimuntur. Sic enim loquitur Apoſto. Eph. 1. In quo etiam credentes ſignati eſtis ſpiritu repromiſsionis ſancto, qui eſt arra hæreditatis noſtræ: etenim non pictoris more diuinam eſſentiam in nobis depingit, vt poſſit aliud eſſe quàm Deus: ſed cùm ipſe Deus verus de Deo vero ſit, quaſi quoddam ſigillum in cordibus ſuſcipientium, ſicut in cera inuiſibiliter imprimit, & ſic communicatione ſua, in priſtinam pulchritudinem naturam noſtram depingit, & ad veram imaginem renouat: Deus ergo eſt, & non creatura. Item, Eph. 2. Per ipſum habemus introitum in vno ſpiritu ad patrem. Si per ſpiritum ſanctum ad patrem Deum adducimur, & participes diuinæ naturæ reddimur; quomodo erit creatura ſpiritus ſanctus, per quem patri, filioque coniungimur? Propterea in eodem capite Apoſtolus ſubdit: In quo & vos ædificamini in templum ſanctum, in habitaculum Dei in ſpiritu ſancto. Si templum ſanctum per ſpiritum ſanctum efficimur; per ipſum enim Deus in nobis habitat: impium igitur eſt inter creaturas ſpiritum collocare. Item, lib. 8. contra Iulianum: Græcorum ſapientes, inquit Cyrillus, pro ſpiritu ſancto, tertiam introducunt animam, à qua omnia animalia animantur, dum immittit eis vitam: ipſa enim, teſte Plotino, inſpirauit vitam illis, quæ vel tellus alit, vel mare, quæ vel in aëre, vel in cœlo, diuina aſtra. Et illa anima Solem, magnumq́ cœlum ornauit, & in ordine circumagit naturalia, natura alia exiſtens ab his quæ ornat, & quæ mouet & viuificat: neceſſeq́ eſt, vt his ſit dignior, & iis quæ fiunt ac corrumpuntur. Reuera, inquit Cyrillus, Deus & pater per filium in ſpiritu ſancto efficaciter operatur creaturas, & ea quæ non erant, vt eſſent, produxit, & facta benè continet, ordinemq́ illis optimum, & harmonias, & leges decreuit. Iſte eſt diuinus & viuificus ſanctus ſpiritus, ex Deo procedens, ſubſiſtentiam ſuam habens, & viuens, & ſemper exiſtens; quia eſt eius, qui eſt, & ipſe omnia implet, & omnia continet; quoniam & conſubſtantialis eſt cum implente omnia, & ſine medio vbiq; exiſtente: Ipſo enim omnia plena ſunt: ſcriptum eſt enim: Spiritus domini repleuit orbem terrarum: mouet enim in his quæ mouentur, continet vniuerſum, & animat, & viuificat, & non alia natura eſt ab ea quæ patris, vel ab ea quæ filij. Eandem catholicæ fidei doctrinam apud antiquiſsimum & glorioſiſsimum martyrem Iuſtinum inuenio, in expoſitione fidei de trinitate: Dominus noſter Ieſus Chriſtus, inquit, poſtquam reſurrexit à mortuis, in cœlum aſcenſurus, Apoſtolos ad erudiendas baptizandasq́ gẽtes mittens, ſic eis mandauit: Ite, docete omnes gentes, baptizando eas, In nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Corinthijs quoque ſcribens beatus Paulus, finem epiſtolæ quaſi obſignat doctrina hac appoſita, dicens: Gratia domini noſtri Ieſu Chriſti, & dilectio Dei, & ſocietas ſpiritus ſancti, cum vobis omnibus. Rurſum ad Epheſi. ſic ait: Summo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo quæcunq; ſtructura coagmentatur; ea creſcit in templum ſanctum in domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei per ſpiritum ſanctum. Videtis quo pacto docens de ſtructura quæ fit in Chriſto, per quam Chriſti templum efficimur, iuxta illud: Inhabitabo in eis, & inambulabo, & ero Deus eorũ: tres perſonas coniunctim nobis commemorat: hinc diſcimus Chriſtum Deum & ſpiritum vnum numen eſſe. Huius rei gratia, inquit ad Ephe. Flecto genua mea ad patrem domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur; vt det vobis iuxta diuitias gloriæ ſuæ, vt fortitudine corroboremini per ſpiritum ſuum, in internum

Spiritu ſancto ſignati ſumus.

Eph. 1.

Spiritus ſanctus quomodo imprimit in nobis ſigillum diuinæ eſſentiæ.

Spiritus ſanctus vocatur anima mundi

Spiritus domini repleuit orbem terrarũ.

Iuſtini doctrina de trinitate.

hominem,

Perſonarū Trinitas.

hominem, vt inhabitet Chriſtus in vobis: atque ita inhabitantis numinis vna complectitur patrem, filium, & ſpiritum ſanctum, ſic vbiq; has tres perſonas in eundem ordinem referens. Nam in ſecunda ad Corinthios ſic loquitur: Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſtum, & qui vnxit nos, Deus eſt, qui etiam obſignauit nos, deditq; arram ſpiritus in cordibus noſtris. Hic quoque Doctor gentium diſertè coniunxit patrem Deum, & Chriſtum filium, & ſpiritum ſanctum.

Spiritus ſanctus ex patre filioq; procedit.

Quòd verò ſpiritus ſanctus à patre, filioq; procedit, idem Apoſtolus oſtendit: Vos, inquit, non ſpiritum mundi accepiſtis; ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vtiq; ex Deo patre: deinde vocat eundem ſpiritum Chriſti, ſpiritum filij ſui clamantem in cordibus noſtris, Abba pater, ſpiritum veritatis, veritas autem filio attribuitur: itaq; cùm in doctrina per totum orbem publicata, & in præſcripta forma baptiſmi, & in creationis narratione, & in vi poteſtatis, coniunctim patris, filij, ſanctique ſpiritus vnum nomen accepimus; quis contendet filium & ſpiritum ſanctum alienum ab illa diuina beataq; eſſentia? Decet igitur, vt vnum Deum confiteamur in patre, filio, & ſpiritu ſancto, vnius deitatis, licet tres ſint ſubſiſtentiæ, ſiue perſonæ: atque ita vnitas in trinitate, & trinitas in vnitate noſcitur.

Vnitas in trinitate, & trinitas in vnitate

Hanc de beata illa diuinaq; trinitate ſententiam proferimus filiis eccleſiæ, hortantes, vt ſic ſapiant, & ſic viuant. Hæc Iuſtinus, Porrò de diuinitate ſpiritus ſancti affatim, & eleganter Baſilius magnus diſputauit, in libro contra Eunomianos:

Baſilius magnus de ſpiritu ſancto.

Verbo domini cœli firmati ſunt: & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Quemadmodum, inquit, prolatum verbum in Deo non eſt, ſed viuens, & ſubſiſtens, & factiuum omnium; ſic in Deo non eſt ſpiritus perfuſus, non diſſolutus aër; ſed virtus ſanctificans, conſubſtantialis, ſubſiſtens. Iſte ſpiritus ſanctus eiuſdem eſt operationis cum patre, & filio: Deus enim operatur omnia in omnibus: & ſpiritus ſanctus ſimiliter, diuidens omnia, prout vult. Deus dimittit peccata: & ſpiritus ſanctus dimittit peccata: inſufflans in Apoſtolos dixit: Accipite ſpiritum ſanctum, quorumcunq; dimiſeritis peccata, dimittentur eis: Docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. iubet credentes baptizari, & doceri in trinitatis nomine. Apoſtolus Petrus loquens Iudæis: Pœniteat ſingulos, inquit, malitiæ ſuæ, & baptizetur vnusquisque in nomine domini Ieſu, & ſaluabitur. Dominus verò Apoſtolis dixit: Vos autem baptizabimini ſpiritu ſancto. Si ergo in Apoſtolis eadem operari poteſt ſpiritus ſanctus, quæ pater & filius in baptiſmo gentium operantur: eiuſdem eſt ergo operationis, & conſequenter eiuſdem naturæ: actio enim naturam ſequitur. Item, ſi ſpiritus alienus eſt à gloria patris & filij; quomodo teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro quòd ſimus filij Dei, & cohæredes cum Chriſto? quomodo in corde noſtro clamat, Abba pater? ſi quis ſpiritum Chriſti non habet; hic non eſt eius. Et iterum, dominus etiam ſpiritus eſt: & vbi ſpiritus domini; ibi libertas: non eſt ſpiritus ſanctus poſſeſſio, nec creatura domini; ſed dominus Deus noſter.

Spiritus ſanctus non eſt creatura.
Spiritus ſanctus eſt vnctio.

Item, ſpiritus ſanctus vocatur vnctio: Ioan. in ſua canonica: Et vos vnctionem habetis à domino. Et in actis Apoſt. Ieſum, inquit, de Nazaret vnxit eum Deus ſpiritu ſancto. Chriſtus igitur per ſpiritum ſanctum vnctus eſt: non enim per alienam deitatem domini vnctio eſt, & nomen Chriſti, & qui ab ipſo Chriſtiani vocantur.

Chriſtiani à Chriſto.

Ploraret ſanè chriſtianus, ſi ſalutis ſuæ nomen à creatura acciperet; creatura enim non ſanctificat creaturam, ſed ſpiritus ſanctus: igitur creator eſt, & non creatura: dominus, & non ſeruus. Quis enim, qui creaturam renouat, qui corruptionē in incorruptionem transmutat, qui nouam nos efficit creaturam, à Deo, & filio ſeparabit?

Sermo impius eſt, dicere ſpiritum ſanctum eſſe creaturam.

Quomodo qui extra deitatē eſt, deitatis creaturā recuperat? Silentio tradatur ſermo impius, qui dicit ſpiritū ſanctum eſſe creaturam. non glorificetur creatura ſupra Deū: glorificatur autē ſupra deū: Si quæ morte, ac corruptione ſoluta ſunt; immortalia, per creaturā redderentur. ſi quis in Chriſto noua creatura: Vetera tranſierunt, & ecce noua facta ſunt ōnia: vtiq; per ſpiritus ſancti virtutē. Item, ſi non credimus ex ore Dei ſpiritū ſanctū proueniſſe, nec verbum credemus; quoniam, & Dauid verbum & ſpiritum ſimul glorificans:

ficans: verbo domini dixit cœlos eſſe firmatos, & ſpiritu oris eius omnem virtutem eorum. Et Moyſes, quæ verbo facta opera monſtrauit, ſpiritu viuificata oſtendit in factione hominis ſecundum imaginem. Quomodo diſſeparabuntur inſeparabilia, verbum ſcilicet Dei, & ſpiritus ex Deo, & filio? Paulum audiamus, qui formationem noſtram in ſpiritu conſumari ait: Nos verò, inquit ad Cor. 2. 4. reuelata facie, gloriam domini ſpeculantes, in eandem imaginem conformamur, à claritate in claritatem, tanquam à domini ſpiritu. Sed dicis, Deus per filium facit omnia, facit etiam ſpiritum: ſed tunc non eſſet trinitas, ſed dualitas: nam ſi cum cæteris omnibus ſpiritus; quomodo cum patre, ac filio ſpiritus? quomodo trinitas eſt trinitas? quomodo in trinitate baptiſmus, qui vniuerſum orbem ſanctificat? Sed aquis connumerari eum dicis, vtpotè creaturam, ſicut aquæ ſunt: quoniam dominus dicit: Niſi quis regeneratus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto. Atqui Ioannes dicit. Ipſe nos baptizabit in ſpiritu ſancto, & igni: igitur cum igne gehennæ ſpiritum ſanctum coordinabimus? hæc, quem impietatis exceſſum non ſuperarent? itaque diuinum ſpiritum, vt peccati maculas abſtergat, aquis vtentem, ad aquarum humilitatem deijcere non debemus: ille qui implet omnia, non eſt cum aquis cõferendus. Quò ibo à ſpiritu tuo? Et quò à facie tua fugiam? dicit Dauid. Salomon dixit: Spiritus domini adimpleuit orbem. Septem orationibus huuc ſpiritum cognoſci docet Iſaias. Zacharias verò profitetur ſeptem oculos habere: Iſti, inquit, ſunt oculi domini reſpicientes terram. Et iterum: Ego in vobis, & ſpiritus meus ſtetit in medio veſtri. Quare, quis non ſentiat maieſtatem ſpiritus ſancti, cùm hæc oracula prophetarum recitantur? Non eſt ergo creatura, ſed creator. Sed dubitabis, cur dominus dicit: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. quare non ſimul coniunxit ſpiritum ſanctum, ſi eiusdem eſt cum patre, & filio diuinitatis? Non diſiunxit à patre & filio; ſed inſeparabilem oſtendit. Similis modus loquendi inuenitur in actis Apoſtolicis: Hæc dicit Spiritus ſanctus. Non debemus ſuſpicari, ſolum ſpiritum ſanctum leges nobis ferre, & futura prædicere: vnus eſt enim Deus pater, ex quo omnia: & vnus dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia: vnus verò ſpiritus in quo omnia. Eſt ergo patri, filioque conſubſtantialis.

Perſonarũ Trinitas.

Spiritus ſanctus author noſtræ formationis.

Trinitas eſt & non dualitas.

Quo ibo à ſpiritu tuo.

Hæc eſt vita æterna.

CAP. IIII.

De Spiritus ſancti nominibus, quibus oſtenditur eius diuinitas.

EX ſacris literis per magnum Baſilium depromptis, ſancti Spiritus diuinitate percepta, libet cum eodem grauiſſimo authore, eiusdem ſpiritus titulos, epitheta, atque nomina percipere. Quatenus, inquit, mente tenetur, Spiritus dictus eſt: quemadmodum ſpiritus dicitur Deus: & ſpiritus vultus noſtri Chriſtus dominus. Sanctus dicitur; quemadmodum ſanctus pater, ſanctus filius. Creaturæ ſiquidem aliunde inducta eſt ſanctitas: at ſpiritui ſanctitas eſt conſumatiua naturæ: ideoque non ſanctificatur; ſed ſanctificat. Bonus item dicitur, ſicut pater: & bonus is, qui bonus ex bono natus eſt, cui bonitas eſt ipſa eſſentia. Rectus dicitur, vt rectus dominus, & rectus Deus noſter; eò quòd per ſe ſit ipſa virtus, & ipſa iuſtitia, quæ ſe non poteſt nec in hanc partem, nec in illam flectere propter naturæ incommutabilitatem. Paracletus, id eſt, conſolator, dicitur ſpiritus: quemadmodum & vnigenitus. ſic ipſe dixit, Ioann. 14. Ego rogabo patrem meum, & alium paracletum dabit. Hoc pacto communia ſunt nomina patri, filio, & ſpiritui ſancto: quæ appellationes illis tribus perſonis competunt, propter eiusdem diuinæ naturæ ineffabilem, ſummamque vnionem, ſiue vnitatem. Dicitur etiam ſpiritus principalis, ſpiritus veritatis,

Nomina ſancti Spiritus.

Spiritus.

Sanctus.

Bonus.

Rectus.

Paracletus.

Trinitas. ritatis, ſpiritus ſapientiæ, ſpiritus diuinus: operationes habet ineffabiles ob magnitudi-
nem, innumerabiles propter multitudinem: Erat, præerat, ſimul aderat cum patre, &
Spiritus domini ornauit cœlos. filio: Spiritus domini ornauit cœlos: conſolidatæ ſunt virtutes cœlorum, quæ non poſſint
à bonis excidere: quòd enim deo coniunctæ ſunt, ita, vt ad malitiam non redeant, in be-
atitudine perſeuerent; id illis à ſpiritu acceſſit. Chriſti aduentus eſt; ſpiritus præcurrit:
Sancti ſpiritus operationes. in carne fuit aduentus; & ſpiritus inſeparabilis: Operationes virtutum ſunt, ſunt dona
ſanationum; ſed per ſpiritum: Dæmones expulſi ſunt; ſed in ſpiritu dei: Diabolus ſpoli-
atus eſt imperio; ſed intus præſente ſpiritu: peccatorum facta eſt remiſſio; ſed in gra-
1. Cor. 6. tia ſpiritus: Abluti eſtis, ſanctificati eſtis in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti; & in ſpi-
Rom. 8. ritu ſancto: conglutinati eſtis cum deo; ſed per ſpiritum ſanctum; miſit enim Deus ſpi-
ritum filij ſui in corda noſtra, clamantem, Abba pater. Reſurrectio mortuorum eſt; ſed
à ſpiritu ſancto: Suſcitabit, inquit Apoſtolus, mortalia corpora veſtra propter inhabi-
tantem ſpiritum: à terrena, mortaliq; vita, ad cœleſtem, & immortalem tranſlati eſtis;
2. Cor. 5. ſed à ſancto ſpiritu: ſi qua in Chriſto noua creatura; Vetera tranſierunt, & ecce noua
facta ſunt omnia. Spiritus S. dixit Petro, Actor. 7. Deſcende, & ambula cum illis, ni-
hil diiudicans, quoniam ego miſi illos. Spiritus ſanctus dixit, Actor. 13. Separate mihi
Barnabam & Paulum in opus ad quod accerſiui illos: Num ſeruus ita loquitur? Iſaias
dicit 48. Dominus miſit me, & ſpiritus eius. Primitiæ martyrum Stephanus: Vos, inquit,
ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis. Non eſt ergo ſeruus ſpiritus ſanctus; ſed dominus. Am-
plius, non ſolùm ex appellationibus, & operationibus perſpicuum eſt, ſpiritum ſanctũ
diuinitatis patris & filij eſſe conſortem; verùmetiam, quia eſt intellectu incomprehenſi-
bilis. De patre legitur: Pater iuſte, mundus te non cognouit. de ſpiritu ſancto autẽ, Ioan.
14. Spiritum veritatis mundus non poteſt accipere, quia non videt, neque nouit illum;
vos autem noſtis illum, & apud vos manet. Iſte ſpiritus à ſolis ſanctis per cordis purita-
tem videri poteſt: iſte eſt, qui replet omnia. Non ſic autem angelorum virtutes: nam an-
gelus, qui loquebatur Zachariæ patri Ioannis baptiſtæ, per idem temporis in cœlo ſu-
um non implebat ſtationem: at ſpiritus ſanctus, & in Abacuc operatus, & in Danie-
le in Babylonia creditus, & in Catarrhacta fuit cum Ieremia, & cum Ezechiele in Cho-
Spiritus ſanctus eſt vbiq. bar. Igitur, qui vbique eſt, qui natura dominus eſt, qui magnitudine incomprehenſus,
qui potens in operationibus, qui bonus in beneficentiis, Deus eſt, & non creatura. Si
Repetitio omnium. itaq; ſpiritus ſanctus eſt natura bonus, nouit profunda dei, viuificat vnà cum deo, eſt
vita per iuſtitiam; quis adeo contentioſus? quis adeò expers doni cœleſtis, & abſque gu-
ſtu bonorum dei verborum? quis adeò à ſpe cœleſtium alienus, vt ſpiritum ſanctũ cre-
aturæ copulet, à diuina natura diſtractum? Accipietis virtutem ſuperuenientis ſpiri-
tus ſancti in vos. An obid contemnendus eſt? An non & filium pater dedit hominibus?
Qui, inquit, proprio filio ſuo non pepercit; ſed pro nobis omnibus tradidit illum; quo-
D. Chryſoſtomi doctrina de diuinitate ſpiritus ſancti modo non omnia cum eo nobis donauit? Subſcribit huic doctrinæ catholicæ D. Chryſo. in
expoſitione primi capituli ad Galatas: Miniſtrantibus illis, ac ieiunantibus domino, dixit
ſpiritus ſanctus, ſegregate mihi Paulum & Barnabam: vnde liquet eandem eſſe pote-
ſtatem filij & ſpiritus ſancti: quum enim à ſpiritu miſſus eſſet; à Chriſto ſe miſſum ait.
Paulus, inquit, apoſtolus Ieſu Chriſti, non ab hominibus; ſed per Ieſum Chriſtum, & de-
um patrem, qui ſuſcitauit eum à mortuis. Idem & alibi declarat, ea quæ dei ſunt, attri-
buens ſpiritui ſancto: ſiquidem ſenioribus Mileſiis verba faciens: Attendite, inquit, vo-
bis ipſis, & vniuerſo gregi, in quo poſuit vos ſpiritus ſanctus paſtores & Epiſcopos: &
tamen in priori epiſtola ad Cor. cap. 11. dicit: Quos quidem poſuit Deus, primùm apoſto-
los &c. adeò promiſcuè, citraq; diſcrimen loquitur, quæ ſpiritus ſunt, Deo tribuens,
Spiritus ſanctus nos transformat. rurſus quæ dei, ſpiritui. Et in expoſitione 4. cap. epiſt. poſterioris ad Cor. Transforma-
mur in eandem imaginem, tanquam à domino ſpiritu. Vides vt & hîc ſpiritum appel-
lat dominum. hic ſpiritus transformat, hic non ſinit nos conformari huic ſeculo: hic eſt
opifex

opifex talis creaturæ. vltra Solem refulget anima ſpiritu ſancto perpurgata, non aliter quàm ſi argentum ad Solis radios expoſitum, emittat & ipſum radios. licet non ex ſua-pte natura ſolùm; verùmetiam ex Solis fulgore: ſimiliter & anima repurgata, & ar-gento facta lucidior, accipit radium à gloria ſpiritus ſancti, & hunc viciſſim ex ſe re-mittit. Itaq; ſi ſpiritus ſanctus minor eſt patre & filio, & alterius ſubſtantiæ; nihil con-ſolatio profuiſſet, neque audire eundem ſpiritum: qui enim à Rege accipit, multi id fa-cit, quod à Rege accipit: qui autem à ſeruo, tunc magis dolet, quando id ſibi in memo-riam reducitur. Itaq; etiam hinc conſtat, quòd non ſeruilis, ſed regiæ ſubſtantiæ ſpiritus ſanctus ſit. Differentiæ, inquit Apoſtolus in priori epiſtola ad Cor. 11 miniſtrationum ſunt, idem autem Deus, qui omnia diſpenſat, vt vult. In ſermone autem de trinitate plu-rimis ſanctarum ſcripturarum authoritatibus oſtendit, ſpiritum ex patre, filioq; proce-dere: Si inquit, ex patre procedit; & à filio non alterius ſubſtantiæ eſt ſpiritus ſanctus, Spiritus dei, Spiritus Chriſti, ſpiritus veritatis, ſpiritus conſolator. Cur (inquit Petrus ad Ananiam) mentitus es ſpiritui ſancto? Non mentitus es homini, ſed deo. Vides quo-modo ſpiritum ſanctum, deum nominet? Et Paulus ad Cor. 1. cap. 6. Vos templum dei eſtis, & ſpiritus ſanctus habitat in vobis. Manifeſtum quòd Deus eſt ſpiritus, qui habi-tat in nobis. Et in eadem epiſtola: Spiritus ſcrutatur profunda dei: non enim ſcrutatur, vt alienus, neq; vt ignorans. quia ſcriptum eſt: Profundiora te ne quæſieris. De patre ſcri-ptum eſt: Ego ſum Deus ſcrutator renum, & cordium: Non ergo ſpiritus ſanctus ſcru-tatur profunda dei, vt extraneus; ſed vt habens eandem naturam, eandemq; diuinita-tem. Segregate mihi Paulum & Barnabam, in opus, ad quòd vocaui eos. Vide poteſta-tem, intellige diuinitatem. Et Agabus: Hæc dicit ſpiritus ſanctus, virum cuius eſt zona hæc, ſic alligabunt in Ieruſalem. Et Apoſtoli: Viſum eſt ſpiritui ſancto, nihil magis ſeruandum: Et iterum: Pertranſiì Phrygiam, & Galatiæ regionem, prohibiti à ſpiritu ſan-cto loqui ſermonem in Aſia: Vt venerunt autem in Myſiam, attentauerunt in Bithyniã proficiſci, & non ſinebat eos ſpiritus ſanctus. Et iterum. Verùmtamen ſpiritus ſanctus per ſingulas ciuitates teſtificatur, dicens &c. Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo ſpi-ritus ſanctus poſuit vos Epiſcopos. Vide virtutem ſpiritus, authoritatem, & poteſtatem. Num alienum à deo eſt ſpiritus ſanctus? Abſit. Benedixit ſpiritus ſanctus, inquit A-poſtolus actor. vlt. per Iſaiam prophetam 6. Auribus audietis, & non intelligetis. Pau-lus inquit: Dixit ſpiritus ſanctus: Iſaias, inquit: Dixit dominus Deus ſabaoth. Vide quo-modo ſcriptura promiſcuè loquitur, & citra diſcrimen de patre, filio, & ſpiritu ſancto. In homelia autem de adorando ſpiritu ſancto, oſtendit ſpiritum ſanctum, eſſe ſpiritum filij: Si quis ſpiritum Chriſti non habet; hic non eſt eius. Ro. 8. Eundem ſcriptura appel-lat ſpiritum patris: Spiritus, qui à patre procedit, dicitur ſpiritus veritatis: Ioan: 14. & ſpiritus filij. Gal 4. Miſit Deus ſpiritum filij ſui 1. Cor. 5 Si autem ſpiritus eius, qui ex-citauit Ieſum, habitat vobiſcum. Hæc nomina ſanctæ & immaculatæ trinitatis, ſancti & admirabilis ſpiritus ſunt nomina, non naturæ conuenientia, ſed operationi. Dicitur autem iterùm ſpiritus ſanctus, ſpiritus vitæ, lex ſpiritus vitæ Ro. 6. Chriſtus autem apud Ioan. 14. vocat ſe vitam: Ego ſum via, veritas, & vita. Hæc nomina eiuſdem ſunt authoritatis, & eiuſdem naturæ. Sunt autem alia nomina, quæ virtuti ſpiritus ſancti aſſcribuntur; vt ſunt dona eius, vt potè ſpiritus ſanctificationis, id eſt, beneficium; ſpiritus ſapientiæ, ſi alicui largiatur ſapientiam: ſimiliter ſpiritus fidei, ſpiritus precum. Hæc vocantur do-na ſancti ſpiritus. vnde, quando quis habet donum charitatis, dicitur habere ſpiritũ cha-ritatis, ſpiritum martyrij, ſpiritum adoptionis, ſpiritum veritatis, ſpiritum temperantiæ, ſpiritum promiſſionis, ſpiritum manſuetudinis, ſpiritum reuelationis. Eph. 1. His titulis, atque nominibus Paulus ſpiritum ſanctum nominat. Iſaias verò cap. 11. Spiritum ſapi-entiæ & intellectus, ſpiritum conſilij & fortitudinis, ſpiritum ſcientiæ & pietatis, ſpiri-tum timoris domini. Spiritus ſapientiæ datur Doctoribus, & docentibus: Spiritus intel-

Spiritus ſanctus eſt Regiæ ſubſtantiæ.

Spiritus ſanctus ſcrutatur profunda dei.

Spiritus ſanctus eſt ſpiritus filij.

Nomina operationis, nomina naturæ ſpiritus ſancti

Dona ſancti ſpiritus.

2. Tim. 1. Eph. 1. 2. Cor. 4. Gal. 6. Rom. 1. 8.

lectus auditoribus: ſapientia armatura oris, intellectus verò cordis. Os meũ, inquit Pſa. 48. loquetur ſapientiam, & meditatio cordis mei intelligentiã: ſpiritus conſilij in eo, qui rectè aliis conſulit: & ſi ignoret, & neſciat docere; ſcit tamen bene conſulere. Exo. 18. Iethro ſocer Moyſis habuit donum conſilij: Moyſes verò donũ ſapientiæ. Zacharias propheta vocat ſpiritum gratiæ & miſerationis: cap. 12. Effundam ſuper domum Dauid ſpiritum gratiæ, & miſerationis: id eſt, donum miſericordiæ. Itaq; ſpiritus ſanctus vocatur ſpiritus dei, ſpiritus qui eſt ex deo, ſpiritus domini, ſpiritus veritatis, ſpiritus patris, ſpiritus filij, ſpiritus Chriſti, ſpiritus qui excitauit Chriſtum: deinde dona, ſpiritus virtutis, ſpiritus charitatis, ſpiritus temperantiæ, ſpiritus promiſſionis, ſpiritus fidei, ſpiritus reuelationis, ſpiritus adoptionis filiorum dei, ſpiritus iudicij, & adustionis, Iſaiæ. 4. ſpiritus rectus, ſpiritus principalis, ſpiritus precum apud Zachariam, ſpiritus ſuauis, vt dicit Salomon, ſpiritus ſeptiformis apud Iſaiam, ſpiritus promiſſionis, ſpiritus ſanctificationis: vna ergo eſt natura filij & ſpiritus ſancti, vna virtus, vna veritas, vna vita, vna ſapientia, vna natura in patre, & filio, quæ omnia in omnibus operatur. Iſta natura par eſt, & æqualis, plena poteſtatis, & authoritatis, admirabilis, nullius indiga, non proficit, non minuitur, non augmenta ſuſcipit, non attenuatur. Itaq; ex his quæ dicta ſunt, potentiam, & diuinitatem ſpiritus ſancti intelligere valemus. Verùm operæpretium erit, eiuſdem ſancti ſpiritus opera, quæ in Chriſto homine perſpicuè oſtenſa ſunt, diligenter retexere: ſic enim magis magiſq; tam admirabilis ſpiritus maieſtatem, diuinamq; naturã percipiemus: hæc enim illa ſpiritui ſancto ſunt attributa, quaſi, nõ ſufficiat filius dei, ſed potiùs; vt perfecta trinitatis ſcientia, in natura humana Chriſti clariſſimè oſtenderetur. Voluit ſiquidem ſaluator carnem, quam accepit, ſpiritui ſancto appropriare; vt id quod faciebat ſecundùm carnem, ſpiritui ſancto aſſcriberetur, qui habitauit in eo, ſicut in ſancto templo humano: Si ego in ſpiritu eycio dæmonia: ſpiritui ſancto attribuit dæmonum eiectionem. Iſaiæ 61. Spiritus domini ſuper me, eò quòd vnxit. Vnde in actis apoſtolicis 10. Ieſum à Nazareth, inquit beatus Petrus, quem vnxit Deus ſpiritu ſancto. Matt. 3. Mar. 1. Ioan. 1. Vidi cœlos apertos, dicebat Ioannes, & ſpiritum ſanctum deſcẽdentem ſicut columbam, & manentem ſuper eum. Non diuinitatem accepit à ſpiritu ſancto; ſed gratiam, atque dona in naturam humanitatis ſuæ. Statim vbi Chriſtus fuit baptizatus, aſcendit de aqua, & ductus eſt à ſpiritu in deſertum. Ducta eſt caro Chriſti, & quaſi pedagogum habuit ſpiritum ſanctum. Luc. 4. Ieſus autem reuerſus eſt in virtute ſpiritus à deſerto. Habuit igitur caro Chriſti ſpiritum ſanctum, non partem donariorum; ſed omnia habuit dona. Impleuit ſpiritus ſanctus proprium templum, quod ipſe formauerat in vtero virginis, omni gratia. Habuit donorum plenitudinem: vnde opus fuit, vt inde omnes acciperemus ad menſuram, & partes: Quia de plenitudine eius omnes accepimus Ioan. 1. beatus Paulus ad Col. 2. In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis: id eſt, omne deitatis donum, corporaliter: in carne enim Chriſti plenitudo gratiarum, virtutis, & operationis perenniter manet: Vidi, inquit, ſpiritum ſanctum manentem ſuper eum: vtiq; totum: pater enim diligit filium, & non ad menſuram dedit ei ſpiritum ſanctum. ſed iſte diuinus ſpiritus, qui corpus Chriſti formauit in vtero intemeratæ ſemperq; virginis matris, qui venit ſuper Chriſtum, & manſit in Chriſto, qui vnxit eum, qui ſanctificauit, qui duxit in deſertum, qui reduxit victorẽ, de meo accipiet, dicit dominus: quia non eſt alienus à me; ſed eiuſdem naturæ, atque diuinitatis. Qui ergo circa ſpiritum ſanctum claudicant, & aberrant, recto pede ambulare circa filium nequeunt. De filio ſcribitur Ioan. 16. à meipſo non loquor, ſed quæcunq; audiui à patre; hæc loquor. De Spiritu ſancto autem: A ſemetipſo non loquetur, ſed quæcunq; audiet, loquetur: attamen eſt æqualis honor. Duo ſtatuit æqualis ponderis, neque ſpiritus à ſeipſo, neq; filius à ſeipſo: ſed opus habet filius patre, opus habet ſpiritus S. patre: itaq; æqualis erit honor. Multa habeo dicere vobis; ſed non poteſtis portare modò: cùm autem venerit ſpiritus veritatis,

Spiritus gratiæ & miſerationis.

Repetitio nominum, & donorum ſpiritus ſancti.

Spiritus ſanctus in Chriſto homine.

Spiritu ſancto eijciuntur dæmonia.

Spiritus ſancti plenitudo in Chriſto homine.

Spiritus ſanctus totus in Chriſto homine.

Spiritus veritatis.

inducet

Perſonarũ trinitas

inducet vos in omnem veritatem, quia è ſeipſo non loquetur Ioan.16. Et in Pſal.44. Vnxit te deus deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis: Effuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te deus in æternum. Veneremur ergo ſanctum ſpiritum, vt verum deum, ex patre filioq́ procedentem, quem prophetæ prædixerunt, Apoſtoli diuinis oraculis annunciauerunt, Martyres confeßi ſunt, pij credunt, eccleſia conteſtatur, inſcitia oppugnat, fidelis pluribus argumentis perſuaſum habet. Sanè, ſpiritus ſanctus fuit quidem ſemper, & eſt, & erit, neq; incepit, neq; deſinet, ſed ſemper patri, filioq́ conſubſtantialis, vita, natura viuens, & viuentium viuificator, lux de luce, & lucis ſuppeditator, per ſe bonus, & fons bonitatis, per ſe dominus, ſui iuris, deus de deo, & deificans, virtus omnipotens, etiam infirmis virtutem concedens, ſuperſubſtantialis ex ſubſtantia ſuperſubſtantiali. Spiritus ſanctus, ſpiritus abſq; materia, abſq; rege, abſq; ſemo, abſq; ſucceſſore, indiſſolubilis ſupra omnem captum & contemplationem, incommutabilis, impollutus. Spiritus ſanctus, ſpiritus quem nemo interpretari poteſt, imperueſtigabilis, imperſcrutabilis, impartibilis, incircumſcriptus, abſq; fluxu, abſq; ſorde, abſq; confuſione, non imaginabilis, incomprehenſibilis. Spiritus ſanctus, non ſpiritus ventorum, non ſpiritus angelicus, non ſpiritus corporalis, non ſpiritus aêreus; ſed ſpiritus opifex, ſpiritus perſonam in deitate habens, ſpiritus ſapientiæ, intellectus, & exultationis, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & agnitionis, ſpiritus timoris & manſuetudinis. Spiritus ſanctus, ſpiritus pacis & fidei, ſpiritus gratiæ & intelligentiæ, ſpiritus libertatis & temperantiæ, ſpiritus ſalutis & illuſtrationis. Spiritus ſanctus eſt noſtræ imaginis reformator, autor fidei in deum, mentalium oculorum noſtrorum ſpiritualis ſol, interni noſtri hominis lumen, lucifer in pectore, opulentia filiorum, arrabon & pignus æterni regni, primitiæ vitæ æternæ, ſignaculum gratiæ baptiſmi. Spiritus ſanctus corda noſtra Chriſto conglutinat, in filios dei adoptat. Hoc ſpiritu prophetæ illuſtrantur, idiotæ ſapientia condiuntur, reges inunguntur, ſacerdotes ordinantur, doctores declarantur, eccleſiæ ſanctificantur, dæmones abiguntur, morbi curantur. Hunc ſpiritum vidit Abraham olim apud quercũ Mambre Gen.18. Vidit Iob per turbinem, & nebulas.38. Vidit Moyſes in petra Exod.33. Vidit Iſaias in throno excelſo, Iſa.6. Vidit Ezechiel in animalibus oculatis. Ezech.1. Vidit Daniel in viſione noctis. Quid ergo ſomniant aliqui ſpiritum ſanctum deum non eſſe, aut ex patre filioq́ non procedere; cùm ſanctißimi, doctißimiq́ Græcorum, de diuinitate ſpiritus ſancti tam clarè ſint locuti?

Spiritus ſancti laudes.

Spiritus ſancti epitheta.

CAP. V.

Doctores latini de diuinitate & operibus ſpiritus ſancti.

POſt Græcorum ſapientum oracula, quæ de diuinitate, maieſtate, atq; poteſtate ſancti ſpiritus diſertè copioſeq; locuta ſunt; in animo eſt, latinorum ſapientum dogmata conſulere, quæ non minus eruditè, quàm eleganter, perſonarum trinitatem, ac ſancti ſpiritus diuinitatem, virtutem, operationes, ac ingentia opera nobis tradiderunt. In primis autem, in manus venit Tertullianus, temporis antiquitate, & doctrinæ grauitate inſignis. Is in lib. de trinitate, aſſumens illud Ioelis prophetæ cap.2. In nouißimis diebus, inquit, effundam de ſpiritu meo ſuper ſeruos & ancillas meas, ſpiritus diuinitatem oſtendit. Dominus ſimiliter in Euangelio Ioan.20. Accipite ſpiritum ſanctũ, quorum remiſeritis peccata, erunt remiſſa &c. Hunc ſpiritum ſanctum, dominus Chriſtus, modò paracletum appellat, modò ſpiritum veritatis eſſe pronunciat. Hic ſpiritus in prophetis populum accuſauit, & in Apoſtolis aduocationem gentibus præſtitit. Differentia in illo ſpiritu genera officiorum, quia differens ratio cauſarum, ipſe tamen ſpiritus non diuiditur, qui hæc gerit; ſed vnus atque

Tertullianus de trinitate.

Spiritus idem in prophetis, & Apoſtolis.

Perſonarũ trinitas

idem eſt diuidens officia ſua per tempora. Habentes, inquit Apoſtolus 2. Cor. 4. eundem ſpiritum, ſicut ſcriptum eſt: Credidi, propter quod locutus ſum: & nos credimus, ideo loquimur. In Euangelio Ioan. 14. legitur: Rogabo patrem, & alium aduocatũ dabit vobis:

Spiritus aduocatus.

Dominus enim in cœlos cùm eſſet abiturus, paracletum diſcipulis neceſſariò dabat, ne illos quodammodo pupillos, quod minimè decebat, relinqueret, & ſine aduocato, & quodam tutore desereret. Hic eſt enim, qui ipſorum animos, menteſq; firmauit, qui euangelica ſacramenta diſtinxit, qui in ipſis illuminator rerum diuinarum fuit, quo confirmati pro nomine domini, nec carceres, nec vincula timuerunt; quinimò ipſas ſeculi poteſtates, & tormenta calcauerunt, armati iam ſcilicet per ipſum, atq; firmati, habentes in ſe dona, quæ hic idem ſpiritus eccleſiæ Chriſti ſponſæ, quaſi quædam ornamenta, diſtribuit, & dirigit. Hic eſt, qui prophetas in eccleſia conſtituit, magiſtros erudit, linguas dirigit, virtutes & ſanitates facit, conſilia ſuggerit, demq; eccleſiam perfectam, conſumatamq; facit. Hic eſt, qui in modum columbæ ſuper Chriſtum venit, & manſit, habitans in ſolo Chriſto plenus, & totus, nec in aliqua menſura, aut portione mutilatus; ſed cum tota ſua redundantia cumulatè admiſſus, vt ex illo delibationem quandam gratiarum cæteri conſequi poſſint. Hæc autem de ſpiritu ſancto, & plura ſimilia. De patre autem & filio ſic:

Spiritus ſancti operationes in eccleſia

Pater ſine origine.

Pater ſolus in diuinis neſcit originem, inuiſibilis, immenſus, immortalis, æternus, vnus deus, ex quo filius natus eſt, verbum dei, ex ſubſtantia patris. Hic, cùm ſit genitus à patre, ſemper eſt in patre, quem pater antecedit origine. Huius nomen eſt verbum, per quod facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil. Omnia poſt ipſum ſunt; quia per ipſum ſunt: & meritò ipſe eſt ante omnia; quando per illum facta ſunt omnia. Ex patre natus, patri ſuo originem ſuam debens, vnus deus, originem naſcendo contraxit, vnigenitus, & primogenitus ex illo eſt, qui originem non habet. Hæc quidem Tertullianus, quibus ſatis clarè ſanctæ trinitatis myſterium nobis aperuit. Suffragatur nobis in hoc negotio antiquiſſimus, & doctiſſimus Irenæus, Epiſcopus Lugdunenſis lib. 3. cap. 6. contra hæreſim Valentini. Verus deus, inquit, pater, filius, & ſpiritus ſanctus. In pſalmo legimus: Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis. Patrem enim filio collocutum oſtendit, qui & dedit ei hæreditatem gentium, & ſubiecit ei omnes inimicos. Verè igitur cùm pater ſit dominus, & filius vere ſit dominus; meritò ſpiritus ſanctus domini appellatione nuncupatur. In pſal. 44. ſic legimus: Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te deus, deus tuus. vtroſq; enim dei appellatione ſignificauit ſpiritus, & eum qui vngitur filium, & eum qui vngit, ſcilicet patrem. Nemo igitur deus nominatur, aut dominus appellatur, niſi verè ſit deus. Et 25. Vnus atq; idem, inquit, eſt ſpiritus dei, qui in prophetis quidem præconauit, quis, & qualis eſſet aduentus domini: in ſenioribus autem interpretatus eſt bene, quæ benè prophetata fuerant: ipſe & in Apoſtolis annunciauit plenitudinem temporum adoptionis veniſſe, & proximaſſe regnum cœlorum, & inhabitare intra homines credentes in eum, qui ex virgine natus eſt Emanuel. Et cap. 19. Poteſtatem, inquit, regenerationis demandans diſcipulis dicebat eis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, filij, & ſpiritus ſancti. Hunc promiſit per prophetas, effundere ſe in nouiſſimis temporibus ſuper ſeruos & ancillas, vt prophetent: hunc deſcendiſſe ſuper Chriſtum Ioan. affirmat: Iſaias 11. Requieſcet ſuper eum ſpiritus domini. Et iterum: Spiritus domini ſuper me, eò quòd vnxit me dominus. Hunc ſpiritum petit Dauid humano generi dicens: Et ſpiritu principali confirma me. Quem & deſcendiſſe Lucas ait, poſt aſcenſum domini ſuper diſcipulos in pentecoſte, habentem poteſtatem omnium gentium, & apertionem noui teſtamenti: vnde & omnibus linguis conſpiranter hymnum dicebant deo, ſpiritu ad vnitatem redigente diſtantes tribus, & primitias omnium gentium patri offerente. Et lib. 5. Vbi ſpiritus patris, inquit, ibi homo viuens, caro à ſpiritu ſancto poſſeſſa, oblita quidem ſui, qualitatem autem ſpiritus aſſumens, conformis efficitur verbo dei. Ideoq; dicitur ab Apoſtolo 1. Cor. 15. Sicut portauimus imaginem terreni;

Filius ex ſubſtantia patris.

Irenæi doctrina de ſancta trinitate.

Spiritus ſanctus verus deus.

Spiritus principalis.

ita

Perſonarũ trinitas

Clemens Romanus.

Cyprianus.

ita portemus imaginem cœleſtis. Clemens Romanus lib. 2. Nolite putare, inquit, duos ingenitos dicere deos, aut vnum diuiſum eſſe in duos: ſed filium Dei vnigenitum dicimus, ex patre natum. Similiter de paracleto dicimus. Porrò D. Cyprianus ornatè copioſeq; ſanctæ trinitatis myſterium explicat: Pater, inquit, nos docet, & inſtruit: filius arcana dei nobis reuelat: ſpiritus ſanctus replet, & imbuit. A patre potentiam, à filio ſapientiam, à ſpiritu ſancto accipimus innocentiam. Pater eligit, filius diligit, ſpiritus ſanctus coniungit & vnit. A patre nobis datur æternitas, à filio imaginis eius conformitas, à ſpiritu ſancto integritas & libertas. In patre ſumus, in filio viuimus, in ſpiritu ſancto mouemur, & proficimus. Et in Serm. de ſpiritu ſancto: Huius, inquit, ſpiritus virtus & diuinitas, cum in propria natura ab inquiſitoribus mundi, antiquis propriè inueſtigari non poſſet; ſubtiliſſimis tamen intuiti ſunt coniecturis compoſitionem mundi, compoſitis, & diſtinctis elementorum præſentem omnibus animam affuiſſe, quæ ſecundum genus, & ordinem ſingulorum vitam præberet, & motum, & intranſgreſſibiles figeret metas, & ſtabilitatem aſſignaret & vſum. Hanc vitam, hunc motũ, hanc rerum eſſentiam, animam mundi philoſophi vocauerunt, putantes cœleſtia corpora, Solem dico, & lunã, & ſtellas, ipſumq; firmamentũ huius animæ virtute moueri, & regi, & aquas, & terram, & aërem huius ſemine impregnari: qui ſi ſpiritũ & dominũ & creatorem, & viuificatorẽ, & nutritorẽ crederent omniũ, quæ ſub ipſo ſunt, cõuenientem haberent ad fidẽ acceſſum. Sed abſcondita eſt à ſapientibus & prudentib. quæ eſſet deitatis trinitas, vel quæ vnitas, vel quæ perſonarũ proprietas. Iſte ſpiritus ſanctificator ſuperferebatur elemẽto purificatorio, iã tunc baptiſmi virtutẽ enuncians. Iſte ſpiritus S. arcam Noe quæ typum gerebat eccleſiæ tunc regebat, & adhuc regit, extra quam quiſquis perfidus euagatur, inuolutus fluctibus mergitur in profundũ, & impoſſibile eſt eum viuere, cui nõ ſuperfertur ſpiritus vitæ. Hic ſpiritus ſanctus omnium viuentium anima, ita largitate ſua ſe omnibus abundanter infundit; vt habeant omnia ſuo ordine naturæ competentia: non quòd ipſe ſit ſubſtantialis anima ſingulis; ſed in ſe ſingulariter manens ſicut ſol, abſq; ſui diminutione omnia nutrit & fouet. Hic ſpiritus rubri maris aquas ſiccauit, & ſuſpenſis hinc inde vehementibus fluctibus, ab ollis carnium, & Ægypti pulmentariis populum ad ſpiritualem eremi libertatem eduxit incolumem, & alimoniis cœleſtibus pauit. Exo. 14. Hic eſt ſpiritus ſanctus; quem Magi in Ægypto tertij ſigni oſtenſione conuicti, cùm ſua defeciſſe præſtigia faterentur, dei digitum appellarunt. Hic digitus Dei, mundanæ iudex & vindex perfidiæ, noui tempore teſtamenti expellit dæmones, nec laborat agendo, ſoloq; nutu perficit omnia. Hoc digito in lapideis tabulis lex primùm conſcripta, in monte Sina Moyſi eſt commendata. Numeri 11. ſcribitur Moyſi iuſſum eſſe, vt in viros ſeptuaginta, quos ipſe presbyteros iudicaret, de ſpiritu ſancto partiretur, vt in negotiis partem gererent ſolicitudinis: quibus cùm impoſuiſſet Moyſes manus, requieuit in eis ſpiritus ſanctus, qui non Moyſi ablatus eſt, quaſi ipſe ſine ſpiritu remaneret, vel idem ſpiritus ſecaretur in partes; ſed ſecundùm menſuram donationis diuinæ, quæ erat in Moyſe, gratia ſingularis facta eſt multiplex & communis: & data eſt multis in eo poteſtas, quod priùs ſolius Moyſi diſponebat authoritas. Sic Heliæ ſpiritum duplicem recepit Heliſeus: non quòd in duas ſubſtantias idem ſpiritus diuiſus ſit, & duos propheta ſanctus habuerit ſpiritus; ſed quòd Chriſtiano, cuius typum Heliſeus gerebat, accepto ſpiritu ſancto, data ſit poteſtas in opere & ſermone, & ad aſcendentem Heliam, id eſt, Chriſtum, pio deſiderio proſecutus, fide claruerit & intellectu, vita & ſignis, miraculis & exemplis. Hic ſpiritus ſacrorum ordinum eſt diſtributor, in pudicis mentibus ſibi ſtatuit manſionem, humiles, & cœlibes ſibi habet domeſticos, abominatur ærarios, falſarios deteſtatur. Hic omnibus eccleſiæ ſacramentis intereſt, quæ ipſe perficit, & conſumat. Hic peccata diluit, iuſtificat, & ad vitam reuocat mortuos. Hic diſcordes pacificat, & vinculo dilectionis adſtringit, & ligat. Hic nos cœlo inuehit, & à mundi huius vanitatibus auulſos, ſuperni regni conſtituit heredes.

Spiritus ſanctus anima mundi.

Arca Noe typus eccleſiæ.

Spiritus ſanctus eſt ſicut Sol.

Spiritus ſanctus vicit Magos in Ægypto.

Spiritus qui erat in Moyſe in 70. homines diuiſus.

Spiritus duplex Heliæ in Heliſeo.

Spiritus ſanctus omnia eccleſiæ ſacramenta conſummat.

Perſonarũ trinitas.

hæredes. Hic eſt ſpiritus à patre, filioq; procedens: deus, & non creatura: dominus, & nõ ſeruus.

Leo Papa.

Non minus eleganter, quàm eruditè Leo Papa ſpiritus ſancti diuinitatem, atq; virtutem in ſermonibus de ſpiritu ſancto proſequitur. In primo autem ſermone in die pentecoſtes, apertè profitetur ſpiritum ſanctum eſſe deum:

Spiritus ſanctus eſt deus.

O quàm velox eſt, inquit, ſpiritus ſapientiæ, vbi deus magiſter eſt! quàm citò diſcitur, quod docetur! Deinde oſtendit patris filij, ac ſpiritus ſancti vnam eſſe eſſentiam: Nemo, inquit, exiſtimet in iis quæ corporeis viſa ſunt oculis, diuinam eius apparuiſſe ſubſtantiam:

Spiritus ſancti natura eſt inuiſibilis.

Natura inuiſibilis, & patri filioq; communis, qualitatem muneris, atq; operis qua voluit, ſignificationem monſtrauit. Proprietatem verò eſſentiæ ſuæ in ſua deitate continuit: quia ſicut nec patrem, nec filium; ita nec ſpiritum ſanctum humanus poteſt viſus attingere: In trinitate enim nihil eſt diſsimile, nihil impar eſt, & omnia quæ de illa poſſunt ſubſtantia cogitari, nec virtute, nec æternitate diſcreta ſunt. Cùmq; in perſonarum proprietatibus, alius ſit pater, alius ſit filius, alius ſpiritus ſanctus; non tamen alia deitas, nec diuerſa natura eſt. Siquidem cùm de patre ſit filius vnigenitus, & ſpiritus patris filiiq; ſit ſpiritus; non ſicut quæcunq; creatura, ſed ſicut vtroq; viuens & potens, & ſempiternus, & ex eo quòd eſt pater filiusq; ſubſiſtens. Vnde dominus in Euangelio: Spiritus ſanctus de meo accipiet, & annunciabit vobis: Non enim alia ſunt patris, alia ſunt filij, alia ſpiritus ſancti: ſed omnia quæcunq; habet pater, habet filius, habet & ſpiritus ſanctus.

In beata nulla ſubſtantiæ diuerſitas.

In illa enim trinitate nulla tempora, nulli gradus, nullæ naturæ differentiæ cogitari debent: etſi nemo poteſt de ea explicare quid eſt, nemo audeat confirmare quod non eſt. Excuſabilius enim eſt de natura ineffabili non loqui digna, quàm definire contraria. Ideo enim hanc beatam trinitatem, vnum confitemur deum, quia in his tribus perſonis, nec ſubſtantiæ, nec potentiæ, nec voluntatis, nec operationis eſt vlla diuerſitas Porrò ſpiritus ſanctus eſt inſpirator fidei, doctor ſcientiæ, fons dilectionis, ſignaculum caſtitatis, totus eſt cauſa virtutis: ab ipſo ſunt lachrymæ, ab ipſo ſunt gemitus ſupplicantium, aduocatio patris, confeſsio filij: nemo ſiquidem poteſt dicere dominum Ieſum, niſi in ſpiritu ſancto: nemo peruenit ad indulgentiæ remedium, qui patrocinantem non habuit ſpiritum ſanctum:

Spiritus ſancti virtus.

quid enim oremus, neſcimus; ſed ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: quo quidem ſpiritu vacuari, nimis mortiferum eſt, quia nunquam veniam meretur, qui ab interceſſore deſeritur. Huius autem ſancti ſpiritus ab omnipotentia patris & filij, nunquam eſt diſcreta maieſtas: & quidquid in diſpoſitione rerum omnium agit diuina moderatio; ex totius venit prouidentia trinitatis. Vna eſt ibi benignitas miſericordiæ: vna cenſura iuſtitiæ: nec aliquid eſt in actione diuiſum; vbi nihil eſt in voluntate diuerſum. Quem ergo illuminat pater, illuminat filius, illuminat ſpiritus ſanctus. Cumq; alia ſit perſona miſsi, alia mittentis, alia promittentis; ſimul nobis & vnitas manifeſtatur, & trinitas; vt eſſentia habens æqualitatem, & non recipiens ſolitudinem, & eiuſdem ſubſtantiæ, & non eiuſdem intelligatur eſſe perſonæ. Quod ergo ſalua cooperatione inſeparabilis deitatis, quædam pater, quædam filius, quædam propriè ſpiritus exequitur; noſtræ redemptionis diſpoſitio, noſtræ ſalutis eſt ratio.

Proprietates perſonales.

Opus noſtræ reparationis, miſericordia eſt totius trinitatis, vt ſcilicet pater propitiaretur, filius propitiaret, ſpiritus ſanctus igniret. Ex quo patet, ſpiritum ſanctum verum deum eſſe.

CAP. VI.

Diui Hieronymi doctrina de ſpiritu ſancto.

QVoniam multùm intereſt fidei catholicæ, rectam de ſancta trinitate cognitionem habere; hac de cauſa Diui Hieronymi viri doctiſsimi, & ſanctiſsimi doctrinam in mediũ adducere curaui; vt fidelis quiſq; conſpiciat, quàm veriſsima de beata trinitate ſint dogmata Chriſtianæ religionis. Quæſt. 9. ad Hedibiam. Alium, inquit, paracletum dabo vobis: ſe dominus oſtendit

eſſe

eſſe paracletum,qui appellatur conſolator.Vnde & deus pater hoc cenſetur nomine,deus miſerationum,& totius conſolationis. Si autem & pater cōſolator,& filius conſolator,& ſpiritus conſolator eſt:& in nomine patris,filij,& ſpiritus ſancti, quod intelligitur deus, baptizantur credentes: quorum vnum diuinitatis & conſolatoris eſt nomen; eorum & vna eſt natura Hic ſpiritus ſanctus,non ſolùm in Apoſtolis,ſed etiam in prophetis fuit, de quo Dauid orabat dicens: Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me: & Daniel ſpiritum dei habuiſſe narratur:& Dauid in ſpiritu loquitur.Dixit dominus domino meo &c. Et iterum:Verbo domini cœli firmati ſunt:& ſpiritu oris eius,omnis virtus eorum.Proinde quicquid eſt patris & filij,hoc idem & ſpiritus ſancti eſt; abſq; enim ſpiritu ſancto imperfectum eſt myſterium trinitatis. Item ad Pammachium aduerſus errores Ioannis Ieroſolimitani: Sanctam,inquit,& adorandam trinitatem,eiuſdem ſubſtantiæ & coæternam,eiuſdem gloriæ & diuinitatis credimus.anathematizantes eos,qui grande aut paruum,aut inæquale,aut viſibile in deitate trinitatis quicquam loquuntur. ſed ſicut incorporalem,inuiſibilem æternum dicimus patrem:ſic incorporalem,inuiſibilem,& æternum dicimus filium,& ſpiritum ſanctum.Item ad Pammachium & Oceanum, dicit Lactantium perperam loqui de ſpiritu ſancto in epiſtolis ad Demitrianum:Iudaico,inquit,errore deceptus,ſpiritus ſancti negat ſubſtantiam inſtitutionum verò eius libros,quibus contra gentes ſcripſit fortiſſimè approbat.Dicit quoq; Origenem malè ſenſiſſe de filio,peiùs verò de ſpiritu ſancto,animarum de cœlo ruinas,impie protuliſſe,in cæteris verò omnes alios viciſſe.Mille & eo amplius tractatus,quos in eccleſia locutus eſt,edidit,innumerabiles præterea commentarios. Et lib.2. aduerſus Pelagianos:Prohibiti,inquit,ſunt à ſpiritu ſancto loqui verbum in Aſia.& iterum: Non dimiſit eos ſpiritus Ieſu. Nota, quòd ſpiritus Ieſu, ſpiritus ſanctus ſit,qui in alio loco propter vnitatem ſubſtantiæ, patris ſpiritus appellatur.Voluerunt loqui in Aſia,& prohibentur à ſpiritu ſancto. Tentant ire in Bithyniam,& non eos permittit ſpiritus Ieſu: In expoſitione autem illius dicti Apoſtoli Epheſ.4. Nolite contriſtare ſpiritum ſanctum dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis.Signati,inquit,ſumus ſpiritu dei ſancto,vt & ſpiritus noſter & anima imprimantur ſignaculo dei: & illam recipimus imaginem & ſimilitudinem, ad quam in exordio conditi ſumus Hoc ſignaculum ſancti ſpiritus, iuxta eloquium ſaluatoris, deo imprimente ſignatur.Hunc enim,ait,ſignauit pater deus,Ioan.6.Signatur ergo à patre ſpiritu ſignato,omnis,qui ex eo quòd credidit deo,ſignauit,quia verus eſt deus: qui idcirco ſignatur, vt ſeruet ſignaculum, & oſtendat illud in die redemptionis, purum atq; ſyncerum, & nulla ex parte mutilatum Et in caput primum eiuſdem epiſtolæ, qui eſt arrabo noſtræ hæreditatis: Arrabo,inquit,futuræ emptionis quaſi quoddam teſtimonium,& obligamentum datur: pro pignore verò mutua pecunia; vt cùm illa reddita fuerit,pignus à creditore reddatur. Et quomodo ex arrabone æſtimatur qualis emptio futura ſit,& quę poſſeſſio;ita quoq; ex arrabonis varietate,hæreditatis poſtea ſecuturæ magnitudo cognoſcitur. Quomodo autem arrabo,qui nobis tribuitur,non eſt extra nos, ſed intra nos eſt; ſic & ipſa hæreditas,hoc eſt,regnum dei quod intra nos eſt, in nobis verſatur intrinſecus. Iſte autem ſpiritus repromiſſionis ſanctus,qui eſt arrabo noſtræ hæreditatis, ideo nunc ſanctis datur;vt redimantur,& copulentur deo,in laudem gloriæ ipſius.Item,in explicatione illius ſententiæ Apoſtoli ad Galat.cap.3. Qui ergo tribuit vobis ſpiritum, hoc eſt,adminiſtrat,inquit,præſentis temporis eſt legendum; vt oſtendatur per ſingulas horas, atq; momenta ſemper dignis ſanctum ſpiritum adminiſtrari: & quantò quis in dei opere & amore profecerit;tantò magis ſancti ſpiritus in ſe habere virtutem. Item,ad Principiam virginem:Lingua mea,id eſt,ſpiritus ſanctus,vt ſcriba velox, qui in cordibus credentium velociter ſcribit,id eſt,infundit fidem ſanctæ trinitatis, & ſanctæ Chriſti humanitatis Itaq; mea lingua in ſimilitudinem ſcribæ velocis, qui quodam ſignorum compendio, breuiatum Euangelij ſermonem exarauit in tabulis cordis carnalibus. Item,exponens il-

Perſonarū trinitas

Spiritus ſanctus vnius naturæ cum patre & filio.

Spiritus oris dei.

Sine ſpiritu ſancto imperfectū eſt myſterium trinitatis.

Lactantij error.

Origenis error.

Librorum Origenis numerus.

Spiritus ſanctus ſignaculū.

Spiritus ſanctus eſt arrabo

Spiritus repromiſsionis.

Spiritus ſanctus ſingulis momentis datur dignis.

Spiritus ſanctus eſt ſcriba velox.

Perſonarũ trinitas

Spiritus ſanctus turturis & columbæ appellatione.

lud Canticorum: Vox turturis audita eſt in terra noſtra: Non ſine cauſa, inquit, in ſacrificiis aſſumitur par turturum, aut duo pulli columbarum: nam idem valent, & nunquam dictum eſt ſeparatim par tantùmmodo columbarum, ſed par turturum, & duos pullos columbarum. Columba ſpiritus ſanctus eſt. ſpiritus autem ſanctus, quando de magnis, & occultioribus ſacramentis, & quæ multi capere non poſſunt, loquitur; in turturis appellatione ſignatur, id eſt, in eius auis, quæ ſemper in montium iugis, & in arborum verticibus commoratur; in vallibus autem & in his quæ ad homines vſq; perueniunt, columba aſſumitur. Deniq; Saluator eſt dignatus aſſumere, & venit ad terras: multiq; tunc circa Iordanem peccatores erant. Idcirco ſpiritus ſanctus, non in turturis ſed in columbæ forma viſus eſt.

Turtur.

Columba.

Spiritus ſancti dona in Chriſto.

Valde autem appoſitè dicitur, ſpiritus ſanctus Deus eſt & non creatura, dominus & non ſeruus, quòd in Chriſto homine pleniſſimè quieuerit. Apprehendent, inquit Iſa. cap. 4. ſeptem mulieres virum vnum, id eſt, ſeptem gratiæ ſpiritus ſancti apprehendent Ieſum, quem multo tempore deſiderauerant; quia nullum alium potuerant inuenire, in quo æterna ſtatione requieſcerent. Ioan. 1. Super quem videris ſpiritum ſanctum deſcendentem, & manentem ſuper eum, ipſe eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Zacharias propheta vidit ſuper lapidem vnum ſeptem oculos, & in vno candelabro aureo ſeptem lucernas, & ſeptem ſuffuſoria, cap. 3. Et cap. 11. Et requieſcet ſuper eum ſpiritus domini. Euangelium quo vtuntur Nazarei, ſic habet: Deſcendet ſuper eum omnis fons ſpiritus ſancti. Et 42. Ecce puer meus, quem elegi, ponam ſpiritum meum ſuper eum. Et ca. 47. Spiritus ex me egredietur, id eſt, ſpiritus ſanctus, qui in principio ferebatur ſuper aquas, & viuificabat omnia, qui de patre egreditur, & propter ſocietatem naturæ, à filio mittitur, dicente: Expedit vobis, vt ego vadam: niſi enim iero, paracletus non veniet ad vos; ſin autem ego iero, mittam eum ad vos. Ne ſcandalizet quempiam, ſi ſpiritus egredi dicatur ex patre, cùm filius de ſe dixerit Ioan 16. Ego de patre exiui, & veni in mundum. Hic eſt ſpiritus de quo ſcribit Moyſes Numeri 11. Det dominus ſpiritum ſuum ſuper populum ſuum. Ioel. 2. Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ. Similiter Zacharias 1. cap. Verumtamen, inquit, verba mea, & legitima mea ſuſcipite, quæ ego præcipio in ſpiritu meo ſeruis meis prophetis. Et cap. 12. Effundam ſuper Ieruſalem ſpiritum gratiæ & miſerationis. cap. 49. Iſaiæ. Veniet quaſi fluuius violentus, ſcilicet ſpiritus ſanctus: ſic enim legimus in actis Apoſtolorum cap. 2 Factus eſt ſubitò de cœlo ſonus, quaſi ſpiritus violentus &c. Hoc ſpiritu ſignauit pater Deus ſuum dilectum dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Ioan. 6. Veniet qui liberet, & auertat impietates Iacob. cap. Iſa. 63. Quaſi animal in campo deſcendens ſpiritus domini, ductor eius fuit. Iſte eſt ſpiritus ſanctus, de quo in Actis Apoſtolicis cap. 5. Quare conuenit vobis mentiri ſpiritui ſancto? Non eſtis hominibus mentiti, ſed Deo. Igitur ſpiritus ſanctus eſt Deus. Iſte eſt ſpiritus ſanctus, de quo & in ſapientia reperimus. cap. 1. Sanctus enim ſpiritus diſciplinæ fugit dolum: & recedit à cogitationibus ſtultis. In expoſitione autem illius authoritatis Ioelis 2. Effundam de ſpiritu meo &c. Sine ſpiritu ſancto, inquit, & myſterio trinitatis, quicquid in vnam, & alteram perſonam accipitur, imperfectum eſt. Ex his ergo, & ſimilibus ſcripturis, quas D. Hieronymus interpretatur, animaduertere licet, ſpiritum ſanctum eſſe verum Deum ita; vt ſine ipſo imperfectum ſit myſterium trinitatis.

Septem mulieres apprehenderunt virum vnum.

Scripturæ de ſpiritu ſancto

Spiritus fluuius violentus.

Spiritus ſanctus recedit à cogitationibus ſtultis.

CAP. VII.

Diui Ambroſii doctrina de ſpiritu ſancto.

CVm D. Ambroſius ex profeſſo de diuinitate ſpiritus ſancti loquatur tribus egregiis libris ad Gratianum Auguſtum; eò libentiùs ex eo aliquid decerpere curaui, quò vberiùs vidi de hac re fuiſſe locutum. In primo autem cap. primi libri, egregiè diſputat, ſpiritum ſanctum non eſſe connumerandum

Perſonarũ trinitas

dum inter creaturas, neque inter omnia, ſed ſuper omnia. Spiritus ſanctus, inquit, non eſt poteſtati alienæ ſubiectus, aut iuri, Pſalmo. 118. Omnia ſeruiunt tibi. Spiritus hoc dixit per prophetam, non dixit, ſeruimus tibi, ſed ſeruiunt tibi; vt crederes, quòd ipſe à ſeruitio ſit exceptus. Ergo cùm vniuerſa ſeruiant, non ſeruiat ſpiritus; vtiq; inter vniuerſa non eſt ſpiritus ſanctus: alioqui quomodo ſpiritus ſanctus ſcrutatur profunda Dei? 1. Cor. 2. Etenim cùm ex deo ſpiritus ſit, & ſpiritus oris eius; quomodo poſſumus inter omnia dicere ſpiritum ſanctum, cùm ſuper omnia deus ſit, cuius eſt ſpiritus, plenæ vtique perfectæq; virtutis? Cùm venerit paracletus, inquit dominus in Euangelio Ioan. 15. quem ego mittam vobis à patre meo, ſpiritum veritatis, qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Etenim ſpiritus ſanctus teſtis eſt fidelis, & verus; quo nihil ad expreſſionem diuinæ veritatis, atq; maieſtatis eſt plenius, nihil ad vnitatem diuinæ maieſtatis euidentius; cùm idem nouerit ſpiritus quod & filius, qui paternorum teſtis, & conſors diuinorum ſecretorum eſt. Excluſit itaq; à cognitione dei ſocietatem, & multitudinem creaturæ: non excludendo autem ſpiritum ſanctum, oſtendit non eſſe ſocium creaturæ: Ioannes dicit in Euangelio cap. 1. Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus, qui erat in ſinu patris, ipſe enarrauit nobis. Excipitur ſpiritus ſanctus, alioqui quomodo ſcrutatur profunda dei, ſi deum non videt? Quomodo deum non videt, qui eſt ſpiritus, qui à patre, filióque procedit? Si ergo à creaturis exceptus eſt ſpiritus ſanctus: igitur eſt ſuper omnia, quia exceptus eſt ab omnibus. Sed aliquis dicet, ſpiritus ſanctus inter omnia numerandus eſt, quia ſcriptum eſt in Euangelio Ioan. cap. 1. Per quem facta ſunt omnia. Omnia quidem per filium facta ſunt, quæ facta ſunt: ſed ſpiritus ſanctus non eſt factus, ſicut omnia, nec creatus. Quòd ſi non excipis ſpiritum ſanctum, neq; excipies filium vbi Apoſtolus ait, 1. Cor. 8. Nobis tamen vnus Deus pater ex quo omnia, & nos in illum. Vt autem ſcias, quia inter omnia non ſit filius, lege ſequentia: Et vnus dominus Ieſus per quem omnia: aliter cõfundes myſteriũ trinitatis: te enim oporteret aſſerere, patrẽ eſſe à filio, quia per filium omnia. Eiuſdem autem eſt impietatis, vel patri, vel filio, vel ſpiritui ſancto derogare. Non enim credit in patrem, qui non credit in filium: nec credit in filium, qui non credit in ſpiritum ſanctum. Sed dices, qua ratione cùm dixerit hîc ex patre omnia, & per filium, de ſpiritu tacuerit? Dicito mihi & tu, qua ratione Rom. 5. ſcribitur: Charitas dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum, qui datus eſt nobis? Nunquid à ſolo ſpiritu ſancto diffunditur charitas in cordibus noſtris? Minimè. Igitur, ſicut qui benedicitur in Chriſto, benedicitur in nomine patris, filij, & ſpiritus ſancti; quia vnum nomen eſt, poteſtas vna: ita etiam, vbi operatio aliqua diuina, aut patris, aut filij, aut ſpiritus ſancti deſignatur; non ſolùm ad ſanctum ſpiritum, ſed etiam ad patrem refertur & filium. Itaq; ſi minuas patris, aut filij, aut ſpiritus ſancti poteſtatem, vacuum eſt omne myſterium: ſi vnum neges, totum ſubrues. Vnitas ergo operationis eſt in tribus, quæ ſeparari non poteſt. Quòd ſi hoc loco ſeparatur ſpiritus ab operatione patris & filij, quia dictum eſt: Ex deo omnia, & per filium omnia: ergo & ibi, quia Apoſtolus de Chriſto dixit 9. Rom. Qui eſt ſuper omnia deus benedictus in ſecula. Rom. 9. Non ſolùm eum creaturis omnibus, ſed etiam patri, quod dictu nefas eſt, prætulit. ſed abſit: non enim inter omnia pater, ſed ſupra omnia diuinitas patris, filij, & ſpiritus ſancti. Porrò, quæ eſſent illa omnia, quæ facta ſunt à filio, Apoſtolus explicat Coloſſ. 1. Quoniam in ipſo condita ſunt, quæ in cœlis, & quæ in terris, viſibilia, & inuiſibilia: ſunt enim in cœlis etiam inuiſibilia quæ facta ſunt, nempè throni, dominationes, principatus, poteſtates: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant. Nunquid ergo hîc inter creaturas ſpiritum ſanctum comprehendit? Minimè. Nam ſicut per filium dicit omnia creata; ita etiam in ſpiritu ſancto vires habere vniuerſa cœleſtia, regius Propheta proteſtatur Pſal. 32. Verbo domini, inquit, cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Item, Math. 12. Qui blaſphemauerit in ſpiritum ſanctum, non remittetur ei. Senſus

Spiritus ſanctus non eſt inter omnia, ſed ſuper omnia.

Spiritus ſanctus non eſt ſocius creaturæ.

Spiritus ſanctus non eſt factus.

Sine ſpiritu ſancto vacuũ eſt omne myſterium.

Spiritus ſancti blaſphemiæ non remittuntur.

Perſonarú trinitas

eſt: Si quis ſpiritus ſancti dignitatem, maieſtatem, & poteſtatem abneget ſempiternam, & putet non in ſpiritu dei eiici dæmonia, ſed in Beelzebub; non poteſt ibi exoratio eſſe veniæ, vbi ſacrilegij plenitudo eſt. Eſt ergo ſpiritus ſanctus deus, & non creatura. Nam ſi quis alicui creaturæ derogauerit, veniam tandem conſequetur, ſicut qui adorauerunt

Spiritum ſanctum qui negat, patrem, & filium negat.

militiam cœli. Qui ergo negat ſpiritum ſanctum, negat & Deum patrem, negat & deum filium: quoniam idem eſt ſpiritus dei, qui ſpiritus Chriſti: Vnus enim eſt pater, vnus filius vnus ſpiritus ſanctus, de quo in pſalmo 138. Quò ibo à ſpiritu tuo? Et Apoſt. 1 Cor. 12. Nemo in ſpiritu dei loquens, dicit anathema Ieſu: Et nemo dicit dominum Ieſum, niſi in ſpiritu ſancto. Rom. 8 Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu, ſi ſpiritus dei habitat in vobis: ſi quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Spiritus ſanctus, ſpiritus dei. ſpiritus Chriſti, vnus ſpiritus, deus, & non creatura: omnis enim creatura mutabilis

Spiritus ſanctus non mutatur.

eſt, ſpiritus autem ſanctus nõ mutatur: neq; enim aliquo vitio mutari poteſt, qui omnium abolet vitia, & peccata condonat. Quomodo ergo mutabilis erit, qui ſanctificando alios mutat ad gratiam? Quomodo mutabilis, qui bonus ſemper eſt? Dabit, inquit Lucas Euangeliſta, ſpiritum bonum petentibus ſe. Pſal. 142. Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam. Spiritus complens, ſed qui ſolis participetur iuſtis. Simplex ſubſtantia, opulens

Spiritus ſanctus vbiq; totus.

virtutibus, vnicuiq; præſens, diuidens de ſuo ſingulis, & vbiq; totus. Meritoq; filius dixit: Ite baptizate gentes in nomine patris, filij, & ſpiritus ſancti, non dedignatus ſpiritus ſancti ſocietatem. Spiritus bonus, non quaſi acquirens, ſed impartiens bonitatem: non accipiens aliquid à creaturis, ſed qui accipitur à creaturis: ſicut non ſanctificatur; ſed ipſe ſanctificat: creatura enim ſanctificatur. Spiritus ſanctus ergo non eſt creatura. Ioannes

Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, aqua, ſanguis & ſpiritus.

in ſua prima canonica cap. 5 Tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, aqua, ſanguis, & ſpiritus: aqua teſtis eſt ſepulturæ, quia in illo ſepelimur elemento, vt renouati per ſpiritum reſurgamus: ſanguis teſtis eſt mortis Chriſti: ſpiritus teſtis eſt vitæ: Si qua ergo in aqua gratia; non ex natura aquæ, ſed ex præſentia ſpiritus ſancti. Non ergo inter creaturas connumerandus, qui ſanctificat creaturas. Sanè, omnis creatura, certis naturæ ſuæ eſt circumſcripta limitibus: at ſpiritus ſanctus, nullis clauditur locis, aut finibus circumſcribitur: Quò ibo à ſpiritu tuo, dicebat Dauid Pſalm. 138. quis igitur dubitet, ſpiritum ſanctum vbiq; eſſe totum, & totum nobis infundi? Quòd ſi ita res ſe habet, vt manifeſtè ſcriptura proteſtatur; proculdubio ſpiritus ſanctus verus deus eſt. Cœlum & terram ego compleo, dicit dominus Ieremiæ 23. Si ergo dominus eſt, qui cœlum complet, & terram; quis poteſt ſpiritum ſanctum iudicare dominationis, & diuinæ poteſtatis exortem, qui repleuit orbem terrarum, qui repleuit dominum Ieſum, ſicut ſcriptum eſt: Ieſus autem

Spiritus ſanctus ſpiritus plenitudinis.

plenus ſpiritu ſancto, regreſſus eſt à Iordane? Quis igitur alius, niſi qui eiuſdem eſſet plenitudinis, complentem omnia poſſet implere? Repleti ſpiritu ſancto loquebantur verbum dei cum fiducia: actorum 4. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, dixit Gabriel Archangelus intemeratæ virgini Mariæ. Spiritus ſanctus ergo eſt ſpiritus plenitudinis, quod diuinum eſt, & ſupra virtutem creaturarum. Ioan. cap. 4. Ex hoc cognoſcimus, quia manet

Spiritus ſanctus eſt æternus.

in nobis, de ſpiritu quem dedit nobis. Quod autem manet, ſemper vtiq; eſt, nunquam mutatur. Ergo ſi mutationem non habet, æternitatem habet. Et ideo ſpiritus ſanctus ſempiternus eſt: creatura autem obnoxia vitio, ideoq; mutabilis, & non ſempiterna. Igitur ſpiritus ſanctus non eſt creatura. Item ſpiritus ſanctus vocatur oleum lætitiæ, Pſal. 44. Vnxit

Spiritus ſanctus oleum lætitiæ.

te deus, deus tuus oleo lætitiæ. Et actorum 10. Quomodo vnxit eum deus ſpiritu ſancto? Pulchrè autem oleum lætitiæ dicitur, ne creaturam eum putares: olei enim huiuſmodi natura, nequaquam naturæ alterius humido miſcetur: lætitia quoq; non corpus vngit, ſed intima cordis illuminat, ſicut propheta dixit Pſal. 4. Dediſti lætitiam in corde meo.

Spiritus ſanctus eſt fons aquæ ſalientis

Sicut ergo ludit operam, qui oleum vult cum creatura humidiore confundere; ita planè, qui ſpiritum vult cum creaturarum natura miſcere: Dominus in Euangelio Ioan dicit cap. 4. Fiet in eo fons aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam. Hic fons vtiq; gratia ſpiritualis eſt.

lis eſt, fluuius de viuo fonte procedens, Ioan.7. Flumina fluent de ventre eius aquæ viuæ. Quibus ex verbis animaduertimus diuinæ ſignificari magnitudinis vnitatem: eiusdemq́ naturæ, eiusdemq́ poteſtatis ſpiritum ſanctum cum patre, & filio eſſe. Non eſt ergo creatura, neq; ſeruus ſpiritus ſanctus; ſed Deus verus, & creator verus. Apoſt. 1. Ro creaturam creatoremq́ diuiſit: Seruierunt, inquit, creaturæ, potiùs quàm creatori. Phil. 3. Nos enim, inquit, ſumus circũciſio, qui ſpiritu deo ſeruimus ſic habẽt Codices Græci. οἱ πνεύματι θεῷ λατρεύοντες. id eſt, qui ſpiritu deo ſeruimus: Ergo cùm ſeruiendũ dicat ſpiritui, idẽ Ap. qui non creaturæ, ſed creatori aſſerit ſeruiendum, euidenter vtiq; & ipſe ſanctũ oſtendit ſpiritũ creatorem, & in æternæ diuinitatis honore venerandum, quia ſcriptũ eſt: Dominum deum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Matt. 4. Sed aliquis poſſet nobis obijcere illud Amos: Ego Deus firmans tonitruum, & creans ſpiritum, faciens lucem & nebulam: igitur ſpiritus ſanctus eſt creatura. Soluitur, ſcriptura in eo loco loquitur de ſpiritu, ſiue flatu ventorum, non de ſpiritu ſancto. Ipſa enim dictorum ſeries potiſsimum ventum, non ſpiritum ſanctum indicat. Nam ſi de ſpiritu ſancto dicere voluiſſet, non de tonitruo vtiq; præmiſiſſet: neq; enim antiquiora ſunt tonitrua, quàm ſpiritus ſanctus. Deinde cùm ſubiectum eſſe videamus de luce, & de nebula; nónne manifeſtum eſt, quòd de creatura mundi dictum intelligendum ſit? Firmans tonitruum, inquit, & creans ſpiritum; quia frequenter creantur iſta, cùm fiunt, ſpiritus autem ſanctus æternus eſt. Item, pater creator eſt dominicæ incarnationis, ſicut ſcriptum eſt: Dominus creauit me. Filius creator eſt dominicæ incarnationis: Prouerb: 7. Sapientia ædificauit ſibi domum. Spiritus ſanctus quoq; creator eſt dominicæ incarnationis, Matt. 1. Inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu. Ergo ſpiritus ſanctus, qui creauit dominicæ incarnationis ſacramentum, quod ſuper omnes eſt creaturas, quomodo eſſe poterat creatura? Item, Spiritus eſt creator noſter ſecundùm gratiæ ſacramentum: dicente Paulo 2. Eph. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis. Ioan. explicat huius gratiæ ſacramentũ: Quod natum eſt ex carne, inquit, caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Claret igitur noſtræ regenerationis authorem eſſe ſpiritum ſanctum, qua ſecundùm deum creamur, vt filij dei ſimus. Ergo cùm ille nos in regnum ſuum per adoptionem ſacræ regenerationis aſſumpſerit; nos ei quod ſuum eſt denegare non debemus. Ille nos ſupernæ regenerationis fecit hæredes; nos hæreditatem vendicamus, refutare debemus authorem? Abſit. Renouamini, inquit Apoſtol. 4. Eph. Spiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundùm deum creatus eſt in veritate, & iuſtitia, & ſanctitate. Si itaq; qui renouatur ſpiritu mentis, induit nouum hominem, qui ſecundùm deum creatus eſt: ſancti ſpiritus igitur opus eſt regeneratio iſta præſtantior: & noui hominis, qui creatus eſt ad imaginem dei, author eſt ſpiritus. Item, vna eſt voluntas patris, filij, & ſpiritus ſancti, vna vocatio, vna præceptio. Pater dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam: filius vocauit Paulum, ſicut ipſe dicit: Paulus vocatus Apoſtolus non ab hominibus; ſed per Ieſum Chriſtum: ſpiritus ſanctus vocat: Separate, inquit, mihi Paulum & Barnabã, ad opus, ad quod aſſumpſi illos. In actis Apo. ca. 11. Quod Deus mundauit, tu ne commune dixeris ſubitò decidit ſuper gentes iſte Deus mundans, nẽpè ſpiritus ſanctus. vnde oſtenditur operationem ſpiritus ſancti, operationem eſſe diuinam. Petrus autem miſſus, non expectauit imperium patris, ſed ſancti ſpiritus diuinitatem confeſſus eſt: Ego, inquit, quis eram, qui prohiberem Deum? Et cap. 15. eiusdem libri: Deus qui nouit corda hominum, inquit, teſtimonium perhibuit, dans his ſpiritum ſanctum, ſicut & nobis, & nihil diſcreuit inter nos & illos, mundans per fidem corda eorum. Si ſpiritus ſanctificat, ſi mundat corda hominum; vtiq; Deus, & non creatura: hæc enim non niſi à ſolo deo fieri poſſunt. Item Matt. 11. Nemo nouit filium, niſi pater, neq; patrem quis nouit, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. Plus dixit de filio, non quòd plus habeat quàm pater, ſed ne minus habere credatur. Nouit deum patrem ſpiritus ſanctus; quia

Spiritus ſanctus eſt creator.

Obiectio.

Solutio.

Spiritus S. creator dominicæ incarnationis.

Spiritus eſt creator gratię

Spiritus ſancti opus eſt noſtra regeneratio.

Spiritus ſanctus eſt verus Deus.

Perſonarũ Trinitas.

ſcriptum eſt 1. Cor. 2. Quæ ſunt dei, nouit ſpiritus dei. Nemo, inquit, cognoſcit, niſi ſpiritus dei. Non tamen filium excluſit; alioqui non eſſet verum quod dictum eſt: Nemo nouit patrem, niſi filius: Ergo vnius, & pater, & filius, & ſpiritus ſanctus, & naturæ ſunt, & ſcientiæ. Eſt ergo Spiritus Sanctus Deus.

CAP. VIII.

Diui Gregorij Papæ doctrina de diuinitate Spiritus Sancti.

Spiritus ſanctus eiusdem diuinitatis cũ filio.

DE Spiritus Sancti diuinitate D. Gregorius lib. moralium. 2. cap. 41. Super quem videris, inquit, ſpiritum deſcendentem, & manentem, hic eſt qui baptizat. In cunctis namq; fidelibus ſpiritus venit: ſed in ſolo mediatore ſemper ſingulariter permanet; quia eius humanitatem nunquam deſeruit, ex cuius diuinitate procedit: in illo igitur manet, qui ſolus & omnia ſemper poteſt. Itaq; ſi ſpiritus procedit ex diuinitate Chriſti, iuxta illud: Quia de meo accipiet, & annunciabit vobis: igitur ſpiritus ſanctus eſt verus Deus, & non creatura. Fideles autem cùm hunc accipiunt ſpiritum, quoniam ſignorum dona ſemper habere non poſſunt, hunc ſe accepiſſe quaſi in tranſitus oſtenſione, proteſtantur. 4. Reg. 4. Dimitte eam, inquit Heliſeus, anima enim eius in amaritudine eſt, & dominus celauit à me verbum. Amos propheta non dixit cap. 7. Non ſum propheta, neq; filius prophetæ; ſed armentarius puer ego ſum, vellicans Sycomoros. Quomodo autem propheta non fuit, qui de futuris tot vera prædixit? Aut quomodo propheta fuit, ſi de ſe in præſenti vera denegauit? Sed quia eadem hora, qua requiſitus eſt, prophetiæ ſibi ſpiritum deeſſe ſenſit, de ſemetipſo teſtimonium veraciter intulit, dicens: non ſum propheta. Qui tamen ſecutus, adiunxit: Et nunc audi verbum domini &c. Itaq; prophetiæ ſpiritus, non ſemper adeſt prophetis. Cap. 42. ponit duplicia dona ſpiritus ſancti. Alia, inquit, ſunt dona ſpiritus ſancti, ſine quibus ad vitam nequaquam pertingitur, alia quibus vitæ ſanctitas pro aliorum vtilitate declaratur: manſuetudo namq;, humilitas, patientia, fides, ſpes, charitas, dona eius ſunt; ſed ea, ſine quibus homines ad vitam nequaquam peruenire poſſunt. Alia autem dona ſancti, puta prophetiæ, virtus curationum, genera linguarum, interpretatio ſermonum, & huiusmodi, ſunt ad correctionem intuentium ordinata. In his igitur donis, ſine quibus ad vitam perueniri non poteſt, in ſuis electis ſpiritus ſanctus ſemper manet: in aliis autem non ſemper manet: in mediatore autem dei & hominum ſemper manet, quia de eius ſubſtantia procedit. In cunctis enim eum ſemper habet præſentem, quia ex illo idem ſpiritus per ſubſtantiam profertur: in aliis hominibus per gratiam manet: in Chriſto autem per ſubſtantiam manet ad cuncta. Igitur ſpiritus ſanctus eſt verus Deus. Fulgentius quoq; lib. 2. Si quis diligit me, inquit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. ſicut ergo pater & filius nusquam quidem deſunt, et tamen ad quem volunt, veniunt, per gratiam enim veniunt, qui per potentiam nusquam deſunt; ſic etiam in miſsione, vel aduentu ſpiritus ſancti, nullus localis illius accipiendus eſt motus, ſed noſtræ credendus eſt ſanctificationis effectus. Præterea, de patre propheticus ſermo loquitur: Cœlum & terram ego impleo. De filio autem: Attingit à fine vsq; ad finem, & diſponit omnia ſuauiter. In filio quoque omnia condita eſſe, docet Apoſtolus, & omnia in ipſo conſtare. De ſpiritu ſancto etiam legitur: Spiritus domini repleuit orbem terrarum. Propter quod & Dauid ſanctæ trinitatis vnā ſubſtantialiter æternitatem, atque immenſitatem non ſolùm corde credens ad iuſtitiam; quam etiam ore confitens ad ſalutem, ſic cecinit: Quò ibo à ſpiritu tuo, & à facie tua quò fugiam? Cùm ergo tota trinitas vnitate deitatis ſuæ, naturaliter immenſa, infinitaq; permaneat.

Spiritus prophetiæ non ſemper adeſt prophetis.

Spiritus ſancti dona duplicia.

Fulgentius.

Spiritus domini repleuit orbem terrarũ.

Perſonarũ trinitas.

maneat vbique tota, nec vniuerſitate totius poſſit concludi creatura; abſque dubio, ſpiritus ſanctus inter creaturas numerari non debet. Iſte eſt ſpiritus veritatis, quem mundus non poteſt accipere. Ioan. 14. Iſte eſt ſpiritus adoptionis, in quo clamamus Abba. Rom. 8. In iſto ſpiritu præcipit fidelibus, qui ſunt templum ſpiritus ſancti, vt orent, atq; in ipſo vigilent. In iſto ſpiritu, qui naturaliter eſt Deus, nihil corporale cogitare debemus, nihil locale, nihil temporale, nihil mutabile. Eſt ergo Deus, & non creatura: omnis enim creatura mutabilis eſt, Deus autem immutabilis eſt Quia ego Deus, & non mutor. Nam & Sol tantus eſt, cùm videtur ab oculis ſanis, quantus cum videtur à ſauciis: nec minuitur ipſe, cùm minus ab oculis turbatis percipitur: nec augetur, cùm amplius oculis ſanis infunditur; quia diuerſitas illa viſionis, non ex diuerſitate Solis euenit; ſed in diuerſitate ſanitatis, infirmitatisq́; conſiſtit. et quamuis vnum minus, alterum magis illuminet; ipſe tamen vnum, atq; idem in ſe lumen habet. Sic etiam ſpiritu ſancto, in ſe ſine augmento, aut detrimento immutabiliter permanente, huic minus, alteri maius ſua dona diffundit. Cùm ergo ſpiritus ſanctus augmenti, atq; decrementi ſit expers: igitur eſt Deus, & non creatura: omnis enim creatura augmenti, atque decrementi viciſſitudini ſubiacet. Per hunc ſanctum ſpiritum compagmatur vnitas eccleſiæ cum ſuo capite Chriſto, & cum ſuis fidelibus, qui ſunt membra Chriſti, templum verò ſpiritus ſancti Etenim in vno ſpiritu, in vno corpore baptizati ſumus, ſiue iudæi, ſiue gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes vnum ſpiritum potauimus. Ipſa ergo gratia ſpiritus ſancti per vnitatem pacis & charitatis, corpus Chriſti per dies ſingulos ædificare non deſinit Ergo non ſumus hoſpites & aduenæ, ſed ciues ſanctorum, & domeſtici dei, ſupraædificati ſupra fundamentum apoſtolorum, & prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum, in domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum dei in ſpiritu ſancto. Hæc autem ædificatio in ſpiritu, eſt ad conſumationem ſanctorum, vt dicitur 4. Eph. In opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem filij dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.

Spiritus ſanctus naturaliter eſt Deus.

Spiritus ſanctus eſt cauſa vnitatis eccleſiæ.

CAP. IX.

Diui Auguſtini doctrina de deitate Spiritus ſancti.

AD ſancti ſpiritus diuinitatem ſtatuendam accedit locuplex teſtis, ne ..e Diuus Auguſtinus, qui in primo libro de trinitate, cap. 6. ita egregiè quorundam argumenta confutat. Idololatræ, inquit, dicuntur, qui ſimulachris eam ſeruitutem exhibent, quæ debetur deo. ſecundùm hanc enim dictum eſt Matth. 4. Dominum Deum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Nam & hoc diſtinctiùs in ſcriptura Græca inuenitur, λατρεύσεις: tali ſiquidẽ ſeruitute creaturæ ſeruire prohibemur. vnde & Apoſt. deteſtatur quosdam, Ro. 1. Seruierunt creaturæ, & non creatori: non eſt igitur creatura ſpiritus ſanctus, cui ab omnibus ſanctis talis ſeruitus exhibetur. Nos, inquit, Apoſt. ad Philip. 3. ſumus circumciſio, ſpiritui deo ſeruientes. Præterea, 1. Cor. 6. Neſcitis quia corpora veſtra templum ſunt ſpiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à deo? Quid autem inſaniùs, magisq́; ſacrilegum eſt, quàm vt quiſq; dicere audeat, membra Chriſti, templum eſſe creaturæ minoris ſecundùm ipſos, quàm Chriſtus eſt? Alio autem loco dicit: Corpora veſtra membra ſunt Chriſti. ſi autem quæ membra ſunt Chriſti, templum ſunt ſpiritus ſancti; non eſt creatura ſpiritus ſanctus: quia cui corpus noſtrum templum exhibemus, neceſſe eſt, vt huic eam ſeruitutem debeamus, qua nõ niſi deo ſeruiendum eſt. vnde conſequenter dicit: Glorificate ergo, & portate deum in corpore veſtro. Item, lib. 2. de trinitate cap. 6. Operatio viſibiliter expreſſa, &

Spiritus ſanctus non creatura.

Perſonarũ Trinitas.

Spiritus ſanctus eſt inuiſibilis & immutabilis ſicut pater & filius

oculis oblata mortalibus, ſicut in flatu vehementi, miſſio ſpiritus ſancti dicta eſt: non ita, vt appareret eius ipſa ſubſtantia, qua & ipſe inuiſibilis & incommutabilis eſt, ſicut pater & filius; ſed vt exterioribus viſis hominum corda commota a temporali manifeſtatione venientis, ad occultam æternitatem ſemper præſentis conuerterentur. Ideo autem nuſquam ſcriptum eſt, quòd Deus pater maior ſit ſpiritu ſancto, vel ſpiritus ſanctus ſit minor deo patre: quia non ſic eſt aſſumpta creatura, in qua appareret ſpiritus ſanctus, ſicut aſſumptus eſt filius hominis, in quo perſona verbi, eſt perſona hominis. Proinde nõ ita poſſumus dicere ſpiritum ſanctum, & deum, & columbam, & ignem eſſe; ſicut dicimus filium dei, & deum, & hominem eſſe. Nec ſic dicimus filium dei, agnum dei, ſicut legitur Apocalyp 5. Vidi agnum tanquam occiſum. Illa quippè viſio prophetica non exhibita eſt oculis corporeis per formas corporeas; ſed in ſpiritu per ſpirituales imagines corporum. Et cap. 3. eiuſdem libri, explicans illud Ioan: 16. De meo accipiet & annunciabit vobis Ne autem fortaſſe crederetur ita natus de Chriſto ſpiritus ſanctus, quemadmodum ille de patre; reddidit cauſam. Omnia quæcunque pater habet, mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet; vt intelligatur etiam ſpiritus ſanctus de patre habere ſicut & filius. Procedendo igitur filius à patre, dicit Ioan. 5. non poteſt à ſe facere quicquam; niſi quæ viderit patrem facientem, neque ex hoc minor eſt patre. Similiter dicitur de ſpiritu ſancto: Nõ loquetur à ſemetipſo, quia à patre filioq́; procedit: nec ideo minor eſt patre & filio, quia dictum eſt: Non loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet, loquetur. cap. 4. eiuſdem libri de trinitate. In euangelio Ioan. cap. 17. legimus: Pater clarifica me: non propterea putandum eſt, patrem filio eſſe maiorem: nam filius de ſpiritu ſancto loquens: Ille, inquit, me clarificabit: nec tamen maior eſt filio. Porrò autem, ſi propterea ſpiritus ſanctus clarificat filium, quia de filio accipit, & ideo de eius accipit; quia Omnia quæ habet pater, ipſius ſunt: manifeſtum eſt, quia cùm ſpiritus ſanctus glorificat filium, pater glorificat filium. vnde cognoſcitur, quòd omnia quæ habet pater, non tantùm filij, ſed etiam ſpiritus ſancti ſunt, quia potens eſt ſpiritus ſanctus glorificare filium, quem glorificat pater. Igitur Deus verus eſt, & non creatura. Item vbique eſt Deus, quia cœlum & terram ego impleo, dicit dominus Ier. 23. Spiritus S. eſt vbiq́; Pſalm. 138. Si aſcendero in cœlum, tu ibi es, ſi deſcendero ad infernum, ades: vbiq́; volens intelligi præſentem deum, quem priùs ſpiritum ſanctum nominauit: Quò ibo, inquit, à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? igitur ſpiritus ſanctus eſt Deus. Lib. autem 4. de trinitate cap. vlt. Planè, inquit, fidenter dixerim patrem, & filium, & ſpiritum ſanctũ vnius eiuſdemq́; ſubſtantiæ, deum creatorem, trinitatẽ omnipotentem, inſeparabiliter operari. Item lib. 5. de trin: cap. 14. Si quod datur, ſcilicet ſpiritus S. principiũ habet eum, à quo datur: quia non aliunde accepit illud, quod ab ipſa procedit: fatendũ eſt, patrem & filium principiũ eſſe ſpiritus ſancti, non duo principia: ſed ſicut pater & filius vnus Deus, & ad creaturam relatiuè vnus creator & vnus dominus; ſic relatiuè ad ſpiritũ ſanctum, vnũ principium: ad creaturam verò pater, filius, & ſpiritus S. vnum principiũ, ſicut vnus creator, & vnus dominus. Lib. 6. de trinit. ca. 5 Spiritus ſanctus, inquit, in eadem vnitate ſubſtantiæ, & æqualitate cum patre & filio conſiſtit. Illæ tres perſonæ, Deus vnus, ſolus, magnus, ſapiens, ſanctus, beatus: nos autem ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo beati. Spiritus ergo ſanctus commune aliquid eſt patris & filij, quicquid illud eſt. At ipſa communio conſubſtantialis & æterna, quæ aptiſſimè dicitur charitas: & hæc quoque ſubſtantia, quia Deus ſubſtantia eſt, & Deus charitas eſt, Ioan. 4. In illa autem ſancta trinitate æqualis eſt ſapientia, æqualis eſt charitas; quia non eſt aliud deo eſſe, & aliud magnum eſſe. Æqualis eſt igitur etiam ſpiritus ſanctus: & ſi æqualis, in omnibus æqualis propter ſummam ſimplicitatem, quæ in illa ſubſtantia eſt: Et ideo non ampliùs quàm tria ſunt: vnus diligens eum, qui de illo eſt: & vnus diligens eum, de quo eſt: & ipſa dilectio. quæ ſi nihil eſt, quomodo Deus dilectio eſt? ſi non eſt ſubſtantia, quomo-

Spiritus ſanctus de meo accipiet.

Spiritus S. potens eſt clarificare filium.

Spiritus ſanctus procedit à patre & à filio.

Pater & filius vnum principium ſpiritus ſancti.

Spiritus ſanctus eſt communio patris & filij.

do Deus

do Deus ſubſtantia eſt? Fateamur igitur ſummam æqualitatem patris, & filij, & ſpiritus ſancti. lib. 15. cap. 17. Spiritus ſanctus, inquit, non eſt patris ſolius, nec filij ſolius, ſed amborum: & ideo communem, qua inuicem ſe diligunt pater & filius, nobis inſinuat charitatem, ſicut vnum deum. De patre verbum genitum eſt, de patre ſpiritus ſanctus principaliter procedit, principaliter, inquam, quia & de filio ſpiritus ſanctus procedere reperitur: ſed hoc quoque illi pater dedit, non iam exiſtenti, & nondum habenti; ſed quicquid vnigenito verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, vt etiam de illo donum commune procederet, & ſpiritus ſanctus, ſpiritus eſſet amborum. Itaq; in illa trinitatis ſimplici ſummaq; natura, non aliud eſt ſubſtantia, & aliud charitas: ſed ſubſtantia ipſa charitas eſt, & charitas ipſa ſubſtantia eſt, ſiue in patre, ſiue in ſpiritu ſancto: & tamen propriè ſpiritus ſanctus charitas nuncupatur. Nam ſicut lex vetus propriè eſt lex Moyſis, quia lex per Moyſen data eſt, aliquando verò prophetis attribuitur, Ioan. 15. & in lege eorum, inquit, ſcriptum eſt, Pſal. 34. Quia oderunt me gratis; ita planè propriè ſpiritus nuncupatur charitas, licet pater ſit charitas, & filius ſit charitas: ſicut pater eſt Deus, & filius eſt Deus; nec duo tamẽ, ſed vnus Deus. Verùmtamen ex illis tribus, quæ in trinitate noſtræ mentis oſtenduntur, non ita accipienda trinitas diuinarũ perſonarum; vt tanquam memoria omnium trium pater ſit, & intelligentia omnium trium, filius, & charitas omnium trium ſpiritus S. quaſi pater nec intelligat ſibi, nec diligat, ſed ei filius intelligat & ſpiritus ſanctus ei diligat, ipſe autem ſibi, & illis tantùm meminerit, & filius nec meminerit, nec diligat ſibi, ſed meminerit ei pater: & diligat ei ſpiritus S. itemq; ſpirius S. nec meminerit, nec intelligat ſibi, ſed pater ei meminerit, & filius intelligat. Imò potius omnia iſta tria omnes, & ſinguli habent in ſua quiſque natura: nec diſtant in eis iſta, ſicut in nobis; ſed vnum aliquid, quod omnia valeat: & ſic habeatur in vniuscuiusq; natura, vt qui habet, hoc ſit, quod habet. Et tamen non fruſtra in hac trinitate non dicitur verbum, niſi filius; nec donum dei, niſi ſpiritus ſanctus. Ex quo apertiſsimè colligere licet deum verum eſſe ſpiritum ſanctum, & non creaturam. In hoc, inquit Ioan. 1. 4. cognoſcimus, quia in ipſo manemus, & ipſe in nobis: quia de ſpiritu ſuo dedit nobis. Spiritus itaq; ſanctus de quo dedit nobis, facit nos in deo manere, & ipſum in nobis: hæc autem facit dilectio: ipſe eſt igitur Deus dilectio. Deniq; paulò pòſt, cùm hoc ipſum repetijſſet, atque dixiſſet: Deus dilectio eſt, continuò ſubiecit: Et qui manet in dilectione, in deo manet, & Deus manet in eo. Deus igitur ſpiritus ſanctus eſt, qui procedit ex deo. In cap. vlt. vltimi libri de trinitate: Domine Deus meus, inquit, credimus in te patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum. Neque enim diceret veritas: Ite baptizate omnes gentes in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti; niſi trinitas eſſes: nec baptizari nos iuberes domine Deus in eius nomine, qui non eſt dominus Deus: neq; diceretur voce diuina: Audi Iſrael, dominus Deus tuus, Deus vnus; niſi trinitas iſta eſſet, vt vnus dominus Deus eſſes. Et ſi Deus pater ipſe non eſſes; & filius tuus, verbum tuum Ieſus Chriſtus ipſe non eſſet: & donum veſtrum ſpiritus ſanctus non eſſet: non legeremus in literis veritatis, miſit Deus filiũ ſuum. Gal. 4. Nec tu vnigenite diceres de ſpiritu ſancto, Ioan. 14. & 15. Quẽ mittet pater in nomine meo: & quem ego mittam vobis à patre. Domine Deus meus vnus, Deus trinitas. Item de fide ad Petrum, cap. n. Firmiſsimè tene, inquit, & nullatenus dubites, eundem ſpiritum ſanctum, qui patris, & filij vnus eſt ſpiritus, de patre & filio procedere: dicit enim filius. Ioan. 15. Cùm venerit ſpiritus veritatis, qui à patre procedit: vbi ſuum ſpiritum eſſe docuit, quia ipſe eſt veritas. De filio quoq; procedere ſpiritum ſanctum, prophetica, atq; apoſtolica doctrina, nobis commendat Iſaias 11. Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. 2. Theſſal. 2. quem interficiet dominus ieſus ſpiritu oris ſui. Hunc autem ſpiritum oris ſui inſufflauit dominus Ioan. 20. poſt reſurrectionem ſuam in apoſtolos ſuos, dicens: Accipite ſpiritum ſanctum. lib. 1. c. 13. contra Maximinum Arianorum Epiſcopum: Nos, inquit, ſpiritum ſanctum honoramus,

Spiritus ſanctus non eſt patris ſolius, neq; filij ſolius, ſed amborum.

Spiritus ſanctus principaliter procedit à patre.

Spiritus ſanctus propriè appellatur charitas.

Si vna voluntas, intelligentia, & memoria ſit in tribus perſonis.

Confeſsio ſanctæ trinitatis.

Spiritus ſanctus de patre, & filio procedit.

Perſonarũ Trinitas.

ramus, vt illuminatorem, vt ſanctificatorem, vt doctorem, & ducatorem noſtrum. lib. 1. de verbi incarnatione cap. 17. Ex ſcripturis diuinis didicimus Pſalm. 50. Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Matt. 3. Spiritus ſanctus ſuper eum deſcendit. Ioann. 20. Accipite ſpiritum ſanctum. Luc. 1. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te. 1. Cor. 12. Nemo poteſt dicere, dominus Ieſus, niſi in ſpiritu ſancto, Et in act. Apoſtolorum, per impoſitionem manuum, dabatur ſpiritus ſanctus. tantæ authoritatis eſſe, & dignitatis ſubſtantiam ſpiritus ſancti; vt ſalutare baptiſma, non aliter, niſi excellentiſſimæ omni trinitatis authoritate, id eſt, patris, filij, & ſpiritus ſancti cognominatione, compleatur, & ingenito deo patri, & vnigenito filio, nomen quoq; ſpiritus ſancti copuletur. Quis igitur non ſtupeſcat, quanta maieſtas ſit ſpiritus; cum eum, qui dixerit verbum in filium hominis, audeat ſperare veniam; eum verò, qui in ſpiritum ſanctum blaſphemauerit, veniam non habere, nec in præſenti ſeculo, nec in futuro? Iſte eſt ſpiritus dei, qui ferebatur ſuper aquas, Gen. 1. Non alius quidem, quàm ſpiritus ſanctus, de quo Apoſt. 1. Cor. 2. Nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum: & Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda dei. Ioan 16. Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò: cùm autem venerit ille ſpiritus conſolator, ſpiritus ſanctus, qui à patre procedit principaliter ſcilicet; ille vos docebit omnia, & commonebit omnia, quæ dixi vobis. Et ita ſciendum eſt, quòd ſicut filius dei, qui ſolus cognoſcit patrem, reuelat cui vult; ita ſpiritus ſanctus, qui ſcrutatur profunda dei, reuelat deum quibus vult: Spiritus enim vbi vult, ſpirat: Ioan. 3. Neq; enim putandum eſt, quòd etiam ſpiritus, reuelante filio, cognoſcat patrem, alioqui ex ignorantia ad ſcientiam veniret, quod vtiq; & impium pariter, & ſtultum eſt, ſpiritum ſanctum confiteri, & ignorantiam ei aſſcribere: non enim cùm aliquid aliud eſſet, antequàm ſpiritus ſanctus per profectum venit in hoc, vt ſpiritus ſanctus eſſet; quia tunc quidem, cùm nondum eſſet ſpiritus ſanctus, ignorabat patrem; poſtquàm verò recepit ſcientiam, etiam ſpiritus ſanctus effectus eſt. Quòd ſi eſſet, nunquam vtiq; in vnitate trinitatis haberetur, niſi quia & ipſe ſemper erat ſpiritus. Res ſiquidem, vt ſint, habent ex deo patre; vt rationabiles ſint, ex verbo, filio dei; vt ſanctæ ſint, ex ſpiritu ſancto. Qui verò in hoc gradu profecerint per ſanctificationem ſpiritus ſancti; conſequuntur illos influxus ſpiritus, de quibus Apoſtol. 1. Cor. 12. Diuiſiones operationum ſunt, ſed vnus Deus, qui operatur omnia in omnibus. Sanè, participatione ſpiritus ſancti ſanctificatus quis, purior, ac ſyncerior effectus, dignius recipit ſapientiæ, ac ſcientiæ gratiã; vt depulſis omnibus, expurgatiſq; pollutionibus, ac ignorantiæ maculis, tantum profectum ſynceritatis, ac puritatis accipiat; vt hoc quod accepit à Deo, vt eſſet, tale ſit, quale deo dignum eſt. In lib. autem de trinitate & vnitate dei. cap. 1. Spiritum ſanctum, inquit, neq; ingenitum, neq; genitum fides recta declarat: quia ſi dixerimus ingenitum, duos patres affirmare videbimur: ſi autem genitum, duos filios credere culpamur. Sed quod certa fides tenet, nec ingenitus eſt, nec genitus; ſed ab vtroq; procedens, id eſt, à patre, & à filio: Cùm venerit, inquit Ioann. 15. paracletus, quẽ ego mittam vobis à patre ſpiritum, qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Et rurſus ipſe dominus Ieſus Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam, vt oſtenderet à ſe procedere ſpiritum ſanctum, ſicut & à patre, inſufflans, ait: Accipite ſpiritum ſanctum. Vnus ergo eſt ſpiritus patris & filij, vnus amborum ſpiritus. Nam quòd patris ſit ſpiritus, ipſe dominus, & ſaluator noſter, ait: Non vos eſtis, qui loquimini; ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. Et quòd idem & filij ſit ſpiritus, Apoſtolus Rom. 8. dicit: Si quis, inquit, ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Hæc diuus Auguſtinus. Poſt igitur teſtimonia ſanctarum ſcripturarum, quæ tam lucidè, diſertèq; à doctoribus tum Græcis, tum etiã Latinis explicantur, inſani eſt capitis, velle aliud de diuinitate ſancti ſpiritus ſentire.

Spiritus ſancti maieſtas.

Spiritus ſancti influxus.

Spiritus ſanctus non eſt ingenitus, neq; genitus, ſed à patre filioq; procedit

QVAESTIONIS QVINTAE. CAP. I.

 Perſonarũ Trinitas.

Perſonarum trinitatem naturalebus poſſe rationibus demonſtrari.

SI vnum Relatiuum in rerum natura efficaciter poteſt oſtendi; & reliquum Rationes.
etiam, eadem cognitionis ſpecie, notum eſſe, neceſſarium eſt: ſed imago tri- 1.
nitatis, in animæ noſtræ potentiis efficaciter oſtenſa eſt paulò antè, vbi de
ternario numero locuti ſumus, idq; per rationem naturalem; eſſe enim ima-
ginem, vel ad imaginem, eſt homini à natura tributum: igitur, & alterum
relatiuum, nempè diuinarum perſonarum trinitas, naturali poteſt ratione oſtendi. Sa-
nè, ſi efficaci ratione naturali, duo principia productiua, ſcilicet intellectus, & volun-
tas, in diuinis oſtendi poſſunt; duæ quoque perſonæ productæ facilè oſtenduntur, vna ve-
rò producens. Profectò, ſi Deus eſt virtutis infinitæ, vt in primo libro dictum eſt: habet
ergo aliquod productum infinitum, ſibi maximè ſimile, idq; ad intra; ſpectat enim hoc
ad ipſius perfectionem, ſimile ſibi producere. ſed duo ſunt in deo principia productiua;
duo quoq; eſſe ad intra producta æterna, omninò neceſſarium, etiam ſecundùm natura-
lem rationem, eſſe videtur. Amplius, non magis videtur mentis captum excedere per- 2.
ſonarum trinitas, quàm diuinæ eſſentiæ vnitas: Trinitas enim non eſt aliquid maius, quàm
eſſentiæ vnitas. ſed naturali ratione dei vnitas in primo lib. oſtenſa eſt: igitur, & perſo-
narum trinitas, pari ratione demonſtrari poteſt. Adhuc, philoſophi, naturali ratione 3.
perſonarum trinitatem perſcrutati ſunt. Ariſtot. primo cœli, per hunc numerum ſcilicet
ternariũ: Adhibuimus nosipſos magnificare deum vnum eminentem proprietatibus eo-
rum, quæ creata ſunt. Auguſtinus etiam 7 confeſſ. apertè affirmat, cap. 9 ſe legiſſe a-
pud quosdam Platonicos myſterium trinitatis: Procuraſti, inquit, mihi per quendam ho-
minem immaniſſimo Typho turgidum, quosdam Platonicorum libros, ex Græca lingua
in Latinam verſos: & ibi legi, non quidem his verbis, ſed hoc idem omninò multis & mul-
tiplicibus ſuaderi rationibus; quòd In principio erat verbum, & verbum erat apud de- In principio erat verbum apud Platonicos.
um, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud deum: omnia per ipſum facta ſunt,
& ſine ipſo factum eſt nihil. quod factum eſt in eo, vita erat, & vita erat lux hominum,
& lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Et quia hominis anima,
quamuis teſtimonium perhibeat de lumine, non eſt tamen ipſa lumen; ſed verbum dei,
Deus eſt lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. &
quia in hoc mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit.
Huc vsq; ſe legiſſe, apud illos Platonicos, Auguſt. affirmat, cuius verba ponere ſtudui, Auguſtinus.
vt quiſq; pro ſuo libitu legat. ſed Platonici, naturali ratione id perceperunt, cùm prophe- Platonici.
tæ non extiterint: igitur quod prius. Mercurius quoque noſter hoc idem proteſtatur, Mercurius.
Monas gignit, *inquit*, monadem, & in ſe ſuum reflectit ardorem. *Ex quo,*
Trinitatis myſterium apertiſſimè, lucidiſſimèq; omnibus manifeſtare videtur. Hæc, at- Trinitatis myſterium ex fide, & reuelatione potiſſimùm conſtat.
que ſimilia adduci ſolent argumenta, quibus trinitatis myſterium naturalibus ſtatuere,
probareq; cupiunt rationibus. Verùm, impoſſibile eſt homini, naturali poſſe ratione, di-
uinæ generationis ſecretum cognoſcere: mens enim deficit, vox ſilet: vnde propheta. Ge-
nerationem eius quis enarrabit? ſiquidem, creaturæ veluti effectus ad cauſam; ita nos
ad dei cognitionem adducere poſſunt. Quamobrem, ex creaturarum ordine, natura, mo-
tusq; conditione, ad id tantùm aſſurgimus; vt deum omnium eſſe principium intelliga-
mus, quod profectò toti commune eſt trinitati. Quare, naturali ratione, quæ ad diuinæ
eſſentiæ vnitatem ſpectant, non autem, ad perſonarum trinitatem, cognoſcuntur. Patet
ergo, hoc ſacrum trinitatis myſterium fide potiſſimùm conſtare, rationibus verò natu-
ralibus non ita efficacibus, quin locus pateat arguenti, atq; oppugnanti. Sapientiam lo-
quimur, inquit Apoſtolus, in myſterio abſconditam, non huius ſeculi, neq; principum
huius ſeculi. Ad argumenta autem ſic reſpondere poſſumus, & ad primum quidem: Solutio argumentorum.

Perſonarũ trinitas.

*Quemadmodum priùs cognoſcuntur extrema, quàm relatio; ita planè neceſſe eſt, trini-
tatem priùs cognoſcere, quàm trinitatis imaginem. ſed trinitas naturali, apertaq́ non
poteſt cognitione intelligi; ſuperat enim creati intellectus potentiam, intelligendiq́ vir-
tutem: nec igitur illius imago naturaliter oſtendi, manifeſtariq́ue poteſt ratione. Ad
2. 2. & ſi in deo probentur, intelliganturq́ intellectus, atq́ voluntas; actionem tamen pro-
ducendi ad extra potiùs, magis quàm ad intra habere videntur, vbi producta ſunt eſ-
ſentialiter diſtincta: vnde generare non eſt perfectionis ſimpliciter; ſed imperfectionis
vicem ſupplentis: quia enim natura in vno indiuiduo perpetua eſſe non poteſt, vt dicitur
2. de anima; hanc per ſpeciem imperfectionem, ſupplere ſtudet. At, Deus eſt ſubſtan-
tia, & lux indeficiens, per ſe ſubſiſtens: non eget ergo pro ſuæ naturæ ſpecie, ſeu ratio-
3. ne conſeruanda, alterius ſpeciei, ſiue indiuidui adminiculo. Ad 3. negatur ſimilitudo.
Sanè, non ita per effectus perſonarum trinitas, ac diuinæ eſſentiæ vnitas naturaliter co-
gnoſcitur: ob minorem certè, quàm cum intellectu noſtro proportionem habet. Magis
enim mihi perſuadet naturæ inſtinctus, atq́ ratio, vnum me habere principium abſolu-
tum, indiuiſum, quàm illud in tria eſſe ſuppoſita diſtinctum. Ad philoſophorum autho-
ritates dico: Philoſophos non cognouiſſe trinitatis myſterium per propria diuinarum v-
tiq́ perſonarum, quæ videlicet ſunt, paternitas, filiatio, & proceſſio; ſed per eſſentialia
attributa, quæ perſonis appropriantur, veluti potentiã patri, ſapientia filio, bonitas ſpi-
ritui ſancto. Ad illud philoſophi de numero ternario, dico hoc obſeruatum fuiſſe apud
philoſophos ob ternarij numeri perfectionem, atq́ virtutem. Ad authoritatem Platoni-
corum reſpondeo, de verbo genito, poſſe intelligi de ideali ratione, qua Deus condidit
vniuerſa; non autem de perſona diſtincta à primo, & ſummo principio. Cæterùm, quam-
uis trinitatis arduum ſit, atque imperſcrutabile ſacramentum; non temere tamen quàm
plurimi, tum quidem in philoſophiæ ſtudiis præſtantiſſimi, atque illuſtres, tum etiam in
Theologiæ facultate clariſſimi, & inſignes de trinitatis myſterio locuti ſunt. Sanè, ſi præ-
ſtantiſſimum eſt, ſibi ſimile poſſe producere, idq́ maximè pertineat ad bonum infinitum,
cuius proprium eſt ſeipſum communicare; non video quomodo ſummum, atq́ infinitum
bonum poſſit eſſe infœcundum, ſuiq́ ſimile non poſſe producere. Eritne illius intellectus
ſterilis, & infœcũda voluntas? Abſit. An fortaſſis genuinus illius intellectus partus, mũ-
dus iſte erit? Minimè, ſunt enim hæc corporea, caduca, & fluxa. Ne ergo ſit illius ſterilis,
proprium habet partum mentis, nempè filium ſuum, germen paternæ mentis: & ne infœ-
cunda voluntas, amorem habet, qui eſt diuinæ voluntatis pleniſſimus partus. Hæc mihi ita
vera eſſe videntur, etiam ſecundùm naturalis rationis ducatum, atq́ inſtinctum; vt ni-
hil verius, nihilq́ credibilius eſſe poſſit. Quamobrem, veriſſima eſt illa, quæ per Iſaiæ
vaticinium ca. vlt. prolata eſt ſententia: Nunquid ego, qui aliis generationem tribuo, ſte-
rilis ero? Non eſt certè ſterilis Pymander noſter; ſed vtriusq́ ſexus fœcunditate pleniſ-
ſimus.*

Generare non eſt perfectionis ſimpliciter.

Philoſophi quomodo cognouerunt trinitatem.

Inquiſitio de ſancta trinitate optima.

Vera ratio de ſancta trinitate.

CAP. II.

Trinitatis imago, & veſtigium.

Trinitatis imago in potentiis animæ

*TRinitatis imago in rationali inuenitur creatura, quæ iuxta ſcripturæ te-
ſtimonium ad dei imaginem facta eſt. Eo enim, authore Auguſt. 14. de
trinit. mens eſt imago dei, quo poteſt eſſe capax, & particeps dei. Deus
autem ab anima capi non poteſt, niſi timeatur: neq́ amari, niſi intelliga-
tur: neq́ intelligi, niſi præſens apud animam habeatur. Porrò, timor ad
voluntatem ſpectat; ideo primùm per voluntatem completur, ſecundùm verò per intel-
ligentiam, vltimùm autem per memoriam: ſpeciei namq́ retentio in memoria, ad intelli-
gendum diſponit: intelligentia verò, ad amandum; quatenus id, quod intelligitur, bo-
num eſſe*

Trinitatis imago.

num eſſe cognoſcitur. In his ergo potentijs, cum quadam ad eſſentiæ vnitatem comparatione, actuumq; pluralitate, in quibus diſtinctio habetur, & origo, ordo, & habitudo. ſanctè attenditur obſeruaturq; trinitatis imago. Siquidem ex memoria oritur intelligentia, vtpote germana proles illius. Sanè, tunc nos intelligimus, quum ſiquidem ſimilitudo, quæ in abditis memoriæ latebat, in intellectus aciem, apicemq; conſcendit, quæ planè eſt verbum mentis: ex memoria autem, & intelligentia, amor ſpiratur, ſiue emittitur, tanquam nexus amborum. Itaq;, quia deus perfectus ſpiritus eſt, habet vtiq; memoriam, intelligentiam, & voluntatem. Quæ, quoniam fœcundæ ſunt, & non ſteriles potentiæ, habet planè verbum genitum, ſpiratumq; amorem, qui neceſſariò diſtinguuntur, cùm vnum ab altero producatur. Dum igitur mens ſeipſam conſiderat per ſe, tanquam per ſpeculum ad trinitatis myſterium contemplandum aſſurgit. Si enim ſuæ intuetur memoriæ naturam, diuinæ inuenit vnitatis ſimilitudinem, atq; exemplar, quæ patri in diuinis attribuitur: filio autem veritas, vtpote à prima fluens veritate, hoc eſt, à patre, cui tres illæ entis famoſiſſimæ conditiones attribuuntur, nempè vnum, verum, & bonum ſpiritui ſancto, bonitas accommodatur; vt amor namq; à patre, filioq; procedit. vnitas ergo ad patris pertinet perſonam: veritas verò filium intuetur: bonitas autem, ſpiritum ſanctum reſpicit: & hæc quidem noſtræ præſeferre animæ potentiæ videntur. vnitas, memoriam ſtabilit ſui viuacitate, tenacitateq; vt quæ voluntas iubet, & intelligentia docet, memoria, tenaci nexu liget, atq; retineat: veritas, intellectum purgat, erigit, atq; docet, veluti ſuum obiectum, atque domicilium; vt ſepoſitis ignorantiæ tenebris, vera intelligat, atq; contempletur: bonitas, ſiue amor, voluntatem perficit, ſtabilit, atq; complet: intellectus namq; non ſufficit, niſi amore plena ſit eius voluntas: nec etiam iſta duo diu ſubſiſtere queunt, ſi iugi, continuoq; memoriæ pabulo nutrita non fuerint. ſua ergo tenacitate vnitas memoriam ſtabilit: veritas autem, intellectum, lucis ſuæ claritate illuſtrat: at, bonitas, dulcedinis & quidem ſummæ influxu, voluntatem replet, rectificat atque regit. Bona ergo vnitas, quæ memoriam firmat, & munit: ſancta veritas, quæ intelligentiam illuminat, & illuſtrat: optabilis planè bonitas, quæ voluntatem complet, & gubernat. Profectò, trinitatis imago in his præcipuè conſiſtit, nempè in diuinæ eſſentiæ vnitate: perſonarum etiam pluralitate: denique in ordine originis, qui in diuinis inuenitur perſonis. hæc quoniam in animæ noſtræ potentijs inueniuntur; idcirco trinitatis nos geſtare imaginem dicimur. Potentiæ namque cùm eiuſdem ſint animæ ſubſtantiæ, diuinæ præſeferunt eſſentiæ vnitatem. Earum verò diſtinctio, typum gerit eius, quæ in diuinis perſonis reperitur diſtinctionis. Poſtremò, quia quatenus ſuis ſubſtant actibus, ordinem habent originis; ordinem vtique originis, qui in diuinis habetur, nobis oſtendunt. Cæterùm, cùm memoriam dicimus, habitualem animæ retentionem ſignificamus: ſimiliter intelligentiam, actum intelligendi: atque voluntatem, actum volendi intelligimus. conſueuimus enim interdum, pro actibus potentiarum, ipſarum nominibus vti, vnde intelligentiam ex memoria oriri dicimus: non quidem vt potentia ex potentia, ſed inſtar actus, ex actu proficiſcentis. Quam ob rem, à nonnullis memoria, & intelligentia non diuerſæ potentiæ, ſed diuerſæ potiùs vires appellantur: ambæ namq; in parte conſiſtunt rationali intellectiua: negocianturq; circa idem, dum acquirendis intellectus inſiſtit: memoria verò conſeruat ea, quæ parta ſunt, & acquiſita: aut, memoriæ eſt offerre, intelligentiæ verò iudicare. Non ſic autem res ſe habet inter intellectum, & affectum, ſiue rationē, & voluntatem, quæ prorſus ſunt diuerſæ potentiæ. Sanè, qui animæ potentias diuidunt, prima ſui diuiſione, in cognitiuam & affectiuam ſiue in rationem & voluntatem diuidere ſtuduerunt. Conuenit ergo memoria cum intelligentia, præſertim illa, quæ eſt veritati innata, quæ profectò eſt intelligentiæ, voluntatiſque principium, vis vtiq; conſeruatiua primæ veritatis, quæ à primo conditore illi indita fuit. Ex hac autem primæ veritatis memoria, intelligentia gignitur: ex ambabus verò, amor prodijt primæ veritatis. Memoria ergo eſt generans: intelligentia eſt genita: amor

Trinitatis imago in potentijs animæ

Ordo potentiarū animæ.

Entis attributa.

Vnum, verū, bonum, in anima humana.

Vnitas, veritas, bonitas, in anima.

Modus productionis potentiarum animæ

Memoria & intelligentia eadem potentia.

Duplex memoria.

imago. verò procedens. Imago præterea trinitatis, in aliis etiam tribus reperitur, nempè in mente, notitia, & amore.

Alius modus imaginis.

Mens reuera duplicem includit animæ fœcunditatem, atq; ita tres potentias, vnamq; ſubſtantiam: cui profectò ſubſtantiæ conſubſtantiales ſunt, Notitia quæ à mente, ſecundùm primam fœcunditatem producitur, & amor, qui ab vtriſq; ſecundùm quidem originis ordinem, non autem conſubſtantialitatis producitur. Quam ob rem prima quidem trinitatis imago, euidentior eſt, atq; lucidior, ſecunda verò non ita clarè trinitatis conſubſtantialitatem oſtendit, niſi quiſpiam pro potentiis actus productos intellexerit. Hæc autem ſunt, quæ à præclariſſimis viris adducuntur pro imagine trinitatis,

Veſtigium trinitatis. in rationali natura ſtatuenda. Reſtat autem, vt de trinitatis veſtigio aliquid dicamus. Cæterùm, veſtigium trinitatis propria non reſpicit, ſed quaſdam potiùs perfectiones, ſeu appropriata, veluti ſunt vnitas, veritas, bonitas: quarum qualibet propriæ deputatur perſo-

Modus, ſpecies & ordo. næ, ſicut dictum eſt. Item, modus, ſpecies, & ordo: modus autem patri attribuitur. ſpecies verò filio, veluti paternæ imagini: ſpiritui autem ſancto, ordinis ratio, cuius intereſt, ad conuenientem ordinis rationem deducere omnia: Spiritu, inquit, eius ornauit cœlos. Adhuc, Sapientiæ 11. dicitur, omnia dominũ feciſſe in numero, pondere & menſura. Item, in qualibet creatura inuenitur ſubſtantia, qua ipſa ſtat veritas, qua diſtinguitur operatio, per quam perficitur. Hæc atq; ſimilia adumbratæ ſunt, atq; obſcuræ trinitatis ſimilitudines, quæ per quaſdam perſonarum proprietates, à longè trinitatis myſterium ſalutantes, per veſtigium, hoc eſt, per communem, atq; obſcuram, non autem per diſtinctam, propriamq; imaginem, trinitatis myſterium nobis intuendum, contemplandumq; offerunt. Copio-

Auguſt. sè de his diſſerit Aug. lib 6. de trinit. cap. 10 Oportet, inquit, vt creatorem, per ea quæ fa-

Summa origo, perfecta pulchritudo, beata delectatio. cta ſunt, intellectum conſpicientes, trinitatem intelligamus, cuius in creatura quomodo dignum eſt appareat veſtigium: in illa enim trinitate, ſumma origo eſt rerum omnium, & perfectiſſima pulchritudo, atq; beatiſſima delectatio. Itaq; illa tria, & ad ſe inuicem determinari videntur, & in ſe infinita ſunt. Ita, & ſingula ſunt in ſingulis, & omnia in ſingulis, & ſingula in omnibus, & omnia in omnibus, & vnum omnia. Quid ergo ſit imago atq; veſtigium trinitatis, dixi. Sed contra prædicta poſſet aliquis ſic argumentis inſtare, vt patet in ſequenti capitulo.

CAP. III.

Trinitatis imaginem non eſſe in creatura rationali, & intellectuali.

1. IDeatum ſiue id, quod alicuius ideæ ſimulachrum gerit, ſuam profectò ideam repræſentat Sanè, ideam in eſſendo non excedit, aut ſuperat. Sed deus, quatenus eſt trinus, idea non eſt appellandus, ſed ob eſſentiæ diuinæ vnitatem potiùs: Igitur trinitatis imago, nulla poteſt eſſe rationalis creatura. Profectò, ſi trinitatis imago, menti ineſſet creata; naturaliter vtique ipſa, ſicuti & ipſius imago, cognoſceretur. Sed paulò ante oſtenſum eſt, trinitatis myſterium, naturali non poſſe ratione cognoſci: Trinitatis ergo imago, in rationali non inuenitur creatura.

2. Amplius, in qualibet perſona eſt memoria, intelligentia, & voluntas: Igitur hæc non habent officium, diſtinctè trinitatis repræſentanda. Conteſtatur nobis Auguſt. 15. de trinitate, ſic enim ait: Pater eſt memoria, intelligentia & voluntas, & filius ſimiliter:

3. non magis ergo patrem, memoria, quàm filium præſeferre videtur. Adhuc, in trinitate duæ ſunt perſonæ productæ: ſed in anima nihil eſt productum; in anima enim ſunt actus primi, & ſecundi tantùm; actus autem primi, cùm animæ concreati ſint, à ſe inuicem originem emanandi non habent; nec etiam actus ſecundi, ſunt namq; actiones; actio item non eſt terminus actionis, teſte philoſ. 5. phyſ. in anima ergo non eſt imago trinitatis. Item,

Trinita-

Trinitatis imago.

Trinitas,quatenus eſt trinitas,nullam habet virtutem cauſandi, producendiq́ creaturas: quælibet enim perſona cauſat, producitq́ creaturam: non ergo cauſatur à trinitate, vt trinitas eſt.Quòd ſi res ita ſe habeat nulla igitur creatura,trinitatem repræſentare valet. Sanè,proprietates perſonales non ſunt productiuæ:Trinitas ergo, vt trinitas non habet virtutem cauſandi.Profectò,ſi vna tantùm eſſet perſona; adhuc nihilominus,omnia producta,poſſet vtiq́ producere,illaq́ à condita creatura repræſentaretur: Trinitati ergo non conuenit poteſtas,ſeu virtus cauſandi. Prætcrea,eſſe dei imaginem, ad filium dei ſpectat,qui appellatur imago dei viuentis,inuiſibilis,primogenitus omnis creaturæ: in homine ergo non inuenitur dei imago; alioqui homo eſſet dei filio omninò æqualis, quod eſt falſum;vnius namq́ rei,vna eſt completa,atq́ perfecta imago.Reuera,imago eſt eius rei ad quam imaginatur ſpecies indifferens: ſed dei atq́ creaturarum non eſt vna eademq́ ſpecies:igitur res conditæ,etiam ratione præditæ, trinitatis nequeunt imaginem gerere. Sanè,Imago eſt rei ad rem coæqualis & indiſcreta ſimilitudo: ſed dei ad hominem vera inueniri non poteſt æqualitas: nec ergo imago.Cui,inquit Iſa.40. Similem feciſtis deum, aut quam imaginem ponetis ei? Amplius, vna eſt,authore Auguſt. de fide ad Petrum, ſanctæ trinitatis eſſentialiter diuinitas, & imago: igitur homo imago dei eſt, quôad naturæ vnitatem,non autem quôad perſonarum trinitatem, atq́ ita deſtruitur illa trinitas in rationali creatura,quam hactenus ſtatuere conati ſumus. Suffragatur nobis Auguſt. in eccleſiaſticis dogmatibus:Imago,inquit, dei attenditur in homine ſecundùm bonitatē: perinde enim eſt dicere,hominem ad dei imaginem conditum eſſe,ac humanam naturam omnis boni eſſe participem. Porrò,bonitatis plenitudo,diuinitas eſt: ſed hæc ad eſſentiæ vnitatem,non autem ad perſonarum diſtinctionem ſpectare videntur: imago ergo dei ſi qua eſt in homine,diuinarum perſonarum imaginem præſeferre non poteſt. Quòd ſi contendas,dei imaginem in homine,perſonarum maximè diſtinctionem reſpicere;tunc quæro,ſi ſolus filius,teſte Aug.6.de trin. eſt imago patris? non totius planè eſſet trinitatis,ſi ita res ſe haberet,ſed filij tantùm,quod eſt falſum:Trinitatis ergo imago in rationali non inuenitur creatura.Item,in creaturis non eſſe veſtigium trinitatis,ſic probari poteſt:Per veſtigium,res ſcitur,atq́ inueſtigatur,cuius veſtigium habetur: ſed trinitas perſonarum naturali ratione intelligi non poteſt: illius ergo nullum eſſe poteſt veſtigium. Sanè, ſi in natura intellectuali imago eſt trinitatis; profectò eiuſdem veſtigium in ea inueniri non poteſt,ob oppoſitas certè repræſentandi rationes, modosq́ ex oppoſito diſtinctos. Itaq́ nullum prorſus inueniri poteſt,in creaturis trinitatis veſtigium.

[Margin notes: 4. · 5. · Col.1. · 6. · Trinitatis in homine bonitas. · De Veſtigio.]

CAP. IIII.

Soluuntur argumenta.

AD primum,negatur minor:nam ſi idea exemplar ſit, vt in primo libro dictum eſt,vbi de ideis diſputaui,in rationali autem creatura huiuſmodi exemplar inuenitur, in tribus illis potentiarum actibus: quomodo ergo à trinitate talis exemplaris ſimilitudinem auferemus? Ideatum igitur,id eſt, creatura ratione prædita,ideam,id eſt ſanctam trinitatem,memoria,intelligentia,atque voluntate repræſentat. Ad confirmationem dico, rationem veram eſſe;ſi imago dei in homine,diuinæ trinitatis ſimilitudinem perfectè oſtenderet. At, quia teſte Auguſt. 15. de trini.maxima eſt differentia huius trinitatis, quæ eſt in nobis, ad trinitatem diuinam:ideo trinitatem,quæ in nobis eſt, videmus potiùs quàm credimus; Deum verò eſſe trinitatem,credimus potiùs,quàm videmus. Ad 2.Quamuis memoria ſit in filio,non eſt tamen in eo,vt principium productiuum: ideo negatur conſequentia: nullius enim valoris eſſe probatur. Ad 3. Dico,Actus ſecundos eſſe productos,authoritatemq́

[Margin notes: 1. · Idea exemplar. · Trinitas noſtra multum differt à diuina trinitate. · 2. · 3.]

philo.

Trinitatis imago.

Actiones de genere actionis.

philo.noſtro fauente propoſito. Cùm enim actio non ſit actionis terminus, hæc autem verè terminent actionem, authore Auguſtino 9. de trinit. Notitia, inquit, verè gignitur, & volitio verè procedit: non ſunt ergo iſta, actiones de genere actionis, ſed formæ potiùs abſolutæ de genere qualitatis. Actio namq; intellectionis productiua, per hoc vtiq;, quod eſt dicere vel elicere intellectionem, communiter intelligitur: volitionis autem productiua, per hoc, quod eſt ſpirare, ſignificatur.

Quare operatio dicitur actio.

Quare, etſi operationes huiuſmodi, formæ ſint abſolutæ; ob duas tamen conditiones, actiones appellantur: prima quidem eſt, quia ſemper eſt in fieri, non quidem ſucceſſiuo, quandoquidem operatio ſit indiuiſibilis, ſed in continua potiùs dependentia, nempè rei creatæ, ad cauſam conſeruantem, deum videlicet benedictum: altera verò conditio eſt, quia operatio, in obiectum tranſit, veluti in terminum, non quidem accipientem eſſe per ipſam, ſed præſupponitur potiùs in ſuo eſſe. Inſuper, productiua eſt alicuius termini, vt accipientis eſſe per eam. ſic calefactio productiua eſt caloris in ligno, præter paſſionem, quam infert ſcilicet calefieri, his autem, atq; ſimilibus, operatio, actio dici poteſt. Quòd ſi dixeris, intellectionē eſſe actionem de genere actionis, quippe, quæ alicuius ſit termini productiua, ex frequentatis enim actibus, habitus generatur: dico, intellectionem quidem, vt formam, non autem vt actionem, habitus eſſe generatiuam. Quam ob rem ad habitum generandum, intellectio ſe habet, vt calor ad calorem, non autem vt calefactio ad calorem. Sanè, non poteſt eſſe actio de genere actionis, niſi alicuius termini extiterit: at, intellectio, ſeu volitio, etiam ſi non fuerit alicuius termini, eſſe valet: non eſt ergo actio de genere actionis. ſed de his ſatis. Ad 4.

4. Quamuis trinitas, vt trinitas, cauſalitatem non habeat; quatenus tamen talis eſt, nempè, artificis, verbi, & amoris, virtutem habet cauſandi atq; producendi: mundi enim faber per ſuum verbum condidit omnia, atq; amore ſuo fouet vniuerſa.

Trinitas quomodo creauit mundum.

Ad probationem, negatur conſequentia: licet enim quælibet perſona, totam cauſet, atq; producat creaturam; nulla tamen perſona, quoad omnia, quæ in ratione principij, agentis per modum artificis, includuntur, ratio eſt creaturæ producendæ; ſed tres perſonæ ſimul, quarum vni potentia, alteri ſapientia, tertiæ bonitas attribuitur. ſiquidem his conſtat vniuerſitas creaturarū. Ad confirmationem dico, perſonales proprietates, bifariam intelligi poſſe: vno quidem modo, ſub iſtis nominibus, pater, filius, & ſpiritus ſanctus, atq; ita verum eſt antecedens: alio verò modo, vt artis conceptio, & amor artificis, & ita falſum eſt antecedens; ſub iſtis enim nominibus attributa intelliguntur eſſentialia, nempè dei potentia, ſapientia, & bonitas, quibus, vt dixi, res conditæ ſunt. Ad vltimam confirmationem negatur conſequentia: nam etſi ita eſſet, adhuc tamen tria repræſentarentur diſtincta, artifex ſcilicet, verbum, & amor. Ad 5.

5. Primogenitus omnis creaturæ eſt imago dei perfecta: perfectè planè implens illud, cuius eſt imago: quamobrem imago dicitur, non autem ad imaginem: at, homo propter ſimilitudinem quidem dicitur imago; ob verò ſimilitudinis imperfectionem, ad dei imaginem formatus eſſe dicitur, ſeu nominatur. Cæterùm, quia perfecta dei ſimilitudò, in eadem naturæ identitate conſiſtit, filius autem totam in ſe habet

Imago dei in filio & in homine.

ſubſtantiam patris, rectè dicitur imago dei inuiſibilis, veluti imago regis in ſuo vnico, ac genuino filio. At, quia homo alterius eſt naturæ, in eo quippe imago dei, veluti imago regis in numo inuenitur atq; habetur: vnius ergo patris, & quidem æterni, vna eſt perfecta, atq; completa imago, ipſius vtiq; filius benedictus; nos autem ad imaginem potiùs, quàm imago ſumus. Sanè, authore Auguſt. in lib. 83. quæſt. vbi eſt imago, continuò eſt ſimilitudo, non tamen è conuerſo: imago enim aliquid addit ſupra rationem ſimilitudinis, quod ſcilicet ſit ex alio expreſſum. Imago namq; dicitur, quòd effingitur ad imitationem alterius. Vnde ouum, quamuis ſit alteri ouo ſimile, & æquale; illius nihilominus imago non dicitur: ex illo enim expreſſum non eſt.

Imaginis ratio.

Æqualitas præterea ad perfectæ ſpectat tantùm imaginis rationem, non autem imperfectæ. Siquidem vbi eſt imago, non continuò eſt æqualitas: ſicut videre licet in imagine, quæ in ſpeculo videtur. ex his ergo

patet,

patet, quomodo homo ſit dei imago. Ad confirmationem dico, imaginis dei ad hominem vnitatem, non genere, aut numero, vel ſpecie, ſed proportione potius eſſe intelligendam. Illud verò de indiſcreta vnitate, ad perfectæ imaginis rationem eſt referendum. Authoritas autem Iſaiæ, corporales reſpicit imagines, non internam, & ſpiritualem, qualem in anima inueniri dicimus. Ad 6. Diuinarum diſtinctio perſonarum ſecundùm relationes originis attenditur. Non eſt autem omnibus idem originis modus, ſed vnaquæque res modũ habet originis, ſuæ naturæ conformem. Modus igitur originis diuinarum certè perſonarum, diuinæ omninò naturæ conueniat, neceſſarium eſt. Cùm autem homo ſecundùm animam ſit ad imaginem dei, anima verò eſſentiæ habeat vnitatem, potentiarum verò diſtinctionem, atque originis proceſſionem; abſque dubio, & diuinæ gerit eſſentiæ imaginem, & perſonarum diſtinctionem. Itaque in homine tum ſecundùm naturæ vnitatem, tum etiã ſecundùm perſonarum diſtinctionem, trinitas conſpicuè cernitur. Ad confirmationem dico, hominem factum eſſe ad imaginem dei, id eſt totius trinitatis, non autem filij tantùm: alioqui non dixiſſet deus pater: Faciamus hominem ad ſimilitudinem noſtram; ſed potiùs, ad ſimilitudinem tuam. filius prætereà eiuſdem eſt ſubſtantiæ cum patre: idcircò ſi factus eſt homo ad imaginem filij; eſt etiam ad imaginem patris, cùm vna ſit vtrorumque imago. Faciamus ergo hominem ad imaginem noſtram, hoc eſt, vt in eo ſit imago noſtra. Ad 7. Per veſtigium pars totius diſtinctè, totum verò indiſtinctè cognoſcitur: veſtigij enim repræſentatio ſecundùm appropriata attenditur: per quem profectò modũ in perſonarum trinitatem deuenire valemus. Ad confirmationem reſpondeo: Naturam intellectualem non vna eademque ratione, & veſtigiũ, & imaginem dici: veſtigium enim vocatur, quatenus condita eſt ſecundùm determinatum exemplar: imago autem, quatenus in ipſa vnitas eſt eſſentiæ cum pluralitate potentiarum, atque operationum, inter quas ordo habetur originis. in rationali namque creatura, trinitatis inuenitur imago, in aliis autem creaturis, veſtigium: quælibet enim creatura in ſuo eſſe ſubſiſtit, formamque habet, per quam ad ſpeciem determinatur, ordinem verò ad aliquid aliud. Quatenus igitur, quædam eſt ſubſtantia creata, cauſam repræſentat, & principium: atque ita, patris ſimilitudinem gerit, qui eſt principium non de principio vt verò formam habet, & ſpeciem, forma eſt artificiati ex conceptione artificis, ſicque diuini eſt æmula verbi. Porrò, quatenus ordinem habet; ſpiritum ſanctum repræſentare ſtudet, vt amorem: ordo quippe effectus eſt ad aliquid alterum ex voluntate creantis. Veſtigium igitur trinitatis, vt dixi, in vnaquaque inuenitur creatura, ſecundùm quod vnum aliquid eſt, & quatenus aliqua ſpecie formatur, denique quia aliquem tenet, poſſidetque ordinem. Ad hæc reduci poſſunt illa, numerus, pondus, & menſura: nam menſura ad rei ſubſtantiam, ſuis limitatam principijs, refertur: Numerus autem ad ſpeciem, quippè, cùm abſque numeri conſonantia, ſpecies nulla conſiſtere queat: Pondus verò, ad ordinem: ſuis namque ponderibus, proprijs in ordinibus vniuerſa collocantur. Ex his ergo, atque ex aliis paulò antè recitatis, quid ſit trinitatis veſtigium, facilè intelligi poteſt. Sed aliquis dubitabit, ſi potentiæ diſtinguantur realiter ab anima.

Trinitatis imago. 6. Anima humana eſt imago trinitatis. 7. Veſtigium trinitatis. Quomodo natura intellectualis ſit imago & veſtigiũ Veſtigium trinitatis. Numerus, pondus, & menſura.

CAP. V.

Potentiæ pertinentes ad imaginem, quomodo ab animæ ſubſtantia diſtinguantur.

NAtura creaturæ rationalis, ſeu intellectualis, quoniam per ſe rationalis eſt, & intellectualis; intellectus vtique vel ratio ſunt ipſius ſubſtantia: planè, ſi accidentia extiterint, non eſſet profectò intellectualis, vel rationalis naturæ, nec immediatè ſecundùm ſe apta eſſet ad intelligendum; ſed per accidens potiùs abſolutum ſuperadditum: ſicuti, ſi ſubſtantia eſſet alba, me- 1.

imago. diante quantitate. At ſi ita res ſe haberet, rationalis, intellectualiſq; natura, à bruti na-
Animæ poten tias non di- ſtingui ab ani ma eſſentiali- ter. tura eſſentialiter non diſtingueretur, quod reuera, conſtat eſſe falſum. Sanè, huiuſmodi
natura non eſſet beatitudinis capax, ſed per accidens medium, quod ſeparari poſſet, &
ſic beatitudinem recipere, haberetq; in ſe beatitudinem formaliter, quod omnibus modis
eſt abſurdum. Igitur animæ potentiæ, in quibus trinitatis conſiſtit imago, ab ipſa anima
2. eſſentialiter non diſtinguuntur. Amplius, ſi anima diuidatur in ſuas potentias, veluti to-
tum virtuale in ſuas partes: ſed totum virtuale, in qualibet ſui parte ſaluatur ſecundùm
ſubſtantiam, non ſecundùm autem totius virtutis quantitatem: non ſunt ergo animæ po-
Boëtius. tentiæ accidentia, in quibus animæ ſubſtantia conſeruatur. Suffragatur nobis Boëtius,
qui diuiſionem totius in partes, accidentalem eſſe denegat, ſed per ſe potiùs. Animæ ergo
Auguſt. in potentias, non eſt ſicuti in accidentia, diuiſio. Miro, inquit Auguſt. de trini. 9. cap. 5.
Quælibet potentia animæ eſt ſubſtantia. modo iſta tria, mens, notitia, & amor, tria iſta inſeparabilia ſunt a ſemetipſis; & tamen
eorum ſingulum quodq; eſt ſubſtantia, & ſimul omnia vna ſubſtantia, vel eſſentia, cùm
relatiuè dicantur ad inuicem. Et cap. 4 eiuſdem lib. Quamobrem, amor, & cognitio non
inſunt menti tanquam in ſubiecto, ſed ſubſtantialiter: quia etſi relatiuè dicantur ad inui-
cem; in ſua tamen ſunt ſingula quæq; ſubſtantia, non ſicut color, & coloratum relatiuè,
ita dicuntur ad inuicem, vt color, in ſubiecto colorato, ſit non habens in ſeipſo propriam
ſubſtantiam. Dicis, hæc vera eſſe obiectiuè, quatenus ſcilicet ſunt obiectiua cognita in
anima: ſubiectiuè verò, ac formaliter ſe habent ſicut color & figura. Reſpondeo, ſi ita
res ſe haberet, falſa planè eſſet Auguſtini ſententia, aſſerentis vnam eſſe illarum vitam,
Accidens. atq; ſubſtantiam, nihilq; valeret illius probatio: Sunt, inquit, vna eſſentia, alioqui accidēs
nobilitate, & perfectione ſuum excederet ſubiectū. eſſet namq; vitalis operationis princi-
3. piū elicitiuum, non autem ſubiectum. Amplius, formalem generationis terminum, prin-
cipio totali productiuo nobiliorem eſſe, eſt impoſſibile: ſi enim perfectionem, termino
æqualem, aut maiorem non haberet; daret vtiq; id, quod non haberet, atq; vltra propri-
Subſtantia eſt generationis terminus. am ſpeciem, virtutemq; ageret: demq; limites termini ſibi adæquati in aliquo producen-
do, excederet, quæ profectò omnia impoſſibilia ſunt. ſed generationis terminus eſt ſub-
ſtantia: potentia ergo mixti generatiua, ſubſtantia eſt, & non accidens: ſubſtantia enim
omni accidente ſimpliciter nobilior eſt. Dicis, formam accidentalem actionis eſſe prin-
cipium, idq; à forma ſubſtantiali ſibi ineſſe. vnde formam ſubſtantialem, actionis princi-
pium vocamus, licet nō proximum atq; primo vicinum. Sed tunc quæro, aut illa virtus eſt
accidens, aut ſubſtantia. Non ſubſtantia per te: accidens ergo eſt. At, tunc accidens eſſet
principium ſubſtantiæ, & totum, termino generationis formali ignobilius haberetur. Sed
Accidens propria virtute non producit ſubſtantiam. reſpondes, virtutem illam in accidente non recipi, ſed ſimul ad agendum accidens, &
ſubſtantiam concurrere, inſtar nauem pariter trahentium, quorum alter, ſine alterius ad
miniculo, illud præſtare non poſſet. ſed tunc hoc ſequeretur, quòd vnum in virtute alte-
rius non ageret, ſed propria potiùs: ſic etiam quilibet eorum, qui nauem trahunt, propria
quidem, non alterius ope id facit, atq; ita accidens propria virtute, ſubſtantiam produ-
ceret, quod eſt falſum. Ex quo patet, animæ potentiam, atq; virtutem, accidens non eſſe,
ſed ſubſtantiam, qua actionem ſibi conuenientem agit, atq; perficit. Potentiæ ergo animæ
4. ab ipſius ſubſtantia eſſentialiter non diſtinguuntur. Adhuc, illa, quorum vnum non po-
teſt eſſe, aut in effectu poni ſine alio, nec ad inuicem referuntur, eſſentialiter non diſtin-
guntur: ſed anima, eiuſq; potentia ita ſe habent, vtpote conſubſtantiales: ergo quod prius.
5. Præterea, quod melius eſt, ſi poſſibile ſit, in natura certè ponendum eſt authore philoſo-
Melius ſemper appetendum. pho in 2. de generatione: natura enim appetit id, quod melius: ſed paucitas, ſine multitu-
dine, ſi poſſibilis fuerit, melior eſt in natura, ex 2. phy. Quare, ſi poſſibile eſt abſq; diſtin
ctione reali potentiarum, ſtare ſimul pluralitatem actuum; hoc planè in natura ponen-
dū fore, indubiè tenendum eſt. Sunt igitur in anima diuerſæ potentiæ atque actus,
ſine ipſarum diſtinctione reali. Porrò, paucitatem, ſine multitudine ad nobilitatem per-
tinere.

 Potentiæ animæ.

tinere, vel ex hoc clariſſimè cernitur; quia nimirum, primo competit enti. Sanè, in eo quæ
renda eſt imago trinitatis, inquit Auguſt. 14. de trinit. cap. 16. quo in anima nihil eſt me-
lius: ſed animæ eſſentia, nihil eſt melius, à qua planè aliæ animæ vires, potentiæq́; depen-
dent: in ea ergo quærenda eſt trinitatis imago. At, in potentijs animæ, vt dictum eſt
imago inuenitur: non differunt ergo ab eſſentia realiter, alioqui animæ eſſentia, cùm ſit
ſimplex, & indiuiſibilis, ipſis vtiq; potentijs præſtantior eſſet. Iterum, ordinem habens 6.
ad finem, quantò immediatiùs attingit finem, tantò nobilius reputatur. Magnæ planè
eſt nobilitatis ſignum, paucis aſſequi, quod velis. Sed animæ eſſentia ordinatur ad finem,
nempè ad diuinam beatitudinem: quo igitur immediatiori modo, id aſſequi valet; eo, abſ-
que dubio, nobilior habenda eſt: id autem fiet, ſi ſeipſa immediatè, non mediante aliquo
accidente ab ipſa realiter diſtincto, illud agat, atq; obtineat. Igitur animæ potentiæ, ab
illius eſſentia eſſentialiter, ſeu realiter non diſtinguuntur. Præterea, ſi ita res ſe haberet, 7.
tunc certè, anima per accidens eſſet beata. Illa planè non eſt alicuius propria dicenda
perfectio, quæ ab eo haberi non poteſt; niſi prius ab alio, ab ipſo realiter diſtincto, habea
tur. Sed dei viſio in animæ ſubſtantiam dilabitur, mediante intellectu, qui profectò, ſi ab Anima videt deum mediante intellectu.
animæ ſubſtantia fuerit eſſentialiter, realiterq́; diſtinctus; anima vtiq; per accidens ſuæ
fieret capax beatitudinis, quod eſt falſum. Siquidem, ſi alicui formæ, animæ quidem infe-
riori, ignobiliorique, principium competit eſſe immediatum agendi, vtpote calori, qualita-
tibusq; actiuis, ne proceſſus fiat in infinitum, ſitq́; hoc non paruæ nobilitatis, alioqui deo
non congrueret, qui immediatè ſuam per eſſentiam, omnia agit; quantò magis animæ com
petit intellectiuæ? Anima igitur agens per ſuas potentias, per eas reuera res agit, quæ
ab ipſa eſſentialiter non diſtinguuntur. Item, ſubſtantiam, tum in generatione vniuoca, 8.
tum etiam æquiuoca, à ſubſtantia generari, neceſſarium eſt: forma namq; generantis, quæ
eſt generationis principium, nobilior eſt, aut æquè nobilis eſſe debet, ac forma geniti. Sed
quamcunq; formam accidentalem, æquè nobilem, aut nobiliorem eſſe forma ſubſtantiali,
eſt impoſſibile: igitur ipſi non competit eſſe immediatum principium generandi. Vnde, ſi
animæ potentiæ ab ipſius ſubſtantia eſſentialiter diſtinguuntur; non ſunt ſanè beatitudi-
nis principia: ergo quod prius. Itaq́; anima, eiusq́; potentiæ eſſentialiter non ſeparantur.

CAP. VI.

Potentias animæ ab ipſius ſubſtantia eſſentialiter diſtingui.

Contra ea quæ dicta ſunt, poſſet quiſpiam non temere nonnullis rationibus
arguere. Actus, & potentia ſunt eiuſdem generis: potentia enim ad actus Auerr. 5. phy. com. 9.
genus reducitur. ſed iſtarum actus potentiarum, ſunt quædam qualitates,
& accidentia: ergo ſimiliter & potentiæ. Reuera, potentiæ animæ diſtinguũ-
tur per actus, & actus per obiecta, vt ſecundus recitat liber de anima. Sed
illarum potentiarum actus ſunt diſtincti, ſcilicet intelligere, & velle: ergo & potentiæ.
Amplius, agens per eſſentiam, eſt primum agens, ſicuti ens per eſſentiam, eſt primum 2.
ens. ſed anima non eſt primum agens, igitur non agit immediatè per ſuam eſſentiam; ſed Auer. 2. cœli. com. 38.
per aliquod ſibi additum, hoc eſt, per ſuas potentias, quæ ſunt accidentia, & qualitates,
quippè quæ animæ ſubſtantiæ additæ ſint. Sanè, ſi anima ſecundùm ſuam eſſentiam, im-
mediatum ſit operationis principium, cùm actus ſemper ſit: actu igitur ſemper agit, &
operatur habens ergo animam intellectiuam, ſemper intelligit, ſicuti habens animam,
ſemper viuit: ſed ſemper intelligere, non eſt animæ in corpore habitantis: ergo quod prius. 3.
Iterum, ſicut ſe habet eſſe ad eſſentiam; ita planè operari ad potentiam: per commutatio-

 nem ergo

Potentiæ animæ an diſtinguãtur ab anima.

nem ergo proportionis,ſicut eſſe ad operari,ita eſſe ad potentiam: ſed in omni re condi-ta,eſſe ab operari realiter differt:igitur eſſe realiter differt à potentia. Naturalis enim potentia,authore philoſ.in prædicamentis,eſt ſecunda ſpecies qualitatis: ſed intellectus, & voluntas,ſunt naturales potentiæ:igitur qualitates, ab animæ eſſentia ſunt eſſentiali-ter diſtinctæ. Amplius,accidens,quod fluit,ſubſtantiæ ineſſe non poteſt, niſi mediante
4. *accidente permanente:ſic motus non ineſt ſubſtantiæ,niſi mediante quantitate.ſed actus*
5. *ſunt accidentia fluentia:ergo potentiæ ſunt accidentia permanentia. Præterea, potentia eſt immediatum operationis principium,ſubſtantia verò non eſt immediatum operatio-nis principium : igitur eſſentialiter ab inuicem ſeparantur. Non eſt planè operationis tranſeuntis:agens namq; talem agit actionem,mediante forma,illi diſpoſitioni contraria, quam habet paſſum: atq; ex conſequenti mediante accidente Neq; operationis immanen-tis: materia namq;,atq; ſubiectum,ſuarum quidem formarum receptarum,eſſe profectò nequeunt principia effectiua:idem enim reſpectu eiuſdem,in actu,& potentia ſimul eſſe eſt impoſsibile. Conſentit his,ſiue fauet philoſophus in primo phyſ. vbi apertè docet, ſub-iectum ſeu materiam cum forma,inſtar matris reſpectu ſuæ prolis,eſſe accidentium cau-*
6. *ſam Ergo quod prius. Amplius, idem ſimplex abſolutum cum pluribus quidem abſolu-tis,eſſentialiter idem eſſe,omninò eſt impoſsibile; alioqui eſſet tunc vnum,& non vnum: ſed potentiæ ſunt plura abſoluta,vtpote diſtincta operationum principia: igitur eſſentia-liter diſtinguuntur. Sanè, diuerſarum inclinationum, operationumq́;, idem realiter, ſeu eſſentialiter principium eſſe non poteſt. ſed actus appetitus ſenſitiui, actui aduerſatur rationis,appetitusq; intellectiui,vt dicitur tertio de anima: ab inuicem ergo, atq; ab ani-*
7. *ma eſſentialiter diſtinguuntur. Item,agere per ſuam potentiam, quæ eſt ſua eſſentia,dei eſt ſolius: igitur omnis creatura per potentiam agit , ab animæ eſſentia realiter diſtin-ctam. Harum præterea potentiarum actus,ſunt accidentia, vt dictum eſt : ergo & po-tentiæ Deniq; anima eſt in prædicamento ſubſtantiæ,potentiæ verò in prædicamento re-lationis.Commentator quoq; aſſerit in 1 de anima, in has certè potentias animam diuidi, veluti pomum in colorem,atq; ſaporem,Poſtremò, authore Simplicio in prædicamentis, huiuſmodi potentiæ ſuſcipiunt magis , & minus, quod profectò ad naturam ſpectat ac-cidentium. Itaq́;,animæ potentias,ab inuicem,atq; ab illius eſſentia realiter,eſſentialiter-q́ue diſtingui,ſatis eſſe manifeſtum puto.*

CAP. VII.

Soluuntur Argumenta.

1. *AD primum, maior vera eſt de potentia obiectiua, quatenus ſcilicet poſsi-bile obiectiuum ſibi correſpondens,ad idem ſpectat genus, eandemq́; ſpe-ciem,deniq; ad idem indiuiduum : velut homo in actu, & homo in poten-tia de potentia autem operatiua,vel ſubiectiua,falſa eſt,imò impoſsibilis: eſſet namq; proceſſus in infinitũ,quandoquidem immediatum non daretur ſubiectum,quod eſt ſubſtantia ſiquidem,potentia & actus,ſi intelligantur,quatenus ſunt entis differentiæ,quibus planè entia diſtinguuntur vniuerſa : omne enim ens eſt in actu, vel potentia; tunc certè nedum eiuſdem connumerantur ſpeciei,verùm etiam numeri, vt nonus recitat primæ philoſp.liber : nam indiuiduum, quod nunc eſt in actu , illud idem fuit in potentia. At,ſi pro principio operandi potentia ſummatur,quo ſanè modo in acti-uam,paſsiuamq́; diuiditur,vt 5 habetur metaph ſic potentia & actus , ad idem genus non pertinent. Ad confirmationem,quamuis potentiæ diſtinguantur per actus,id eſt,co-gnoſcantur; non opus eſt tamen æqualem in potentijs, atq; in actibus diſtinctionem eſſe: vna enim eademq́; potentia viſiua plurium eſt colorum.*
2. *Ad 2. verum eſt, quòd agens per eſ-*

Actus & potẽtia quando ſunt eiuſdem generis.

per eſſentiam, cuius actio eſt ſua eſſentia, ſit primum agens, nempè Deus benedictus: Potentiæ animæ an diſtinguã
anima autem non eſt tale agens, ſua enim actio, non eſt ſua eſſentia. vnde, quamuis age- tur ab ani
re dicatur per ſuam eſſentiam, tanquam per rationem agendi, quatenus ſcilicet ſuaipſius ma.
potentia, ab eiusdem ſubſtantia eſſentialiter non diſtinguatur; primum tamen agens di-
ci non poteſt: calor namque ſeparatus ſecundùm Auicennam, calefaceret; nihilominus
primum agens apud ipſum non dicitur. Ad confirmationem, negatur conſequentia: non
enim ſequitur, Anima eſt ſemper actus, dans formaliter eſſe viuum: ergo ſemper effi-
cit, producitque actum ſecundum, nempè intelligere, & velle. Etenim agens inde-
pendens, cuiusmodi eſt Deus, ſemper agit, quippè, cùm non habeat eſſe partici-
patum. At, agens, quod eſſe habet per participationem, id præſtare nequaquam po-
teſt, limitata ſiquidem actionis eſt. Ad 3. negatur ſimilitudo: non enim ſimiliter ſe ha- 3.
bent eſſe & eſſentia, ac operari & potentia: eſſe enim & eſſentia ſunt realiter idem in cre- Potentia & agere in creaturis diſtinguũtur realiter, non autem eſſe & eſſentia.
aturis: operari verò, & potentia, realiter diſtinguuntur. proinde, prima combinatio eſt
falſa, quòd ſcilicet, ſicuti ſe habet potentia ad agere; ſic etiam ſe habet eſſentia ad eſſe:
nam ſecundùm omnium propemodum ſententiam, potentia, & agere in creatura eſſen-
tialiter differunt, non autem eſſe, & eſſentia. ideo rectius diceretur: ſicut ſe habet eſſen-
tia ad eſſe; ita planè potentia ad poſſe, ſed nihil haberet tunc contra nos virium. Ad il-
lud de prædicamentis adductum teſtimonium dico, naturalem potentiam abſolutè non
eſſe in prædicamento qualitatis; ſed facilitatem potiùs vtendi huiusmodi potentia, velu-
ti eſt facilitas naturalis ad currendum, ad pugnandum, & quæ ſunt generis eiusdem.
Ad 4. committitur fallacia conſequentis: nam & ſi maior in aliquibus vera ſit; vniuer- 4.
ſaliter tamen eſt falſa. vera quidem eſt in motu locali, qui corporibus ineſt, mediante
quantitate: per quantitatem enim corpora formaliter, ſeu fundamentaliter, locum occu-
pant. in aliquibus autem aliis falſa eſſe probatur: calefactio namq; in aliquo eſſe poteſt,
ſine medio alterius accidentis, vt pote humiditatis, ſeu frigiditatis. Dices, erit ſaltem me-
diante quantitate. At, quia in generatione, corruptioneq́; quoniam immediatè ſiunt in
materia, fiatq́; in illis reſolutio vſq; ad materiam, quantitatis medio non indigent: motus
præterea ad quantitatem, eſt immediatè in ſubſtantia: ergo &c. Ad 5. maior eſt fal- 5.
ſa, vt pote Ariſtoteli contraria 7. met. vbi apertè diſſerit ſubſtantiæ generationem, ſub-
ſtantiam præexiſtentem requirere, non autem accidentis, accidente præexiſtente, quip-
pè, cùm ſubſtantia illius eſſe poſſit immediatum productionis principium: ſiquidem ac- Subſtantia immediatũ principium accidentium.
cidens agit, ob ſubſtantiæ virtutem, cuius profectò virtus, ſubſtantia eſt, & non acci-
dens, alioqui proceſſus eſſet in infinitum. cùm ergo dicis non eſſe operationis tranſeuntis,
omninò negamus. Et ad probationem, qua ſic dicis, forma ſubſtantialis, ſiue ſubſtantia
non eſt contraria formæ paſſi, dico: quòd quamuis ſubſtantia non ſit formaliter contra-
ria diſpoſitioni, atque formæ paſſi; virtualiter tamen bene poteſt eſſe contraria, ſicut
patet in actione tranſeunte æquiuoca, qua Sol lignum calefacit, expellitq́; frigus: virtu-
aliter planè calorem continet, quem per ſuam ſubſtantiam immediatè gignere valet. ex
quo patet, quòd ſubſtantia eſſe poſſit immediatum productionis accidentium principiũ.
Ad 6. negatur minor: potentiæ enim non ſunt plura eſſentialiter abſoluta diſtincta, ſed 6.
vnum tantùm abſolutum, nempè animæ ſubſtantia, à qua fluunt potentiæ, atq; ipſarum
actus, quorum diſtinctio, non abſoluti, ſed potentiarum diſtinctionem innuit. Ad con-
firmationem dico, duorum appetituum actus non eſſe propriè contrarios, cùm eiusdem
ſubiecti non ſint, ſed diſparatos potiùs. Ad 7. ex his, quæ dicta ſunt, patet ſolutio. Sanè, 7.
anima non agit per ſuam eſſentiam, quaſi eſſe haberet à ſeipſa, cùm dei ſit ſolius: ſed age-
re per ſuam eſſentiam dicimus, quippè, quæ agit per ſuas potentias, quæ ab ipſius ſub-
ſtantia eſſentialiter non diſtinguuntur. Ad authoritatẽ Commentatoris reſpondeo, ipſum
dubitatiuè loqui, vtrum anima in ſuas diuidatur potentias, ac in accidentia, nec ne? ſic
etiam Simplicij authoritas eſt intelligenda, nempè ipſum non de potentiis, ſed de habi-

 litatibus

litatibus ad ſecundam qualitatis ſpeciem pertinentibus, quæ ſcilicet potentias diſponunt naturales, loqui: alioqui illius ſententia falſa omninò eſſet: potentiæ enim ſunt in eodem genere cum ſubſtantia animæ. Quid ergo diſcriminis ſit, aut quomodo differant animæ potentiæ ab ipſius eſſentia, iam puto me dixiſſe. Reſtat modò ſapientiſsimi Mercurij textum proſequi, poſtquam de trinitatis myſterio balbutiendo nonnulla dicere auſi ſumus.

DE SPIRITV SANCTO.

MERCVRIVS.

Cum ſuo verbo mentem alteram opificem peperit, qui quidem Deus ignis eſt, & Spiritus numen.

Commentum II.

Textus exponitur. DIVINI Spiritus proceſsio, & origo à ſapientiſsimo Mercurio deſcribitur, idq́; profectò non humanitus, ſed diuinitus potiùs, non, inquam, philoſophi, ſed Euangeliſtæ perſonam gerens. Pymander, inquit, cum ſuo verbo, mentem alteram opificem peperit, qui eſt ignis, & ſpiritus numen. Paucis, multa complexus eſt, & quidem ſupra intellectus conditi intelligentiam, atq; virtutem. Sanè, huius ſancti ſpiritus proceſsionem, ortumq́; ineffabilẽ, quis enarrabit? Non vnius, ait, partus eſt, ſed Pymandri, eiusq́; lucidiſsimi verbi, ſiquidẽ nexus eſt amborum, & amor: amor autem vnius non eſt, ſed ad alterum fertur: ideo filius non dicitur, ſed ſpiritus. Etenim, proceſsio, quæ ſecundùm voluntatis rationem attenditur, non ſimilitudinis; ſed in aliquid mouentis rationem habet, atq; impellentis. Porrò; *Quare tertia perſona dicitur Spiritus.* nomen ſpiritus, quandam vitalem innuit impulſionem, motionemq́; quatenus ſcilicet aliquis ex amore mouetur, aut impellitur ad aliquid agendum. Rectè ergo perſona procedens per modum voluntatis, ſpiritus appellatur, qui à patre filioq́; procedit. Philoſophorum ſententias, quæ de hoc diuino ſpiritu palàm loquuntur, in principio huius ſecundi libri adducere curaui, vbi, nonnulla ipſius nomina ex philoſophorum argumentis ſubſtitui, atq; inſerui. Scribit enim Cyrillus libr. 1. contra Iulianum nonnullas philoſophorum ſententias, quas tetigiſſe me puto: deniq; vt clariùs habeantur, non pigebit aliquid addere. *Porphyrius.* Eſſe quidem ſummè deum bonum, ait Porphyrius: poſt illum autem & alterum conditorem, tertium & mundi animam. *Plato.* Animam mundi, Plato vt quidam dicunt, ſpiritum ſanctum vocat. viuificat enim ſpiritus, vt pote procedens à viuente. vnde illud Ioann. 6. *Hermes.* Spiritus eſt, qui viuificat. His conſentit Hermes ad Aſclepium: Vna ſola erat lux mẽtalis ante lucem mentalem, & eſt ſemper mens, mentis fulgida: & nihil aliud erat, quàm huius vnitas ſemper in ſeipſa exiſtens, & ſemper ſua mente, & luce, & ſpiritu omnia continens. Mens de mente, filius eſt, ſicut lux de luce: ſpiritus autem omnia continet: non angelus, aut aliqua alia creatura. *Spiritus omnia continet.* vnde interrogante quodam de diuino ſpiritu, ſic locutus eſt: Niſi prouidentia quædam eſſet omnium domina, ita vt verbum ipſum reuelaret; neque vos nunc amor talis tenuiſſet, vt de hoc quæreretis. hoc certè ſpiritu omnia opus habent: omnia enim portat, ſecundùm dignitatem: omnia viuificat, & alit, vita omnibus exiſtens ſemper fœcunda. *Spiritus alit. Virgil.* Spiritus intus alit, inquit Poëta, totamq́; infuſa per artus Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet. *Plotinus.* vnde Ploti. de tribus Imperatoribus: Animatio mũdi eſt ſpiritus dei, anima magna cœlũ

animauit:

animauit. habuit decus cœlum anima inducta, ante animam cadauer mortuum, terra, & aqua, imò verò tenebræ ipſius materiæ. Sed melius Triſmegiſtus quàm Plato, & Plotinus, quòd nuſquam inſeruit hanc diuinam animam orbi cœleſti. naſcente vtique hac anima non cum orbe cœleſti; ſed à duobus, Pymandro ſcilicet, ac ipſius diuino verbo. Pythagoras cùm didiciſſet ab Ægyptijs, hunc diuinum ſpiritũ cenſuit eſſe animam per omnem rerum naturam intentam, & commeantem. Vnde Cicero cùm de ordine mundi loqueretur, ſic ait: Hæc ita fieri omnibus concinentibus inter ſe mundi partibus, profectò non poſſent; niſi ea vno diuino, & continuo ſpiritu continerentur. Plotinus: Anima, inquit, & ſi vna res ſit, imago tamen mentis eſt, ceu verbum in prolatione verbi, quod eſt in anima: ſic & ipſa eſt verbum mentis, & omnis operatio, qua effundit vitam in alterius ſubſiſtentiam; vt ignis, alia quidem caliditas eſt aſſiſtens, alia, quàm præbet. ſunt ergo duo exempla de ſpiritus ſancti productione; quòd ſcilicet producitur ſicut verbum ab animo, & ſicut calor exterius ſe diffundens, à calore, qui eſt in igne, cui inſeparabiliter exterior eſt coniunctus, quàmquam eſt alter: nam non exiſteret calor circumfuſus, ſi diſcederet calor in igne, ſiue ipſe ignis. Simile exemplum eſt de ſole, & radiis. Quidam perperam ſenſa antiquorum intelligentes, eam eſſe dixerunt animam mundi, ex qua animi noſtri tanquam ſcintillæ lucerent, poſt hanc verò vitam in eandem reuertentes. Itaq; pater eſt primus, cauſa, rector, finis, fons, origo: filius eſt creator: ſpiritus ſanctus viuificator, ſicuti in ipſa redemptione apparuit: Pater miſit, filius venit, ſpiritus ſanctus aluit, afflauit, viuificauit. Calcidius: Origo omnium rerũ, inquit, eſt ſummus Deus, poſt quem prouidentia eius, ſecundus Deus, lator legis: tertia eſt ſubſtantia, quæ ſecunda mẽs, intellectusq; dicitur, quaſi quidam cuſtos legis æternæ: huic ſubiectæ ſunt rationales animæ, legi obſequentes ſummus ergo Deus iubet, ſecundus ordinat, tertius intimat: animæ verò legem agunt: lex porrò ipſum fatum eſt. hæc ille. ſic Calcidius profunda Platonicæ Theologiæ myſteria penetrauit. Philo, prouidentem gubernatorem, præfectumque mundi dicit: ergo ſumus Deus iubet, ſecundus ordinat, tertius intimat. Vetuſtiores Platonici, Proclo authore, primatum omnium rerum vnitatem eſſe dixerunt: ipſam autem mentem vnum multa: animam verò vnum & multa. Tria numina aſſerebant: primum eſt vnitas pater, qui eſt ante omnia, origine tantùm, eoq; eſt vnitas, & principium. Mens autem naſcens ab illo, eſt vnum multa: vnum, quia retinet naturam paternam: multa, quia facit ſecundùm numerum; eſt enim ſecunda, ab eaq; incipit numerus. Tertio loco eſt tertius Rex, vocatus vnum, & multa, addita copula; vt magis eum à primo diſtare ſecundum numerum deſignarent, quia ſecundo loco. Tertius ergo eſt vnum, & multa: quia tum procedit à primo, eoq; retinet naturam eius, & nomen: tum tertio loco exiſtens eſt, & multa: quia ſi tria ſepares, ab altera parte remanet vnitas, ab altera multitudo, nempè duo. Itaq;, Proclus animam deum vocat, non tamen fontaliter; ſicut primum; ſed ab illo productam, dariq; per medium ſecundum. Hæc autem, atque his ſimilia quàmplurima ex antiquiſſimis philoſophorum promptuariis depromuntur, atq; depromi poſſunt: omnis namq; veritas à quocunque dicatur, à deo eſſe, dubium non eſt. Quare ſi quid veri ab antiquis dictum ſit ſapientiæ cultoribus; operæpretium me facturum putaui, ſi illud ad noſtræ fidei decus, atque robur adducerem, vt vndique veritas pateſceret fidei.

De ſpiritu ſancto.

Pythagoras.

Cicero.

Anima per omnia means.

Plotinus.

Anima mundi.

Calcidius.

Nomina ſpiritus ſancti.

Philo.

Proclus.

Spiritus ſanctus vnum & multa.

QVAESTIONIS PRIMAE. CAP. I.

Spiritum ſanctum deum eſſe, ſacræ ſcripturæ clariſſimè oſtendunt.

ſancto.

Spiritus ſanctus fons eſt ſanctificationis.

SPiritus ſanctus fons eſt ſanctificationis, authore apoſtolo Paulo ad Rom. 1. Secundùm, inquit, ſpiritũ ſanctificationis. Et vt natura ſanctus eſt pater, & natura ſanctus eſt filius; ſic natura ſanctus quoq; ſpiritus veritatis. quapropter præcipua quoque hac appropriata ſancti appellatione dignus eſt. Quamobrem, vt arbitror, & apud Iſaiam, Seraphim tertiò ſanctus exclamare conſcripta ſunt: quoniã in tribus hypoſtaſibus naturalis ſanctitas perſpicitur. Non eſt autem hoc nomen ſolùm ſanctitatis cum patre, ac filio ipſi commune; ſed ipſa etiam ſpiritus appellatio: Spiritus namq; Deus eſt, & adorantes eum, in ſpiritu & veritate adorare oportet. Et Paulus: Dominus autem ſpiritus eſt, bonus eſt Deus, & ſpiritus quoq; bonus eſt: & dicitur: Spiritus tuus bonus, ſeu bonitas tua, deducet me in ſemitam rectam Pſalm. 143. Et Pſalm. 39. Verbo domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Vt ergo Deus verbum creator cœlorum eſt; ſic ſpiritus ſanctus firmam, ac ſtabilem virtutem cœleſtibus præbet etiam poteſtatibus. Pſal. 139 apertiſsimè docet hunc ſpiritum deum eſse: Quò ibo, inquit, à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Per vniuerſas vtiq; mundi partes pertranſire ſpiritus virtutem probans. Diuiſiones, inquit Paulus ad Cor. 1. 11. gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem dominus: Et diuiſiones operationum ſunt, & idem verò Deus eſt, qui operatur omnia in omnibus: ex quo apertè cernitur, ſpiritus ſancti operationem, operationi patris ac filij eſſe coniunctam. Hæc, inquit, operatus eſt vnus, atq; idem ſpiritus, diuidens ſingulis, prout vult. vnde in eadem epiſt. 3 Sicut, ait, nemo ſcit hominum ea, quæ hominis ſunt, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt; ſic & ea, quæ ſunt dei, nemo cognouit, niſi ſpiritus dei. nam, quemadmodum, nemo alienus ac peregrinus, intrinſecas poteſt animæ cogitationes inſpicere; eodem planè modo, ſi quis cum deo in ſecretis ipſius communicat, non alienum nec peregrinum ab eo cenſendum eſſe puto, qui profunditates iudiciorum ipſius inueſtigare poteſt. Præterea, vita nobis à deo per Chriſtum in ſpiritu ſancto præbetur: viuificat enim Deus, authore Apoſt. ad Timoth. Præcipio tibi, inquit, coram deo, qui viuificat omnia. Vitam præſtat etiam & Chriſtus Ioan. 10. Ego vitam æternam do. Viuificamur etiam per ſpiritum ſanctum, ſicut Paulus loquitur: Qui excitauit Chriſtum è mortuis, viuificabit etiam mortalia corpora, propter inhabitantem ſpiritum ſanctum in vobis. Deum ergo eſſe ſpiritum ſanctum, patet. Suffragantur nobis & alia ſanctarum ſcripturarum teſtimonia. Iob. 33. Spiritus dei fecit me, & ſpiramen omnipotentis viuificauit me: vbi & creationis, & viuificationis authoritas, ſpiritui ſancto tribuitur. ſic etiam Pſalm. 103. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ: non poterat enim longa peccatorum canicies, niſi nouo ſpiritu auferri, vnde Pſalm. 50. Et ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. ex hac autem innouatione, ambulat filia regis in fimbriis aureis circumornata varietate: de qua quidem ornatus pulchritudine propheta Iob, diuinitus afflatus, loquitur 26. Spiritus eius ornauit: ornamenta namq; cœlorum ſunt virtutes prædicantium, teſte diuo Gregorio. Præterea, ſi in nobis Deus habitare dicitur per ſpiritum ſanctum; non ergo diuinitatis expers eſt. Ex hoc ſcimus, ait Ioan in prima canonica 5. quod in nobis eſt, ex ſpiritu, quem dedit nobis. & Apoſtolus ad Cor. 1. 5. Neſcitis quòd templum dei eſtis, & ſpiritus ſanctus habitat in vobis? & ad Eph. 2. In quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum dei, in ſpiritu ſancto. Sanè, ſi deos nominamus eos, qui per virtutem perfecti ſunt, perfectio autem eſt per ſpiritum ſanctum; quomodo qui & alios efficit deos, priuatus ipſe deitate erit? Amplius, ſigna, quæ per Moyſen in Ægypto facta ſunt, digito dei facta eſſe legimus: digitus autem dei, ſpiritus ſanctus dictus eſt, non quia quædam parua virtus coëxiſtens deo ſit, ſicut corpori digitus; verùm quoniam vnum quid ex donis ſpiritus, quæ ſecundùm diuiſionem ſunt, gratia etiam ſanitatum eſt, id quod eſt vnum, & non vniuerſa ſpiritus dona di-

Iſaiæ. 6.
Dauid.
Cor. 2. 4.
Sanctus.
Bonus.
Spiritus.
Rimatur ſecreta.
Dat vitam.
Timoth. 6.
Spiritus dei fecit me.
Spiritus eius ornauit cœlos
Spiritus habitat in nobis.
Spiritus ſanctus digitus dei.

De ſpiritu ſancto.

dona digitum vocat. Digitus dei eſt hoc, inquit Tertullianus lib. quarto contra Marcionem, quod ſignificat etiam modicum, validiſſimum tamen. ſic & Chriſtus conſeruator vetuſtatum ſuarum, virtutem dei, digitum dixit. Deniq; , quia ſicut digito inſcribuntur leges; ita ſpiritus ſancti gratia lex noua ſcripta eſt in cordibus noſtris, per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, vt refert Auguſt. de opere monachorum. & in lib. de trinit.

Spiritus ſapientiæ.

Amplius, ſapientes nos reddit Deus, atque potentes per ſpiritum ſapientiæ: Iſaiæ. 11. Et requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ. Quomodo ergo eſt ſpiritus creatus? alioqui nihil prohiberet, quòd ſapiens & potens in creaturis eſſet Deus. Et 61. Spiritus domini ſuper me, eò quòd vnxerit me dominus, ad euangelizandum pauperibus miſerit me. Non quòd dominus Deus habeat dominum Deum, inquit Hieronymus; ſed quòd iuxta diſpenſationem carnis dicat ea, quæ humilia ſunt: ad quem Pſalmiſta 44. Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ conſortibus tuis: igitur, non eſt creatura, cuius vnctione vnctus eſt filius dei: alioqui creatura potior eſſet creatore, atque potentior. Et Iſa. 48. Nunc dominus Deus miſit me, & ſpiritus eius breui verſiculo, teſte Hieronymo, trinitatis oſtenditur ſacramentum.

Spiritus vnctuo.

Spiritus domini ferebatur.

In Geneſi legitur: Et ſpiritus domini ferebatur ſuper aquas: Ruah, hebraicè, ambiguum eſt, ad ventum, & ad ſpiritum ſanctum, reliquoſq́; ſpiritus, vt ait Baſilius contra Eunomium. ſed quia hic additur domini, conſtantiſſimè aſſeuerandum videtur, de ſpiritu ſancto locutũ fuiſſe Moyſen. Spiritus ergo ſanctus diſponebat aquas, & terram ad partum, meditabaturq́; futuram creationem. In lib. vetuſtiſſimo apud Hebræos, qui inſcribitur Bereſith Raba, id eſt maximus Geneſis ſcribitur, hunc eſſe ſpiritum Meſſiæ, ſcilicet ſpiritum ſanctum. Ferebatur ἐπιφέρετο ſuperferebatur: hebraicè, Rachaph: quæ vox, tum incubationem, tum agitationem ſignificat, vt eſt illud cantici Moyſis: Sicut aquila prouocans ad volatum pullos ſuos, & ſuper eos volitans: vbi eſt præſens verbum. volitans autem interpretantur hebræi deſuper incumbens: concuſſionem autem, aut agitationem, propriè incubationem auium ſuper oua. vnde Baſilius: Superferebatur, inquit, i. confouebat, & viuificabat aquarum naturam, quemadmodum ſolet auis ouis incubare, & vitalem quandam vim eis infundere. Diodorus quoque idem ſentit, ait enim: Hæc dictio ſuperferebatur, apud Hebræos ſignificat, quòd quemadmodum auis, oua confouet alis, vt ea quaſi animet; ſic ſpiritus ſuperferebatur aquis, vt eas procreabiles efficeret. hunc interpretandi ſenſum imitatur Hieronymus in quæſtionibus ſuper Geneſim: In hebræo, inquit, habetur, Merahefeth, quod nos appellare poſſumus, incubabat, ſiue confouebat, in ſimilitudinem volucris, oua calore animantis: ex quo intelligimus non de ſpiritu mundi dici, vt nonnulli arbitrantur; ſed de ſpiritu ſancto, qui & ipſe viuificator omnium à principio dictus eſt. ſi autem viuificator; conſequenter & conditor: quòd ſi conditor, & Deus. Sanè, ſi verbo dei facta ſunt omnia, cœli firmati, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum; quomodo igitur diſſeparabuntur inſeparabilia, verbum ſcilicet dei, & ſpiritus dei? vnde Apoſtolus ad Rom. 8. Accepiſtis ſpiritum adoptionis, in quo clamamus abba pater. Porrò, qui ſeruum accipit; filius à ſeruo non conſtituitur: nec propter ſerui participationem, patrem deum appellare audebit: nec ſeruus dei operatur omnia ſicut vult. non igitur eſt creatura, neq; ſeruus; ſed creator, & dominus, ſpiritus ſanctus.

Baſilius.

Diodorus.

Hieronymus.

Spiritus adoptionis.

Spiritus implet omnia.

Sapient, 1.

Amplius, cuncta adimplere, ſolius dei eſt: ſed ſpiritus adimpleuit vniuerſa, ſicut ſcriptum eſt per Salomonem: Spiritus domini adimpleuit orbem terrarum: quis ergo non ſentiat maieſtatem ſpiritus, cùm cœlum, & terram ſe implere dicat? Et in eodem capite: Si quis ſpiritum, inquit, Chriſti non habet, is non eſt eius. Quomodo igitur in æternum viues, niſi ſis Chriſti? Chriſti verò non eris, ſpiritum eius non habens. Inſeparabilis ergo à patre, filioq́; ſpiritus ſanctus, quia nimirum inſeparabilia ſunt opera trinitatis. Et ad Rom. 11. ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo omnia: vnus enim Deus eſt, ex quo omnia: & vnus dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia: & vnus ſpiritus ſanctus, in quo omnia. Deus ergo eſt, non creatura, in quo ſunt omnia. Ad Eph. 1. Obſignati

ti eſtis ſpiritu promiſsionis ſancto, qui eſt Arrabon hæreditatis noſtræ. Si obſignamur ſpiritu ſancto, cum deo obſignamur: quomodo erit factus ille per quem diuina nobis imago inſcribitur, & ſignacula naturæ non factæ manent in nobis, inquit Cyrillus? non enim alicubi ſpiritus in nobis inſtar pictoris, diuinam ſubſtantiam pingit, aliud ab illa exiſtens, neque hoc modo ad ſimilitudinem dei ducit; ſed ipſe Deus exiſtens, & ex deo procedens, tanquam in cera quadam, in ipſis cordibus capientium, quaſi ſignaculum viſibiliter infigitur. Amplius, iuſtificat peccantes Deus, nimirum habens poteſtatem dimittendi peccata: iuſtificat etiam ſpiritus ſanctus, teſte Apoſt. 1. Cor. 6. Et hæc quidem fuiſtis, ſed iuſtificati eſtis, in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu dei noſtri. Itaq; ſi in æquali ordine, cum deo ſecundùm naturam iuſtificat & ſpiritus; quomodo non erit conſubſtantialis cum ipſo? Item, à peccatis poſſe hominem liberare, perfectamq; libertatem tribuere, dei eſt ſolius largientis: at, id quoq; largitur & ſpiritus ſanctus cordibus credentium ad Cor. 2. 4. Vbi, inquit, Spiritus domini, ibi libertas: profectò largitor perfectæ libertatis creatura eſſe non poteſt. Clamat Aggæus propheta cap. 2. Ego ſum, inquit, dominus, & ſpiritus meus in medio veſtri. Et Ioel propheta cap. 2. Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ. Alius quoque propheta, nempè Ezechiel: Dabo vobis ſpiritum nouum, & cor nouum, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. hæc ſanè, atque ſimilia opera, quæ per oracula prophetarum ſpiritui dei attribuuntur, nequaquã eſſent illi attribuenda; ſi ſpiritus ſanctus expers eſſet diuinitatis. Valde ergo impiè agunt, qui creatum eſſe dicunt ſpiritum ſanctum. Qui in carne ſunt, inquit Paulus ad Rom. 8. deo placere non poſſunt: vos autem eſtis in ſpiritu, ſiquidem ſpiritus dei habitat in vobis, iſte eſt qui poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus; Quia nimirum, inquit Auguſt. poſtulantes nos facit. Et ad Cor. 1. 14. Spiritus loquitur myſteria: Deus eſt ergo ſpiritus. Cor. 2. cap. vlt. Gratia domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas dei, ac patris, & communicatio ſancti ſpiritus cum omnibus nobis. Non enim ſocios, & participes creaturarum precabatur fieri eos, qui crediderant; ſed potiùs participatione diuinæ naturæ ſanctificari. Impletur autem hoc per ſpiritualem ſocietatem cum ſpiritu, per quem diuinæ naturæ efficimur participes. Iſte ergo eſt ſpiritus ſanctus benedictus, Deus verus ex patre filioq; procedens, ſicut ſacra eloquia teſtantur: de quo ipſo opem nobis ferente, nonnulla edicere tentabo ad fidei noſtræ vtilitatem ſpectantia.

Spiritus ſanctus eſt iuſtificatio.

Spiritus S. eſt libertas.

Spiritus S. eſt Deus.

Spiritus nouus.

Spiritus loquitur myſteria.

CAP. II.

Spiritus ſancti proceſsio, quæ amoris dicitur.

Amoris rationes, quæ Spiritui ſancto attribuuntur.

SPiritus ſancti proceſsio, quemadmodum ſapientiæ cultores vbiq; affirmant, mutuæ charitatis modum poſsidet, necnon & liberalitatis, atq; perfectiſsimi, excellentiſsimiq; amoris. In creatura namq; rationali, hoc nomen ſpiritus, interdum à ſpirituali natura, quæ à corporea ſecernitur, interdum verò à ſpiratione dicitur, qui planè amor nũcupatur. Sanè, inſpirationis actus in corpore, internus actus eſt, cõtinuus, & viuificus, à calore manans: quia ergo amoris egreſſus, quatenus amor eſt, ab intrinſeco planè venit, amorq; eſt actus viuificus, quippe, qui eſt vita, actusq; continuus, ſi amor perfectus extiterit, qualis ſcilicet eſt ſpiritus ſanctus: quamobrem, quia calor eſt ſpiritualis, ipſe ſolus ſpirari dicitur: ſpiritus enim motionem, impulſionemque ſignificat; quæ profectò ad amorem præcipuè ſpectant, cuius vi, amans in amatum fertur. Sed ſi hæc ita intelligas, abſq; dubio, hoc nomen ſpiritus, ſancto tantùmmodo conueniat ſpiritui, neceſſarium eſt: ſpirare namq; in ſpiritualibus, amoris ſolius eſt: ideoq; illa perſona, quæ eſt amor, ſpiritus ſanctus appellatur: pater namq; atq; filius, hunc

Spiritus quid ſignificet.

ſpirant

ſpirant amorem: is autem cùm in deum, cùm etiam in ſancta nos adhortetur agenda, rectè, vereq́ ſpiritus ſanctus dictus eſt. Itaq́ in diuinis, emanatio per modum voluntatis, amor nominatur, nobiliſſima eſt enim: idcirco amori congruit, quæ eſt affectionum præſtantiſſima, vtpote radix aliarum potentiſſima. Nihil planè ita delectat, ac amor mutuus, in quo ſunt omnes propemodum ſpiritualis ſubſtantiæ delitiæ, atque oblectamenta virtutum. Quare ſpiritum ſanctum, amorem vocamus, tum quia eius proceſſio per modum amoris habetur, vtpote per voluntatis actionem, cui congruit amoris partus, atq; origo: tum quia immiſſis in nos ſui amoris iaculis, dei facit amatores.

Plato.
Amor magnus Deus.

Magnus ergo Deus eſt amor, teſte Platone in conuiuio: Etenim omnis natura dæmonum inter mortales deosq́ eſt media, interpretatur, & traijcit humana ad deos, diuina ad homines: horum quidem preces, & ſacrificia, illorum præcepta, ſacrosq́ ſolennes, inſtitutiones, & ordinem, in vtroq; conſtituta, totum complet, & vniuerſum ſecum ipſo totali vinculo connectitur.

Nexus in diuinis eſt ſpiritus ſanctus.

Quam ob cauſam nexus nominatur: ſiquidem pater vnica dilectione ſe, & filium diligit, & viciſſim filius, patrem, quæ ſpiratur amor mutuus, qui eſt ſpiritus ſanctus, à duobus procedens, tanquam amborum nexus, & vnio. Si enim ille ſanctus ſpiritus amor eſt in quo pater, & filius communicant; proculdubio, amborum nexus, ſeu vnio dicitur: quoniam amor, peculiari propriaq́ appellatione, nexus nominatur. Quamuis enim in ſancta, ac indiuidua trinitate, non ſit loci, ſubſtantiæq́ diuiſio; eſt tamen in illa perſonarũ diſtinctio, quæ profectò hoc nexu connectitur.

Amor quid ſit
Plato.

Bene ergo amor heros dictus eſt, teſte Platone in Phedro, idq́ à romis, .i. à robore, & vehementia: omnia certè amore aguntur, & quæ in cœlis, & quæ in terris habentur.

Plotinus.
Amor dicitur heros.

Plotinus enn. 3. lib. 5. cap. 3. Amor dictus eſt heros, quoniam ab horaſeos, .i. viſione ſubſtantiam habet. Amor ſanè ſupernæ animæ talis exiſtit, ſuſcipiens quoque ipſe ſublimia, tanquam animæ illius pediſſequus, atq; ex illa peneſq́ illam genitus, deorumq́ contemplatione contentus: cùm verò animam illam, ſeparatam eſſe dicamus, animam, inquam, primum cœlum illuminantem; non iniuria hunc etiam amorem ſeparatum eſſe fatebimur. Illic ergo tantùm ſit ille amor, vbi eſt inuiolabilis anima. Verus igitur amor, eſt anima inuiolabilis, fortaſſis illa, quam in principio huius appellauit animam mundi.

Cratyllus.

Cratyllus: Heros, inquit, dicitur, quia isrhi, hoc eſt, influit: proprium planè eſt amoris influere, atque immittere ſuæ virtutis influxum.

Sophocles.

Sophocles, influxum huiuſmodi himerota .i. blandam, & ſuauem perfuſionem vocat, à rho .i. fluxu, animam vehementer illiciente dictam. Et hæc quidẽ de nominis Ethymologia dicta ſint, quæ profectò ſpiritui ſancto quàm optimè congruere video: ipſe enim eorum eſt robur, atq; vehementia, quos ſua imbutos virtute, regit atq; tuetur.

Amor blanda perfuſio.

Ipſe, inquam, eſt ille amor ſeparatus à putri ſordidoq́ huius mundi amore: deniq; influxus eſt intimus, atq; blanda, ſuauisq́ perfuſio: Charitas, inquit Apoſtol. dei diffuſa eſt in cordibus noſtris.

Spiritus ſanctus amor

Non ergo immeritò, etiam ſecundùm nominis interpretationem, ſpiritus ſanctus amor dicitur.

Amoris locus

Cæterùm, amoris locus nobis eſt inquirendus, vt ipſius loci cognitione perſpecta, familiariùs, ac ſecuriùs illius familiaritate frui valeamus. Eſt autem amoris locus abditus, atq; abſconditus, vtpote intus latens, veluti res pretioſa, habitans in loco omnium præſtantiſſimo, atque viuaciſſimo.

Auguſtinus.
Duo fontes amoris.

Fons amoris, inquit Auguſti. lib. de ſubſtantia dilectionis cap. 1. intus eſt, atq; ſalit: duos riuos infundit, quorum alter charitas, alter verò cupiditas nuncupatur. vnicuiq; namq; rei, amor ineſt naturalis eſſendi, viuendi, durandiq́.

Orpheus.

vnde Orpheus in Argonautica, cùm de rerum principiis coram Chirone, heroibusq́ cantaret, Mercurij Triſmegiſti theologiam ſecutus, amorem in ipſius chaos ſinu locauit: ipſumq́ antiquiſſimum, ſeipſo perfectum, conſultiſſimumq́ appellauit: cum quo Heſiodus, Parmenidesq́ conſenſere.

Heſiodus.
Parmenides.
Plato.
Chaos triplex

Plato quoque in Timæo ibidem amorem locat. Eſt autem chaos triplex, primum quidem mens angelica: ſecundum, anima mundi, vt quidam aiunt: tertium materia ſublunaria. Mens autem angelica, vt eſſentia quædam, chaos dicitur; quia nimirum in primo ſuæ creationis momento, informis ha-

bebatur. Sanè, quoniam à deo nata eſt, ingenito quodam appetitu ad ſui principium conuertitur: ad quod profectò conuerſa, illius radio illuſtratur: illuſtrata autem, accenditur: accenſa, deo tota inhæret: inhærendo, formatur ideis. hæc eſt igitur naturalis a-

Conuerſio amoris.

moris conuerſio, radij infuſio, amoris pabulum, incendium ſequens, amoris incrementum, appropinquatio, amoris impetus, formatio, amoris perfectio, idearum omnium complexio, rerum pulchritudo.

Amor quid.

Profectò, locus ſpiritus ſancti eſt, patris filijq; ſinus, ex quo ſemper manat, in quo continuè quieſcit, per quem omnia agit, & operatur, ad quem omnia allicit, cui omnia vnit & connectit. amore ſiquidem, & cupiditate cœleſti excitatur anima; cùm perſpecta pulchritudine, & decore verbi dei, ſpeciem eius adamauerit, & ex ipſo zelum quendam, vulnus amoris acceperit. Amor planè circa pulchrũ

Plato.

verſatur, inquit Plato in conuiuio: ex quo neceſſariò ſequitur amorem eſſe philoſophum,

Amor circa pulchrum.

cùm philoſophus ſciat medium ignorantiæ ſapientiæq; tenere. Cùm igitur amor verſetur circa pulchra; felix vtique dicendus eſt, qui illa obtinuerit: poſſeſſione enim bonorum beati ſunt, quicunq; beati: omnes namq; bona ſibi cupiunt, atque nihil aliud præter bonum, homines amant. Amor ergo appetitio eſt, qua bonum ſibi ſemper eſſe quis cupit: hoc, partus eſt in pulchro, tàm ſecundùm animam, quàm ſecundùm corpus: omnium hominum prægnans & grauidum corpus eſt, prægnans & anima: et cùm primùm ad certam ætatem peruenerimus, parere noſtra natura cupit: parere verò in turpi nequit, in pulchro poteſt. Eſt ergo amor partus in pulchro: eſt amor ſempiternum quoddam &

Amor immortalitatis deſiderium.

immortale: eſt amor immortalitatis deſiderium: natura enim mortalis, ſemper & immortalis eſſe pro viribus nititur: hoc autem generatione duntaxat aſſequitur; quoniam ſemper alterum iuuenem veteris loco ſubſtituit. vnde idem animal, quamuis idem dicatur, nunquam in ſeipſo eadem continet: hoc remedio, quod mortale eſt, immortale fit: immortale verò alia ratione. Quamobrem mirari non debemus, ſi omnia germen ſuum natura chariſſimum habeant; nam immortalitatis gratia nixus huiuſmodi, atq; amor cuilibet ineſt: ſic homines notos ſeſe omnibus exhibere cupiunt, & in futurum immortalem gloriam conſequi. vnde, quò meliores homines ſunt, eò magis ad iſta contendunt; nam immortalitatem amant. Hanc aliqui filiorum generationem aſſequi ſperant: aliqui animam grauidam habentes, atq; fœcundam, magis quàm corpus, concipiunt prudentiam, aliasq; virtutes; quibus plenus, ac grauidus, ætate debita imminente, parere iam,

Pulchrũ quærunt homines in quo generent.

generareq; affectant: & idcirco paſſim vagantur, quæruntq; pulchrum, in quo generent: in turpi namque minimè generarent. Sanè, à diis omnia propter pulchrorum amorem ſunt diſpoſita: turpium quidem amor nullus eſt: nam amor eſt pulchritudinis deſiderium, turpitudinis verò minimè. Illud autem pulchrum appellamus, cuius gratia, ac participatione, alia pulchra ſunt, uosq; labores omnes ſubimus. Non enim hæc ex par

Pulchrum cõſtat ex omni parte.

te pulchrum, ex alia verò turpe eſt: neq; ad hoc quidem pulchrum, turpe verò ad illud: neq; imaginatione quadam ipſum pulchrum, quaſi vultus pulcher, vel pulchræ manus: neq; vt oratio quædam, vel ratio, vel ſcientia quædam: neq; in alio iacere putabitur, velut in animali, vel cœlo, vel terra, aut aliquo quopiam; ſed ipſum, per ſeipsum, cum ſemetipſo vniforme ſemper exiſtens: cætera verò omnia, quæ pulchra ſunt, illius

Aſcenſus ad pulchrum.

participatione pulchra ſunt. Porrò, ad veri ſummiq; pulchri cognitionem, atq; imaginẽ, quaſi quibuſdam gradibus aſcendimus, ab vno primùm in duo, & à duobus in omnia,

Pulchri ſpectaculum.

quæ pulchra ſunt corpora: & ab his in omnia officia pulchra: à pulchris officiis, ad doctrinas pulchras: à doctrinis multis, ad illius doctrinam, qui ſeipſo pulcher eſt: atq; ita, quid ſit ipſum pulchrum contemplamur. In hoc autem vitæ ſpectaculo viuẽdum eſt: quod ſi quando quiſpiam viderit, ſuprà quàm dici poſſit pretioſius auro, ornatiuſq; veſtibus cenſebit. Quàm felix illud ſpectaculum fore putamus, ſi cui contigerit, vt ipſum pulchrum intueatur, ſyncerum, integrum, purum, ſimplex, non humanis coloribus, aliiſq; nugis contaminatum. Cui id boni acciderit, non imagines virtutis vlteriùs; ſed vir-

tutes ipſas

tutes ipſas pariet. hoc modo deo amicus efficitur, ac immortalis. hic eſt legitimus, qui ad immortalitatem nos euehit amor. hæc eſt appetitio, qua bonum ſibi quiſq; ſemper adeſſe deſiderat. Sex igitur ſunt gradus, quibus diuinam attingimus pulchritudinem. Primus eſt, à pulchro viſibili ad inuiſibile conſcendere. Secundus, ad intellectum: vbi agentis intellectus lumine, communem illam ſpiritualem pulchritudinem cōtemplamur. Tertius, reflectimur ad opus, atq; ad vim intelligendi. Quartus, ad habitus, omneſq; pulchras in animo ſcientias. Quintus, ad intellectum angelicum aſcendimus. Poſtremò, ad ipſum idearum fontem. ſiquidem omnis multitudo ad vnum, quod eſt in multitudine, refertur: & vnum quod eſt in multitudine, ad vnum, quod eſt ſupra omnem multitudinem. Quare, quum multa ſint pulchra, nulliq; inſit pulchritudo per alterum; oportet ſingula eſſe pulchra per pulchritudinem communem; non communitate quidem prædicationis, vt dicunt peripathetici, ſed cauſalitatis potiùs, vt dicunt Platonici. Hæc eſt prima pulchritudo, quæ omnibus pulchris inſerit pulchritudinem, à cuius virtute, veluti ſigillo, character formoſitatis imprimitur. Hæc igitur quæ videntur pulchra, primæ veræq; pulchritudinis opera cenſenda ſunt. Siquidem pulchritudo eſt plurium concinnata gratia, authore Plotino enn: primæ lib. 6. quam ſi in animo perpendas, ea nimirum ex virtutum ſplendore venuſtas eſt in corporibus, ex coloribus lineiſq; mira cum congruitate coaleſcentibus conflatur, in ſonis eſt modulata iocunditas. Cæterùm, intellectus habet iudicium pulchri, ob inſitæ pulchritudinis formam, alioqui iudicium inter pulchra ferre nō poſſet. Eſt igitur intellectus vniuerſalis quædam pulchritudo, & ſpecies ſpecierum, quandoquidem ſpecies ſint contractæ quædam pulchritudines. Quam ob cauſam, pulchrum mirum in modum nos afficit, vtpote nobis cognatum, & congenitum; idcirco illud libenter amplectimur. Non ergo immeritò pulchritudo circulus quidam appellatur diuinæ lucis, à bono manans, in bono reſidens, per bonum, & ad bonum ſemper reflexus. huius autem pulchritudinis deſiderium, amor appellatur. Itaq; ſi amor eſt huiuſmodi pulchritudinis, ac immortalitatis appetitus; cui aptius aptari, atq; congruere poteſt, quàm ſpiritui ſancto? ipſe enim eſt illud verum, primumq; pulchrum, quod omnia appetunt, quod immortalitatem largitur. Iure ergo amor dictus eſt. Quid igitur ſit amor, & quomodo Spiritui ſancto congruat, hæc ſufficiant.

Sex gradus aſcendendi ad pulchrum.

Omnia referuntur ad vnum.

Quibus ineſt vera pulchritudo.

Plotinus.

Intellectus pulchritudo.

Pulchrū nos afficit.

CAP. III.

Qui quidem deus ignis, ac ſpiritus numen.

SPiritum ſanctum deum eſſe, atq; amorem, paulò antè balbutiendo dixi, vellem modò, ſi non clauditur porta prophanis, ſapientiſſimi Mercurij verba proſequi, ac eundem ſanctum ſpiritum, ignem eſſe oſtendere: quemadmodum ipſemet Mercurius proteſtatur: Qui quidem Deus ignis eſt, *inquit. Ad hunc etiam modum Moyſes in Deuteronomio loquitur 4. Dominus deus tuus ignis conſumens eſt, flammis ſanè ſui amoris, quas implet mentes, accendit, atq; rubigine peccatorum conſummata, & abſumpta, mundas, puraſq; reddit authori. Amor planè, teſte Dionyſio 7. de cœleſti hierarchia, ignis eſt, & deus ignis eſt, nō bonorumquidē conſumptor, ſed bonæ voluntatis auctor: exurit namq; quicquid eſt materiale, & terrenum, quod verò ſyncerum eſt, probat & fouet. Non temere ergo Paulus ad Timotheum ſcribens 1. 6 Deum, ait, habitare inacceſſibilem lucem. Et Dauid vaticinat: Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. Eſt enim ignis omnium potentiſſimus, ſemper viuens, motu perpetuus, omnia diuidens, non diuiſus, ad ſe prorſus omnia aſſumens, alienam fugiens mixtionem, cœleſtia ſemper repetere contendens. Quam ob cauſam veteres ignem verebantur extinguere, ne naturæ cœlitus viuen*

Spiritus eſt ignis.

Moyſes.

Dionyſ.

Paulus.

Dauid.

Ignis laudes.

Phœnicũ theologia de igne.

ti, vim viderentur inferre. Phœnicum Theologia, diffuſam eſſe per vniuerſum pronunciat, & omnibus inſitam naturam quandam tralucidam, atq; lucentem in ſeipſa, quaſi ex diaphano & lumine temperatam, neq; mixtioni vnquam alienæ, neq; paſſionibus vllis obnoxiam: hanc autem, actum quendam puræ intelligentiæ Phœnices appellant: purã, inquam, ſed extra procedentem, lumen habentem inuiſibile, & incorporeum, corporei autem, atq; viſibilis luminis cauſam exiſtentem. Eiuſmodi verò lumen anima mundi propria mente conceptum, ſua in natura parit, atque inde quaſi ſpiritum efflat, & emittit: quem ignem nominare poſſumus, atq; animale lumen, omnium rerum fomitem, & principium vnde eſt illud: Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo.

Oraculum Apollinis.

Quam ob cauſam, oraculum Apollinis de hac materia ſic locutum fuiſſe legimus: Immortalis, ineffabilis, pater æterne, ſacer, dominator in campis æthereis, vbi poteſtatis tuæ robur eſt defixum, indeq́; omnia deſpicis, pulchris & auribus audi: exaudi filios tuos, quos dilexiſti ad omne tempus: tua enim ſupra mundum, & cœlum ſidereum, aurea ſupereminet magna & æterna poteſtas, ſuper qua eleuaris ſplendore teipſum excitans, perennibus riuis nutriens animũ infinitum, qui producit hæc omnia, forſitans materiam indeficientem, quam generatio circumuagatur, quoniam illam formis obligaſti: tu forma es in omnibus formis, & anima, & ſpiritus, & concentus, & numerus. Vnde interrogatus dæmon, an ipſe eſſet Deus, reſpondit. Eſt ſupra cœleſti vaſtitate, deſuper fulgon motus, immenſum æuũ: Eſt autem inter beatos ineſtimabilis, incomprehenſibilis pater magnus:

Flammæ dei immenſa profunditas.

Eſt flamma dei immenſa profunditas, repens voluitur rapidè cum ſtrepitu. Ignis autem ille æthereus non habet ardorem; ſed placida combuſtione, ſeculum ſeculi miſcetur ex deo ipſo: per ſe genitus, indocilis, ſine matre, inconcuſſus, cuius nomen ſermone non capitur, in igne habitans.

Deus habitat in igne.

hoc deus, exigua verò pars dei, nos angeli.

Alud oraculum.

Exigua pars dei angeli.

Aliud quoq; oraculum: Eſt ſupra cœleſti igni, incorruptibilis, ardens flamma, vitalis, omnium fons, omnium quoque principium, quæ & producit omnia, & producens omnia abſumit, ex ſe apparens, inlocabilis, incorporeus, immaterialis. Illic circũ Olympũ diffunditur in orbẽ: hinc rurſus paruus promicat ætheris ſplendor, Solem, lunam, & aſtra accendens. Erat Iupiter, eſt & nunc, & erit: ô magne Iupiter, hei mihi deficit oraculorum claritas: heu heu tripodes plangite, obijt Apollo: obijt, quoniam flammans cœleſtis lux vim adhibet. Hoc oraculum primum quidem deſcribit ſanctiſſimæ trinitatis locum, quem dicit eſſe ſupra cœleſtes orbes, extra anni ſoliſque vias, vbi eſt largiſſima lucis copia, mundus lucis viuentis, vbi æuum infinitum, id ſcilicet quod eſt ſupra tempus: ipſa eſt æternitas, dicta Græcè αἰὼν, quia nimirum ſemper fuit. Illic æternitas, illic ignis æternus, deus ipſe, cuius ſplendore deterritus Apollo, idola ſua relinquere coactus eſt: illic infinitæ lucis ætas.

Cœlum empyreum.

hinc noſtri vocauerunt cœlum Empyrion, id eſt, igneum, nam ipſe deus vocat eum φλογινὸν ardorem. Deum quoq; habitare in igne aſſerit. Similia etiam loquitur Homerus, approbaturq́; vehementer ab Ariſtotele:

Olympus.

Olympum dictum quaſi ὀλολαμπῆ, totum ardentem, de quo Homerus:

Homerus.

Venit olympum, vbi ſedes diuûm dicitur eſſe
Immota, hæc vento haud quatitur, nec ſpargitur hymbre.
Non nix decidit, at ſplendor puriſſimus albet,
Et ſine nube nitor, campos hic occupat omnes.

Democritus.

Democritus, mentem ipſum deum appellat, igneam mundi animam: habuit hoc à Chaldæis, qui deum ignem dixerant, in ſententijs Zoroaſtis: Sunt ab igne vno omnia nata.

Plotinus.

Recitat Plotinus enn. 2 lib. 1. cap. 6. Timæi ſententiam, qua dicebat, mundi corpus ex igne eſſe compoſitum. & 7. cap.

Plato.

Platonem ſecutus: Accendit, inquit, teſte Platone, deus lumen circa ſecundam à terra ſphæram, ſolem certè ſignificans, quem alibi nuncupat ſplendidiſſimum, eundemq́; nitidiſſimum. Quibus in verbis omnem à nobis ſuſpicionem abigit, ſuſpicantem aliquid illic aliud præter ignem. Significat etiam nullam adeſſe ignis aliam qualitatem præter lumen, quod quidem eſſe ait à flamma diuerſum: calorem verò lenem

tantùm,

De ſpiritu ſancto.

tantùm,atq; ſuauem. Rectè ergo à ſapientiſſimo Mercurio ſpiritus ſanctus ignis vocatus eſt,cuius locus igneus eſt, ignea quoq; poteſtas, demq; & ignea lex. cuius profectò ignis cœleſtis vbiq; vigentis,actus quidam manifeſti ſunt, ſtellarum radij, æther, ignis apud nos accenſus, omnium corporum potentiſſimus, in actu ſemper exiſtens, quod ex formæ efficacia apparet, motuq; perpetuo, quo omnia ſibi cupit ſimilia fieri. Apud Romanos nihil templo Veſtæ ſanctius habebatur, in quo ignis perpetua virginum cura ſemper ardebat. Stoici ignem, id eſt, vnum ex quatuor elementis, viuentem, & ſapientem, & ipſius mundi fabricatorem, atq; omnium, quæ in eo ſunt, eumq; omninò ignem deum eſſe putauerunt. Cicero de natura deorum: Stoici, inquit, omnem vim dicunt eſſe ignem, Heraclitum, vt veriſimile eſt, ſecuti: & Zeno princeps illorum, naturam, quam eandem deum putauit, ſic finit: Ignem artificioſum ad gignendum progredientem. ex corporei namq; ignis virtute, proprietate, conditioneq; ad illius æterni ignis aſſurgimus conſideranda myſteria. Multiplex ſanè eſt ignis vſus, & ſignificatio; ideo cœleſtibus attribuitur corporibus, atq; caloris & ſplendoris, vitaliſq; vigoris principium dicitur: eſt namq; ignis calefactiuus, illuminatiuus, aſcenſiuus, ſolidatiuus, diſtinctiuus, liquefactiuus, incineratiuus. Calefactiuus quidem, quia ignis actio, eſt calor maximus 8. met. com. 5. Ignis calor eſt in eo, veluti in gladio abſciſſio, & actio manus in manu, hoc eſt, eſt illius proprietas, non autem eius ſubſtantialis differentia. Illuminatiuus, ex ſeipſo enim non lucet, niſi alteri corpori miſceatur. 4. cœli. com. 32. Nam quemadmodum aquæ congelatio contingit, quæ ex vaporum mixtione temperatur; ita etiam & ignis lux ob terræ mixturam in denſo lucet: Actio ſiquidem inſequitur formam in materia denſa exiſtentem. Aſcenſiuus, ſuperna namq; perpetuo motu repetere ſtudet, veluti ſibi proxima, & cognata. Solidatiuus, prima planè intentione homogenea congregat, heterogenea verò ſegregat per accidens. 3. cœli. com. 74. & 2. da genera. com. 8. In vnum finem redigere atq; vnire, inquit, ipſius ignis eſt, diſgregatio verò per accidens: congregat namq; ſimilaria: id autem, quod alienum eſt, ſegregat, atq; à ſeipſo ſeparat. Ignis certè natura aurum ab alijs diuidit rebus, quæ ab illius virtute proprietateq; alienæ reputantur. Sic calor naturalis in cibum agens, ſimilaria congregat, diſſimilaria ſeparat. Porrò, quæ congregantur, ſolidantur vtiq;, atq; firmitatem, confirmationemq; accipiunt. hac etiam ratione Diſtinctiuus vocatur, quippe, qui vnum ab altero ſeparet. Liquefactiuus, lapides ſanè in æs igne ſoluuntur: igne ferrum gignitur, & domatur: igne cremato, cæmenta in tectis alligantur. Eſt etiam igni medica vis, peſtilentiæ ignis ſuffitu abolentur, Empedocles, & Hyppocrates id monſtrauerunt. Incineratiuus, caloris namq; eſt excoquere, & defæcare materiam. Ignis ob ſui motus velocitatem, formæ eſt pyramidalis. 3. cœli com. 69. ſatagitq; perpetuò ſuæ formæ conſeruandæ. com. 67. eiuſdem libri. Ignis præterea, non eſt certè ignis in actu, niſi in calore, & ſiccitate, quæ ſunt in ſummo, 3. cœli com. 67. Ignis enim eſt ſuperabundantia caliditatis, ſicut glacies frigiditatis, 2. de gen. com. 21. Amplius, igne excepto, cætera elementa putreſcunt 4. meteo. com 1. & 2. de anima. com. 97. Amplius, varia eſt ignis, atq; multiplex inuiſibilium rerum natura commoditas: cœlum in ſole, & luna, aliiſq; ſideribus mira pulchritudine venuſtat: terram illuminat, atq; pariendi fœcunditatem præbet: reliqua quoq; elementa, atq; corpora tum quidem animata, tum verò inanimata protegit, animat, fouetq;. Magna ergo eſt ignis virtus, atq; dignitas: magna planè, quæ non immeritò ſpiritui ſancto ſit attribuenda. Ipſe quippe eſt ignis calefactiuus per donum ſapientiæ, accendit enim ad deum cognoſcendum, amandumq;. Illuminatiuus per donum intellectus. ignis ſiquidem in ſua ſphæra non videtur, ſed in denſo lucet: ita & ſpiritus ſanctus in ſua non cognoſcebatur maieſtate ob lucis ſuæ immenſitatem: vbi verò rationali vnitus eſt creaturæ, extemplò emicuit illius gloriæ ſplendor, ac ſanctitatis fulgor longè lateq; diffuſus apparuit. Aſcenſiuus per donum concilij, ad euangelica profectò promouet conſilia ſeruanda, vrgetq; ardua virtutum conſcendere. Hoc autem agit diuinus ille ignis, vt

Ignis efficatia

Templum Veſtæ.

Stoici.

Cicero.

Heracli.

Zeno.

Ignis proprietates.

Calefactiuus.

Illuminatiuus.

Aſcenſiuus.

Solidatiuus.

Diſtinctiuus.

Liquefactiuus.

Incineratiuus

Ignis forma.

Quid ſit ignis

Ignis proprietates ſpiritui ſancto aptantur.

Dona ſpiritus ſancti per ignis proprietates oſtenduntur.

fluxis

fluxis caducisq́ rebus dimiſſis, antiquam noſtram patriam repetere ſtudeamus. Solidat, atq́ vnit per donum fortitudinis: diſtinguit verò per donum ſcientiæ: liquefacit autem per donum pietatis: Anima mea liquefacta eſt, ait Cant. 5. vt dilectus meus locutus eſt mihi. Incineratiuus per donū timoris: timor enim domini exſiccat oſſa, & in fauillam cineremq́ reddit animam contemplantis. formæ eſt pyramidalis, quemadmodum & cor,
Ignis forma & vita. *ob motum, quo ſurſum ſemper agitur. Ignis in calore viuit, ſicuti etiam ſpiritus diuinus ſine amore conſiſtere non poteſt: vtpote, quia Ignitum eloquium ſuum vehementer. hic eſt ille ignis, quem Ieremias 20. ferre non poterat: Et erat, inquit, ignis flammigerans in oſſibus meis. hoc igne calefacta ſunt corda illorum diſcipulorum euntium in Emaus: Nonnè cor noſtrum, inquiunt, Lucæ 24. ardens erat in nobis? Hic ignis viſus eſt Abrahæ in Geneſi, quando ſuæ poſteritatis præuidit extremam captiuitatem, non multò poſt illi euenturam. hic ignis apparuit Moyſi Exod. 4. Et videbat quòd rubus arderet. Scribit autem Philo. in media illa flamma, deum eſſe conſpectum. hic ignis Paulo oſtenſus eſt in Damaſcum proficiſcenti: Et vidi inquit, ſuper ſplendorem Solis lucem. hic ignis corda accendit Apoſtolorum pariter in eodem loco morantium. hunc ignem miſit dominus in terram, eodem quoq́ baptizare ſtuduit, in ſpiritu & igni. Rectè ergo ſapientiſſimus Mercurius loquitur, qui quidem deus ignis eſt. Quòd autem ſpiritus ſanctus, deus ſit & ignis, dixi.*

QVAESTIONIS SECVNDAE CAP. I.

Proceſſio ſpiritus ſancti eſt libera, & neceſſaria:

Quid ſit proceſsio. *POſt textus elucidationem, ad Theologorum doctrinam accedamus, in primisq́ quæramus, quid ſit proceſſio ſpiritus S. Proceſſio eſt ſolennis egreſſio perſonarum maximè ſpectabilium, non ſine quadam grauitatis feſtiuitate, ſuam præſentiam exhibentium, idq́ cum magno populi applauſu. Porrò, proceſſio in diuinis emanatio quædam eſt ab altero per modum gignentis, aut inſpirantis. De prima quidem legimus illud euangelij Ego à deo proceſſi, & veni. De ſecunda verò: Spiritus qui à patre procedit. Quæ profectò prima eſt eiuſdem ſpiritus proceſſio: ſecunda autem, quando ferebatur ſuper aquas: ad creaturarum enim formationem perficiendam, fabricandamq́ egredi, quædam eſt diuina proceſſio. tertia, tum proceſſio ipſius emicuit, cùm ſpiritualibus donis creaturam exornauerit: Spiritus namq́ eius or-*
Iob. David. *nauit cœlos: & illud Dauid: Et ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. inter quæ planè ornamenta, illud maximum reputatur, quòd locutus ſit per ora ſuorum, qui à ſeculo ſunt, & prophetarum, & Apoſtolorum eius. Vltima verò ſancti ſpiritus proceſſio, in ſanctificatione apparuit creaturarum, purgatione peccatorum peracta, per charitatem diffuſam in cordibus noſtris. Sed his omiſſis, primam tātùm proſequamur, quam diximus liberam eſſe, atq́ neceſſariam. Duæ autem in diuinis, vt paulò ante diſputauimus, proceſſiones*
Principium S. ſpiritus eſt voluntas. *numerantur: quarum altera, filio, altera verò ſpiritui ſancto attribuitur. primæ, intellectus, ſeu memoria; ſecundæ, voluntas principium nominatur. Sicut enim ſe habet memo-*
1. *ria ad verbum; ita abſq́ dubio voluntas ad amorem ſpiratum: ſed memoria, vt memoria parens verbi eſt, authore Auguſt. 9. de trin. quemadmodum in primo libro dictum eſt:*
2. *igitur voluntas parens eſt amoris ſpirati. Amplius, quod procedit, vt donum, & datum, a voluntate vtiq́ procedat, neceſſe eſt: nam hæc ſunt voluntatis opera: ſed ſpiritus ſan-*
3. *ctus procedit, vt donum: igitur per modum voluntatis. Amplius, diuina voluntas cùm liberaliſſima, tum fœcundiſſima ſit, non poteſt non producere perſonam, ſuæ naturæ conformem, nempè ſpiritum ſanctum, ſicuti natura fœcundiſſima, filij perſonam: dilectio ſiquidem mutua, & reflexa nobilior eſt, maximè ſi communicata fuerit, ad boni certè*

ſpectat

 De ſpiritu ſancto.

ſpectat naturam, ſeipſum communicare. Quòd ſi rebus ad extra ſuam deus communicat bonitatem; quantò magis ad intra, vbi eſt naturalis productio, & eadem naturæ conformitas? Non eſſet reuera vtriusque ſexus fœcunditate pleniſsimus, ſi altero partu careret. Adhuc, quicquid nobilitatis in creaturis inuenitur, eminentiori quodam modo deo eſt attribuendum, ne deo aliquid huiusmodi deeſſe videatur. ſed duplex eſt modus producendi, quo natura vtitur in creaturis, naturæ ſcilicet & voluntatis: igitur in deo duplex eſt modus producendi pleniſsimus. Sanè, ſi natura fœcunda filium genuit, eadem omninò ratio eſſe videtur; vt voluntas fœcunda, perſonam pariat amoris. Adhuc, quemadmodum ab æterno omnia per verbum deus diſpoſuit eſſe facienda; ita profectò, & per ſpiritum ſanctum omnia eſſe ſanctificanda. ſed per filium omnia fecit: igitur per ſpiritum ſanctum omnia nobis voluit, & donauit. hoc autem intereſt, inter creaturæ, ac ſpiritus ſancti productionem; quòd illa à deo procedit per modum libertatis, non eſt tamen ratio volendi; ſpiritus verò ſancti etſi per modum procedat libertatis, eſt nihilominus intrinſeca, perfectiſsimaque ratio & volendi, & donandi. Cæterùm, ſpiritus ſancti proceſsio nedum eſt libera, verùm etiam neceſſaria: non neceſsitate vtique violentiæ, quæ ex efficiente pendet, vel cogente: neque neceſsitate indigentiæ, vtpote materiæ, & finis; ſed immutabilitatis, & inæuitabilitatis. Quod enim producitur eiuſdem ſubſtantiæ cum producente, ſi producens eſt neceſſarium, & productum. Item, voluntas perfectiſsima, circa obiectum perfectiſsimum, perfectiſsimè producit amorem obiecto æqualem, ſiue adæquatum, alioqui non ſeſe perfectiſsimè erga obiectum haberet; ſed interdum poſset à recta ratione deficere, quod in deum cadere non poteſt, qui eſt ſua rectitudo. obiectum autem cùm ſit perfectiſsimum, nempè ſua eſſentia, quoniam illud neceſſariò vult, amorem profectò illi æqualem neceſſariò producit: hæc autem eſt ſumma neceſsitas, hoc eſt, maxima libertas. neceſsitas namque principij naturalis, vel eſt ſimpliciter prima in agendo, vel ab alio dependet, & determinatur: ſed voluntatis non eſt eſſe ab alio, ſed à ſeipſa, ſicuti à ſeipſa eſt voluntas: igitur, & liberè vult, & voluntariè ſeipſam determinat. Quamuis enim intellectus, reſpectu eiusdem, prior ſit voluntate; ipſe tamen voluntatem non determinat; ſed à ſeipſa voluntas terminatur. Quare, ſi quispiam capere poſsit, cur voluntas circa aliquod obiectum neceſſariò operetur, idque à ſeipſa; is certè libertatem neceſſariam facilè percipiet, ac ſi naturam circa aliquod obiectum neceſſariò operantem videns, neceſsitatem naturalem intelligeret. Porrò, huiusmodi, non contradictionis, ſed abſolutam vocamus neceſsitatem, in qua ſimul libertas, & neceſsitas conſiſtunt. libertas autem eſt actiuitas voluntatis. vnde Auguſt. in enchy: cap. 62. Neque ob id voluntas libera dicenda non eſt, qua ſic volumus, vt non ſolùm miſeri eſſe volumus, ſed nec omninò eſſe poſsimus. Voluntas ergo, qua beatitudinem neceſſariò optamus, libera eſt, non coacta, quia liberè id appetit. Quòd ſi in nobis viget hæc libertas neceſſaria; quantò magis in deo, qui eſt ſua libertas, atque ſeipso beatus? Sanè, qui ſic habet quod decet, & expedit, vt hæc amittere nequeat, liberior eſt. Ex quo patet, quòd illud, quod procedit vt amor, liberè procedat; amore enim liberius eſt nihil: quoniam autem illud idem intrinſecum eſt, & non aliquod extrinſecum; neceſſariò quoque procedat, neceſſe eſt: præter enim ea, quæ ſunt intrinſeca in diuinis, nihil aliud eſt neceſſarium. Itaque ſpiritus ſancti proceſsionem liberam eſſe, atque neceſſariam neceſsitate vtique immutabilitatis manifeſtum eſſe arbitror.

4. 5. 6. (margin numbers)

Diſcrimen inter ſpiritus ſancti & creaturarum productionem.

Neceſsitas qualis ſit in productione ſpiritus ſancti

Auguſt.

Libertas eſt actiuitas voluntatis.

CAP. II.

Spiritum ſanctum non produci liberè & neceſſariò.

Quod neceſſariò producitur, illud ſanè nequaquam voluntate producitur, quia nimirum liberè non producitur: ſed ſpiritus ſanctus, quoniam perſona eſt neceſſaria, neceſſariò producitur: non ergo voluntate, & liberè. potentiæ ſiquidem 1.

Diuerſi principiandi modi, eidem potentiæ non competunt.

ſiquidem rationales ſunt ad oppoſita, vt refert philoſ. 9. met. Principium autem ad oppoſita poteſt producere, & non producere: at ſpiritus ſanctus non poteſt non produci, ſicuti non poteſt non eſſe: igitur, potentia ad oppoſita, qualis eſt voluntas, eſſe nequit ſpiritus ſancti productionis principium. Reuera, quod per voluntatem producitur, ſuæ cognitioni præcognitum eſt: voluntas enim in agendo præſupponit intellectum. ſed ſpiritus ſanctus non eſt præcognitus ſuæ productioni, alioqui exemplatus eſſet, & ideatus: ergo quod prius. Amplius, voluntas eſt potentia operatiua non ergo eſt productiua; operatio enim eſt actus immanens: igitur voluntas in diuinis eſt operatiua tantùm ad intra, quippè, quæ habeat actum volendi, non autem alicuius productiua perſonæ, quæ ſuppoſitaliter diſtincta ſit à producente. Sanè, ſi voluntas in creaturis, quæ à natura realiter diſtinguitur, non eſt ſubſtantiæ producendæ principium, ſed natura; quantò magis voluntas in diuinis, quæ à natura tantùmmodo ratione ſeparatur? Voluntas igitur in diuinis communicandæ ſubſtantiæ, perſonæq́ producendæ principi m eſſe non poteſt. Amplius, voluntas, quatenus eſt voluntas, vnicam dicit perfectionem, reliquas verò aut virtualiter, aut formaliter amplecti, ſua non intereſt, ſed eſſentiæ potiùs, quæ authore Damaſceno, eſt omnium perfectionum pelagus infinitum: igitur, non eſt principium producendi: vnica enim perfectio, quæ aliquibus aliis poſterior eſt, omnium profectò aliarum nequit eſſe perfectionum principium: alioqui principium formale, quo, formalis ipſius perfectionis termino imperfectius eſſe videretur. Profectò, diuerſi principiandi, producendiq́ modi, eidem nequeunt conuenire potentiæ: ſed producere contingenter, & neceſſariò, modi reputantur diuerſi. Igitur, ſi diuina voluntas creaturas producit contingenter, non ergo ſpiritu.n ſanctum neceſſariò producit; vnius namq; potentiæ vnus eſt modus agendi. Planè, ſicut neceſſarium & contingens diuidunt ens in eſſendo; ita abſq; dubio, & principium in principiando. ſed idem, atq; vnicum ens, neceſſarium & contingens, etiam quorumcunq; reſpectu eſſe non poteſt: nec ergo principium contingenter ac neceſſariò producendi, vni ac eidem conuenire poteſt potentiæ. Reuera, eodem ſimpliciter indiſtincto aliquid neceſſariò, circa obiectum neceſſariò volitum produci, aliquod verò contingenter vt creatura, per neceſſariò volitum, eſt impoſſibile: ergo quod prius: nam principium naturaliter producendi in deo, neceſſariò vtiq; producit, liberum verò, contingenter: ſed principia huiuſmodi inter ſe diſtinguuntur: igitur liberè ac neceſſariò producendi

4. *authoritas, eidem nequit conuenire principio. Amplius, aut voluntas diuina eſt naturæ communicandæ principium, quatenus eſt abſolutè voluntas aut verò, vt infinita, & diuina Non quidem primo modo alioqui eundem in omnibus effectum haberet, quod planè in creaturis falſum eſſe conſtat, quibus diuina voluntas, ſuam naturam nequaquam cōmunicat; voluntate tamen diuina conditæ conſiſtunt: neq; etiam quatenus infinita, infinitas namq; intrinſecus modus eſt, atq; perfectionalis, ſeu perfectus, rei rationem non varians: idcirco nouam ſubire non poteſt rationem principiandi. Quare, ſi voluntas ſecundùm quidem abſ lutam rationem, non eſt ratio naturæ ſubſtantialis communicandæ, nec etiam quatenus eſt infinita, aut diuina, diuina ſiquidem deitate dicitur: ideo non voluntati, ſed eſſentiæ potiùs conuenit principium producendi. Sanè, voluntas ſepoſita eſſentia non eſt totale, aut ſufficiens ſpiritus ſancti principium productiuum. etenim, totale productionis principium, formali ipſius termino poſterius eſſe non poteſt. ſed voluntas eſt poſterior eſſentia, quæ eſt formalis terminus ſpirationis actiuæ: igitur, ex ſe abſolutè nō eſt producendæ, ſeu communicandæ perſonæ principium, ſed eſſentia potiùs. Ergo ſpiritus ſanctus voluntate non producitur. Amplius, natura eſt vis inſita rebus ex ſimilibus ſimilia procreans. Sed ſpiritus ſanctus, eſt ſimilis producenti in natura: per naturam ergo, & non per voluntatem producitur. Etenim, vnum, atq; idem ſimpliciſſimum, cuiuſmodi eſt eſſentia diuina, diſtinctis productionibus communicari, eſt omninò impoſſibile. ſed eſſentia diuina tota ſimul filio communicatur per modum naturæ. nō ergo ſpiritui*

ſancto

ſancto communicari poteſt per modum voluntatis. Sanè, eſſentia diuina eſſe non poteſt actiuæ ſpirationis terminus: aut enim eſſet, vt in perſona, aut verò vt in ſeipſa, idq́ ſecundùm rationem ſui. non primum planè, alioqui eſſentia, vt in perſona, ſpiratione eſſet poſterior: neq; ſecundum, eſſentia enim ſecundùm ſe eſt indiſtincta, tribusq́ communis, atq; ita in tribus ſpirationem terminaret. igitur, non communicatur per voluntatem ſpirantem. Adhuc, quod procedit in ſimilitudine naturæ in viuentibus, genitum dicitur, at- 6.
que natum, ſiue naſcens: ſed id, quod in diuinis eſt per modum amoris, in ſimilitudine procedit naturæ, alioqui à diuina natura reputaretur alienum, eſſetq́ proceſſio ad extra: igitur, ſpiritus ſanctus, etiamſi procedat per modum amoris; vim nihilominus obtinet naturæ potiùs, quàm voluntatis. Profectò, ad amoris rationem, ſimilitudo æquè ſpectare videtur, ac ad diuini verbi, authore Sapiente: Eccle. 13. Omne enim animal diligit ſibi ſimile. ſed modus producendi per naturam, non autem per voluntatem verbo conuenit: igitur eundem productionis modum, ſpiritui ſancto attribui debere, prorſus neceſſarium eſt. Sanctum itaq; ſpiritum non voluntate, ſed natura produci, manifeſtum eſſe arbitror.

CAP. III.

Soluuntur argumenta.

AD primum, verum quidem eſt, neceſſitatem coactionis, libertati obſiſtere, 1.
atq; cum ea conſiſtere non poſſe, non autem neceſſitatem immutabilitatis, & exigentiæ, quæ eſt ſumma libertas, quemadmodum paulò ante dictum eſt. Ad confirmationem, voluntas eſt ad oppoſita, non tamen indifferenter cuiuſuis obiecti vel termini reſpectu: nam in diuinis, quæ ſunt ad intra prorſus neceſſaria ſunt, in quæ non cadit libertas contradictionis: libera autem eſt ibi, productio, atq; neceſſaria, quia diuina voluntas, ad perſonam illam producendam ſe liberè determinat: neceſſaria verò, quia quod producitur, non habet temporis, aut naturæ principium. Porrò, voluntas diuina, non inſtar alicuius artificiati, ad intra ſpiritum ſanctum producit, ſed inſtar potiùs amoris ſubſiſtentis. Quare, quod ſic per voluntatem producitur, non opus eſt, per proprium actum eſſe præcognitum, ſed extrinſeca tantùm. Sanè, ſpiritus ſanctus à ſuis producentibus præcognitus eſſe non poteſt. id namq; ſi abſtractiuè fieret, non parum diuinæ derogaretur perfectioni: abſtractiua enim cognitio imperfecta eſt, ideo, deo conuenire non poteſt. neq; etiam intuitiuè, alioqui vt exemplatus haberetur, atq; ideatus, ſuæ quoq; adhuc productioni præexiſteret: omne enim diuinum intuitiuè cognitum, cognitioni ſui intuitiuæ coexiſtit. Ad 2. negatur conſequentia: voluntas 2.
namq; nedum eſt operatiua, verùm etiam ſuæ operationis productiua, atq; elicitiua, quæ quidem operatio eſt amor, vel velle, & aliquando nolle. Quamobrem diuina voluntas nedum operationem habet, quæ eſt velle, quæ, inquam, producta non eſt; verùm etiam ad intra, amorem non quidem inhærentem, ſed ſubſiſtentem producit, qui vtiq; eſt ſpiritus ſanctus. Ad confirmationem, negatur conſequentia: voluntas enim diuina eiuſdem planè cum humana rationis non eſt, neq; vniuoca appellatur: propterea rationes illæ nihil virium habere poſſunt. Ad 3. negatur antecedens: nam voluntas, ob realem, quam habet 3.
cum eſſentia, identitatem, ex ſua certè ratione formali, omnem prorſus perfectionem ſimiliter continet. ex quo patet principium eſſe tum perſonæ communicandæ, tum etiam perfectionum ſimpliciter omnium. Ad confirmationem dico, verum quidem eſſe in creaturis liberè, & naturaliter producere, diuerſos eſſe producendi modos: in deo autem, minimè. habent ſiquidem ordinem ad diuerſa obiecta, neceſſitas vtiq; eſt producendi, ad infinitum obiectum, contingenter verò, ad finitum. Eadem quoq; facilitate, ſecunda ſoluitur confirmatio: in diuinis namq; vnum tantùmmodo eſt principium neceſſarium,

Neceſsitas immutabilitatis eſt ſumma libertas.

Spiritus ſancti eſt libera, & neceſſaria productio.

Amor eſt operatio productiua.

Producere neceſſariò & liberè ad diuerſa obiecta.

nempe diuina eſſentia, quæ cum memoria filium, cum voluntate verò, ſpiritum ſanctum producit: hæc autem reſpectu extrinſeci obiecti contingenter ſe habet, neq; ex hoc in deum aliqua cadit diſtinctio ſeu diuerſitas, quippe, cùm nulla ſit in producente, ſed in productis mutatio.
4. *Ad 4 Reſpondeo, voluntatem, principium eſſe producendi, quatenus diuina eſt, & infinita. Porrò, infinitas, eius ſcilicet, cui voluntas conuenit, rationem non variat: productionis autem neceſſitas, tum ex voluntatis, tum etiam ex obiecti prouenit infinitate: vnum autem ſine altero, ad hanc neceſſitatem non ſufficit: ſed ambo ſint, neceſſe eſt. voluntas enim infinita, non poteſt non eſſe recta, neq; poteſt non eſſe in actu, alioqui eſſet potentialis. In actu ergo recto, neceſſariò ſemper exiſtit. Illius autem voluntatis obiectum primum, eſt diuina eſſentia: diuina ergo voluntas in actu recto exiſtens, ſemper vult obiectum, quod ex ſe eſt appetendum Vnde, ſicut ex neceſſitate principium eſt volendi; ita planè amoris ſubſiſtentis, communicandi. Itaq;, infinita voluntas, habens obiectum præſens atq; perfectiſſimum, vult quidem bonum illud, eiusdemq́; ſpirat amorem. Ad confirmationem, patet ſolutio: voluntas namq; ſine eſſentia non eſt principium producendi, neq; viciſſim, ſine voluntate, ipſa quoq; eſſentia amorem ſubſiſtentem, & infinitum produceret. voluntas ergo diuina ex ſua propria, formaliq; ratione infinita eſt: diuina verò, diuinitate, ob primam planè perfectionem diuinam.*

Voluntas infinita in actu recto ſemper exiſtit.

5. *Ad 5. ſpiritus ſanctus ob naturæ idemptitatem, patri in natura ſimilis eſſe dicitur, non autem ex vi ſuæ productionis: idcirco patris imago non vocatur, quemadmodum in primo dixi, cùm de patris imagine diſputarem. Ad confirmationem dico, maiorem veritatem in his habere, quæ per productionem eſſe ſimpliciter recipiunt: quod profectò ſpiritui ſancto conuenire non poteſt, qui non accipit eſſe poſt non eſſe ſimpliciter. Ad 2. confirmationem negatur antecedens, & ad probationem reſpondeo, quòd eſſentia ſecundum ſe, productionem terminet: quæ, quamuis ſemper ſit in tribus perſonis; ipſa tamen non quatenus eſt in perſonis, productionem terminat.*

Spiritus non dicitur imago

6. *Ad 6. Quoniam quidquid in diuinis eſt, vnum eſt cum diuina natura: hac de cauſa, ex parte huiusmodi vnitatis propria cuiusq; proceſſionis ratio accipi non poteſt. Reliquum eſt, vt ſecundùm vnius ad aliam perſonæ proceſſionem attendatur propria ratio producendi. Porrò, ſpiritus ſanctus, quoniam per modum amoris procedit, quamuis naturam habeat eandem, natus tamen non dicitur. Ad confirmationem dico, ſimilitudinem alio modo ad verbum ſpectare, alio autem ad amorem. ad verbum quidem ſpectat, quatenus ſcilicet quædam eſt rei intellectæ ſimilitudo, ſicuti geniti ſimilitudo eſt generantis: ad amorem verò, quatenus ipſa ſimilitudo ſit principium amandi. Ex hoc autem non ſequitur amorem eſſe genitum, ſed genitum potiùs eſſe principium amoris: cæterùm, quia in creaturis, naturæ communicatio, per generationem tribuitur: Deum autem ex creaturis nominare conſueuimus: proceſſio verò, quia generatio non dicitur, ſine quodammodo proprio nomine manet, quanquam ſpirationem nonnulli appellent, quòd ſcilicet ſpiritus ſit proceſſio. Quomodo ergo voluntas ſit principium ſpiritus ſancti; dixiſſe me puto.*

Quare ſpiritus non dicitur natus.

CAP. IIII.

Spiritum ſanctum à Patre Filioq́. procedere.

Spiritus ſanctus procedit à filio.

NON parua extitit inter antiquos ſapientes, de hoc negocio controuerſia, quam ipſe adducere tentabo, rei veritate primùm oſtenſa, nempè Spiritum ſanctum nedum à Patre, verùm etiam à filio procedere: ſic enim diuinus tubicinat Euangeliſta, Ioan: 16. Cùm venerit Paracletus (inquit) quem ego mittam vobis à Patre. Profectò, filius authoritatem non haberet mittendi, ſi ab eo Spiritus ſanctus non procederet. Et iterum: A ſemetipſo non loquetur, ſed

Ioan.

De ſpiritu ſancto.

tur, ſed quæcunq; audiet loquetur, & de meo accipiet. Semper itaq; audiet Spiritus S. inquit Auguſt: in Ioan. 16. tract. 91. quia ſemper ſcit: hoc eſt enim illi audire, quod ſcire: & ſcire illi hoc eſt, quod eſſe. ab illo igitur audiuit, à quo eſt: ab illo eſt, à quo procedit. Non vos eſtis qui loquimini, ait Matth. 10. ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. Et Paulus ad Galath. 4. Miſit Deus Spiritum filij ſui in corda veſtra, clamantem Abba Pater. Non duo tamen, ſed vnus eſt ſpiritus; quia vna fides, vnus ſpiritus, vnum baptiſma.

Auguſt.

Iterum autem vocatur ſpiritus Chriſti, Rom: 8. Qui ſpiritum Chriſti non habet. Cur ergo non credamus, quòd etiam de filio procedat, cùm eius ſpiritus dicatur, & ſit? Plane, ſi ab eo non procederet, non diceretur Ioan. 20. Inſufflans ait: Accipite Spiritum ſanctum. Quid enim aliud ſignificauit illa inſufflatio, niſi quod procedat ſpiritus ſanctus etiam de ipſo? Lucæ 8. Noui ex me virtutem exiiſſe: virtutis nomine ſpiritum ſanctum intelligens, quemadmodum dictum eſt Mariæ: Et virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Lucæ 1. & Actor: 1. Donec induamini virtute ex alto. Et virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.

Spiritus ſanct. vocatur ſpiritus Chriſti.

Vocatur etiã virtus Chriſti.

Si ergo de patre, & filio procedit ſpiritus ſanctus; cur filius dixit, de patre procedere; quia vtiq; ſolet ad patrem referre, quod ipſius eſt? vnde eſt illud Ioan: 7. Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me. A quo enim habet filius vt ſit Deus, eſt ſiquidem Deus de Deo; ab eo habet vtiq;, vt ab eo procedat ſpiritus S. ac per hoc ſpiritus ſanctus, vt etiam de filio procedat, ſicut procedit de patre, ab ipſo habet patre. Quam ob cauſam, non dicitur natus, ſed potiùs procedere ſpiritus ſanctus: nam ſi filius diceretur; amborum vtiq; filius diceretur, quod abſurdiſſimum eſt: filius quippè nullus eſt duorum, niſi patris & matris: ſed hæc in diuinis inueniri non poſſunt: itaq; Spiritus non de patre procedit in filium, & de filio procedit ad ſanctificandam creaturam; ſed ſimul de vtroq; procedit, quamuis hoc filio pater dederit. Neque enim poſſumus dicere, quòd non ſit vita ſpiritus ſanctus, cùm vita ſit pater, vita ſit filius: atq; ideo ſicut pater cùm habeat vitam in ſemetipſo, dedit & filio habere vitam in ſemet ipſo; ſic ei dedit vitam procedere de illo, ſicut procedit & de ſeipſo.

Quare non dicitur natus.

Spiritus ſanctus non procedit de patre in filium.

Aſſentitur & his Baſilius lib: 2. contra Eunomium: Non eſt, inquit, aliquid in rebus, quod filio inſit, & à patre ſit alienum. Omnia (ait) mea, tua ſunt, & tua mea: quomodo ergo ſpiritus cauſam, & originem, quidam vnigenito ſoli attribuit, & ad eius accuſandam naturam, huius creationem accipit? amborum enim, id eſt patris, ac filij ſpiritum eſſe, Paulus apertè demonſtrat. Vos (inquit) non accepiſtis Cor: 1. 2. ſpiritum huius mundi; ſed ſpiritum qui ex Deo eſt. Et ad Rom: 8. vocat ſpiritum Chriſti: Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Non ergo fas eſt nobis conſeruum, aut creaturam dicere, qui in diuina & beata trinitate numeratur.

Baſilius.

Spiritus ſanctus non eſt creatura.

Hoc idem proteſtatur Athanaſius in ſymbolo: Spiritus ſanctus à patre & filio, non factus, nec creatus, nec genitus; ſed procedens.

Athanaſius.

Didymus etiam in lib: de ſpiritu ſancto, ſpiritum ſanctum à filio procedere, clariſſimè docet, expones illud Euangelij: Non enim loquetur à ſemetipſo, hoc eſt, non ſine me, & ſine meo, & patris arbitrio; quia inſeparabilis eſt à me, & à patris voluntate; quia ex ſe non eſt, ſed ex patre, & me eſt: hoc enim ipſum, quod ſubſiſtit, & loquitur, à patre, & à me illi eſt. Item, ſpiritus ſanctus, qui eſt ſpiritus veritatis & ſapientiæ, non poteſt audire à filio loquente, quæ neſcit; cùm hoc ipſum ſit, quod profertur à filio, id eſt, procedens deus de deo: Spiritus veritatis, procedens à veritate: conſolator manans ex conſolatione.

Didymus.

Amplius, Cyrillus eiuſdem quoq; eſt ſententiæ in epiſtola ad Neſtorium: Spiritus, inquit, intelligitur per ſe, ſecundùm quod ſpiritus eſt, & non filius; ſed tamen non eſt alienus ab eo: ſpiritus enim veritatis nominatur, & profluit ab eo, ſicut ex Deo patre. Et lib: 6. de Trinit: verbi autem dicitur ſpiritus ſanctus, quia ex eo procedit ſcilicet.

Cyrillus.

Eandem quoque Chryſoſt. imitatur doctrinam in quadam homil. de expoſitione ſymboli: Iſte eſt, inquit, Spiritus procedens de patre & filio, qui diuidit dona propria, vt vult. Et in alia iterum homil: Credendum eſt ſpiritum ſanctum

Chryſoſt.

patris eſſe, & filij. Iſtum Spiritum ſanctum dicimus patri & filio coæqualem, & proce-
Hieronymus. dentem de patre, & filio. Suffragatur nobis diuus Hieronymus in ſymbolo ad Ruffinũ:
Sicut enim vnus dicitur pater, & alius non eſt pater: & vnus dicitur vnigenitus filius,
& alius vnigenitus filius non eſt; ita & ſpiritus ſanctus vnus eſt, qui de vtroq; proce-
Ambroſius. dit, ac cuncta ſanctificat. Hoc idem diuus confirmat Ambroſius, lib: 1. de Spiritu ſan-
cto cap: 10. Spiritus ſanctus, inquit, cùm procedat à patre & filio, non ſeparatur à pa-
tre, non ſeparatur à filio. Itaq; omnes propemodum tum Græci, cùm etiam Latini the-
ologiæ principes præclariſſimi, ſpiritum ſanctum à patre filioq; procedere, clariſſimè
doctiſſimèq; oſtendunt. Quam planè rei, fideiq; veritatem, non paruis etiam rationibus
Prima ratio. aſtruere firmareq; valemus: quarum vna talis eſt, ſuppoſitum perfectiſſimum, habens
principium productiuum, ſub alia quidem prioritatis ratione, quod ſanè acceptum nõ
eſt, per productionem huiuſmodi principio adæquatam; illud profectò ſuppoſitum, ſe-
cundùm principij naturam, virtutem habet producendi: ſed filius in diuinis, eandem
habet cum patre eſſentiam atq; voluntatem, quæ ſimul vnum ſunt ſpiritus ſancti produ-
cendi principium; ſub alia tantùmmodo prioritatis ratione, vtpote, quòd omnia habet
à patre. nec illud habet per productionem illi adæquatam principio: nam filius non
procedit per modum voluntatis. igitur filius poteſt producere ſpiritum ſanctum, ſecun-
dùm principium, quod à patre accepit. ſi poteſt, ergo producit: nam in diuinis ad in-
tra, potentia non diſtat ab actu: ſiquidem in perpetuis non differunt eſſe, & poſſe. Am-
2. plius, in quocunque ſunt principia productiua, ſecundùm eſſe quidem ordinata, in ope-
rando planè eundem ordinem habebunt; modò quodlibet illorum, eandem habeat per-
fectè operandi virtutem: id autem dixerim, ob formam ſubſtantialem, quæ in creatu-
ris, accidentali certè forma prior eſt ſecundùm eſſe: accidentalis verò, prior eſt in ope-
rando; quod planè nonnullam formæ ſubſtantialis imperfectionem indicat, quæ ſtatim
nequit in actum exire, ſi priùs non præceſſerit actio accidentaliter diſpoſitiua. Sed pa-
Pater habet duo principia productiua. ter habet duo principia perfectiſſimè productiua, memoriæ, voluntatisq; fœcundita-
tem ſcilicet. altera autem, puta memoriæ fœcunditas, ordine ſaltem originis, volunta-
tis fœcunditatem præcedit, primòq; patri conuenit, quatenus pater eſt: in illo ergo pri-
ori, planum eſt, filium principium habere ſpirandi, à patre vtiq; ſibi communicatum.
igitur ſecundùm illud ſcilicet principium, authoritas ſibi competit ſpiritus ſancti produ-
3. cendi. Amplius, quemadmodum tres perſonæ in his, quæ ſunt ad extra, eiuſdem habẽt
principij poteſtatem, vnaq;, ſine altera producere nequit; ita planè, quoniam pater &
filius, idem habent ſpiritus ſancti producendi principium; vnus certè ſine altero non
4. producit: ab vtroq; ergo ſpiritus ſanctus procedit. Item, ſi ſpiritus ſanctus à filio non
procederet, deſtrueretur in diuinis ſumma perfectaq; germanitas; quippè cùm filij, ad
ſpiritum ſanctum, & eiuſdem ad filium, nulla eſſet cognationis neceſſitudo: ſed hoc eſt
abſurdiſſimum, ne dicam impiiſſimum: igitur quod priùs. Itaq; intellectus, & volun-
tas, cùm in patre ſint perfectè actiua, ordinem certè quẽdam habent; quia nimirum in-
tellectus fœcunditas, aliquo modo priùs actum habet, quàm fœcunditas voluntatis. in
illo ergo ſigno originis, in quo voluntatis actu pater producit: idem prorſus eſt in patre
Idem principium productiuum in patre & filio. filioq; principium productiuum: proinde eadem productione, ſpiritum ſanctum, filium
cum patre producere, omnino tenendum, approbandumq; eſſe fatemur. Sanè, in illo pri-
ori communicatur genito omnis perfectio diuina, & ex conſequenti voluntas. habet er-
5. go tunc voluntatem, vt priorem producto per actum voluntatis; quia nimirum per a-
ctum modumq; voluntatis, nondum aliqua intelligitur perfecta productio: id autem pa-
tet ex potentiarum ordine: ſicut enim voluntas in operando præſupponere intellectum
dicitur; ita abſq; dubio in producendo. Actus præterea primi in aliquo ordinem habẽ-
tes, ſi vterq;, vt dixi, perfectè operetur; in ſuis certè actibus eliciendis, ſimilem habe-
ant ordinem, omnibus planè modis, neceſſe eſt. Cæterùm, quòd obiectum per actum

intellectus

intellectus præſens fiat; hoc certè neceſſarium eſt, ob potentiarum ordinem: nam obiectum ſecundùm ſeipſum ſufficienter præſens eſſe poteſt voluntati; ſicuti eſſentia diuina beatorum voluntati, nec alio modo opus eſt, vt præſens fiat. ſolum ergo, vt mihi videri videor, ex potentiarum ordine intellectio præcedit. Quare, ſi per impoſſibile aliquis ſine intellectu voluntatem haberet; poſſet vtiq; velle non cognitum, obiectiq; volitionem, abſq; cognitionis adminiculo, & ponere, & conſeruare. itaq;, ex potentiarum ſolùmmodo ordine illa prioritatis ratio procedere videtur, quamuis alij aliter ſentiant.
6. *Amplius, quoniam filius procedit per modum intellectus, vt verbum: ſpiritus autem ſanctus per modum voluntatis, vt amor: amor vtiq; à verbo procedat, neceſſe eſt. amamus enim, quod mente conceptum apprehendimus. Ex quo patet, ſpiritum ſanctum à filio procedere.*
7. *Adhuc, ipſe rerum ordo hoc docet, perſuadetq;: ab vno namq; plura, ſine ordine, niſi fortaſſis in his, quæ materialiter differunt, proficiſci, eſt certè impoſſibile: faber enim ærarius multa cudit vaſa, ab inuicem quidem diſtincta; nullum tamen ad inuicem ordinem habentia. at in rebus, quibus non ſola ineſt materialis diſtinctio, aliquis in multitudine ordo productorum ſemper habetur: vnde & in creaturarū ordine, pulcherrimus diuinæ ſapientiæ ordo quàm maximè apparet Quam ob cauſam, ſi à patris perſona, duæ procedunt perſonæ, filij, & ſpiritus ſancti ſcilicet; eorum ad inuicem aliquem eſſe ordinem, opus eſt: is autē eſt ordo naturæ, quo alius ex alio ſit. Quare, ſi filius & ſpiritus ſanctus ſic procedant à patre, vt neuter eorum ab alio procedat; materialem profectò illis diſtinctionem attribuemus, quod eſt falſum.*

Spiritus ſanctus ſi nō procedit à filio, materialis diſtinctio in eis inueniretur.

Adhuc etiam, ſecundùm aliquorum ſententiam, filius, & ſpiritus ſanctus, oppoſitis relationibus adinuicem referuntur, quæ profectò originis tantùmmodo ſunt. Porrò, oppoſitæ relationes originis, & ſecundùm principium, & ſecundùm quod eſt à principio, intelligendæ ſunt. 8.
Quamobrem, aut filium à ſpiritu ſancto, aut ſpiritum ſanctum à filio procedere, neceſſe eſt: ſed primum approbat nemo: reliquum eſt ergo, vt ſecundum approbemus, quod omnes propemodum verè ſummeq; ſapientes approbarunt; nempè ſpiritum ſanctum, à patre filioq; procedere. Quomodo ergo ſpiritus ſanctus à patre filioq; procedat, dixi.

CAP. V.

Spiritum ſanctum à patre tantùm, & non à filio procedere.

SPiratio paſſiua in diuinis, vni tantùm conuenit perſonæ: igitur & actiua. valet conſequentia: vtraq; enim eiuſdem perfectionis, eiuſdemq; incommunicabilitatis eſſe videtur. Quare ex vna tātùm perſona ſpiritus ſanctus procedit, nempè ex perſona patris; ex filij autem perſona nequaquam. Sanè, quemadmodum in nobis dilectio, ex verbo non procedit, quippè, cū notitia, volitionis reſpectu, cauſalitatem non habeat; ita profectò in prothotipo. Adde, quòd ſpiritus ſanctus perfectè procedit à patre: ſuperuacaneum ergo eſſet, ſi à filio procederet; quod in diuinis inueniri non poteſt. Inſuper, ſpiritus ſanctus, etiamſi à filio non procederet; ab eo nihilominus diſtingueretur, vt poſtea dicemus: in perpetuis autem non differunt eſſe & poſſe, 3. phyſ. multò ergo minus in diuinis. igitur ſpiritus S. à filio diſtinguitur, etiamſi ab eo non exiſtat.
2. *Amplius, à duobus idem produci principijs, ſiue producentibus æquè ſufficientibus, atq; efficacibus, eſt prorſus impoſſibile; poſſet enim ab vno, altero non exiſtente, produci: ſed ſpiritus ſanctus à patre producitur, veluti à ſufficientiſſimo producente: non ergo opus eſt, vt à filio producatur.*
3. *Adhuc, quod productum eſt, iterum produci non poteſt: ſed pater in primo ſigno originis*

producit

ſancto. producit ſpiritum ſanctum; vtpote, habens pleniſſimam voluntatis fœcunditatem, quod eſt ſpiritus ſancti producendi principium. in ſecundo ergo ſigno ipſum ſpiritum, filius
4. producere non poteſt. Præterea, ſi pater & filius ſimul ſpiritum ſanctum producunt, inter eos ſanè maior, quàm inter ſpiritum & filium germanitas eſſe videretur; ſimul enim ſpirarent, ac proinde maiorem cognationem ſimilitudinemq; haberent: ſed conſequentia eſt falſa; alioqui in diuinis non eſſet ſumma perfectaq; æqualitas, quod in pri-
5. ore libro confutauimus: igitur ſpiritus ſanctus à patre ſimul filioq; non procedit. Item, Græcorum eſt ſententia, ſpiritum ſanctum à patre tantùmmodo procedere: ergo quod
Damaſcenus. priùs. ſic enim Damaſcenus lib. 1. cap: 7. docere videtur: A patre, inquit, procedentem, & in filio quieſcentem ſpiritum ſanctum dicimus. Et 8. cap. Spiritum ſanctum dicimus ex patre, ex filio non dicimus. Et in epiſtola de Triſagio ad Iordanem: Spiritus ſanctus ex patre quidem eſt, non autem ex filio; ſed ſpiritus oris dei: ſpiritum ergo ſanctum à
6. patre tantùm procedere, Damaſcenus apertè docet. Iterum, nihil certè pro fidei articulo habendum, atq; ſuſcipiendum eſt; niſi illud diuinis literis aſtrui firmariq; poſſit: Nõ
Dionyſius. eſt, inquit Dionyſius Areopagita, audendum dicere aliquid, de ſubſtantiali diuinitate, præter ea, quæ diuinitus nobis in ſacris literis ſunt expreſſa: ſed diuina eloquia hoc tantùm proteſtantur, ſpiritum ſanctum à patre ſolùm procedere, quemadmodum Ioan: 15.
Spiritus qui à patre procedit ſcribit: Spiritus veritatis, ait, qui à patre procedit. ergo quod priùs. Symbolum etiam Conſtantinopolitanæ Synodi, hoc ipſum proteſtari videtur: Credimus, inquit, in ſpiritum ſanctum, dominum, & viuificantem, & ex patre procedentem, cum patre & filio
Beatus Andr. adorandum, & glorificandum. In eadem quoque ſententia fuiſſe videtur beatus Andreas, qui ait, ſpiritum à patre procedere, & in filio manere. In Symbolo quoq;, quod tranſcribi fecit Leo tertius, idem omnino dogma apparet: Et in ſpiritum ſanctum, ex patre procedentem. Igitur ſpiritus ſanctus ex filio non procedit.

CAP. VI.

Soluuntur argumenta.

1. Spiratio actiua non conſtituit perſonam. AD primum, negatur conſequentia: nam etſi diſtinctis productionibus idem produci non poſſit, nec etiam plura ſuppoſita, eadem productione; plura tamen ſuppoſita, poſſunt idem ſuppoſitum eadem productione producere. non ergo ſequitur; quòd ſi ſpiratio paſſiua ſit in vna perſona, actiuã quoq; in vna tantùm inueniri. ſimilitudo præterea neganda eſt: nam ſpiratio actiua, non eſt alicuius propria perſonæ, aut eiuſdem conſtitutiua: idcirco non eſt ſimile, ſicuti de ali-
2. is, quæ proprias perſonas conſtituunt. Ad primam confirmationem, negatur ſimilitudo: verbo enim noſtro, voluntas, principium amoris productiuum, nequaquam nobis cõmunicatur; quia eadem natura, cum mente non communicatur: ideo nec libertas formaliter, & ſimpliciter, ſicuti in diuinis. Dices, intellectus in filio non eſt productiuus: nec ergo voluntas: paris ſiquidem potentiæ eſſe videntur. Negatur iterum ſimilitudo: filius enim intellectum accipit per productionem adæquatam, non autem voluntatem. Ad confirmationem: ſi pater ſufficit ad producendum,ocioſa eſſe videtur filij cooperatio. Dico, non eſſe ocioſam filij ſpirationem, nec patris inſufficientem, ſed rei neceſſitate hoc fieri: pater namq; filio communicat voluntatem, quæ eſt ſpirandi principium, quod planè, quoniam vnum eſt in vtroq;, ex vtroq; vtique procedat, neceſſe eſt. Ad aliam confirmationem dico, ſpiritum ſanctum à filio perſonaliter diſtingui, ob id certè; quòd vnius origo, ab alterius origine diſtinguatur: originis autem differentia huiuſmodi eſt,
3. filium à ſolo patre eſſe ſcilicet; ſanctum verò ſpiritum à patre & filio. Ad 2 Maiorem veram eſſe dicimus, vbi principia productiua, & diſtincta ſunt, & diſtinctæ productiones: ſed in diuinis hæc inueniri non poſſunt: nam etſi pater, & filius perſonaliter diſtinguan-

ſtinguantur, vnum ſunt tamen ſpiritus ſancti principium. Ad 3. Maior vera eſt in du-
rationis ordine, vbi præteritum inuenitur; non autem in ordine originis, vbi eadem acti- 3.
ua productio. Ad 4 negatur conſequentia: germanitas enim in diuinis, penes conſub- 4.
ſtantialitatem attenditur: quæ ſanè, quoniam vna eademq; eſt in tribus, nulla poteſt in
in ipſis eſſe germanitatis diſſentio. Ad 5. ſi de voluntate, & non de ſpiritu ſancto Da- 5.
maſcenus loquatur; tunc ſenſus eſſet: Voluntas, quæ eſt principium ſpirandi, à patre, eſt
in filium; pater ſiquidem eam filio communicat, quieſcitq; in filio, vt potè, quæ ſub ratione
ſecundi principij, nemini amplius communicetur. hoc etiam modo intelligendum eſt id,
quod nonnulli affirmant ſpiritum ſanctum à patre procedere per filium: per filium, in- Spiritus à patre per filium
quam, non ſicut per principium productiuum, aut ſicut per inſtrumentum, aut cauſam
mediam; ſed per ſuppoſitum potiùs, cui eandem dedit virtutem productiuam: principi-
um namq; productiuum, eſt formaliter in producente; filius autem non eſt formaliter
in patre. Deniq;, ſi ſpiritus ſanctus à patre per filium, quaſi per inſtrumentum, aut a-
liquid huiuſmodi eſſet; profectò non æquè perfectè ab vtroq; procederet. Quamobrem,
ſi Græcorum ſapientes id velint dicere, ſpiritum ſanctum à patre procedere, authori- Græci quomodo intelligendi.
tatem ei attribuentes; rectè quidem: ſin verò omninò negent, à filio procedere; perpe-
ram ſentiunt. Ad 6. dico, nos ex Eccleſiæ conſuetudine, Apoſtolorũq; traditione mul- 6.
ta didiciſſe, quæ in ſcripturis expreſſè non habentur: Adhuc, inquit, habeo multa di-
cere, quæ non poteſtis portare modò; ſed cùm venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos
omnem veritatem. Diuerſis ergo temporibus Eccleſia multa edidit, idq; ſpiritus ſancti
oraculo, quæ in ſcripturis non habentur. Ad authoritatẽ Dionyſii reſpondeo, verum eſſe,
nihil nos pro Dei maieſtate loqui debere, quod ſanctarum ſcripturarum authoritate ſta
biliri, firmariq; non poſsit. Porrò, Spiritum ſanctum à filio procedere, etſi expreſsè
non habeatur; tamen ex ſcripturarum ſenſu elici poteſt, quemadmodum paulò ante
diſputando demonſtrauimus. Ad illud de Concilio Conſtantinopolitano dico, nihil no-
ui de Spiritus ſancti productione ordinatum fuiſſe, niſi id tantùm, quod in Nicæno de- Conc. Nicæn
cretum fuiſſe conſtat. ſic enim loquitur Calcedonenſis Synodi decretum: Illi, inquit, qui
fuerunt congregati in Concilio Conſtantinopolitano, doctrinam de ſpiritu ſancto tradi- Concil. Conſtantinopol.
derunt: non quòd minus eſſet in præcedentibus, qui apud Nicæam congregati ſunt,
inſerentes, ſed intellectum earum declarantes. Quoniam igitur eo tempore, nondum ex-
ortus fuerat huiuſmodi error, de ſpiritus ſancti productione; neceſſarium eſſe arbitrati
non ſunt, vt explicitè ſancti ſpiritus à filio proceſsio poneretur: inſurgente verò poſtmo
dum huiuſmodi hæreſi, ex authoritate Romani Pontificis decretum editum eſt, quod hu
iuſmodi errorem confutauit. Ad illud beati Andreæ, & in filio quieſcentem, dicimus, Andreas.
id non excludere, quin etiã ſpiritus ſanctus à filio procedat: nam & filius in patre ma-
nere dicitur, quamuis ab eo procedat. Itaq;, ſpiritus ſanctus in filio quieſcit, tùm quia, Quomodo ſpiritus S. quieſcit in filio.
veluti amor amantis quieſcit in amato, tum etiam ob humanæ naturæ gratiam, de qua
Ioan. 1. loquitur: Super quem videris ſpiritum ſanctum deſcendentem, & manentem ſu- Symbolum
per eum, hic eſt, qui baptizat. Poſtremò, quod de ſymbolo à Leone tertio adducitur, e- Ioannis.
adem facilitate ſoluitur, qua & ſuperiora ſoluta ſunt: omnia enim hæc, atq; his ſimi-
lia, id profectò oſtendere, atq; docere conantur, nempè ſpiritum ſanctum à patre qui-
dem authoritate quadam peculiari procedere, vt potè, qui ab aliquo non mutuet, idem-
ptìcè verò ab vtroque, à patre & filio ſcilicet. ſed de hoc ſatis.

DIGRESSIONIS TERTIAE CAP. I.

Filius à Spiritu ſancto, filiatione diſtinguitur, à quo diſtingueretur, etiam ſi ab ipſo non procederet.

De ſpiritu ſancto.

Rationes.

1. Filium in diuinis à ſpiritu ſancto, filiatione diſtingui latiſſimè patet: quo ſanè filius in eſſe perſonali conſtituitur; eo certè ab alio ſuppoſito ſecernitur: idem ſiquidem eſt principium alicuius conſtituendi, & eiuſdem ab alijs diſtinguendi: ſed filiatio in eſſe ſuppoſitali, filium conſtituit: eadem ergo eũ omninò ab alio ſeiunget, ſeparabitq́ ſuppoſito.
2. Amplius, ſi aliquo modo priùs eſt filius, quàm ſpiret ſpiritum ſanctum; abſque dubio in eſſe ſuppoſitali ſpiratione conſtitui non poteſt; alioqui priùs eſſet filius, quàm ſuppoſitum, quod eſt falſum. filiatione ergo non ſpiratione, filius à ſpiritu ſancto diſtinguitur.
3. Adhuc, ſi ſpiratio actiua, filium in eſſe conſtituit perſonali, ſaltem in ordine ad Spiritum ſanctum, & ab eodem diſtinguit; pari quoque ratione, & patrem conſtituet, & diſtinguet, quod planè eſt impoſſibile: vna ſiquidem reſpectu ſpiritus producendi perſona eſſe videretur, non duæ: vtrobique enim eadem eſſet actiua ſpiratio: ſed tunc non tertia, ſed ſecunda potiùs in diuinis perſona ſpiritus ſanctus diceretur.
4. Item, per idem, in ſeipſo indiſtinctum aliquid eſſe dicimus, per quod etiam ab alio diſtinguitur: ſed filius eſt vnica perſona indiſtincta, idq́ filiatione: eadem ergo non ſolùm à patre, ſed etiam à ſpiritu ſancto diſtinguitur. Sanè, vnica eſt in filio proprietas & conſtitutiua, & diſtinctiua, filiatio ſcilicet, qua & à patre, & à ſpiritu ſancto diſtinguitur. Si ergo ſpiratione, non autem filiatione id ei cõpeteret; duplex planè in ipſo proprietas inueniretur altera quidem conſtitutiua, altera
5. verò diſtinctiua, quod in rem ſimpliciſſimam cadere non poteſt. Amplius, id, quod ſuppoſitum conſequitur conſtitutum, ab altero ipſum ſecernere, ſiue primò diſtinguere nequit: quemadmodum in homine apertè cernimus, quem profectò non riſibile à brutis primò, ſed rationale, ſeparat: in eſſe namque ſpecifico, non riſibilitate, ſed rationalitate, ſeu ratione conſtituitur. ſed ſpiratio, ſuppoſitum filij conſtitutum conſequitur, non conſtituit: non ergo virtutem habet diſtinguendi, ſeparandiq́, quippe, quæ vim non habeat ſuppoſiti conſtituendi. Itaq́ filiatione, non autem ſpiratione filius à ſpiritu ſancto diſtinguitur.

Filius diſtinguitur à ſpiritu S. etiamſi ab illo non procederet,

vnde, ſi fas eſt dicere, ſi ſpiritus ſanctus à filio non procederet; adhuc tamen ab ipſo diſtingueretur. Sanè, dum primum formale alicuius rei conſtitutiuum manet, perſeuerat etiam eius diſtinctio: ſed filiatio, filij conſtitutiua permanet, ſaltem in eſſe intellectuali; & eius etiam diſtinctio permanebit: nam amoto poſteriori, non tollitur prius ſecundùm intellectum: igitur, filij diſtinctio, qua à ſpiritu ſancto diſtinguitur, ſtat, etiamſi ab eo ſpiritus ſanctus non procederet, ſi fas ſit ita nos loqui.

Obiectio.

Sed dices, ſi hæc ita ſe habeant; pari quoque ratione à patre diſtingueretur, quamuis ab eo non procederet, quod planè impoſſibile eſſe conſtat: eſſet enim ſpiritus ſanctus, etiamſi ab aliquo non ſpiraretur.

Solutio.

Reſpondeo, eodem modo à patre, ſicut à filio diſtingui poſſe, ſi proprietates perſonarum conſtitutiuæ abſolutè conſiderentur: pater enim paternitate, non ſpiratione in eſſe conſtituitur perſonali. ſi ergo per impoſſibile, ſpiritus ſanctus à filio tantùm
6. procederet; à patre, vt dixi, diſtingueretur. Amplius, quod duabus certè differentiis à quopiam alio ſecernitur, quarum vna eſt prior, altera verò poſterior: ſi poſterior auferatur; manet vtiq́ prior immobilis. ſed filius, primò à ſpiritu ſancto filiatione diſtinguitur, deinde ſpiratione: amota igitur ſpiratione, adhuc in ſuo robore permanet filia-
7. tio, qua à ſpiritu ſancto diſtinguatur. Adhuc, vbi eſt abſoluta, atque perfecta, deniq́ formalis principiorum diſtinctio, quorum vtrumq́ eſt ſufficiens, atq́ perfectum, reſpectu ſuæ productionis principium; alterum planè ab altero ex ſuæ productionis virtute ſecernitur, atq́ diſtinguitur. Sed filius producitur per modum naturæ, ſpiritus autem ſanctus per modum voluntatis: ſunt ergo diſtinctæ productiones, atq́ diſtincta produ-
8. cta, etiam ſi vnum ab altero non procedat. Singulæ præterea productiones ſuis terminis eſſe completum, atq́ totale largiuntur: duabus enim totalibus productionibus non ſubordinatis, neq́ eiuſdem rationis, vtpotè quia vna eſt naturalis, alia verò libera, eſſe completum, atq́ abſolutum eidem communicari non poteſt. Quum ergo hæ in diuinis produ-

ctiones habeantur, & ſint, vt antea oſtendi; rationi omninò conſentaneum eſſe videtur, vt ſuis productionibus diſtinguantur. Dicis, ſi filius in diuinis non ſpiraret; proculdubio, non diſtinctæ, ſed confuſæ eſſent productiones: & ipſa quoq; eſſentia diuina, ſi in diſtinctis non eſſet perſonis; productionum huiuſmodi principium dici non poſſet. Reſpondeo, ſi vis ſpiratiua, vt ipſemet aſſeris, & generatiua, vt principium quo, eſſentia ſit, notionem aliquam, aut reſpectum non includens; non video, qui ſine oppoſitarum relationum ratione, principium eſſe poſsit: conſtat enim æquè diſtinctam, atq; perfectam eſſe in ambobus, quàm in vno, in patre, ſcilicet, & filio, quam in ſolo patre. ſiquidem, ſi in patre, & filio ob oppoſitas relationes, productionum principium dicatur; tunc planè pater & filius oppoſitarum relationum gratia ſpirarent, virtutemq; haberent ſpiratiuam, quia nimirum relatiuè opponerentur, quod reuera falſum eſt, Pater namq; filio illam communicat. Priùs ergo eſt in patre vis ſpiritiua, quàm communicetur: igitur non ex oppoſitarum relationum ratione illud proficiſcitur, vt quidam dicunt. Quomodo ergo filius, à ſpiritu ſancto diſtinguatur, ſatis, vt arbitror, eſt manifeſtum.

Obiectio: Solutio.

CAP. II.

Filius à Spiritu ſancto ſpiratione diſtinguitur, à quo non diſtingueretur, ſi ab eo non procederet.

ILlud medium vocatur, quod inter aliqua extrema mediat: non autem in- 1.
ter illa, in quibus medij ratio inueniri non poteſt. Sic linea inter duo puncta medium eſt, qua diſtinguuntur ab inuicem: ſed ſpiratio actiua mediat inter filium & ſpiritum ſanctum, non autem filiatio; ſed inter patrem potiùs & filium, quemadmodum relatio inter extrema: ſpiratione ergo ac-
tiua, non autem filiatione, à ſpiritu ſancto, filius diſtinguitur. Relatio præterea eodem 2.
modo diſtinguit, quo certè manet. ſed in diuinis manet, vt relatiuè oppoſita: filius autem ſpiritui ſancto, per filiationem non opponitur; ſed per ſpirationem: igitur per ſpiratio-
nem ab eo diſtinguitur. Item, relationes diſparatæ in diuinis, perſonam à perſona non 3.
ſeparant, atq; diſtinguunt: alioqui pater, cui huiuſmodi inſunt, vna perſona non eſſet: ſed filiatio, & ſpiratio paſſiua ſunt relationes diſparatæ: igitur non filiatione, ſed ſpira-
tione actiua, filius à ſpiritu ſancto diſtinguitur. Amplius, tantùm intereſt inter gene- 4.
rationem actiuam, & ſpirationem actiuam; quantùm inter ſpirationem paſsiuam, & filiationem, & è conuerſo: ſed primæ, perſonam diſtinguere nequeunt: nam cùm ſint in patris perſona, illam planè non diuidunt: atq; diſtinguunt. nec ergo filiatio, & ſpiratio
paſsiua. Amplius, eo Spiritus ſanctus à filio diſtinguitur, quo ad ipſum refertur, vel 5.
è conuerſo: ſed filiatione ad patrem, non autem ad ſpiritum ſanctum refertur: igitur, filiatione à ſpiritu ſancto non diſtinguitur; eandem enim relationem ad plures termi-
nos refferri, eſt impoſsibile. Item, eo filius à ſpiritu ſancto diſtinguitur, quo ſanè diſtin- 6.
gueretur, ſi per impoſsibile, pater non eſſet, vel filius non eſſet à patre: quocunq; enim alio extrinſeco circumſcripto, illud quod diſtinguitur à quolibet, ſemper idem perſeuerat. ſed hæc eſt ſpiratio actiua, non autem filiatio: ſiquidem ſi pater non eſſet, aut filius non eſſet à patre, filiatio prorſus deſtrueretur: ergo quod prius. Sanè, quo primò à ſpiritu ſancto filius ſecernitur; eo maximè diſtinguitur: ſed ſpiratione actiua primò ſeparatur: igitur ſpiratione actiua, à ſpiritu ſancto maximè diſtinguitur. Itaq;, filium à ſpiritu ſancto, ſpiratione actiua diſtingui, clariſsimè patet. Ex quo ſequitur, quòd ſi à filio non procederet; ab eo profectò non diſtingueretur: diſtinctio namq; ſecundum relationes ſeparatas, diſtinctionem ſecundùm relationes oppoſitas, præſupponat, neceſſe eſt: quæ omnium

Si ſpiritus nō procederet à filio, non diſtingueretur ab eo.

quæ omnium maxima eſt, atq; prima. At, ſi ſpiritus ſanctus à filio non procederet; hæc planè vterq; oppoſitionis relatione careret, & ex conſequenti nulla illis ineſſet ſeparata relatio: igitur, ſi ſpiritus à filio non procedit, ab eo nequaquam diſtinguitur.
2. Iterùm, in diuinis perſonis, non penes eſſentiam, ſed penes habendæ eſſentiæ modos, diſtinctio attenditur: hac reuera ratione diſtinctio eſt in diuinis, quia Deus eſt ex deo. At, ſpiritus ſanctus, ſi à filio non procederet; ad ipſum, veluti Deus ex deo, referri non poſſet: ergo ab ipſo non diſtingueretur.
3. Iterum, ſi ſpiritus ſanctus non ſpiratur à filio; non conſtituitur in eſſe perſonali: tenet conſequentia: nam ſpiratio actiua filij in eſſe perſonali, conſtituit ſpiritum ſanctum. Adde hoc, quòd vnum oppoſitorum illud, cui ineſt, nequaquam diſtinguit, niſi ab habente eius oppoſitum: albedo namq; ab eo tantùm diſtinguitur, in quo profectò nigredo inuenitur. vna ergo relatio ab aliquo alio diſtingui non poteſt, niſi ab eo tantùmmodo, cui oppoſita ineſt relatio: ſed inter filium, & ſpiritum ſanctum, nulla eſt relatio oppoſita, niſi ſpiretur à filio: igitur, ſi ſpiritus ſanctus à filio non procedit, ab eo vtiq; nequaquam diſtinguitur. Quomodo ergo à patre, vel à filio aliquis eſſe dicitur, ſi ab eo non procedat, atq; eſſe non habeat? Quoniam ergo ſpiritus de filio eſt, ideo ad ſe inuicem referuntur. (Anſelmus.)
4. Amplius, generari, & ſpirare, ideo certè diſtinguuntur; quia illorum alterum, oppoſitum alterius ferre, ac ſuſtinere poteſt: ſpirare namq; atq; generari in filio ſimul ſunt. Pari ergo ratione ſpirari & generari, ab inuicem minimè diſtinguerentur, ſi alterum illorum, oppoſitum alterius ferre non poſſet, nempè generari, ipſum ſpirare. Si ergo filius in diuinis non ſpiret; abſq; dubio generari, & ſpirari ab inuicem non diſtinguerentur: & ex conſequenti genitum à ſpirato nequaquam differret. Sanè, generari, & ſpirari tunc nequaquam diſtingui poſſent: non quidem ex parte termini, quippè cùm vnus ſit amborum formalis, vtpotè diuina eſſentia, nec ex parte principij, idem enim eſt, eſſentia ſcilicet; nec ex parte producentium, ab eodem namq; eſſent ſuppoſito, hoc eſt, à patre, qui perſonaliter diſtinctus eſt: igitur nullo modo hæc ab inuicem diſtinguerentur. Ex his ergo conſtat, ſpiritum ſanctum à filio non eſſe diſtinguendum, ſi ab eo procedere negauerimus.

CAP. III.

Soluuntur Argumenta.

1. AD primum, medium ſecundùm rationem, quod eſt formaliter alterius extremorum conſtitutiuum, ſicuti eſt filiatio in diuinis, quæ eſt filij conſtitutiua, non ſolùm extremum ab extremo diſtinguit; ſed prorſus à quocunque, quod non eſt huiuſmodi. Quamobrem, ſi linea alicuius eſſet puncti conſtitutiua, in eſſe vtiq; punctali, non ſolùm ipſum diſtingueret ab vno, vel altero, ſed ab omni omninò non tali: patet ergo quomodo filiatio tum à patre, filium diſtinguit, tum etiam à ſpiritu ſancto.
2. Ad 2. relatio, non ſolùm per relationem oppoſitam, verùmetiam per diſparatam ſeparat, & diſtinguit: ſecundùm ſeipſam enim realiter, formaliterquè ad vnum tantùm ſuppoſitum refertur; ab aliis tamen diſparatis ſecernitur, & diſtinguitur. vnde, quamuis filiatio ad patrem propriè referatur; ipſa tamen non ſolùm à patre, ſed etiam à ſpiritu ſancto diſtinguitur.
3. Ad 3. relatio, quæ perſonas conſtituere nequit, quippè quæ inuenit conſtitutum ſuppoſitum, cuiuſmodi eſt ſpiratio actiua; ea planè perſonas non diſtinguit: igitur, illæ ſunt diſtinctiuæ relationes, quæ profectò ſunt & perſonarum conſtitutiuæ: in cauſa autem eſt illarum natura, atq; proprietas.
4. Ad 4. relationes, quæ principij, ſeu producentis partem poſſident, perſonam producentem non diſtinguunt, aut multiplicant, etiamſi illarum numerus creuerit, maiorq; extiterit. ſecus autem eſt, ſi productorum partes obtinuerint. Sanè, maior vnitas in principiis, cum minori pro-

nori productorum vnitate conſiſtere valet: nam in eodem patre ad plures filios, plures In eodem patre ad plures filios, plures relationes.
etiam inueniuntur relationes paternitatis, non autem è conuerſo. In eodem præterea ſup-
poſito, diuerſæ ſunt relationes producentis: per modum naturæ ſcilicet, & per modum vo
luntatis, aut artis ad diuerſa vtiq; producta. in eodem autem producto reſpectu eiuſdem
producentis, non ſtant duæ productiones paſſiuæ, imò nec ad diuerſa quidem producti-
ua totalia, ſi ſubordinata non extiterint. quare non ſequitur generatio actiua, atq; ſpira-
tio, patris perſonam non diſtinguunt: igitur, nec filiatio, & ſpiratio paſſiua: illæ enim pro
ducentis, hæ autem productorum officio funguntur: ideo hæ quidem diſtinguendi autho-
ritatem, illæ autem minimè exercent. Ad 5. Maior eſt falſa, diſtingui ſiquidem in diui- 5.
nis, non eſt referri realiter: diſtinctio namq; ibi nequaquam eſt realis, ſed rationis rela-
tio. Proinde non eo filius à ſpiritu ſancto diſtinguitur, quo ad ipſum realiter refertur. Obiectio.
Sed dicis, Realiter diſtinguuntur: ergo diſtinctionis relatio eſt realis. Dico, realiter di- Solutio.
ſtingui quòad diſtinctionis fundamenta: nam ſi fundamenta realia ſint; & ipſa quoq; di-
ſtincta realia erunt. Quamobrem, etſi ſpiritus ſanctus ad filium non referatur ſpiratio-
ne; ab eo tamen ſpiratione primò non diſtinguitur, ſed filiatione, quæ filij perſonam con-
ſtituit. Ad 6. maior eſt vera: ſed minor includit impoſſibile: ſi enim filius à patre non 6.
eſſet, nec quoq; pater eſſet, atq; ita à ſpiritu ſancto non diſtingueretur, quia profectò non
eſſet: quomodo enim eſſet ſpiritus, ſine ſpirante? Ad confirmationem, minor eſt falſa. Per
illud namq; filius à ſpiritu ſancto diſtinguitur, per quod maximè conſtat, atq; perſonali-
ter ab ipſo ſeiungitur. ſed per filiationem in eſſe perſonali, & completo conſtituitur: igi-
tur per filiationem à ſpiritu ſancto diſtinguitur, non autem relatiuè, aut diſtinctione, quæ
ſuper oppoſita relatiuè fundamentum habere videtur. Itaq;, filium à ſpiritu ſancto, fili- Soluuntur argumenta.
atione, non ſpiratione diſtingui, ſatis patere arbitror. Reſtat ergo, quæ pro alia ſententia
habentur argumenta, in medium adducere, eaq; breuiter compẽdioſèq; ſoluere: & primò
quidem ad primum ita dicimus: ſi de relationibus originis loquendum nobis ſit, diſtin- 1.
ctio planè ſecundùm diſparatas relationes in eiſdem ferme duabus diuinis perſonis, di- Relationes originis.
ſtinctionem ſecundùm oppoſitas non præſupponit, ſed interdum è conuerſo potiùs. Bene
autem id verum eſt, ſi communes relationes extiterint. Quam ob cauſam diſtinctionem
inter qualitatem, ſimilitudinemq; patris, ad filium, ipſorum diſtinctionem ſecundùm op-
poſitas relationes præſupponere, neceſſe eſt, nempè generationem actiuam, atque paſſi-
uam. Porrò, id in omnibus perſonis obſeruandum non eſt, vtpote inter patrem, & ſpiri-
tum ſanctum, ſimiliter inter filium & ſpiritum ſanctum. Ad 2. Quamuis in diſtinctis 2.
perſonis ſint relationes oppoſitæ; ſufficit tamen ad perſonalem diſtinctionem, relationum
diſparatio. Sanè, ſpiritus ſanctus non eſt filius, inquit Anſelmus ibidem: nam filius na-
ſcendo eſſe habet à patre, ſpiritus autem ſanctus, procedendo. Sed dicis: Eſſentia, autho- Obiectio.
re Boëtio de trinit. continet vnitatem, & relatio multiplicat trinitatem: nulla ergo per-
ſona ab alia diſtinguitur, quæ relatione non refertur ad illam. ſed ſpiritus ſanctus ſi à fi-
lio non procederet, ad ipſum certè referri non poſſet: nec ergo ex conſequenti ab ipſo di-
ſtingueretur. Reſpondeo, relationem, trinitatem quidem multiplicare, non tantùm ab op- Solutio.
poſita, verùm etiam à diſparata, ſibiq; incompoſſibili. Ad 3. conſequentia, gratia mate- 3.
riæ bene ſequitur, non autem per ſe, & ex formali conſequentia. Ad confirmationem di-
co, vnum oppoſitum, oppoſitionis gratia nihil niſi ab altero diſtinguere oppoſito: at di-
ſtinctione abſolutè communiterq; accepta, etiam à non oppoſito poſſe diſtinguere. Proin-
de albedo, non ſolùm à nigro, ſed etiam à quocunq; non albo diſtinguit. Sic etiam filiatio
non tantùm à patre, ſed à quocunq; non filio, & ex conſequenti à ſpiritu ſancto vim ha-
bet diſtinguendi. Ad 4. generationem actiuam, à ſpiratione actiua, diſtingui non aſſeri- 4.
mus, quòd oppoſitum alterius recipere poſſit, quaſi hæc ſit formalis, atq; præciſa cauſa Generatio actiua & ſpiratio actiua.
diſtinguendi, ſed cauſaliter potiùs. Quare, ſi per impoſſibile ſolus pater in diuinis ſpira-
ret; adhuc nihilominus à ſpirare nequaquam remoueretur diſtinctio generandi: ſeipſis

enim formaliter, atq; realiter diſtinguuntur, ſiue à diuerſis ſint principijs formaliter diſtinctiuis, ſiue ab vno principio indiſtincto. Ad confirmationem reſpondeo, generari & ſpirari diſtingui poſſe, etiamſi ab eodem eſſent principio, ſiue ſuppoſito: diſtinguerentur enim formaliter, aut ex parte terminorum formalium, qui ſunt notitia, & amor, deniq; vel ex ſeipſis formaliter, perſtante principij ſuppoſitiq; vnitate, à quo plures poſ-

Obiectiones. ſe emanare productiones, paulò ante demonſtraui. Sed dicet aliquis: Relatio in diuinis, aut diſtinguit ſecundùm quidditatem, aut ſecundùm eſſe: non ſecundùm eſſe, quia ſic non

1. tranſit in eſſentiam, vel ſubſtantiam: igitur ſecundùm quidditatem. At ſecundùm quidditatem, oppoſitum ſolùmmodo reſpicit: ab oppoſito ergo tantùm diſtinguit. ſed ſi ſpiritus ſanctus à filio non procederet; profectò in filio, & ſpiritu ſancto relationes oppoſi-

2. tæ minimè eſſent. ergo. Item, ſi relationes diſparatæ, perſonas ſufficienter diſtinguere queunt; in patre reuera duæ eſſent perſonæ, in quo generatio actiua, atq; ſpiratio actiua

Solutio. eſſe probantur. Reſpondeo ad primum, relationem, & ſecundùm eſſe, & ſecundùm quid-

1. ditatem diſtinguere: relationis enim quidditas ad aliud eſt, ſiquidem abſque huiuſmodi reſpectu ad aliud relatio non intelligitur, ſed abſolutum potiùs. Cùm autem infers, ſi tranſit in eſſentiam, non diſtinguit: negatur conſequentia: tranſit namq; ſecundùm identitatem, ſed manet formaliter. Non opus eſt autem veram identitatem eſſe formalem: nam huius tranſeuntis formalis ratio, non eſt illius eſſentia, in quam tranſit ratio formaliter. Porrò, quod eſt ſibi proprium, huic formali rationi competit. Eſt autem ſibi pro-

Relatio oppoſita & diſparata. prium, ab omni relatione tam oppoſita, quàm diſparata, eiq; incompoſſibili realiter diſtingui: ideo, cùm hoc, quod verè tranſit, verè etiam manet, quantùm certè ſufficit reali diſtinctioni, quo non ſolùm ab oppoſito quidem relatiuo diſtinguatur, verùm etiam à re-

2. latione diſparata, ſibiq; incompoſſibili. Ad ſecundam obiectionem ex ſupra dictis patet ſolutio: tanta enim diſtinctio productiuis actionibus neceſſaria non eſt; quanta planè eſſe videtur paſſiuis: idem namq; duabus productionibus, eiſdemq; oppoſitis produci, atque eſſe accipere, eſt impoſſibile: non autem, eidem duabus productionibus actiuis eſſe poſſe largiri diſtinctis perſonis. Quomodo ergo ſpiritus ſanctus à filio diſtinguatur, iam dixiſſe me puto.

CAP. IIII.

Pater & filius ſunt vnum principium ſpirandi.

Principiũ in diuinis. NOn parua apud veteres de vi ſpiratiua extitit controuerſia, vtrum à patre illa tantùmmodo manaret, nécne, quem principium in diuinis appellarunt; iccirco, rationi conſentaneum eſſe arbitror, quò huiuſmodi negotium clariùs, lucidiùſq; emineat, de principio ſpirandi, verba facere. Principi-

Quid principium, cauſa & elementũ. um propriè intelligitur cauſa agens, & mouens 1. phy. com. 1. nam ad principij rationem ſpectat primum eſſe. 5. met. Quoniam autem ſecundùm eſſe reale, formam atq; finem, agens præcedit; etiam ſecundùm naturam perfectionemq;, materiam antecedere ſcribitur 3. de anima, com. 19. Ex quo, patet, principium ex ſua propria ſignificatio-

Principium quod, & quo. ne oſtendere cauſam agentem, atq; mouentem. Differt autem principium ab elemento, vt 12. met. legitur com. 23. Etenim dignius eſt, inquit Commentator, vt principium de cauſis dicatur extrinſecis, elementum verò de cauſis intrinſecis, quemadmodũ & 1. phy.

Suppoſitum principium quod. com. 1. & 5. met. com. 4. clariſſimè docet. Cæterùm, duplex eſt principium in diuinis, primum quidem principiũ quod productiuum, & illud eſt ſuppoſitum: & principium quo,

Potentia productiua principium quo. & illud eſt potentia productiua, vt 5. habetur, & 9. met. In deo autem principium eſſe ad intra, ratio omninò docet: principium, inquam, & quod, & quo. principium autem quod, aliud producit, vtpote aliud ſuppoſitum: principium autem quo, diuina eſt eſſentia.

Itaq;

Itaq; principium quo,in diuinis ad intra,ſine principio quod,ponendum non eſt:neq; prin
cipium cauſale ad intra : in deo enim idem ſunt eſſentialiter omnia : propterea in ipſo
cauſatum eſt nihil. Eſt autem in deo principium cauſale ad extra : deus namq; & crea-
tura,ſicut cauſa & effectus eſſentialiter diſtinguuntur. Porrò, cauſa creaturarum ex-
trinſeca eſt,non autem intrinſeca;componibilis,vt ita dicam,non eſt. Ratio autem prin-
cipij, tum ad intra,tum etiam ad extra eſt vniuoca in deo : vtriuſq; enim ratio,eſt rela-
tio rationis: nam dei ad creaturas nulla eſt relatio realis: ſiquidem ei , quod eſt ſimplici-
ter tale,cuiuſmodi eſt ens reale,& ei,quod eſt ſecundùm quid tale,cuiuſmodi eſt ens ra-
tionis,nihil eſt commune vniuocum. Principium autem huiuſmodi ad intra, notionaliter,
ſeu perſonaliter ſumptum,relatio eſt productionis realis:eſſentialiter autem, relatio ra-
tionis. Cæterùm,pater & filius,non plures ſed vnus ſunt ſpirator: ſubſtantiuum enim non
augetur, ſiue plurificatur, niſi & ſignificatum plurificetur : ſubſtantiuum namq; ſubie-
ctum, à propria forma numerum,atq; augmentum recipit. Sic, hoc nomen deus non plu
rificatur,quia nec ipſa deitas augetur. At perſona augeri poteſt,quippe cùm ipſius ſigni
ficatum augeatur. Porrò ,ſignificatum huius nominis ſpirator, ob vnitatem actus,quam
habet,nempe ſpirationem actiuam,multiplicari non poteſt; duo tamen ſpirantes,non au-
tem duo ſpiratores pater & filius dici poſſunt:nam cùm duo ſpirantes dicantur; duo cer
tè adiectiua oſtenduntur,quorum vnum, alterius dependentiam terminare nequit, cùm
ſint ambo dependentia,nullumq; dependens plenè terminetur , niſi ad aliquod planè in-
dependens. Itaq;,cùm duo ſpirantes dicuntur,ex vi profectò ſermonis,ſpiratio,dualita-
tem non recipit,neq; viciſsim dualitas,dualitatem multiplicat. Ambo ergo illa adiecti-
ua ad aliquod ſubſtantiuum terminantur,ſicuti accidentia inuicem cõiuncta ad aliquod
ſubiectum. Senſus ergo eſt,cùm duo ſpirantes dicuntur; ac duo aliqui, duæ perſonæ ſpi-
rantes ſcilicet numerantur :cùm verò duos ſpiratores; duos actus diſtinctos ſignifica-
mus;ſed vna eademq; eſt ſpiratio, vnuſq; actus amborum: vnus ergo,& non plures ſunt
ſpiratores : nam ſpiratores,quoniam eſt ſubſtantiuum , illius adiectiui duo,dependenti-
am terminat;& viciſsim,illud adiectiuum duo,ſubſtantiuum illud determinat.Vnde ſpi-
ratio,quæ eſt forma actiua,& penitus vna, per ſubſtantiuum ſub formæ dualitate deſi-
gnatur: Pater autem, & filius, aut eſſentia,vel perſona, aut vi ſpiratiua vnus, aut multi
ſpiratores dici poſſunt. Porrò pater,& filius vnum ſunt identice principium ſpiratiuum
quo,ſiquidem identicè ſunt vna eademq; virtus ſpirandi: ſpirant enim quatenus vnum
ſunt,in vi ſpiratiua,non autem quatenus vnum ſunt in eſſentia,aut perſona; alioqui ſpiri-
tus ſanctus ſpiraret cum illis:eſt reuera vnum cum patre, & filio eius in eſſentia. Pater
præterea,& filius nõ ſunt vnum principiũ,quod ſpiritus ſancti : principium namq; quod
ſuppoſitum eſt,pater autem,& filius non vnum, ſed duo ſuppoſita ſunt. neq; formaliter 1.
vnum principium quo: principium ſanè quo,eſt vis ſpiratiua:at pater & filius formaliter
vis ſpiratiua eſſe non poſſunt: itaq;,vt dixi,pater & filius non duo,ſed vnus ſunt ſpirator
ob cauſam planè,quam iam dixi: tum etiam,quia pater & filius ſunt vnum principium 2.
ſpirandi quo,quod eſt voluntas. hoc autem principium ſpirator conuenientiſsimè expli-
cat,atq; enunciat:ſpiratores verò minimè; deſtruunt enim principij vnitatem. vnum au-
tem ſpirantem non dicimus,ſicuti vnum ſpiratorem:alterum enim vt dixi,adiectiuè, al-
terum autem ſubſtantiuè intelligitur. Amplius,omni planè formali entitati,aliquod ens 3.
adæquatè illi correſpondeat,neceſſe eſt : voluntati autem fœcundæ, ſpirationiq; actiuæ,
pater ſolus,aut filius correſpondere adæquatè non poteſt:vterq; ergo neceſſarius eſt,quò
adæquata eſſe poſsit ſpiratio: ideo congruentiſsimè ſpiratoris nomine exprimitur. vnus
ergo eſt ſpirator. Sed dicet aliquis, pater & filius ſpirant vt vnum , vel in quantum di-
ſtincti. Nam ſi vna eademq; ſit in ambobus voluntas , qua quidem concorditer aliquid
volunt,concordia autem concordantium ſuppoſitorum diſtinctionem connotet ; dubium
certè eſt,an pater & filius huiuſmodi certè voluntate, quatenus vna eſt , & ſpirent, &
vnum

Ratio principij vniuoca in deo.

Pater & filius vnus ſpirator

Duo ſpirantes ſed non duo ſpiratores.

Vna virtus ſpirandi.

Vnus actus ſpirandi.

Si ſpirant vt vnum, vel vt diſtincti.

vnum ſint;an potius,quatenus ſint hac voluntate concordes : ſed hoc vltimum planè non
1. *admodum approbandum,tenendumq́ eſſe videtur: vis enim ſpiratiua non minus perfe-*
cta eſt in patre,quatenus filio origine prior eſt,quàm virtus generatiua: Pater ſiquidem
à filio perfectionis nihil accipit , nec ex conſequenti ex filij genitura. In illo ergo priori,
vim ſpiratiuam cùm perfectiſsimè habeat , non opus eſt illi amore mutuo, neq́ vicisſim
2. *filio,quo virtutem ſpirandi perfectiſsimè poſsidere queat Amplius,ſi vis ſpiratiua,mu-*
tuo concordiq́ amore opus habet,vt perfecta eſſe poſsit ; abſq́ dubio perfectior in am-
bobus reputanda eſſet,quàm in vno,ſeu altero ipſorum. Sed hoc eſt planè erroneum:nam
cùm filius illam à patre accipiat, in patre autem perfecta non inueniretur , nec etiam
3. *in filio,quod eſt impium,& prorſus deteſtandum. Amplius,prior eſt voluntas perfecta,*
obiectum habens infinitum diligibile, ſibi præſens in aliquo ſuppoſito actionem conti-
nente,quàm ſit amor obiecti. ſed voluntas,ſub ratione principij , eſt vis ſpiratiua perfe-
cta.Ergo. ita enim ſe habet principium quo liberum operandi,producendiq́ actu nam-
que nequaquam diſtinguitur libertas : neq́ ipſe actus eſt in ſe formaliter liber,ſed de-
nominatio potiùs extrinſeca. Quare,quemadmodũ ſi intellectus,verbi producendi prin-
cipium ſit;id ei tribuendum non eſt, quaſi mediante actu intelligendi: ſic etiam volun-
tas,non expectato amoris actu,veluti completiuo principio, eſt perfectiſsimum princi-
Obiectio. *pium quo. Sed dices,ſi res ita ſe habeat,voluntas ergo diuina ſecundùm ſe , actumq́ vo-*
lendi eſt prior origine in patre quàm filius:ſimiliterq́ ſpiritus ſanctus creaturæ eſſet pro
ductiuum principium obiectum præterea non concurret cum potentia in diuina produ-
ctione; potentia enim etiam ab obiecto diſtincta,infinita eſt & libera,ſi fuerit perfecta
Solutio. *voluntas. Dico,exemplum,quod de creatura adductũ eſt,non eſſe ſimile: etenim,vt arti-*
ficiatum producitur,proinde eam oportet,& præcognitam,& amatam eſſe à tribus. Ad
illud de obiecto,reſpondeo: obiectum,veluti principium ad intra productiuum,neq́ eti-
am ad extra,cum potentia concurrere.ſed vt rationem potiùs producendi:alioqui in pa-
tre,reſpectu quidem filij,& in ambobus, reſpectu ſpiritus ſancti, & in tribus , reſpectu
creaturæ,duplex inueniretur,ad productũ realis relatio, iuxta,ſiue ſecundùm duo pla-
nè fundamenta,potentiam, & obiectum ſcilicet, quod planè conſtat eſſe falſum. Liquet
ergo patrem & filium,in quantùm vnum,non autem in quantùm diſtinctos, ſpiritum ſan
4. *ctum producere Sanè, aut pater & filius, mutuo amore, quatenus amor abſolutus eſt,*
ſpirant,aut quatenus eſt mutuus.ſi primo modo intelligas,in hanc oportebit te abſurdita-
tem incidere,vt dicas, vnum eſſe,atq́ totaliter, ſeu penitus indiſtinctum , quod planè à
veritate abeſt: ſi verò ſecundo modo,aliam etiam,& fortaſsis maiorem non effugies ab-
ſurditatem,nempè,vt dicas, mutuum illum amorem , principium eſſe producendi. at,
huiuſmodi modus reſpectũ ſonat in amore multiplicato in patre & filio : igitur non tan-
quam vnum,ſed vt duo potiùs ſpirarent principia. Itaq́ voluntas tum in patre , tum eti-
Voluntas in patre, & in filio completũ principium ſpirandi. *am in filio completum,perfectumq́ eſt ſpirandi principium : cuius reuera perfectionem*
non ingreditur aliquis actus amandi,tamen ſi prior ſit in vtroq́ quàm actus ſpirandi:
Igitur pater & filius,reſpectu principij productiui, vt vnum quidem producunt; reſpe-
ctu verò ſuppoſitorum,vt diſtincti,atq́ ab inuicem ſeparati:communicat enim pater fi-
lio omnia in illo priori originis ſigno,nempe intellectionem,eſſentiam,volitionem eſſentiæ
quibus eſt beatus : intellectum etiam, non quatenus eſt fœcundus , quippe cùm illum ha-
Voluntas fœcunda. *beat per productionem intellectui,ſiue memoriæ,vt principio adæquatam: voluntatem*
autem illi fœcundam communicat,tanquam principium,quo,ſpiritus ſancti producendi:
Voluntas fœcunda in filio. *non enim illam accipit per productionem voluntati adæquatam, quia nimirum per mo-*
tum non proceſsit voluntatis. voluntatem ergo fœcundam filius habet, actumq́ amandi
diuinam eſſentiam,& patrem: attamen ille actus,ad voluntatem,quatenus eſt principi-
um quo fœcundum ad ſpirandum,nequaquam ſpectare videtur. Demum pater,& filius,
ſpiritui ſancto,quæ ſunt perfectionis ſimpliciter,per illud idem principium totaliter in-
diſtinctum

 De ſpiritu ſancto.

*diſtinctum communicant omnia. Hæc autem in priori originis ſigno in patre abſolutiſſi-
ma, perfectiſſima ſunt, quibus ſecundùm ſe eſt beatiſſimus, hoc eſt, eſſentia, intellectio,
fœcunditas vtriuſq; ſexus, vt dicit Mercurius, id eſt, fœcundus intellectus fœcundaq;
voluntas in noſtro beatiſſimo ſanctiſſimoq; Pymandro. Sed dicet aliquis, ſpiritus ſanctus* Obiectio.
*eſt amor iucundiſſimus, & mutuus: in patre ergo, & in filio eſt huiuſmodi, vt ita dicam,
amoris mutuitas, qua ſpiritum ſanctum producunt. Profectò, vis ſpiratiua, concordiam
denotat, amoremq; mutuum patris ad filium, & viciſſim filij ad patrem, in quibus profe-* Amor mutuus an ſit in deo.
*ctò aliqua habetur diſtinctio: igitur, quatenus ſunt diſtincti ſpirant, nam amor mutuus,
exigit diſtinctionem amantium. Reſpondeo, ſi amor in deo eſſet iucundiſſimus, quia mu-* Solutio.
*tuus: igitur, pater, amore, vt in ſeipſo non eſſet formaliter deus, ſed vt in filio potiùs, idq;
correlatiuè. At, amor, quo pater eſt beatus, eſt amor iucundiſſimus, pater ergo prius* 1.
origine beatus dicendus non eſſet, quàm filius. Amor mutuus præterea in nobis iucundiſ- 2.
*ſimus eſt, quia amati redamatio, ſiue amoris viciſſitudo, deſiderium auget amantis: ſed
hoc non cadit in deum, filium non redamationis, ſed propriæ eſſentiæ cauſa diligentem.
hæc primò amatur à patre, cuius gratia, filium diligit: vt ergo illi ſit iucundiſſimus amor,
mutuo amore non indiget. Quando ergo dicitur, ſpiritus ſanctus eſt amor iucundiſſimus,* Amor iucundiſſimus.
*conditiones oſtenduntur ſuppoſitorum ſpirantium, qui in ſpirando conueniunt: quòad ve-
rò ad principij productiui, naturam ſpectat, authore Auguſt. 5. de trin. 14 Pater, inquit,* Auguſtinus.
*& filius vnum ſunt principium ad ſpiritum ſanctum, ſicut pater & filius, & ſpiritus ſan-
ctus ſunt vnum principium ad creaturas. ſed de his ſatis.*

CAP. V.

Patrem & filium non eſſe vnum principium ſpiritus ſancti.

Actio eſt ſuppoſiti: igitur duorum ſuppoſitorum non eſt vna actio: ſpiritus 1.
*autẽ ſanctus, patris filijq; actione producitur: igitur agentes diſtincti pro
ducunt. Amplius, ſpiritus ſanctus eſt patris ac filij nexus, communiſq; vnio* 2.
*teſte Auguſt. 6. de trinit. cap. 5. vel 6. nexus autem eorum eſt, qui aliquo
modo diſtincti ſunt: igitur ab eis procedit, quatenus diſtincti ſunt: & ita
non vnum, ſed plura ſunt principia productiua. Amplius, ſi producunt in quantũ vnum,* 3.
*aut in quantum vnum in eſſentia, aut in quantum vnum in perſona, vel in quantum vnum
in vi ſpiratiua: non in quantum vnum in eſſentia, alioqui ſpiritus ſanctus ſeipſum pro-
duceret, eſt enim vnum in eſſentia cum patre & filio: neq; in quantum vnum in perſona,
ſic namq; vnum non ſunt: neq; in quantum ſunt vnum in vi ſpiratiua, alioqui pater duo
eſſet principia, ob duas ſanè vires productiuas, quarum altera filium, altera verò ſan-
ctum producit ſpiritum. Præterea, filius non magis conuenit cum patre, quàm ſpiritus* 4.
*ſanctus, vna eſt omnium diuina eſſentia: ſed pater & ſpiritus ſanctus, reſpectu alicuius
perſonæ in diuinis, vnum principium nequaquam appellantur: ergo, nec pater & filius,
nam ſi id contingeret, ob aliquam proprietatis vnitatem; pari quoq; ratione, ob duas eti-
am proprietates, pater, vt dixi, duo eſſet principia, & filij quidem, & ſpiritus ſancti. Ad* 5.
*huc, ſi pater & filius ſunt principium ſpiritus ſancti, aut vnum, quod eſt pater, aut non:
non primum, alioqui filius eſſet pater: neq; ſecundum, aliter pater, non eſſet pater. Igitur
pater & filius non ſunt principium ſpiritus ſancti. Item, ſi pater & filius ſunt vnum* 6.
*principium ſpiritus ſancti; è conuerſo etiam dici poſſet, quòd vnum principium ſpiritus
ſancti ſit pater, & filius. ſed hæc eſt falſa: hoc enim, quod dico principium, ſupponat ne-
ceſſe eſt, vel pro perſona patris, vel pro perſona filij. ſed vtroq; modo eſt falſa: igitur hæc
eſt falſa, pater & filius ſunt vnum principium ſpiritus ſancti.*

CAP. VI.

Soluuntur Argumenta.

1. *AD primum, in diuinis ſaltem actiones ſuppoſitorum ſunt, veluti per ſpirare, & generari denominatorum: nec valet, ſuppoſita ſunt duo, ergo ſpirationes duæ; in duobus ſiquidem eſt idem ſpirandi principium indiſtinctum: Vnde, ſicut in duobus poteſt eſſe vna ſcientia, nec ſequitur, ſunt duo ſcientes, ergo ſunt duæ ſcientiæ: ſic etiam in diuinis ſunt duo ſpirantes, ergo duo ſpiratores. Præterea phi. authoritas ita intelligenda eſt: actiones ſunt ſuppoſitorum, hoc*
2. *eſt, ſingularium. ſed tunc nihil ad rem, cùm ad diuina non ſpectent. Ad 2. Quamuis pater & filius ſint perſonaliter diſtincti, producunt tamen ſpiritum ſanctum, nexum, ſiue amorem: non quidem vt plura, ſed vt vnum; tametſi plura ſint ſuppoſita, quæ in ipſo connectuntur amore, ſiue nexu, veluti in communi producto, alioqui non connecterentur, ſi diſtincta non eſſent. non habent autem commune productum in quantum diſtincta, ſed in quantum vnum. vnde productum vnum eſt ab eis, quatenus ſunt vnum producens.*
3. *Ad 3. Patrem & filium ſpirare dicimus ſpiritum ſanctum, quatenus ſcilicet vnum ſunt in virtute ſpirandi: neq; ex hoc ſequitur, patrem duo eſſe principia productiua, ob duplicem im ipſo fœcunditatem exiſtentem: nam vt plura ſint producentia, neceſſaria eſt ſuppoſitorum numeratio: vnus ſiquidem plures ſcientes non dicitur, tametſi plures habeat ſcientias. Itaq;, quoniam vna eſt patris perſona, plura principia ſeu duo principia ob*
4. *duplicem virtutem productiuam, dici non poteſt. Ad 4. In diuinis ſimilitudo, & diſſimilitudo ſecundùm eſſentiam, non autem ſecundùm proprietates attenditur relatiuas: quam ob cauſam pater non eſt ſimilior ſibi, quàm filio, ſic etiam, neq; filius ſimilior eſt patri, quàm ſpiritui ſancto. Quando ergo dicis, pater & ſpiritus ſanctus non ſunt principium alicuius perſonæ in diuinis, nec ergo pater & filius. negatur conſequentia: diuinarum enim productio perſonarum, non eſſentiam, ſed proprietates conſequitur originis. Cùm autem pater, & filius vnam eandemq; habeant voluntatem fœcundam; rectè, vt vnum principium, ſpirant tertiam in trinitate perſonam: hoc autem, quia ſpiritui ſancto*

Spiritus ſanctus non eſt principiũ productiuum perſonæ diuinæ.

5. *tribui non poteſt; ideo alicuius non eſt perſonæ diuinæ principium productiuum. Ad 5. Pater & filius ſunt vnum principium quod eſt pater, aut vnum principium, quod non eſt pater. hæc planè duo non ſunt contradictoriè oppoſita, ideo alterum admittere neceſſarium non eſt. Cùm enim dicimus patrem & filium vnum eſſe ſpiritus ſancti principium; hoc reuera, quod dico principium, determinatam ſuppoſitionem non habet, ſed confuſam potiùs, pro duabus ſcilicet perſonis ſimul. ex quo patet in proceſſu argumenti, fallaciam figuræ dictionis abſconditam eſſe, à confuſa nimirum ſuppoſitione, ad determinatam*
6. *procedendo. Ad 6. Pari facilitate ſoluitur, vnum certè principium ſpiritus ſancti patrem, ac filium eſſe confitemur: ſiquidem hoc, quod voco principium, non pro vna tantùm, ſed etiam pro duabus indiſtinctè ſupponit perſonis. Quomodo autem pater & filius vnum ſint ſpiritus ſancti principium, quidué ſit principium in diuinis, dixi.*

DIGRESSIONIS QVARTAE. CAP. I.

Pater etſi vniformiter, priùs tamen origine ſpirat quàm filius ſpiritum ſanctum.

EX his, quæ paulò antè annotata ſunt, iuſta, atq; legitima quæſtio exoritur, an actus ſpirandi, ſiue ipſa vis ſpiratiua, vniformis ſit in patre & filio, nécne, an fortaſsis aliquo modo originis priùs ſpiret pater, quàm filius: Pater enim à ſe

habet

habet omnia, filius autem à patre: aliquis ergo ibi eſſe videtur originis ordo: ſiquidem inibi eſt ordo originis, vbi vnum eſt ab alio; ita vt primum originis ſignum ſit, à quo aliud, ſecundum verò eſſe ab alio.

Primũ ſignũ originis, & ſecundum.

Proinde, quemadmodum naturæ, perfectionisq́; ordo, non eſt ipſa natura, ſiue perfectio, ſed habitudo potiùs inter ea, quæ talem ordinem habent; ſic etiam ordo originis, non eſt ipſa origo, ſed habitudo inter ea, quæ originibus referuntur. Cæterùm, ſpiratio, ſiue actus ſpirandi trifariam conſiderari poteſt, primò in ſe, deinde vt virtus ſpiratiua, poſtremò, vt terminus productus, ſiue ſpiratus.

Actus ſpirandi.

Sed his certè modis, vniformitas vbiq; apparet & vnitas, ob actus planè vnitatem. vna eſt enim ſpiratio actiua, & vis ſpiratiua eſt vna: vnus deniq; terminus ſpiratus & indiſtinctus: nec plus, minùsq́; ab vno, quàm ab altero.

Vna ſpiratio actiua.

Vna vis ſpiratiua.

Secus autem res ſe habet, ſi ſuppoſita ſpirantia ſpectes, tunc enim ibi aliquis eſt prioritatis, poſteritatisq́; ordo ſecundum originem quidem, non autem ſecundùm naturam. Etenim, ſuppoſita ſpirantia ſic ſe habent, quòd pater à ſe habet virtutem ſpirandi, filius autem eandem prorſus à patre naſcendo accepit. Pater, igitur propria authoritate id præſtat, filius verò authoritatem communicandi, ſpirandique à patre mutuat, quemadmodum Auguſtinus in lib. de trinit. apertiſſimè docet: ex hoc tamen non ſequitur, patrem in illo priori priùs filio ſpirare; alioqui ſpiritus ſanctus, vel bis produceretur, vel à filio non produceretur, quorum vtrumq; falſum eſt.

Vnus terminus ſpiratus.

Ob eam autem cauſam patrem priùs ſecundùm originem ſpirare dicimus; quia nimirum pater ſit à ſe, filius verò à patre; ambo tamen ſimul ſpirant. Sed dicet aliquis: pater in primo ſigno originis habet eſſe à ſe, & ſpirare etiam: tunc autem filius non ſpirat: ſi enim ſpiraret, iam præexiſtentem ſpiraret. Sanè, quodcunq; principium productiuum in ſuppoſito priori, terminum adæquatum habere intelligitur; in poſteriori ſuppoſito principium producendi eſſe non poteſt.

Obiectio.

Dico, inter patrem generantem & ſpirantem ſimilem nequaquam ordinem eſſe, ſicuti inter patrem ſpirantem, & filium ſimiliter ſpirantem. Quare intelligendum non eſt, patrem ſpirare, antequam filius ſpiret, ſicuti priùs origine generare, antequam ſpiret, idq́; propter principiorum ordinem in producendo: tunc enim pater non generaret, quemadmodum ſpiritus ſanctus filium generare non poteſt, quippe, qui præintelligitur genitus: huiuſmodi autem ordo in diuinis intelligi poteſt. Inprimis in patre eſt vtraq; fœcunditas à ſe: ſecundò, in patre eſt primæ fœcunditatis actus, & in filio ſecunda fœcunditas: poſtremò, eſt actus ſecundæ fœcunditatis à patre, & filio illam fœcunditatem ſimul habentibus, cum aliquo certè ordine: actus enim in patre eſt à ſe, in filio verò, eſt à patre.

Solutio.

In patre vtraque fœcunditas.

Non eſt ergo ordo originis inter patris filijq́; ſpirationem, quaſi in aliquo originis ſigno pater ſpiret, filius verò minimè: quippe, qui in eodem originis ſigno ſpirent, ſeruato ſpirantium ordine: nam pater in ſecundo ſigno originis ſpirat à ſe, filius autem non à ſe, ſed à patre. Ad confirmationem reſpondeo, maiorem non eſſe veram, ſi illud poſterius principium, adæquatum terminum non habeat, antequam aliud ſuppoſitum producatur: cui illud, ſecundùm totam ipſius latitudinem communicatur principium. Sic autem ſe habet virtus ſpiratiua, quam pater communicat filio, antequam terminum adæquatum, id eſt, ſpiritum ſanctum, habeat. Dicis, cauſa prima plus influit in effectum, quàm cauſa ſecunda: ergo ſpiritus ſanctus magis procedit à patre, quàm à filio.

Obiectio.

Reſpondeo, quòd prima cauſa, eſſentialiter à ſecunda diſtinguatur, ipſaq́; nobilior ſit, ob aliud planè principium agendi; ideoq́; maiorem habet virtutem influendi, quàm cauſa ſecunda. Verùm huiuſmodi ordo, in omnibus producentibus non perſeuerat omninò: ſunt enim aliqua duo producentia, quæ eadem vi productiua, eodemq́; actu producendi, vnũ tertium producunt: Quemadmodum pater, & filius producunt ſpiritum ſanctum. Rectè ergo dixit Auguſt. 15. de trinit. in illa ſumma trinitate, quæ deus eſt, interualla temporũ non eſſe, per quæ poſſet oſtendi, aut ſaltem requiri, vtrum priùs de patre natus ſit filius, & poſtea de ambobus ſpiritus ſanctus. Non poſſunt prorſus ibi iſta quæri, vbi nihil ex tempore inchoatur, vt ex conſequenti perficiatur in tempore. Quamobrem, quemadmodum ſpi-

Solutio.

Auguſt.

dum ſpi-

Spiritus ſanctus non plenius procedit à patre quàm à filio. *dum ſpiritus ſanctus non ante procedit à patre, quàm à filio; ita planè nec plenius, vel ma-*
gis procedit à patre, quàm à filio. Et 12. de trin. cap. 27. Si de patre & filio procedit ſpi-
ritus ſanctus, cur filius dixit Ioan. 15. de patre procedere? cur putas, niſi quia ſolet ad
eum referre, etiam quod ipſius eſt, de quo & ipſe eſt, ſicut ipſe ait: Mea doctrina non eſt
mea, ſed eius qui miſit me. à quo enim habet filius, vt ſit deus, eſt enim deus de deo; ab
eodem etiam habet, vt ab eo procedat ſpiritus ſanctus. Itaq; non plenius, aut prius. ſeu
perfectius ſpiritus ſanctus à patre procedit quàm à filio, quamuis filius id habeat à pa-
tre, vt ab eo ſpiritus ſanctus, deus ignis procedat.

CAP. II.

Spiritum ſanctum plenius à patre, quàm à filio procedere.

1\. August. *SPiritus ſanctus, authore Auguſt. 15. de trin. cap 17. principaliter procedit à*
patre, non ergo principaliter à filio, atq; ita non vniformiter omninò. Non
fruſtra, inquit, in hac trinitate non dicitur verbum dei, niſi filius: nec donũ
dei, niſi ſpiritus ſanctus: nec de quo genitum eſt verbum, & de quo procedit
ſpiritus ſanctus principaliter, niſi deus pater. principaliter ergo ſi à patre
procedit ſpiritus ſanctus, non vniformiter procedit ab ambobus. huic autem Auguſtini
Hieronym. *ſententiæ aſſentire videtur diuus Hieronymus in expoſitione catholicæ fidei, Nicænią;*
ſymboli: Credimus, inquit, in ſpiritum ſanctum, qui de patre procedit propriè. Item, ſpi-
ritum ſanctum verum deum inuenimus in ſcriptura, & de patre eſſe propriè. Et ita de
patre filius, & ſpiritus ſanctus propriè & verè de patre procedit. ergo quod prius. Am-
2\. Hilarius. *plius. ſpiritus ſanctus à patre procedit per filium: igitur plenius principaliusq; à patre:*
Sic enim ſcribit Hilarius 12. de trinitate patrem alloquendo: In ſpiritu tuo, inquit, ex te
profecto, & per eum miſſo. Item, ante tempora vnigenitus tuus ex te natus manet
ita, quòd ex te per eum ſpiritus tuus eſt filium tuum vnà tecum adoro, ſpiritum ſanctũ
tuum, qui ex te per vnigenitum tuum eſt, promerear. Igitur, ſpiritus ſanctus ſi à patre
procedit per filium; plenius ergo atq; perfectius à patre, quàm à filio procedit. Adde,
Patrem non ſpirare prius origine. *quòd à patre mediatè & immediatè, à filio autem tantùm mediatè procedit: principali-*
us ergo à patre quàm à filio procedit. Amplius, non videtur rationi eſſe conſentaneum,
3\. *quod paulò ante diſputando confirmauimus, quòd pater prius origine ſpiret: inter ea*
namq; quæ ſunt vnum, in quantum ſunt vnum, non habetur ordo: ordo enim diſtinctionem
præſupponat, neceſſe eſt. ſed pater & filius ſpirant, quatenus vnum ſunt, in ſpirando er-
go inter eos, ordo inueniri non poteſt. Profectò, ſi in illo priori, in quo pater eſt prior filio
ipſe pater ſpirat ſpiritum ſanctum; ſit, vt ſpiritus ſanctus, à patre productus ſit, ante-
4\. *quam filius, quod planè conſtat eſſe falſum. Adhuc, pater non eſt prior origine filio, ergo*
non prius origine ſpirat, quàm filius. Antecedens patet, quia, quod ſummè neceſſe eſt
eſſe, ſemper habet eſſe, & ſic in quocunq; ſigno. ſed filius eſt ſummè neceſſarius, ſicuti
5\. *& pater: in quocunq; igitur ſigno eſt, in eodem, abſq; dubio eſt etiam filius. Præterea, ſi*
in primo originis ſigno non ſit filius, ſed in ſecundo: migrat ergo de non eſſe ad eſſe, quod
profectò ſibi competere nequaquam poteſt. ergo pater non prius origine ſpirat quàm
filius. Reuera, tota trinitas in primo originis ſigno conſiſtit, & tota in ſecundo: ſi ergo
filius, non eſt in primo ſigno originis; & in ſecundo tamen eſt: in eodem ergo æternita-
tis inſtanti, eſſe, & non eſſe eidem attribui poſſent, quod prorſus impoſſibile putamus.

CAP. III.

Soluuntur

Soluuntur argumenta.

AD primum, patet quid ſit dicendum, ex his certè, quæ ſuperiùs annotaui- 1.
Spiritus ſanctus principaliter procedit à patre.
mus hac enim de cauſa addidit Auguſt. principaliter, quia nimirum, quod
habet filius, à patre accepit, vt ſæpius dixi. Eadem quoq; facilitate Hiero-
nymi argumentum ſoluitur: propriè namq; à patre procedit, non quidem
pleniùs, aut perfectius; ſed quia pater hoc habet à ſe, filius verò habet à patre. Ad 2. 2.
præpoſitio per, quando verbo comparatur tranſitiuo, præpoſitionis ſub authoritatem con-
tuetur, quo ſanè modo legitur patrem per filium omnia creaſſe, non quidem veluti per in-
ſtrumentũ ſed potiùs ſub authoritatem demonſtrat creantis. ſic etiã pater per filiũ, ſpi-
Spiritus ſanctus per filiũ producitur.
ritum ſanctũ producit non quidẽ tanquam per principiũ effectiuũ, aut inſtrumentũ ali-
quod, ſed potiùs, quia id, quod habet filius, à patre accepit. Quã ob cauſam, pater immediatè
ſpirat, vtpotè à ſe habens virtutẽ ſpirandi; mediatè verò, quia dat filio virtutẽ ſpiratiuã.
ex hoc autem nulla oritur imperfectionis, perfectioniſq; deformitas, aut aliqua actus
diuerſitas, ſed potiùs alius modus habendi. Etenim, ſi ſpiritus S. procedit à patre per fi-
lium, ſed filius habet eſſe per generationem; priùs ergo generatur filius, quàm procedat
ſpiritus ſanctus, atq; ita proceſſio ſpiritus ſancti nõ eſſet æterna. itaq; illa præpoſitio per,
ſub authoritatem oſtendit. Ad 3. maior eſt vera ex parte illius, in quo ſunt vnum: non 3.
autem ex parte modi habendi illud vnum, cùm ſit alius, atque alius. Ad confirmati-
onem dico, conſequentiã valere, ſi de priori originis ſigno intelligas, quod eſt in primo
Signa originis, & ſigna naturæ.
ſigno naturæ; non valere autem, ſi ſermo fiat de priori ſigno originis, quod eſt in ſecundo
ſigno naturæ: etenim ſigna originis, ſecundum duplex naturæ ſignum intelligenda ſunt:
primum autem naturæ ſignum eſt fœcunditas intellectiua, in duoq; diuiditur originis ſi-
gna: in primo quidem eſt dicere, in ſecundo verò eſt dici. Porrò, ſecundum ſignum na-
turæ eſt fœcunditas voluntatis, quæ etiam in duo originis ſigna diuiditur: in primo autẽ
eſt ſpirare, in ſecundo autem ſpirari. itaq; in primo ſigno naturæ, pater, filium produ-
cit, filiuſq; producitur, antequam in ſecundo ſigno & pater intelligatur ſpirare, & ſpiri-
tum ſanctum ſpirari. Ad 4. negatur antecedens, & ad probationem dico, quòd ſum- 4.
mè neceſſe eſt, pro quocunq; durationis ſigno eſſe habeat. non autem neceſſe eſt illud ha-
bere pro quocunque originis ſigno. Ad 5. negatur conſequentia, ſigna enim originis ſunt 5.
permanentia; ideo in eis nullus tranſitus eſſe poteſt: & ad probationem dico, de filio
dei eſſe & non eſſe cum determinatione verificari poſſe, videlicet non eſſe, & eſſe ab a-
lio, quæ planè ſibi inuicem non opponuntur: bene autem eſſe, & non eſſe ſimpliciter. Sed
dicet aliquis: nunquid pater, & filius ſint natura priores ſpiritu ſancto? nam ſi ſpiritus
Si pater & filius ſint natura priores, quàm ſpiritus S.
ſancti productio, ſecundùm volitiuam fœcunditatem ſit, productio autem tam actiua,
quàm paſſiua filij, ſecundùm fœcunditatem intellectiuam, quæ natura prior eſt volitiua:
ergo, natura, illam antecedere videtur. Sanè, naturæ ordo bifariam conſiderari poteſt:
vno quidem modo, vt idem ſit ordo naturæ .i. qui inter naturas habetur, cuiuſmodi pla-
nè in diuinis eſſe non poteſt, in quibus eſt vnica natura: alio verò modo, ordo naturæ
.i. ordo perfectionum naturalium, ſeu proprietatum, quem in diuinis eſſe, dubium non
eſt illis, qui inter perfectiones, aut proprietates diuinas, aliquam diſtinctionem collo-
cant: ſi enim diſtinctæ non eſſent, vtiq; ordine carerent, atq; ita confuſæ dicerentur. Itaq;
in diuinis ordo eſt naturæ, quippè, quum inter diuinas perfectiones, proprietateſq; vni-
us ſit ab alia naturalis præſuppoſitio, ſiue proceſſio: inter autem generationem actiuam,
& ſpirationem actiuam in patre, non eſt propriè originis, ſed naturæ ordo: vbi enim eſt
ordo originis; ibi planè eſt hoc ab hoc, ſiue vna perſona ab alia: ſed inter generationem
actiuam, & ſpirationem actiuam in patre, non eſt hoc ab hoc, quia in patre nihil eſt o-
riginatum, (vt ita dicam) aut originem ab alio ducens: igitur non eſt ordo originis.
primum & ſecundũ ſignũ naturæ.
eſſe autem ibi ordinem naturæ, liquet. Etenim, quoties aliqua ſunt ordinata ſecundùm

naturæ ordinem, quicquid in primo naturæ ſigno habetur; illud certè priùs iudicandum
1. *eſt quocunq; quod in ſecundo naturæ ſigno inuenitur: ſed ſœcunditas intellectiua eſt pri-*
mum ſignum naturæ, volitiua verò, ſecundum, generatio autem actiua eſt in primo, ſpi-
2. *ratio autem in ſecundo: igitur, aliquo naturæ ſigno diſtinguuntur. Generatio præterea*
actiua, patri quidditatiuè competit, vtpotè eius perſonæ conſtitutiua, ſpiratio autem a-
ctiua, alicuius non eſt perſonæ conſtitutiua. in naturali ergo intelligentia, generatio a-
ctiua in patre, ſpirationem actiuam præcedit. De generatione autem paſsiua in filio, at-
3. *que ſpiratione actiua, ſimile eſt iudicium. Adhuc, quando aliqua duo, ſunt ſimul na-*
tura, quidquid eſt prius natura vno, reliquo etiam prius natura reputatur: ſed ſpiratio
actiua, & ſpiratio paſsiua ſunt ſimul natura, pater autem, & filius, ſunt priores natura
Obiectiones. *ſpiratione actiua: ergo ſunt priores natura ſpiratione paſsiua, & ex conſequenti ſpi-*
1. *ritu ſancto. Sed arguet aliquis: ſpirans, & ſpiratum ſunt ſimul natura: ſed pater & fi-*
2. *lius ſunt ſpirantes, & ſpiritus ſanctus eſt inſpiratus: igitur ſunt ſimul natura. Am-*
plius, pater producens filium, non eſt prior natura filio: ergo, nec pater & filius pro-
3. *ducentes ſpiritum ſanctum, ſpiritu ſancto natura priores ſunt. Iterùm, filius non eſt*
prior natura ſpiratione actiua: ergo nec ſpiratione paſsiua, & ex conſequenti, nec ſpiri-
Solutiones. *tu ſancto. Antecedens autem patet, nam ſpiratio actiua eſt in patre, filius autem his,*
1. *quæ in patre ſunt, prior dicendus non eſt: ergo quod prius. Dico ad primam, maiorem*
veram eſſe de ſpirante formaliter ſumpto, quatenus eſt ſpirans, non autem de ſuppoſito,
2. *quod eſt ſpirans. Ad 2. negatur conſequentia, non enim eſt ſimile: pater enim per filij*
productionem conſtituitur in eſſe perſonali, ſpiratio autem actiua, intelligitur quaſi ad-
3. *uenire ſuppoſitis conſtitutis. Ad 3. negatur antecedens, & ad probationem, dico ad ma-*
iorem, ſpirationem actiuam in patre non eſſe, illius perſonæ conſtitutiuam; ſed tanquam
poſteriorem natura, veluti ſibi aduenticiam. dicere ergo filio eſſe poſteriorem, nullum
eſt aut ſequitur abſurdum. Itaq; quomodo pater & filius vniformiter ſpirent ſpiritum
ſanctum, & quænam in illis diuinis, ſanctiſsimisque perſonis naturæ, originisque pri-
oritas ſit, dixi.

CAP. IIII.

Productiones diuinas, nempe generationem paſsiuam, & ſpirationem paſsiuam, formaliter diſtingui.

Diuini Spiritus productio, qui ex patre, filioq; procedit, natiuitas illa di-
cenda ſit, necne: an proceſsio abſoluta: quæuè ſit illarum productionum
diſtinctio, diſtinctioniſq; cauſa, & origo; ſcire non parui profectò eſt ne-
gotij: tum ob arduam rei difficilemq; cognitionem, tum etiam, ob ſapien-
tum, qui admodum huius extiterunt ſcientiæ præclariſsimi interpretes, va-
Auguſtinus. *rias, diuerſaſq; ſententias Vnde, inquit Aug. 15. de trinitate, ſpiritus ſanctus cùm à patre*
Spiritus Sanctus filius nō dicitur. *filioq; procedit, amborum tamen filius non dicitur: in cauſa autem eſt diſsimilis modus*
procedendi. Spiritus enim ſanctus procedit, vt datus, authore eodem Auguſt. libro 5.
de trinitate: Filius verò, vt genitus. hanc ob cauſam non dicitur filius; quia neq; natus
eſt ſicut filius, neq; factus, vt per dei gratiam in adoptionem naſceretur, ſicut & nos.
Eandem quoq; profert ſententiam contra Maximinum: De patre, inquit, eſt filius, de pa-
tre eſt ſpiritus ſanctus: ſed ille genitus eſt, iſte procedens; ideo ille filius eſt patris, de
quo eſt genitus; iſte autem ſpiritus eſt vtriuſq; quoniam de vtroq; procedit. Diuinas er-
gò productiones, ſeipſis formaliter eſſe diſtinctas, Auguſtinus apertè lucideq; docet:
generatio enim ſeipſa formaliter generatio eſt, & ſpiratio ſimiliter, ſeipſa eſt ſpiratio.

Quam ob-

Generatio nõ eſt ſpiratio.

Quamobrem, ex rationibus eorum formalibus, generationem, ſpirationem eſſe, quocunq; alio circumſcripto, eſt impoſsibile. Non eſt ergo quærere, quibus hæ diſtinguantur productiones: quandoquidem hæc potiſsima ſit cauſa, quòd nimirum tota vnius ratio formalis, eadem alterius non ſit omninò. Ad hunc modum Auguſtinus loquitur 15. de trinit. cap. 27. Sic enim videbis, inquit, quid diſtet natiuitas verbi, à proceſsione: ibi certè docet, ex proceſsionum diſtinctione, diſtinctionem proficiſci perſonarum. hoc idem docet 5. de trinit: cap. 9. vel 32. vbi diſtinctionem perſonarum per diſtinctas emanationes oſtendit. Sed dicis: emanationes non ſunt à ſe. ergo non diſtinguuntur à ſe tenet conſequẽtia: à quo enim aliquid habet entitatem, ab illo etiam habet vnitatem: vnum namq;, & ens, authore philoſopho 2. met. conuertuntur. Dico, diſtingui formaliter, eſſe ſe totis diſtingui, etiam ſi per impoſsibile, à ſua ratione omne prorſus aliud circumſcriberetur. Quare, ſi per impoſsibile, perſonæ diuinæ, ſeu productiones, principium non haberent ab inuicẽ; ſe totis adhuc diſtinguerentur, primoq́; eſſent formaliter diſtinctæ, atq; diuerſæ. Diſtinctæ ergo emanationes in diuinis, diſtinctas oſtendunt perſonas. Sanè, productio naturalis, & libera, ex ſuis principiis diſtinctis, quæ ſunt natura, & voluntas, originaliter diſtinguuntur, ſimulq́; concurrere, eſt impoſsibile. diſtingui præterea originaliter, ex aliquibus ipſis prioribus proficiſcitur: ſed ipſis prius eſt nihil, niſi eſſentia, memoria, & intellectus, à quo poſſent diſtingui: ſed ex eſſentia non poteſt eſſe diſtinctio, alioqui infinitæ eſſent productiones; eſſentia enim, quoniam eſt infinita, quadam determinata principiorum multitudine claudi, ſeu concludi non poteſt: igitur, productiones diuinæ ſeipſis diſtinguuntur. Ex his etiam liquet, quam ob cauſam ſpiritus ſanctus ingenitus, aut genitus dici non poſsit: quemadmodum Auguſt. ad Oroſium, Dial. 2. quæſt. 2. cap. 26. clariſsimè docet: Spiritum ſanctum, inquit, nec genitum, nec ingenitum fides certa declarat: quia ſi dixerimus ingenitum; duos patres videbimur affirmare: ſi autem genitum, duos credere filios culpamur. Et 15. de trinit. Pater, inquit, ſolus non eſt de alio; ideo ſolus appellatur ingenitus. Verùm huic Auguſtini ſententiæ obuiare videtur Hieronymus lib. 5. de trinitate cap. 7. Spiritus ſanctus pater non eſt, inquit, ſed ingenitus, atq; infectus: pater non eſt, quia patris eſt, & in patre eſt: proceſsionem habet ex patre, & non natiuitatem. Verùm, alio modo Hieronymus nomen ingeniti, alio verò Auguſtinus accepit. Ingenitum enim, Auguſtinus intellexit .i. de alio non procedentẽ, quod planè patris eſt ſolius: Hieronymus verò ingenitum, hoc eſt, non de alio genitum putauit, atq; ita nulla eſt inter eos controuerſia. Itaq;, ſi ingenitum priuationem ſonet; in deo eſſe non poteſt, in quo nulla prorſus inuenitur priuatio. ſi verò negationem, aut illa certè extra genus ponitur, aut nullum ſibi determinat ens; ſicq; enti, & non enti conuenire poteſt, cuiuſmodi in deo eſſe non poteſt, veluti alicuius perſonæ proprietas. hoc modo chimæram ingenitam appellamus, vel nihil. Porrò, ſi negationem in ente ſignificet; deo vtique conuenire poteſt; tunc enim ingenitum idem eſt ac per generationem non communicatum, ſiue productum: ſub quo planè modo ſignificandi, pater, ſpiritus ſanctus, denique eſſentia diuina comprehenduntur. At, ſi ingenitum illud ſonet, quod omni productione caret, tunc, abſq; dubio; ſpiritus ſanctus ingenitus dicendus non eſt: à patre enim filioq́; procedit. Verùm aliqui, productiones diuinas, ex terminis formalibus diſtingui, probare conantur, vt patebit in capitulo ſequenti.

Auguſtinus.

Obiectio.

Solutio.

Diſtinctæ emanationes indicãt diſtinctiones perſonarum.

Spiritus Sanctus non dicitur ingenitus Auguſtinus.

Ingenitũ non eodẽ modo accipitur à Hieronymo, ſicut ab Auguſtino

CAP. V.

Productiones diuinas, aut ex terminis formalibus diſtingui, aut quia vna ſit ab vno, altera verò à duobus.

De ſpiritu ſancto.

1. *Motus, authore philoſ. 5. phyſ: terminis diſtinguuntur: igitur, & diuinæ*
productiones. nam & ſi motus non ſint, neq; mutationes; viæ tamen ſunt
2. *ad perſonas, quæ realiter ab inuicem diſtinguuntur. Amplius, produ-*
ctiones ex diuerſo originis modo diſtinguuntur, non ergo ſe totis: ſiquidem
ſpiritus ſanctus in hoc à filio perſonaliter diſtinguitur, quia nimirum ab
alterius origine diſtinguitur: Originis autem differentia eſt, quòd filius ſit à patre, ſpi-
ritus autem ſanctus à patre, & filio: alio enim modo proceſsiones diſtingui non poſſunt.
3. *Iterùm, productiones diuinæ, ex ſuis principiis diſtinguuntur: non ergo ex ſeipſis totis,*
Antecedens notum eſt: nam voluntas, & intellectus principia ſunt productiua in diui-
Solutio *nis, ex quibus certè pendet tota productarum perſonarum diſtinctio: ergo. Verùm ad*
primi. *primam aliquorum ſententiam reſpondendo aſſero, eã eſſe falſam: emanationes namq;*
ex terminis eſſe non habent: termini planè ex ſeipſis eſſe formaliter habere nequeunt. ſi
igitur, ex terminis eſſe non habeant, nec ergo diſtinctionem; ab eodem certè, & eſſe ha-
4. *betur, & diſtinctio. Illud præterea 5. phyſ: oppoſitum ſapit: motus ſiquidem ideo ex*
terminis diſtinguuntur, quia formæ fluentes eiuſdem ſunt rationis cum formis terminan-
tibus: ſed in diuinis non eſt huiuſmodi fluxus, eiuſdem rationis cum termino, nec eſt via,
quaſi fluxus eiuſdem rationis cum terminis formalibus, quippè, cùm terminus formalis
productiones *ſit diuina eſſentia: illa autem productio, quæ eſt quaſi via, eſt relatio: igitur, diuinæ pro-*
non diſtingui *ductiones ex terminis non diſtinguuntur. Amplius, quod eſt prius, ex ſuo poſteriori*
à terminis. *originaliter non diſtinguitur; ſed magis è conuerſo: ſed productiones actiuæ priores*
2. *ſunt ſuis productis: ab illis ergo non diſtinguuntur. Sanè, quod non eſt ab aliquo origina-*
liter; ab ipſo originaliter non diſtinguitur: ab eodem enim eſt eſſe, & diſtingui; ſicuti ab
eodem eſt aliquod eſſe ens, & vnum: ſed productiones actiuæ non ſunt ex terminis pro-
3. *ductis; imò contrario modo ſe habent: ergo quod prius. Item motus diſtingui ſpecie*
ex terminis, in omnibus non eſt omninò verum: diuerſi planè motus ſpecie, vt dicitur 5.
phyſ: ad idem vbi ſpecie eſſe poſſunt, ſaltem motus rectus, & circularis, ſaltatio, am-
4. *bulatio, & quæ ſunt generis eiuſdem. Terminus præterea, eſt poſterior motu: ſicuti effe-*
ctus eius: non ergo originaliter ex termino diſtinguitur. Ex his ergo patet, diuinas pro-
Solutio *ductiones ex terminis minimè diſtingui, vt illi aiunt. Ad argumenta ſecundæ ſententiæ*
ſecundi. *dico: rationi non eſſe conſentanea nec etiam diuini Auguſtini doctrinæ proxima, atque*
1. *conformia. Sanè, ſi ſciſcitari liceat cauſam, ob quam, vna ex diuinis proceſsionibus ab*
vna ſit, & non à duabus perſonis, altera verò contrario modo ſe habeat; profectò alia
inueniri non poteſt, niſi quia eiuſdem non ſunt rationis: præintelligitur ergo illarum
2. *diſtinctio, antequam vnam ab altera procedere intelligamus. Intellectio præterea, vo-*
litio, atq; eſſentia, non eiuſdem eſſent in filio, & ſpiritu ſancto rationis: nam filio ab vno,
3. *ſpiritui autem ſancto à duobus communicatur. Item, ſi ſpiritus ſanctus non procede-*
ret à filio; adhuc tamen à filio diſtingueretur, vt antea diſputando confirmauimus. cau-
4. *ſa ergo diſtinctionis non eſt ab vno, vel à duobus productio. Albedo etiam in lapide, &*
in equo eſt principium mutationis viſus eiuſdem rationis: ita (ſi licet ſic loqui) diui-
næ productiones, ſiue ab vno, ſiue à duobus proficiſcantur, eiuſdem planè rationis eſſe
5. *videntur. Adhuc, ſi res ita ſe haberet, tunc in diuinis, & quarta, & quinta, deniq; plu-*
rimæ conſtitui poſſent perſonæ, quarum vna à duabus, altera à tribus, altera à plurimis
6. *perſonis procederet, quod reuera abſurdiſsimum eſt. Item, omnis diſtinctio ad aliqua*
reuocanda eſt, quæ ſunt primò diuerſa, quæ: inquam, ſi per impoſsibile, ab aliis omnibus
eſſent diſcreta; adhuc tamen diſtincta apparerent. Porrò, illa diſtinctio non eſt ſuppo-
ſitorum vnitas, vel pluralitas: nam his circumſcriptis, manet integra, & diſcreta. Pro-
Obiectio. *ceſsio ergo ab vno, vel à duobus non eſt prima diuinarum diſtinctio perſonarum. Sed*
dicis, emanationes diuinas per relationes oppoſitas diſtingui, prioris ſcilicet & poſteri-
Solutio. *oris; quia nimirum vna, eſt altera prior. Dico, diſtinctionem huiuſmodi primam dici*

non poſſe.

*non poſſe: cauſa enim afferenda eſt, quare vna naturaliter, eſt altera prior: nec alia
mihi videtur, niſi, quia iſta productio eſt talis, illa verò talis. Relatio præterea, per re-
lationem præcisè, primoq; non diſtinguitur, non enim primò refertur. quoniam autem
huiuſmodi emanationes, relationes ſunt; per relationes prioris, & poſterioris ab inuicē
primò non diſtinguuntur. Etenim, iſtæ relationes aliæ ſunt à relationibus originis: rela-
tio ſiquidem originis inter producens, & productum, prioris verò & poſterioris, inter
originem & originem inuenitur: ergo quod prius. nam quomodo huiuſmodi relationes* Relationum
diſtinguuntur, vt per eas, oppoſitæ relationes diſtinguerentur? minus enim illæ viden- diſtinctio.
*tur diſtinctæ quàm oppoſitæ: in vna namq;, atq; eadem perſona inueniuntur, vtpotè in
perſona patris: iſtæ autem in aliqua inueniri nequeunt: neq; enim eſt aliqua perſona, quæ
duobus modis producatur. igitur, huiuſmodi emanationes diſtingui, manifeſtius eſt,
quàm ex parte producti principij relationes oppoſitas. velle ergo iſtarum diſtinctionem
per illas oſtendere, perinde eſt, ac rem notiſſimam, per rem minus notam, imò obſcuri-
orem, dilucidare. Ad id, quod ſuperiùs adductum, quòd huiuſmodi diſtinguantur pe-* Solutio
nes principia ſecundùm rationem diſtinctam, nempè penes naturam, & voluntatem, à tertij.
*quibus diſtinctæ emanationes procedunt, tametſi in diuina eſſentia ſola ratione diſtin-
guantur: ſed hæc quoq; eſt infirma, imbecilliſq; ſententia. Etenim, ſicut ſe habet ens re-* 1.
*ale ad ens rationis; ita planè diſtinctio realis ad diſtinctionem rationis: ſed ens reale,
non præſupponit ens rationis, quia ſcilicet maius ens, minus præſupponat, non eſt neceſ-
ſe, alioqui ens rationis, omne ens reale præcederet: diſtinctio ergo realis, rationis diſtin-
ctionem nequaquam præſupponit, neq; ab ipſa dependet. Amplius, ſi res ita ſe habe-* 2.
*ret, vt iſti ſentire videntur; reuera intellectus, & voluntas eſſent entia diminuta, atque
ita, reſpectus formaliter dicerent tantùm: ſed ens diminutum, & ſecundùm quid, ac
tantū in intellectu entis, ſimpliciter, ac realiter exiſtentis, cuiuſmodi ſunt verbū, & ſpi-
ritus ſanctus, origo eſſe non poteſt: ergo quod prius. Iterùm, ens, quod omninò neceſ-* 3.
*ſarium non eſt, entis prorſus neceſſarij, origo eſſe non poteſt: ſed ens rationis reſpectu di-
uinarum productionum, tale eſſe reputatur: igitur, huiuſmodi opinio, quæ diſtinctio-
nem rationis, principiis realiter producentibus præſupponere videtur, rectæ rationi ne-
quaquam congruit, neq; ſanam oſtendit philoſophiæ artem. Sed dices, eſſentiam diuinā,* Eſſentiam di-
vtriuſq; eſſe emanationis principium: illimitatio enim, atq; vnitiua aliquorum conti- uinam eſſe im
nentia, ab illimitata continentia cauſalitatem, ſeu ipſorum actiuitatem non aufert. cùm mediatū prin
igitur diuina eſſentia, limite careat, & ex conſequenti infinita ſimpliciter ſit: etiamſi cipium vtrius
intellectum, voluntatemq; vnitiuè, diſtinctèq; contineat; in iſtas tamen productiones, que emanatio
diſtinguendi poteſtatem habet, ac ſi in ſeipſa diſtincta eſſet. Amplius, ſi intellectus & nis argumen
voluntas formaliter, & ex natura rei diſtinguuntur; huiuſmodi ſanè diſtinctionem, in tis oſtenditur 1.
diuinæ eſſentiæ vnitatem immediatè reducere, neceſſe eſt, quæ ſub certa quidem multi- 2.
*tudine, huiuſmodi ſibi perfectiones determinat. ad ipſam ergo, ſine aliqua prima di-
ſtinctione, iſtæ duæ actiones actiuæ, immediatè reduci poſſunt. His ergo, atq; ſimilibus
arguunt, qui diuinam eſſentiam, vtriuſq; emanationis immediatum contendunt eſſe prin-
cipium. ſed his obuiare poſſunt, non vna, ſed plures propemodum rationes. Sanè, ſi eſ-* Solutio. 1.
*ſentia diuina ita ſe habeat, neutra ſanè productio, ex natura rei libera, ſed merè planè
naturalis vocabitur: actus enim voluntatis productiuus, ſeu operatiuus, ſi non eſt liber
in ſe formaliter, eſt vtiq; in ſe naturale quiddam. Sanè, actio volendi in nobis, non eſt
formaliter libera, ſed ipſa voluntas; actio namq; illa quædam eſt forma naturalis, non
autem quippiam, ſeu aliquod intellectuale, quod quidem ad oppoſita ferri queat, iccir-
co libera dicenda non eſt. ſi ergo, immediatum diſtinctionis principium, diuina reputa-* Diuina eſſen-
tur eſſentia; nulla prorſus in diuinis productio libera diceretur: quidquid enim generat tia non eſt im
ipſa volitio, naturaliter generat, natura autem eſt principium motus, quatenus actum mediatū prin
dicit: porrò, ante actum diuinæ naturæ, actum, inquam, productiuum, nulla eſt in na- cipium pro-
ductionis.

*tura diſtinctio omninò; ſed natura, atq; eſſentia in ſua tantùmmodo, vt ita dicam, nudi-
ta e. non eſt ergo ibi aliquid, ex quo, veluti ex principio, libera emanet productio: am-
bæ igitur productiones naturales dicerentur, quod planè vniuerſam euertit theologicam
2. veritatem. Amplius, eiuſdem principij duo producta ſimpliciter adæquata eſſe non
poſſunt: ſicuti duo obiecta eiuſdem nequeunt eſſe potentiæ. Quare, ſi eſſentia diuina im-
mediatum extiterit diſtinctionis principium; duo vtique habebit producta ſimpliciter
3. adæquata. Item, quodlibet principium perfectum, eiuſdem exiſtens rationis, habet, vel
habere poteſt aliquod productum ſibi ſimpliciter adæquatum, ſuæ reuera non repugnat
naturæ productum habere perfectum, & ex conſequenti ſibi adæquatum. cùm autem
eſſentia diuina in ſeipſa indiuidua ſit, atq; indiſtincta; vnum certè haberet productum
ſibi adæquatum, atq; ita non duo; ſed vnum tantùmmodo in diuinis inueniretur produ-
Rationes ſoluuntur. ctum, quod prorſus falſum eſt: eſſentia ergo in diuinis productionibus, non eſt immedi-
atum diſtinctionis principium. Ad rationes autem illius ſententiæ dico: & ad primam
1. quidem nihil, etiamſi illimitatum extiterit, atq; infinitum, ſimplexq́; & indiuiſibile, in
duas poſſe productiones, quarum vna ſit naturalis, altera verò libera; vnicum namque
atq; ſimplex principium natura eſt, aut voluntas, ſimulq́; in idem concurrere nequeunt:
Cum ergo dicis, ab infinito, ob huiuſmodi vnitiuam continentiam nihil perfectionis au-
fertur, negatur aſſumptum aufertur enim propria ratio vnius perfectionis ſimpliciter,
imò omniū propemodū perfectionū ſimpliciter, ex ſuis planè proprijs rationibus forma-
2. libus proficiſcientiū, quas in vna ratione ſaluari, deniq; in vno aliquo contineri, eſt impoſ-
ſibile. Ad 2. negatur ſimilitudo, nā intellectus & voluntas, ſi diſtincta ponantur, quoniā
in eſſentia naturaliter ſunt, ad illius vnitatē reduci, neceſſarium non eſt; productiones ſi-
quidem non ſunt, neq; producta, vt ad diſtincta principia reducantur: ad vnum tamen,
nempè ad diuinam eſſentiam, quæ reſpectu ipſorum principium non dicitur, reduci re-
uocariq́; oportet. Sed de his ſatis dictum ſit. Deinceps audiamus quorundam argumen-
ta, qui nituntur probare, ſpirationem generationem eſſe.*

CAP. VI.

Quòd ſpiratio ſit generatio.

1. *OMnis productio, quæ ad ſubſtantiam terminatur, generatio appellatur: in
hoc enim generatio ab alijs mutationibus differt, vt clariſſimè multis in
locis philoſophus docere videtur: ſed vtraq; diuina productio, ad ſubſtan-
tiam terminatur: ergo vtraq; generatio dici poteſt. Sanè, mutationes, &
motus, authore philoſo. 5. phy: per terminos formales diſtinguuntur: ſed
formalis terminus ſpirationis, eſt idem prorſus cum diuina generationis termino: eſt enim
diuina eſſentia & ſpirationis, & generationis actiuæ terminus: quemadmodum in primo
2. libro demonſtraui: ſpiratio ergo eſt generatio. Amplius, quæcunq; ſunt vniuoca, eiuſ-
dem planè ſunt rationis: ſed generatio & ſpiratio ſunt vniuoca productiones, ſi ad patrē
comparentur: igitur, ſunt vniuocæ inter ſe: nam quæcunq; vni, & eidem ſunt eadem; inter
ſe quoq; eadem eſſe probantur. vna eſt ergo productio diuina, non duæ: ſicq; inter illas
3. nulla eſſe videtur diſtinctio formalis. Adhuc, ab eodem ſimplici, vniformiter ſe habente
non eſt niſi vnum: ſed ſuppoſitum primo eſt vnicum ſimplex, vniformiter ſe habens: ge-
neratio ergo à ſpiratione, non diſtinguitur. Reuera, quod ab alio realiter diſtinguitur, ad
ipſum quoq; referri, neceſſe eſt; diſtinctio enim, reſpectiuum potiùs quàm abſolutum ſo-
nat. at, generatio realiter ad ſpirationem non refertur: nam vel ſeipſis hoc fieret, atq;
ita relationes eſſent oppoſitæ, quod falſum eſſe omnibus conſtat: vel alijs relationibus, ſic-
que in relationibus diuinis realibus proceſſus eſſet in infinitum. ſpiratio ergo, eſt gene-
ratio, ab*

ratio, ab eaq́; nullatenus differt. Præterea, Differentia realis, quoniam perfecta eſt, à differentia rationis, quæ eſt imperfectior, minimè dependet: ſed principiorum differentia 4.
quæ in diuinis productionibus habetur, natura eſt, & voluntas, quæ ratione tantùm differunt. nam abſolutorum realem differentiam, diuina ſimplicitas non patitur, alioqui inter intelligere, & intellectum in deo, realis eſſet relatio, & ex conſequenti diſtinctio realis. Profectò, vbicunq; intellectus, ex natura rei ab intelligere diſtinguitur; intellectus abſq; dubio intelligere recipit, vel ratio eſt ipſum recipiendi, relatio vtiq; ibi eſt realis recipientis ad receptum ſcilicet, quæ planè diuinis conuenire nequeunt. Igitur productiones diuinæ realiter minimè diſtinguuntur. Adhuc, quod æquè eſt neceſſarium, æquè etiam 5.
eſt naturale: ſed ſpiratio, ſiue ſpiritus ſancti productio, æquè eſt neceſſaria: igitur æquè eſt naturalis. vna ergo ab altera non diſtat. Sanè, natura ſiue eſſentia diuina, in ſpiritus ſancti productione, principium eſt principale: igitur, illa eſt naturalis, & conſequenter generatio potiùs, quàm ſpiratio dicenda eſt. Adde, quòd voluntas, quæ eſt ſpiritus ſancti productiuum principium; ita certè perfectio eſt naturalis in diuinis, ac intellectus: æquè igitur naturaliter producit. Ex his ergo, atq; his ſimilibus liquet, ſpirationem generationem eſſe.

CAP. VII.

Soluuntur argumenta.

AD primum dico, maiorem eſſe veram de productione, quæ eſt per modum naturæ, non autem de illa, quæ eſt per actum voluntatis: non enim ſufficit terminus, ſed modus quoq;, generationi congruere debet, vt aliqua productio, generatio vocetur. Quoniam autem ſpiritus ſanctus, per modum voluntatis procedit; hac de cauſa, illius productio, generatio non dicitur: ſunt namq; nonnulla, quæ formaliter ab inuicem differunt, veluti homo ob ſuam rationalitatem à bruto formaliter diſtat: nonnulla verò, ſiue eadem, originatiuè, per ſua vtiq; principia productiua, à quibus eſſe habent diſtinctum; ſic homo à belua diſtinguitur: interdum declaratiuè, vtpote per accdentia, ſuasq́; operationes. Ex his ergo ad propoſitum redeuntes, dicimus, quòd licet ſpiratio actiua & generatio in patre eadem ſit, quia vna eſt ibi realitas; differunt tamen formaliter, eò quòd vna eſt naturalis, altera verò libera. ſpiratio quoq; actiua in filio eadem eſt cum filiatione, quia nimirum vna eſt filij realitas, differunt autem formaliter: filiatio ſiquidem in patrem tendit, ſpiratio verò in ſpiritum ſanctum. Porrò, ſpiratio actiua in patre & filio vna eſt omninò, tum realiter, tum etiam formaliter: ſpiratio verò paſſiua, formaliter differt à generatione paſſiua, alijsq́; omnibus originis relationibus, ſunt quidem ei diſparatæ, & oppoſitæ, deniq; prorſus incompoſſibiles. Porrò, ille triplex modus diſtinguendi in diuinis productionibus inuenitur: nam generatio, & ſpiratio ſeipſis formaliter diſtinguuntur: ſecundùm enim rationes formales, vnam eſſe alteram eſt impoſſibile. originatiuè verò, ob diuerſa principia productiua, quorum vnum eſt naturale, alterum autem liberum. manifeſtatiuè quoq; ob ſuppoſita producta, ex illis ſanè apparet, diuinarum productionum diſtinctio. Itaq́; in natura diuina duæ ſunt productiones, alterius quidem rationis, idq́; ob ſummam, atq; abſolutam diuinæ naturæ perfectionem, quæ non vno; ſed duobus planè modis ſeſe communicare ſtudet. Ex hoc autem inferre non licet, diuinam generationem mutationem eſſe: diuina ſiquidem generatio ſub productionis ratione intelligenda eſt, cuius termini ſunt producens, & productum. Illa ergo generatio præcipuè naturalis dicenda eſt, cuius habitudo inter producens, & productum eſt naturalis, modusq́; etiam communicandi naturalis, non liber nominatur. Verùm, cùm huiusmodi modus naturalis, ſpiritui ſancto nequaquam conueniat, vt ſæpè dixi; ideo illius ſpiratio, generatio dici non poteſt: nec

Triplex modus differẽdi. Formaliter. Originariè. Manifeſtatiuè.

Spiritus ſancti productio non eſt generatio.

ſancto. *quicquam prodeſt, id, quod in confirmationem aſſumitur, quippè, cùm non ſolùm ter-*
2. *minus; ſed modus communicandi neceſſarius ſit, vt generatio dici poſſit. Ad 2. diuinæ*
productiones ſunt quidem vniuocæ nominaliter, vt ita dicam: quemadmodum ſolemus
dicere, quòd generatio equi ſit ab equo, & leonis, à leone: non ſunt tamen vniuocæ aduer-
bialiter, ſicuti Socrates & Plato ſunt vniuocè homines. neq; etiam eiuſdem ſunt rationis
ſpecialis; alioqui plures eſſe non poſſent, ſed communis tantùm. Ad confirmationem di-
co, quòd ſi duo vni tertio illimitato comparentur, ex vnione, qua in tertio conueniunt;
eadē inter ſe vnio non ſequitur. Pater enim duplicem habet fœcunditatem: qualibet au-
tem productio, propriam intuetur fœcunditatem, ex qua proficiſcitur: proinde illimi-
tatum quiddam, atq; indeterminatum pater dicitur; ſi ad determinata, hoc eſt, ad di-
uinas productiones comparetur. Quare, non ſequitur, diuinas inter ſe productiones vni-
Obiectiones. *uocas eſſe, quia nimirum reſpectu tertij, in quo conueniunt vniuocæ ſint. Sed dicet aliquis:*
1. *ſi productiones alterius ſint rationis, non autem vniuocæ; productionum quoq; termini*
alterius erunt rationis, vt in quinto phyſ: legitur. at, tunc termini, alicui tertio nequa-
quam vniuoci erunt, ob diſtinctionem plane formalem, quæ inter illos eſſet ponenda,
quod reuera falſum eſt. igitur, ex oppoſito arguendo, ſi termini alicui tertio vniuoci
2. *ſint; productiones quoq; inter ſe erunt vniuocæ. Amplius, intellectus & voluntas, qua-*
tenus ſunt operatiuæ potentiæ, in obiectis diſtinctionem exigunt formalem, eandemq;
profectò in obiectis diſtinctionem producturæ eſſent, ſi reſpectu illorum, potentiæ eſſent
productiuæ. Cum ergo termini productiui, huiuſmodi diſtinctione opus habeant; termi-
3. *ni vtiq; vniuoci dicendi non ſunt. Item, productum per intellectum, ex ſuæ quippe pro-*
ductionis virtute, notitia genita appellatur: productum verò per modum voluntatis, a-
mor procedens nominatur. ſed hæc inter ſe alterius rationis formaliter eſſe videntur: er-
Solutiones. *go quod prius Reſpondeo, propoſitionem veram eſſe dicimus, ſi forma fluens, ſecundùm*
1. *quam eſt motus, eiuſdem eſſet rationis cum forma terminante: motus enim eiuſdem eſt*
rationis cum forma fluente. at, productio diuina, non eſt fluxus aliquis, neque forma
fluens, denìq; neq; eiuſdem rationis cum forma, quæ eſt productionis formalis terminus,
aliquid enim eſſentiale eſt: productio verò, relatio formaliter: iccirco, ex productio-
num diſtinctione obiectorum, ſiue terminorum, formalis nequaquam ſequitur diſtinctio.
Obiectio. *Dices, primi termini, .i. termini formales, nequaquam vniuoci eſſent, eò quòd produ-*
ctiones non ſunt vniuocæ; atque ita perſonæ, quæ primi termini dicuntur, tum in ſe, tum
Solutio. *etiam in tertio vniuocæ eſſe non poſſent. Reſpondeo, productionem, formaliter diuinam*
eſſentiam non includere, perſonam verò illam formaliter includere: perſona namq; non
ſolùm eſt proprietas, ſiue relatio, verùmetiam in natura diuina, hypoſtaſis ſubſiſtens.
ſic Socrates, non tantùm indiuidualem naturam complectitur; ſed etiā humanam. Qua-
re, & ſi primi termini, productiones complectantur; non ſunt tamen eiuſdem adæqua-
tæq; rationis, quippe, qui non ſolùm relationes, verùmetiam abſolutum .i. diuinam in-
cludant eſſentiam. Non ergo opus eſt illis huiuſmodi, ac tali diſtinctione, qua planè o-
pus eſt productionibus; vt ſi quædam aliqua diſtinctiua includant, tantùm diſtingui,
ſicut & illa, nullo certè modo neceſſarium eſſe puto. Ad illud de potentijs dico, poten-
tias operatiuas, obiectum formale diſtinctum non exigere: vnum enim, atque idem eſt
tum diuini intellectus, tum etiam diuinæ voluntatis primum & formale obiectum, in
quo vtraq; potentia, ſecundùm eandem primi obiecti rationem formalem beatificatur;
nulla quippe eſſentialis perfectio primò diuinum beatificat intellectum, deinde diuinam
ipſius voluntatem. non ergo in obiectis, vt ſunt potentiæ operatiuæ, diſtinctio formalis
quærenda eſt: nec etiam in potentijs, quatenus ſunt productiuæ. Ad aliud dico, argu-
mentum, ſi in ſe aliquid probet, hoc tantùm probare, nempè ſpirantis, & ſpirati diſtin-
Obiectio. *ctionem, vel generationis, & ſpirationis. Dicis, notitia quatenus eſt actualis, alterius*
eſt rationis à memoria, & amor ſimiliter à voluntate, vt eſt actus primus. Quam ob
cauſam.

cauſam, ſi productionum. hoc eſt, notitiæ & amoris termini, formalis diſtinctio tribuitur; abſq; dubio, productiuo principio eſt tribuenda, quæ à termino formali producto distinguitur: atq; ita, in vnaquaq; productione, æquiuocatio inuenietur. Reſpondeo, id, Solutio.
quod ſuperiùs dictum eſt, genitum ſcilicet ex vi generationis ſuæ, notitiam eſſe actualem, bifariam intelligi poſſe: aut ſecundùm originis, aut verò ſecundùm adæquationis Originis & adæquationis
primitatem. Sed primus quidem modus admittendus non eſt, alioqui tres perſonæ non eſſent, vniformaliter Deus; eſſentia enim in patre quaſi priùs eſſe intelligitur, quàm alicuius perfectionis principium, ſeu fundamentum eſſe intelligatur. Quare, ſi in filio, ante eſſentiam, præintelligatur notitia; tunc planè filius priùs haberet notitiam, quàm eſſentiam, & ex conſequenti non eſſet idem Deus cũ patre. Secundus autem modus probabilis eſt: eſſentia enim diuina in qualibet perſona, eſt cuiuslibet eſſentialis perfectionis primum fundamentum. Porrò, prima perſona virtute memoriæ fœcundæ, productione adæquata, ſecundam producit, quæ eſt notitia actualis, ſuo adæquata principio productiuo: ſic etiam ſpiritus ſanctus, vt amor actualis, ſuo adæquatus principio. Dicis, quòd Obiectio.
vniuocatio, ſeu æquiuocatio ex primitate adæquationis magis pendet, quàm originis: nam & ſi Sol ſit ſubſtantia, & vermis etiam: non ob id tamen, vniuoca appellatur generatio vermis à Sole, quippè, qui in forma ſpecifica terminum ſibi non aſsimilet. cùm igitur, terminus productus non adæquetur omninò principio productiuo: erit igitur in productione, æquiuoca generatio. Reſpondeo, non eſt æquiuoca productio dicenda, ſi produ- Solutio.
ctiuum principium eiuſdem non ſit rationis cum termino formali producto; ſed adhuc opus eſt, vt principium productiuum non eiuſdem communicetur rationis genito, & terminus formalis in producto, eiuſdem non ſit rationis in producente: ſed aliter hæc ſe habent in diuinis: memoria ſiquidem eſt formaliter in notitia genita actuali, & viciſſim notitia genita, eſt formaliter in perſona generante; quamuis neutrum iſtorum tum producendi, tum etiam productionem terminandi prima ratio dici poſsit. ſed de hoc negotio ſatis. Ad 3. dico, ab eodem ſuppoſito ſimplici, plura principia formaliter in ſe habente, plures haberi, ſiue emanare poſſe productiones. Ad confirmationem autem dico, illius maiorem falſam eſſe: nam & ſi Deus, à creatura realiter diſtinguatur; ad ipſam tamen realiter non refertur. Ad id autem, quod aſſumitur, diſtinctionem eſſe relationem, approbo quidem; verùmtamen non opus eſt, illam eſſe realem inter illa, quæ aliquo modo diſtinguuntur: creatio enim, relatio eſt, creantis verò ad creatum, realis diſtinctio eſſe non poteſt. Ad quartum, ex ſupradictis patet ſolutio: generationis ſiquidẽ 4.
actiuæ, & ſpirationis actiuæ eſt triplex terminus primus. vnus quidem formalis & pri- Triplex terminus generationis, & ſpirationis actiuæ.
mus primitate naturæ, ſiue naturalis præſuppoſitionis, nempè, diuina eſſentia, quæ certè vtriuſq; productionis vnus terminus, atq; idem eſt. alius autem primus dicitur, primitate vtiq; adæquationis, ac correſpondentiæ: atq; hoc modo termini generationis actiuæ, atq; ſpirationis actiuæ, rationes formaliter diſtinctas habent: ſic enim generationis terminus, eſt notitia genita, ſpirationis autem, amor ſpiratus. alius verò eſt terminus quaſi totalis, & primus, primitate adæquationis, quo ſanè modo illarum productionum termini, tum inter ſe, tum etiam cum producente vniuocantur. huiuſmodi autem termini ſunt perſonæ productæ, quæ eandem penitus habent eſſentialem formam, & inter ſe, & cum producente. primus ergo terminus, idem eſt omninò cum productis: ſecundus verò diſtinctas habet rationes, tertius eandem prorſus formam tum inter ſe, tum cum producente. Ex quo patet diſtinctionem realem in primo, aut tertio termino non inueniri, niſi in ſecundo fortaſsis; quatenus notitia, & amor diſtinctas habeant rationes. Ad 5.
5. negatur conſequentia: aliquid enim poteſt eſſe neceſſarium, quod tamen non eſt naturale: neceſsitas namq; non opponitur libertati ſimpliciter, ſed tantùm libertati arbitrij. Ad confirmationem primam, negatur conſequentia: ſiquidem ab altero principio, nempè à voluntate, quæ ſola productiua eſt reſpectu ſpiritus ſancti, determinatur modus

producendi. Ad 2. confirmationem dico, quòd licet voluntas tum in eſſendo, tum etiam in perficiendo, vbi fundamentum eius eſt perfectibile, ſit naturalis; non tamen in principiando. Proinde naturaliter habemus voluntatem, ſed liberè quidem volumus, ſiue volitionem habemus. Itaq́; quomodo ſpiratio à generatione differat, dixi.

QVAESTIONIS QVINTAE. CAP. I.

Pater & filius diligunt ſe ſpiritu ſancto.

Diuerſa multorum ſententia.

QVoniam non vna de hac quæſtione extitit antiquorum ſententia; ideo opus mihi eſſe arbitror, illorum in medium ſententias adducere, quò clarius rei veritas eluceat: qua profectò cognita, ſententiarum diuerſitas & ratio innoteſcat.
1. *Quidam ſanè huiuſmodi ſententiam, ſiue poſitionem, impoſſibilem, ac planè falſam eſſe putauerunt: quam certè ſic intellexerunt: pater, ſpiritu ſancto diligit filium, & viciſſim filius, patrem, cum alicuius cauſæ habitudine, quaſi ſit ſenſus, ſpiritus ſanctus patri, filioq́; eſt principium diligendi. Approbo autem iſtorum ſententiam, ſi ita intelligi debeat, patrem, filiumq́; ſe mutuò hoc modo diligere.*
2. *Alij verò aiunt, impropriam eſſe propoſitionem, ideo ſic eſſe intelligendum: pater diligit filium ſpiritu ſancto, hoc eſt, amore eſſentiali, qui ſpiritui ſancto propriè competit.*
3. *Nonnulli autem ablatiuum illum, ſigni habitudinem eſſe putauerunt, hoc modo: quòd pater diligat filium, ſpiritus ſanctus ſignum eſt, quippe, qui ab vtroque vt amor procedit.*
4. *Quidam autem ſic intellexêrunt: ſpiritus ſanctus eſt amor, quo formaliter pater & filius*
5. *ſe inuicem diligunt. Alij verò, non cauſæ, ſed effectus formalis ablatiuum illum eſſe dicunt, qui profectò, veritati proximiores ſunt. Sanè, cùm res à ſuis formis denominationem accipiant, ſicuti album ab albedine, & homo ab humanitate: omne igitur illud, à quo aliquid denominatur, quòad hoc planè formæ habitudinem obtinet. vt ſi dixero: hunc eſſe diademate coronatum: illeq́; ſanè ablatiuus, etſi non ſit forma; cum habitudine tamen cauſæ formalis eſt conſtruendus. etenim, non ſolùm agens ab actione, ſed etiam effectus, qui in actionis intellectu includitur, denominatur: dicimus enim ignem, calefactione eſſe calefacientem, etſi calefactio, calor non ſit, qui eſt forma ignis, ſed actio tantùm ab igne procedens.*

Diligere duplex in diuinis.

Cùm igitur diligere duplex ſit in diuinis, alterum quidem eſſentiale, alterum verò notiale, ſi eſſentialiter quiſpiam intelligat; tunc reuera pater, & filius non diligunt ſe ſpiritu ſancto, ſed eſſentia potiùs diuina: Quis, inquit Auguſt. 11. de trini. audet dicere patrem nec ſe, nec filium, nec ſpiritum ſanctum diligere, niſi per ſpiritum ſanctum? hunc autem modum imitari videntur primæ quorundam ſententiæ. At, ſi notialiter aliquis intellexerit, diligere perinde eſt ac ſpirare amorem: quemadmodum dicere, eſt producere verbum. Pater ergo & filius ſe diligunt ſpiritu ſancto, hoc eſt, ſe mutuò diligentes, ſpirant amorem, qui eſt ſpiritus ſanctus.

Opiniones diuerſæ confutantur.

1. *Secunda ergo opinio vera non eſt, quæ dicit ſpiritum ſanctum ſignum eſſe dilectionis, qua pater filium diligit: alioqui dici poſſet, quòd pater & filius diligant ſe creatura, quia nimirum creatura, quam concorditer producunt, illorum dilectionis ſignum diceretur.*
2. *Tertia verò opinio, veritati minimè conſonat, quæ ait, patrem ac filium ſe ſpiritu ſancto diligere, quia ſcilicet amor propriè ſpiritui ſancto conueniat: nam pari ratione, pater & filius, ſpiritu ſancto, boni dicerentur: bonitas ſiquidem in diuinis, ſpiritui ſancto attribuitur. Item pater, & ſpiritus ſanctus, filio eſſent ſapientes, filio quippe ſapientia competit.*

Rationes contra 4. opinionem.

Quarta autem opinio, quòad primum ſenſum, iam exploſa eſt: dubium autem eſt, vtrum ſi notialiter intelligatur, veritatem habeat: nõ deſunt enim contra huiuſmodi ſententiam, rationes, quæ pluris ſunt faciendæ.
1. *Profectò, ſi pater & filius ſe diligere dicuntur ſpiritu ſancto; multò ergo fortiùs, eodem ſe ſpirare dicendi eſſent: nam ſi agens, ab actione, & termino, qui in illius actione non inclu-*

De ſpiritu ſancto.

includitur, denominari poteſt: multò ergo magis ab actione, quæ illius terminum conclu-
dit, atq; complectitur. Amplius, calidum non calefacit ob calefactionem, quam alicui 2.
impreſſit, ſiquidem ab actione tranſeunte, agens denominationem non recipit: ſic etiam
artifex non ædificat, ædificio, ſiue domo, quam ædificando erexit; ita quoq; pater & fili-
us non ſe diligunt ſpiritu ſancto: nam diligere notialiter ſic acceptum, actionem ſignifi- Solutio.
cat tranſeuntem. Dico, ſpiritum ſanctum in diuinis duplicem habere reſpectum, vnum Spiritus ſanctus in diuinis duplicem habet reſpectum.
quidem realem, nempè ad ſpirantes, alterum verò rationis, ad aliquid, quod per ipſum
acceptatur. ſi ergo ita intelligas diligere, id eſt, acceptare aliquid ex vi ſuæ productio-
nis; ſic certè formaliter diuino ſpiritui congruit, principatiuè verò verbo, productiuè au-
tem, patri & filio. vnde tunc ablatiuus, in ſpiritu ſancto ſubauthoritatem, in patre verò,
ac filio authoritatem connotat. ſic autem intellexiſſe videtur Aug. 6. de trin. cap. 8. vbi
apertè teſtatur, quòd pater & filius ſe diligant ſpiritu ſancto ab eis procedente. At ſi
diligere, pro ſpirare intelligas, falſa videtur ſententia, quemadmodum etiam hæc eſt fal-
ſa, pater dicit verbo, dicere, pro producere verbum intelligendo, ſicut ſuperiùs diſputaui- Amor acceptatiuus.
mus. Pater ergo & filius diligunt ſe ſpiritu ſancto, id eſt, producunt ſpiritum ſanctum,
qui eſt amor acceptatiuus, ex vi modoq; ſuæ productionis. Sed quidam contra prædicta
ita arguunt.

CAP. II.

Patrem & filium ſe non diligere ſpiritu ſancto.

AVt pater & filius diligunt ſe ſpiritu ſancto notialiter, aut certè eſſentiali- 1.
ter: non quidem primo modo, alioqui, vt dixi, pari ratione ſpirarent etiam
ſe ſpiritu ſancto: neq; ſecundo, nam ab eodem, & eſſe habet perſona diui-
na, & diligere, eſſentiam accipiendo. quodlibet præterea eſſentiale ineſt
cuilibet, non per alteram perſonam. Amplius, ſi pater ſpiritu ſancto fili- 2.
um diligeret; eadem ratione, & ſeipſum. Vnde, cùm origine ſit prior filio, ſe vtique priùs
ſpiritu ſancto diligere poſſet, atq; ita priùs producere ſpiritum ſanctum, quàm filium,
quod eſt falſum. Sanè, eodem videtur pater ſe diligere, & filium: ſed tunc pater dilige-
ret ſe in primo ſigno originis, in quo ſpiritus ſanctus non intelligitur ſpiratus. ſed hoc eſt
abſurdum, ne dicam impium: ergo pater & filius non diligunt ſe ſpiritu ſancto. Adhuc 3.
ſi diligunt ſe ſpiritu ſancto; pari ratione creaturam quoq; diligerent, quod eſt falſum.
eadem ſiquidem neceſſitate, tum ſe, tum etiam creaturam diligerent, atq; ita ſpiritus 4.
ſanctus eſſet amor creaturæ. Præterea, quemadmodum hæc eſt falſa, pater dicit verbo
intelligendo dicere eſſentialiter, pro intelligere, alioqui pater eſſet ſapiens ſapientia ge-
nita: quod Auguſtino non probatur, vt poſtea dicetur, notionaliter etiam eſt falſa; non
enim producit verbum verbo, aliter tunc eſſet verbum verbi in infinitum: ſimiliter ergo
iſta non eſt vera, pater, & filius ſe diligunt ſpiritu ſancto. Amplius, eodem amore, pater 5.
diligit filium, ſeipſum, & nos. ſed pater non diligit ſe ſpiritu ſancto, quia nimirum nullus
actus notialis, ſuper actus principium reflectitur: velle enim dicere, patrem ſeipſum gi-
gnere, aut ſpirare, abſurdiſſimum eſt, ne dicam impoſſibile. Similiter ſe diligere ſpiritu
ſancto, quatenus notialiter diligere ſumitur. Amor præterea, quo diligit nos, quia re-
ſpectum ad creaturam dicit, ſpiritui ſancto non competit, alioqui reſpectus ille ad eſſen-
tiam pertineret. falſum ergo eſt, velle aſſerere, patrem, filium, & viciſſim filium, patrem,
ſpiritu ſancto diligere.

CAP. III.

Soluuntur

Soluuntur argumenta.

1. *AD primum, Solutio patet ex prædictis: diligere ſiquidem merè eſſentialiter aut notialiter non intelligitur, ſed peculiariter potiùs, eius productionem connotando. Ratione autem adiuncti, notialiter ſumi poteſt, vt ſit ſenſus, pater, & filius diligunt ſe ſpiritu ſancto, id eſt, acceptant ſe aliquo à ſe producto, non quidem formaliter, ſed principatiuè potiùs, vt dictum*
2. *eſt. Ad 2. Pater in primo originis ſigno, voluntate, vt eſt in ipſo formaliter, ſeipſum diligit. Diligit autem ſe ſpiritu ſancto principatiuè, non quidem in primo ſigno originis; ſed ſpirando ſpiritum ſanctum, quatenus ſcilicet producit ſpiritum ſanctum, qui reuera ex virtute ſuæ productionis, eſt amor amati. Porrò, huiuſmodi modus diligendi, patri, filioq́ communis eſt. proinde, in illo priori originis, pater ſe diligit amore eſſentiali tantùm, neque ex hoc, duo amores in diuinis ponendi ſunt, ſed prioritas originis in patre commen-*
3. *datur. Ad 3. Quamuis Pater & filius creaturam diligant ſpiritu ſancto, quatenus ſcilicet, ex ſuæ productionis modo, amor ſit acceptatiuus; ex hoc tamen non ſequitur, creaturam, neceſſariò eſſe acceptandam, ſed contingenter, eo planè modo, quo creatura acceptabilis eſt. ſic etiam eſſentia, eſt ratio volendi creaturam contingenter, non neceſſariò.*
4. *Ad quartum patet ſolutio ex prædictis, vbi de dicere verbo annotauimus. Ad 5. Dilige-*
5. *re quatenus notionaliter ſumitur, non ſolùm diuinæ productionem perſonæ; ſed etiam perſonam connotat per modum amoris productam, qui ad rem dilectam, habitudinem habet. vnde, ſicut pater dicit ſe, omnemq́ creaturam verbo, quod genuit, quatenus ſcilicet, verbum genitum, tum patrem, tum etiam omnem creaturam repræſentat; ita profecto, ſpiritu ſancto & ſe, & creaturam diligit, quatenus ſpiritus ſanctus procedit, vt amor bonitatis primæ, ſecundùm quam pater amat ſe, omnemq́ creaturam, hoc eſt, acceptat reliqua à ſe condita vniuerſa. Itaq́, patrem, & filium ſe mutuò diligere ſpiritu ſancto, & creaturam, me dixiſſe puto.*

Spiritus ſanctus eſt amor amati.

CAP. IIII.

An pater ſit dicendus ſapiens, ſapientia genita:

Chriſtus dei ſapientia.

APud antiquos ſapientiæ duces, non temerè quæſitum fuiſſe legimus, vtrum pater in diuinis ſapiens ſit ſapientia, quam genuit, de qua Apoſtolus ad 1.Cor.1. loquitur: Dico Chriſtum Ieſum, dei ſapientiam, & dei virtutem Et Dauid in Pſal.103. Omnia in ſapientia feciſti domine. Sanè, ſi pater diligit amore, qui ab ipſo procedit; cur etiam non ſit ſapiens dicendus, ſapientia, quam genuit? Omne caſtum, inquit Auguſt. (lib. 83. quæſt. quæſt. 23. caſtitate caſtum eſt, & omne æternum, æternitate, & omne pulchrum, pulchritudine: ergo omne ſapiens, ſapientia. Sed duobus modis caſtum caſtitate dicitur, vel quòd eam gignat, vt ea ſit caſtum caſtitate, quam gignit: aut participatione caſtitatis, quidq́ caſtum eſt, quod poteſt aliquando eſſe non caſtum. Quamobrem, cùm ſapiens deus dicitur, ſine qua, eum vel fuiſſe aliquando, vel eſſe poſſe, nefas eſt credere, non participatione ſapientiæ, ſapiens dicitur; ſicut anima, quæ & eſſe, & non eſſe ſapiens poteſt, ſed quod ipſe eam genuerit, qua ſapiens dicitur, ſapientiam. Quòd ſi ita res ſe habeat, quum hoc ſit deo eſſe, quod ſapere, ſi eſt ſapiens ſapientia, quam genuit; non ipſa ab illo, ſed ille ab ipſa eſt ſapientia, quod certè fieri non poteſt, niſi gignendo eum, aut faciendo; ſed nec genitricem, nec conditricem patris, nullo modo quiſquam dixerit ſapientiam: itaq́ pater, ipſa ſapientia eſt, qua ſapiens eſt: filius verò, ſapientia patris dicitur, quia nimirum ſapientia eſt de ſapientia patre,

De ſpiritu ſancto.

non quia pater per eum ſit ſapiens. Illud reuera, quo aliquid dicitur, & eſt formaliter tale; eſt planè in eo formaliter, vt lux in lucente: non enim aliquid formaliter lucere dicitur, niſi in eo luce formaliter exiſtente. Sed ſapientia genita, id eſt, filius, non eſt formaliter in patre, alioqui diuinarum ſequeretur confuſio perſonarum: tunc ſiquidem pater, filius eſſet, & filius, pater. Igitur, pater non eſt ſapiens, ſapientia genita. Amplius, illa, quæ rem in alio ſignificant, illud planè denominare, ſeu nomen imponere nequeunt: niſi per id tantùm, quod in illo formaliter exiſtit. ſed ſapiens, rem ſuam in alio oſtendit, non denominat: ergo ſapientia patrem per verbum, quod non eſt formaliter in patre non denominat. Pater ergo eſt ſapiens, ſapientia, quæ ipſe eſt, id eſt, diuina eſſentia, filius autem ſapientia genita appellatur, non quia plures ſunt in diuinis ſapientiæ; ſed vna duntaxat. Sapientia ergo, ingenita, id eſt, diuina eſſentia pater formaliter ſapiens nominatur: filius verò ſapientia genita, ſeu patris appellatur, non qua ille ſit ſapiens; ſed quam pater genuerit.

Pater non eſt ſapiens ſapientia genita.

Filius eſt ſapientia genita.

Dicis: ſi idem eſt deo ſapere, & diligere, quare non dicitur ſapiens ſapientia ab eo procedente, ſicut dicitur diligere dilectione ab ipſo emanante? Reſpondeo, diligere, ſi eſſentialiter intelligatur; hoc modo pater, & filius ſe non diligunt, vt diximus, at ſi notionaliter; tunc planè, ſecundùm ſenſum paulò ante annotatũ, admittendum eſt: accipitur enim pro ſpiratione paſſiua. Vnde, quamuis ſecundùm rẽ ſit eſſentia diuina; modus tamen ſignificandi nõ eſt idem: eſſe namq; abſolutè, diligere autẽ relatiuè dicitur. Quam ob cauſam non ſequitur, pater, amore à ſe procedente, diligit, amore ergo eſt, ſiue eſſe habet. Quoniam ergo ſapere in diuinis eſſentialiter, nõ notionaliter ſumitur; iccirco non licet ea libertate vti, qua circa diligere vtimur. Propterea non audemus dicere, patrem ſapientia à ſe genita, ſapientem eſſe.

An filius ſit ſapiens ſeipſo.

Dicis: ſi filius eſt ſapientia genita, qua ergo ſapientia dicendus eſt ſapiens, ſeipſo, vel ſapientia ingenita; Pro cuius rei intellectu nonnulli quidem termini annotandi ſunt. Ablatiuus ſiquidem ille, ingenita, ſiue ſeipſo, aliquando principatiuè, interdum verò formaliter, nonnunquam identicè, intelligitur. Primo quidem modo, ignem calore, calefacere dicimus: Secundo autem, ignem calore, calere, ſiue calidum eſſe: Tertio verò modo, ſuppoſitum ſeipſo agere, non quidem vt principio quo; ſed quia eſt idem ſibi agenti, vt principio quod. Ingenitum quoq; notionaliter intellectũ, patri tantùmmodo competit, vt in primo libro dixi. Largè verò tum eſſentiæ, tum etiam intellectioni conuenire poteſt.

Principatiuè, formaliter, identicè.

Quando ergo percontaris an filius ſit ſapiens ſapientia ingenita, facilis poteſt eſſe ſolutio. Etenim, ſi ingenitũ notionaliter intelligatur, nempè pro ſapiẽtia ingenita, id eſt, patre, principatiuè de principio quod, admittendum eſt: producitur enim, atque principium habet à patre: formaliter autem ſiue de principio formali, non ſolùm eſt admittendum, ſed etiam explodendum omninò. Nam quemadmodum pater, non eſt ſapiens formaliter filio; ſic etiam, nec filius, patre poteſt eſſe formaliter ſapiens, nec etiam identicè. Quòd ſi ingenitum ſecundo modo intelligatur, quatenus ſcilicet eſſentiæ conueniat, vel communi intellectioni, aut ſapientiæ, ſi ablatiuus, officio fungatur principij producti, ſeu producentis; tunc, ſine dubio, falſa eſt propoſitio: ipſius enim filij ſapientia communis, neq; vt quod, neq; vt quo principium eſſe poteſt: ſed pater eſt principium quod, memoria verò principium quo. At, ſi ablatiuus vicem principij formalis vſurpet, tanquam veritati conſona, eſt concedenda: Sapientia planè, & intellectu eſſentiali, quælibet perſona diuina ſapit, & intelligit. Quòd ſi identicè intelligatur, quemadmodum cùm dicimus aliquid eſſe ſeipſo; adhuc bifariam poteſt intelligi, eſſentialiter ſcilicet, & realiter, aut ſuppoſitiuè. Et primo quidem modo vera eſt: ſapientia namq; communis ingenita in diuinis tribus eadem, & eſſentialiter, & realiter prorſus eſt. ſecundo autem modo deſpicitur: non enim eſt propria, quippe, quæ non ſit ſuppoſiti ad ſeipſum, vel de ſeipſo, licet ab ipſo ſuppoſitiuè minimè diſtinguatur. Impropiè ergo dicimus, filium ſapientem eſſe ſapientia ingenita, idq; ſuppoſitiuè; magis autem, ſi ſapiens ſeipſo nominetur: ipſe reuera ſuppoſiti rationem, non autem ſapientia ſubire poteſt. Cæterùm, genitum in diuinis ſem-

Ingenitũ duplex.

Genitum eſt nomen filij.

per eſt notionis nomen, ſoliq́ filio conuenit. Quando ergo filius ſapiens, dicitur ſapientiâ genita, ſi ablatiuus, vicem habeat principij productiui, aut formalis; tunc planè neganda eſt huiuſmodi ſententia ſui enim non eſt principium productiuum, nec ſeipſo ſapiens, vt quo. At, ſi identicè accipiatur, admitti poteſt; quamuis non ſatis propria ſit locutio: ſenſus enim eſt, quòd filius ſit ſapientia genita, & ſapiens etiã ſapientia genita, quia nimirũ ſeipſo non vt quo, ſed ſicut ipſum eſt ſeipſum, & eſt ſeipſo. Alijs verbis, hoc idem poſſet efferri, hoc modo, filius eſt ſapiens, ſapientia ingenita, quæ eſt pater, tanquam principio productiuo: aut tanquam forma, quæ in ſuppoſito, cui attribuitur actus, eſſendi, agendiq́ue ratio reputatur: atq; ita filius eſt ſapiens ſapientia ingenita, quæ eſſentialis eſt: vel tanquam ſuppoſito agente: ſicq́ filius eſt ſapiens ſapientia genita, quæ eſt ipſemet, non autem pater. Dices, gignens notitiam creatam, intelligit ipſam formaliter: ergo ſimiliter pater intelligit verbo, & ſapit ſapientia genita. Dico, non eſſe ſimile: notitia enim genita formaliter inhæret intellectui gignenti, non autem verbum in diuinis, quippe, quæ per ſe ſit notitia ſubſiſtens, ſicut in primo libro diffusè lucideq́ diſputaui. Itaq́ filius ſapientia dei dicitur, non certè tanquam ipſe ſolus ſit intelligens, vel ſapiens, ſibiq́ & patri, & ſpiritui ſancto intelligat, & ſapiat: alioqui authore Auguſt. 10. de trinit ad illam rediretur abſurditatem, vt pater non ſit ſapiens de ſeipſo, ſed de filio. Eſt ergo deus pater ſapiens ſapientia, quæ eſt pater, de quo eſt genitus filius, qui eſt genita ſapientia; vterq; tamen vna eſt ſapientia, & tamen ſolus pater eſt ingenita ſapientia, filius verò genita ſapientia de ſapientia. Itaq́ quomodo pater ſit ſapiens, ſapientia, quæ ipſe eſt, & qua ſapientia filius ſapiens dicatur, quamuis ardua ſit, & perplexa, inquiſitio; ſatis tamen clarè dictum eſſe arbitror. Deinceps indagare oportet, quomodo ſpiritus donum nominetur in diuinis.

Obiectio. Solutio. Auguſtinus.

Qvaestionis sextae cap. I.

Spiritus ſanctus in diuinis, propriè donum dicitur.

Quid ſignificet donum.

Donum in diuinis, duplicem relationem oſtendit, alteram quidem realem, alteram verò rationis, ſiue, vt ita dicam, habitudinalem: donum enim dicitur, quia donabile. Proinde donabilitas, ſeu reſpectus donabilitatis, qui eſt ad creaturas, habitualis reſpectus, eſt præcipuum ſuum ſignificatum. Quoniam autem huiuſmodi donabilitas non competit, niſi perſonæ in diuinis per modum amoris procedenti: amor enim productus primum donum eſt; hac de cauſa, donum in diuinis, originis relationem connotat, nempè, producti per modum amoris ad producentem: donum ſiquidem relationem dicit producentis liberaliter, quia nimirum eſt donatio irredibilis, alioqui venditio, aut redemptio, vel quæſtus, aut aliquid huiuſmodi diceretur. Itaq; donum, tum ſecundùm principale ſignificatum, tum etiam ſecundùm connotatum, ſpiritui ſancto tantùm competere videtur: procedit enim à patre, & filio per modum amoris, quod eſt doni connotatum. Datur verò, quia eſt donum, cuius reſpectus habitualis eſt, ipſa donabilitas, quæ ipſius eſt præcipuum ſignificatum. hoc ergo nomen doni, ſeu donum, aptitudo oſtenditur, quod donetur. Quod autẽ datur, aptitudinem habet, vel habitudinẽ, tum ad id, à quo datur, tum etiã ad id cui datur: nõ enim daretur ab aliquo, niſi eius eſſet, nec alicui daretur, niſi vt eius ſit, cui datur. Porrò, perſona diuina alicuius eſſe dicitur, vel ſecundũ originẽ, ſicuti filius eſt patris, vel quatenus ab aliquo habetur. Id autẽ habere dicimur, quo planè, & vti, & frui liberè poſſumus. hic autem modus habendi, rationali tantũmodo creaturæ competere poteſt, ea ſanè ſola deo per intellectũ cõiungitur: alia verò moueri poſſunt à diuina perſona; in earũ tamen poteſtate ſitum non eſt, frui diuina perſona, vel eius effectu vti poſſe. Ad hanc autem muneris dignitatem, rationalis tantummodo creatura pertingere poteſt; quippe, quæ diuini verbi, & procedentis

Donum ſpiritui ſancto competit.

Sola rationalis creatura capax eſt doni.

*vedentis amoris,capax eſſe queat,ad liberè verèq́ deum cognoſcendum,atq́ rectè aman-
dum. Sola ergo creatura rationalis hoc donum,nempè diuinam perſonam habere poteſt,
idq́ deſuper gratia operante:hoc enim nobis dari dicimus,quod aliunde habemus : atque
ita diuinæ competit perſonæ,& dari,& donum eſſe,id eſt,ſpiritui ſancto. Sanè, donum
propriè eſt datio irreddibilis,authore philo. hoc eſt, non datur intentione retributionis,
ſed gratuitæ potiùs donationis,cuius ratio eſt amor: hac enim ratione alicui aliquid gra-* Quare dicitur donum.
*tis damus, quia volumus ei bonum. Primum ergo quod illi damus,eſt amor, quo volumus
ei bonum.Ex quo patet,amorem,primi boni rationem habere,per quod omnia dona gra-
tuita donantur. Cum igitur ſpiritus ſanctus procedat,vt amor;primi vtiq́ doni rationem
videtur habere. Suffragatur huic ſententiæ Auguſt 15.de trinit. Spiritus ſanctus in tan-* Aug. ſententiæ de ſpiritu ſancto.
*tum donum dicitur, in quantum datur eis, quibus datur : apud ſe autem deus eſt, & ſi
nemini detur. quibus planè verbis,principale doni ſignificatum , reſpectum habitualem
ad creaturas eſſe demonſtrat. At,4.de trini. cap. 20.ſuam ſententiam clariùs aperire
videtur. Sicut,inquit,natum eſſe, eſt filio à patre eſſe;ita planè , ſpiritui ſancto donum
dei eſſe,eſt à patre filioq́ procedere.Et lib 5.de trinit. cap.11. Spiritus ſanctus , relatiuè
dicitur,cùm ad patrem,& ad filium referatur, quia patris, & filij eſt ſpiritus : ſed ipſa
ratio non apparet in hoc nomine. Apparet autem cùm dicitur donum dei : donum enim
eſt patris & filij,quia & à patre procedit,& à filio. Cùm autem ab æterno,ab vtroq́ pro
cedat;ab æterno ergo donum eſt,ſiue fuit.Et cap.15. eiuſdem libri : Semper ſpiritus ſan-* Datum ex tempore.
*ctus procedit,& non ex tempore;ſed ab æternitate procedit.ſed quia procedebat, vt eſ-
ſet donabile ; iam donum erat, antequam eſſet , cui donaretur : aliter enim intelligitur,
cùm dicitur donum,aliter,cùm dicitur donatum: nam donum poteſt eſſe,etiam antequã
donetur: donatum autem, niſi datum fuerit,nullo modo dici poteſt.Sempiternè ergo ſpi-
ritus ſanctus eſt donum,temporaliter autem donatum. Secundùm ergo Auguſtini ſen-
tentiam,præcipuum doni ſignificatum, proceſſionem æternam ſignificat,qua ſpiritus ſan
ctus à patre filioq́ vt donum procedit. Sed qui primam tueri vellet ſententiam , dicere
poſſet,atq́ ita reſpondere : ſpiritum ſanctum , vt donum à patre , filioq́ procedere, non
quidem formaliter; ſed fundamentaliter potiùs: quippe, quia in donatione ſeu ſpiratione
paſſiua, donabilitas ſita ſit, quam præcipuè donum ſignificat. hac enim de cauſa donum
dicitur,quia alicui datur,vel donabile eſt:proceſſionẽ autem,quæ eſt per modum amoris
connotando. ſiquidem inter omnia dona,amor primum obtinet locum,vtpote aliorum ex-* Inter omnia dona,amor eſt primum donum.
*iſtens donorum ratio,& origo. Porrò,reſpectus,quem ad creaturas donum habere dici-
tur , trifariam intelligi poteſt. vno quidem modo ſecundùm actum, atq́ ita donum ap-
pellatur,quia ſcilicet actu datur : deinde ſecundùm habitudinem, & ſic donum, vtpotè
aliquando donandum,nominatur: poſtremò,ſecundùm aptitudinem,vnde & donum di-
citur,quia ſcilicet donabile ſit. Donabile quoq́ dupliciter accipi poteſt , donabile ſiqui-
dem,id eſt,poſſibile dari,aut aptum natum dari: hæc autem duo diſtant ab inuicem: la-
pidem enim ſurſum attolli,poſſibile eſt;ad id tamen aptitudinem non habet. primus au-* Donũ eſt proprietas conſtitutiua ſpiritus ſancti.
*tem modus tribus competit perſonis:ſecundus verò ſpiritui ſancto tantùm,qui ex ſuæ pro
ductionis virtute,aptitudinem habet,vt detur : ſolus enim procedit per modum amoris,
& donabilis. Sed dices, nunquid donum proprietas ſit ſpiritus ſancti conſtitutiua? Sanè,
id ei conuenire videtur,ob relationem profectò æternam, atq́ realem : ens enim reale* Rationes.
*per ens rationis in eſſe nequaquam conſtitui poteſt : ſed reſpectus ille habitualis, vel eſt
ens rationis,vel ſimpliciter non eſt: perſona verò ſpiritus ſancti eſt ens reale. igitur,re-* 1.
ſpectus habitualis,non eſt proprietas ſpiritus ſancti conſtitutiua. Amplius,ens in actu, 2.
*per aliquod habituale,vel potentiale in eſſe conſtitui non poteſt: ſed perſona ſpiritus ſan-
cti,eſt ens in actu: non ergo conſtituitur per relationem habitualem , quæ eſt donabili-
tas. intrinſecum namq́ ſiue abſolutum in diuinis prius eſt quocunq́ eſſe , ſiue reſpectu* 3.
creaturarum,ſiue illud ſit eſſe reale,ſiue eſſe cognitum : omne reuera neceſſarium prius

eſt ente non neceſſario. ſed ita ſe habent diuina, reſpectu creaturarum: ergo quod prius.
4. *Præterea, nulla proprietas perſonalis diuina, per ſe includit reſpectum ad creaturam, eſt*
certè illa intrinſeca: igitur, reſpectu ad creaturas prior reputatur: nam ſi reſpectum ad
5. *creaturam includeret, qui eſt ens rationis; eſſet vtq; tantùm vnum per accidens. Ad-*
huc, ens diminutum non eſt de eius formali ratione, quod neceſſe eſt eſſe, & purus actus:
ſed illa relatio eſt ens diminutum, vtpote ens rationis: non attinet ergo ad ſpiritus ſancti
6. *rationem formalem. Amplius, vna perſona ſimplex, in eſſe quidem perſonali, per vnam*
ſanè, non per duas conſtituitur relationes. Quamuis enim pater tribus adornetur proprie
tatibus, nempè innaſcibilitate, paternitate, ſpiratione actiua, filius verò duabus; neuter
tamen plurimis, ſed vna tantùm in eſſe perſonali conſtituitur proprietate: vtpote pater,
paternitate, filius verò, filiatione. Igitur ſpiritus ſanctus, cùm perſona ſimpliciſſima ſit,
vna tantùm relatione, ſcilicet paſſiua ſpiratione, quæ ad producentes refertur, in eſſe per
ſonali conſtituitur: verùm contra prædicta, ſolent aliqui ſic arguere, vt patebit in capite
ſequenti.

CAP. II.

Spiritum ſanctum non eſſe propriè donum in diuinis.

1. *QVod eſt commune tribus perſonis diuinis, ſpiritui ſancto proprium eſſe ne-*
quit: ſed donum eſt huiuſmodi. quælibet namq; perſona dat, & datur, autho
re Auguſt. ad Dardanum, & 15. de trin. Igitur donum non ſoli ſpiritui ſan-
2. *cto competere poteſt. Amplius, quod relationem temporalem oſtendit, re-*
ſpectu creaturarum, eſt tribus commune. ſed donum, teſte Auguſt. 15. de
trin. 18. eſt tale: Eo, inquit, eſt donum, quo eſt datum, vel datur: datur autem ex tempo-
3. *re. igitur quod prius. Item, ſpiritus ſanctus eſt donum, in quo omnia nobis dona donan-*
tur, vt dicit Auguſt. 15. de trin. 17. Si ergo ipſe eſſet donum, à ſeipſo, & per ſeipſum dona-
retur, atq; ita referetur ad ſeipſum: quod eſt falſum. Sanè, teſte Hylario, eo ſpiritus
ſanctus eſt donum, quo eſt deus: ſed eſſe deum, non ſoli conuenit ſpiritui ſancto: ergo, nec
4. *illi ſoli conuenit donum eſſe. Amplius, nullum nomen perſonale, eſſentiæ poterit diuinæ*
competere: ſed eſſentia diuina eſt donum, quod pater dat filio, teſte Hylario 8. de trinit.
Donum ergo non eſt nomen perſonale, & peculiare ſpiritus ſancti. Sanè, omne nomen
perſonale, aliquam in diuinis diſtinctionem oſtendit, alioqui confuſio eſſet perſonarum:
ſed nomen doni, authore Auguſt. 15. de trin. huiuſmodi diſtinctionem non demonſtrat:
Ita, inquit, ſpiritus ſanctus datur, ſicut dei donum, vt etiam ſeipſum det, ſicut deus. Ad-
5. *huc, Quod importat reſpectum ad creaturas, temporale eſt: creatura enim æterna non*
eſt, ſed in tempore condita ſed nomina perſonalia non ſunt temporalia, ſed æterna. igitur
donum non eſt nomen perſonale. Donum præterea ſubiectionem quandam innuit, eius ſci
6. *licet, cui datur. At, in diuinis non eſt huiuſmodi ſubiectio. ergo quod prius. Adhuc, ſpi-*
ritus ſanctus, alicuius hominis, ſpiritus interdum dicitur: non autem donum, ſed dei tan-
tùm: non eſt ergo illius nomen proprium.

CAP. III.

Soluuntur Argumenta.

1. *AD primum, patet ſolutio ex paulò ante citatis: propriè enim donum ſoli ſpi-*
2. *ritui ſancto conuenit, qui procedit per modum amoris, amor autem primum*
donum eſt, in quo reliqua dona donantur: ſi ergo donum, quatenus poſſibile
eſt dari intelligas; ſic tribus commune eſt. vt autem aptitudinem indicat, ex
vi ſua

viſus productionis, proprium eſt tertiæ perſonæ in diuinis exiſtentis. Ad 2. dicendum ad minorem: donum præciſè illam relationem non importare; ſed etiam connotare proceſſionem per modum amoris: maior quoq; omnibus modis non eſt vera: nam filij incarnatio, relationem dicit ad creaturam; quæ tamen tribus non eſt communis diuinis perſonis. Ad 3. verum quidem eſt ſpiritum ſanctum, donum eſſe, in quo omnia dantur: & cùm infers, ergo ad ſeipſum refertur: admittimus de relatione rationis, quæ eſt dantis ad donum, vel doni ad dantem. Ad confirmationem dico, tueri poſſe de proceſſione reali, quæ procedit per modum amoris: hoc enim modo ſpiritus ſanctus Deus dicitur, quia ſcilicet vt amor procedit, de quo ſuperiùs multa. Ad 4. donum eſt dantis, idq; vno modo identicè, atq; ita non diſtinguitur à dante; ſed ab eo cui datur, & ſic dicitur, quòd ſpiritus ſanctus, ſeipſum det. Quando ergo eſſentia donum nominatur, ad hunc planè modum eſt intelligenda, nimirum, quòd ſit donum patris per modum identitatis. alio modo donum, vt poſſeſſio dicitur, eſſentialiterq; à dante diſtinguitur: atq; ita donum Dei eſt aliquid creatum. tertio modo, relationem originis indicat: hoc planè modo ſpiritus ſanctus diſtinguitur perſonaliter; ipſumq; donum nomen eſt perſonale. Ad 5. donum non ex actu; ſed ex aptitudine potiùs denominatur. vnde ab æterno ſpiritus ſanctus, donum dictum eſt: licet ex tempore humanæ datum fuerit creaturæ. Ad confirmationem dico, donum quatenus eſt nomen perſonale, non ſubiectionem; ſed originem oſtendere per comparationem ad dantem. Ad 6. donum, antequam detur eſt tantùm dantis; ſed poſtquam datur, eſt etiam eius, cui datur: quomodo ergo ſpiritus ſanctus, donum nuncupetur, dixi: poſthac de eius proceſſione temporali dicere curaui.

2. 3. 4. Donum tripliciter dicitur. 5. 6.

CAP. IIII.

Spiritus ſancti proceſſio temporalis.

PRocedere, vno quidem modo perinde eſt, ac ab alio eſſe habere; ſicq; filio, & ſpiritui ſancto commune eſt in diuinis: ambo enim ab alio, originem habent. alio autem modo, idem, quod eſſe ab alio, & in aliud tendere, duplicemq; reſpectum oſtendit, vnum ſcilicet ad eum, à quo procedit, alterum verò ad illud, ad quod propensè intendit: quo profectò modo, ſpiritui ſancto propriè conuenit, ex ſuo primo modo procedendi, vt donum enim procedit. Porrò; reſpectus realis, qui eſt ad perſonã, à qua procedit, æternus eſt: .i. habitualis, ſiue aptitudinalis, qui verò eſt procedentis ad quem tendit, rationis dicitur: & id certè dupliciter: vno modo, ſi obiectum fuerit æternum, veluti perſona diuina, atque ita ſuo quidem modo; vna perſona procedit in alteram, vocaturq; reſpectus rationis æternus. quòd ſi obiectum fuerit temporale, vtpotè creatura; nouus rationis reſpectus, à nonnullis appellatur. Cæterùm, proceſſio in creaturas, temporalis & noua dici poteſt: connotat enim aliquid noui, puta vel ipſam creaturam, vel aliquem illius effectum. Gemina ergo eſt ſpiritus ſancti proceſſio, vna, quæ à patre filioq; procedit: altera verò, qua ad ſanctificandam creaturam procedit. vnde, ſicut ab æterno communiter, ac ſimul procedit à patre, & filio; ita etiam in tempore ab vtroq; procedit, ad creaturam: teſte Auguſt. 15. de trinit. 1. Spiritus ſanctus, inquit, non de patre procedit in filium: & de filio procedit ad ſanctificandam creaturam; ſed ſimul de vtroq;: quamuis hoc filio pater dederit, vt ſicut de ſe; ita etiam de illo procedat. profectò cùm à patre, filioq; ſpiritus ſanctus mittatur, per nouæ gratiæ infuſionem, ab vtroq; procedit: quippè cùm eius miſſio ſit ipſa proceſſio. Vnde Auguſt. 15. de trin. 26. Spiritum ſanctum à Chriſto proceſſiſſe conſtat: quandoquidem legimus poſt reſurrectionem in diſcipulos à Chriſto fuiſſe inſufflatum, Ioan. 20. Accipite, ait, ſpiritum ſanctum. Et Lucæ 6. Virtus de illo exibat, &

Procedere duplex. Procedere proprium ſpiritus ſancti. Proceſſio gemina ſpiritus ſancti. Auguſtinus.

ſanabat omnes Proceſſio ergo huiuſmodi eſt ſancti ſpiritus donatio, quæ in tempore fit: ideo æterna non eſt; ſed temporalis: quòd ſi æternam quis eam appellare voluerit; ipſius tamen reſpectus non eſt realis, ſed rationis tantùm.

Perſona ſpiritus ſancti datur.

Datur autem ſpiritus ſanctus non ſolùm in donis; ſed etiam in ſuamet perſona, idq́ſ ſimul tempore cum effectu ſcilicet charitatis ſuæ: coaſſiſtit namq; charitatem habenti, cooperando, vt actum meritorum producat.

Spiritus S. nõ datur vt forma.

Non itaq́ datur alicui, vt forma informans; ſed potiùs, vt ſuppoſitum diuinum aſſiſtens operanti ad opus meritorium producendum. Sane, ſi ſpiritus ſanctus æternaliter procedit, vt donum; ad perfectiſſimam reuera doni rationem pertinet, vt non ſolùm in alio, ſed etiam in ſeipſo detur. Charitas dei, inquit Paulus, diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Dilectio, inquit Augu. 15. de trin. cap. 18. quæ ex deo eſt, & Deus eſt, propriè ſpiritus ſanctus eſt, per quem diffunditur in cordibus noſtris Dei charitas: per quam, nos tota inhabitat trinitas.

Excellentia charitatis.

Quocirca, rectiſſimè ſpiritus ſanctus cùm ſit Deus, vocatur etiam donum Dei quod donum propriè quid niſi charitas intelligenda eſt, quæ perducit ad Deum: & ſine qua, quodlibet aliud donum Dei non perducit ad Deum? nullum enim iſto dono eſt excellentius: ſolum eſt quod diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ: hæc ſola transfert à ſiniſtra ad dextram. Itaq́, ipſe eſt ſpiritus ſanctus, qui de cœlo datus eſt in die penthecoſtes: quomodo ergo non eſt Deus, qui dat ſpiritum ſanctum? imò quantus eſt Deus, qui dat Deum?

Ambroſius. Paulus.

hunc ſpiritum ſanctum, teſte Ambro. lib. de ſpiritu ſancto cap. 4. Et Apoſtoli & Prophetæ conſecuti ſunt, ſicut dicit Paulus, quia vnum ſpiritum potauimus. Et cap. 5. eiuſdem libri. Omnis creatura mutabilis eſt, ſed non mutabilis eſt ſpiritus ſanctus. Quid autem dubitem, quia datus eſt & ſpiritus ſanctus, cùm ſcriptum ſit. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis? qui cùm ſit inacceſſibilis natura; receptibilis tamen propter bonitatem ſuam nobis eſt, complectens virtute omnia: ſed qui ſolis participetur iuſtis, ſimplex ſubſtantia, opulens virtutibus, vnicuiq; præſens ſpiritus ſanctus populis infundebatur. Quis ergo dubitet, quin diuinum ſit, quod infunditur ſimul omnibus? Vnus ergo eſt ſpiritus ſanctus, qui datus eſt omnibus; licet ſeparatus apoſtolis. Clariſſimus eſt huiuſmodi loquendi modus apud prophetas:

Auferam de ſpiritu tuo.

Auferam inquit Dominus ad Moyſen num: 11. de ſpiritu tuo, & dabo ſeptuaginta viris. Dauid precatur: Et ſpiritum ſanctum ne auferas à me Ioel. 2. Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem. Ezechi. Dabo vobis ſpiritum nouum. Iſa 11 Et requieſcet ſuper eum ſpiritus domini Paulus ad Cor. Accepimus ſpiritum, qui à Deo eſt. Ioan. in ſua Canonica: In hoc ſcimus, quia à Deo ſumus, quia de ſpiritu ſuo dedit nobis. Quamobrem rectè ſentit Auguſt. ſermone 43. quòd ſpiritus ſanctus, qui eſt æqualis filio, hominibus detur: repetens illud apoſtoli, charitas Dei &c. à quo, inquit, datur, ab illo qui dedit dona hominibus. Quæ dona? Spiritum ſanctum, qui tale donum dat, qualis eſt ipſe. Magna eſt miſericordia eius, donum dat ſibi æquale, quia donum eius, ſpiritus ſanctus eſt. ex his ergo, atq; ſimilibus conſtat, ſpiritum ſanctum non ſolùm in donis; ſed etiam in ſeipſo nos accipere

Obiectiones.

1. Sed dicet aliquis, quemadmodum in diuinis eſt generatio temporalis, ob naturæ aſſumptæ gratiam; ita planè proceſſio temporalis ſpiritus ſancti eſſet appellanda, ob cauſam planè alicuius naturæ aſſumptæ. ſed nulla in ſcripturis legitur de ſpiritu ſancto huiuſmodi aſſumptio: nulla ergo eſſe poteſt, aut dici illius proceſſio temporalis.
2. Amplius, in diuinis non eſt ſpiratio temporalis, nec ergo erit proceſſio:
3. proceſſio namq; ordinem dicit originis perſonarum procedentium. Amplius, in diuinis non eſt aliquod nouum, alioqui aliqua ibi eſſet mutatio: ſed proceſſio temporalis dicit aliquod nouum: igitur, in diuinis non inuenitur temporalis proceſſio.

Solutiones.

Reſpondeo ad primum, negatur ſimilitudo: ſiquidem generatio ſolam ſuppoſiti, ſeu perſonæ ad principium, à quo per naturæ modum procedit, habitudinem nunciat. hac de cauſa, generatio noua eſſe nequit, niſi in identitate ſuppoſiti ſecundum naturam aſſumptam; ſecundum

quam

quam profectò naturam, perſona aſſumens ex aliquo, veluti Dei filius ex matre eſſe dicatur, ex generatione planè temporali. At, proceſſio, vt diximus duplicem habet reſpectum, quorum alter .i. rationis, abſque alicuius naturæ aſſumptione, conſiſtere poteſt. Ad 2. negatur etiam ſimilitudo: nam ſpirari reſpectum tantum dicit ad ſpirantem, & quidem realem: procedere verò, præter rationis reſpectum, aliquod non exigit nouum ex parte procedentis, niſi tantùm ex parte recipientis. vnde, ſi mundus eſſet æternus, proceſſio quoq; ſpiritus ſancti in creaturam, abſq; aliqua rei nouitate, eſſet æterna. Ad 3. ad minorem dico, proceſſionem temporalem nihil noui realis in Deo ponere: ſed aliquid noui ſecundùm rationis reſpectum, modò reſpectus rationis formaliter ſit in Deo: atq; ita non ſequitur aliquod nouum reale in Deo inueniri. Verum operæprecium erit nõ ignorare, ſi omnibus perſonis conueniat miſſio.

a.
b.

CAP. V.

Miſſio in diuinis, non omnibus conuenit perſonis.

POſteaquam de proceſſione, donatione, alijsq́; quæ ad huius rei indagationẽ ſpectare videntur, aliquantulum diſputaui; operæprecium me facturum putaui, ſi de miſſione loquerer diuinarum perſonarum: tum propter diuinas ſcripturas, quæ de hac re abundè coprioseq́; loquuntur, tum etiam, propter ſapientum dicta, quæ paſſim de hac re feruntur. Miſit Deus filium ſuum, ait Paulus ad Galat. 4. factum ex muliere, factum ſub lege: Et de ſpiritu ſancto in 16. Ioan: legimus, quem mittet pater in nomine meo: nullibi autem ſcriptum legimus, patrem fuiſſe miſſum. Sanè, filium mitti, eſt ipſum cognoſci, quòd à patre ſit; ſimiliter ſpiritum ſanctum mitti, eſt ipſum manifeſtari, quòd à patre filioq; procedit. Pater autem, cùm ex tempore à quoquam cognoſcitur, non dicitur miſſus, inquit Auguſt. 4. de trinitate: quia non habet de quo ſit, aut de quo procedat. Mitti ergo eſt manifeſtari perſonam procedere: hoc autem quia tribus non eſt commune perſonis; iccirco in diuinis, non competit omnibus. nulla ergo perſona mittitur, niſi emanans ab alia, proinde quælibet perſona mittit, licet nõ quælibet emanet, ſeu mittatur. Miſſus ergo filius à patre, inquit Aug. 2. de trin. ca. 5. et 4. de tri. ca. 20. Non ſecundùm imparẽ poteſtatem vel ſubſtantiã, ſed ſecundùm id, quòd filius à patre, nõ pater à filio ſit. Quid ergo mirum ſi mittitur, non quia inæqualis eſt patri; ſed quia eſt manatio quædam omnipotentis Dei? eſt enim verbum & ſapientia patris, candor lucis æterne. ab illo ergo mittitur, à quo emanat. Mittit, qui genuit, mittitur quod genitum eſt. Duo ergo miſſionis nomine, oſtenduntur: quorum alterum eſt miſſi habitudo ad mittentem, alterum verò eiuſdem habitudo ad ea, ad quæ mittitur: in quo aliquo modo incipit eſſe, quo priùs non erat. Itaq; miſſio diuinæ poteſt conuenire perſonæ, tum ex proceſſione originis, tum etiam ex nouo exiſtendi modo: quoniam autem pater non eſt ab alio, ideo illi non conuenit mitti: mitti ergo æternæ proceſſionis reſpectum realem connotat ad perſonam, à qua procedit, non quatenus certè ipſa eſt mittens; ſed quatenus eſt producens: nam & ſi perſona producens ſemper ſit mittens; non tamen è contra. proinde perſonam miſſam, non oportet à qualibet mittente procedere, ſed ſufficit ſi ab aliqua procedat: hæc autem eſt miſſio paſſiua, quæ filio tantùm, ac ſpiritui ſancto competere poteſt: actiua verò, tribus eſt communis. Quòd ſi quis dixerit, mitti & mittere, relationes dicere oppoſitas: mittere autem producere non includere, nec ergo mitti poſſe produci includere, nihil ergo impedit, quò minùs tribus poſſit eſſe commune. Reſpondeo, maiorem quantùm ad formalia ſigna, non autem quantùm ad connotata, veram eſſe. non ergo eo ipſo, quòd è patre natus eſt, miſſus dicitur filius: ſed vel eo quòd apparuit huic mundo, verbum caro factum. vnde dicit: Exiui à patre, & veni in hunc

Miſsio quid ſit.
Paulus.
Miſſus eſt filius à patre.
Mitti quid ſignificet.
Miſsio paſsiua & actiua.
Obiectio.
Solutio.

Miſsio inuiſibilis.

ni in hunc mundum: vel eo, quòd ex tempore, cuiusque mente percipitur, ſicut legitur Sapientiæ 7. Emitte, inquit, illam de ſanctis cœlis tuis, vt mecum ſit, & mecum laboret. cùm autem ex tempore cuiusq; profectus, mente percipitur, mitti quidem dicitur: ſed non in hunc mundum. neque enim ſenſibiliter apparet .i. corporeis ſenſibus præſtò eſt: quia & nos ſecundùm quod mente aliquid æternum, quantùm poſſumus, capimus, non

Pater nō mittitur.

in hoc mundo ſumus. Sed pater, inquit Auguſt. ibidem: cùm ex tempore à quoq; cognoſcitur, non dicitur miſſus: non enim habet de quo miſſus ſit, aut ex quo procedat: ſicut ergo natum eſſe, eſt filio à patre eſſe; ita mitti, eſt filio cognoſci, quòd ab illo ſit. Et ſicut ſpiritui ſancto donum Dei eſſe, eſt à patre procedere; ita mitti eſt cognoſci, quòd ab illo procedat. Ex quo patet miſsionem à proceſsione differre: ad miſsionem namque diuinæ perſonæ paſsiuam ſpectat, vt diximus, vt perſona miſſa, ab aliqua, originem habeat: deinde, vt nouo quodam modo in aliqua creatura appareat, per aliquem ſcilicet effectum de nouo productum, tertiò, vt huiusmodi effectus, originis perſonæ miſſæ ſit

Miſsio. Datio. Apparitio. Proceſsio. Datio.

repræſentatiuus. Miſsio ergo minus commune eſt, quàm proceſsio: nam miſsio ex tempore nomen accipit, fitq; in tempore: proceſsio verò & temporalem habet reſpectum, & æternum. licet enim filius, & ſpiritus ſanctus æternaliter procedant; ſolùmmodo tamen temporaliter mittuntur. Differt etiam miſsio à datione: non ita enim datio originem dicit perſonæ datæ, ac miſsio, vel proceſsio. toti ſiquidem conuenire poteſt trinitati: in hoc autem pariter conueniunt, quia nimirum, effectum aliquem nouum in crea-

Apparitio.

tura exiſtentem connotant: Diſtat quoq; ab apparitione, hæc enim originem perſonæ apparentis non indicat, ſicuti illa originem perſonæ miſſæ: quo etiam modo apparitio diſcernitur ab ipſa planè proceſsione, quæ ſine origine eſſe non poteſt. Diſtinguitur autem apparitio, à datione, nam illa effectum nouum perſonam apparentem præſeferentem oſtendit: hæc autem effectum nouum in creatura, cui datur. denique hoc intereſt inter apparitionem, aliasq;, quas ſupra recitauimus, quòd hæc aliquo in ſigno viſibi-

Si ſpiritus S. detur à ſe.

li, vt fiat, neceſſe ſit, non ſic autem alijs neceſſe eſt ſemper contingere. Sed dicet aliquis, & quidem non temerè, ſi ſpiritus ſanctus, à patre filioq; detur hominibus, quod eſt ipſum temporaliter mitti, vel procedere ab vtroq;; vtrum ne à ſeipſo detur, ſi enim datur à

Solutio.

ſe; vtiq; & procedit, vel mittitur à ſe. Ad hoc autem dico, ſpiritum ſanctum & donum eſſe & datum: vnde cùm Deus ſit, & dat, & datur. Dat quidem in quantum Deus, datur verò in quantum donum. Sanè, donatio ſpiritus ſancti trium eſt perſonarum operatio: ideo non tantùm à patre, & filio; ſed etiam à ſeipso donatur. Quamobrem Auguſt. lib: 15. cap. 19. ait, Spiritum ſanctum à ſeipso dari ſicut, inquit, corpus carnis nihil eſt aliud quàm caro; ſic donum ſpiritus ſancti, nihil eſt quàm ſpiritus ſanctus: in tantum enim donum Dei eſt, in quantum datur eis, quibus datur: apud ſe autem Deus eſt, & ſi nemini detur: nec quia à patre & filio datur, minor eſt illis. Ita enim datur, ſicut Dei donum; vt etiam ſeipſum det, ſicut Deus: non enim dici poteſt, non eſſe ſuæ poteſtatis, de quo dictum eſt: Spiritus vbi vult ſpirat. Profectò, ſi ſpiritus ſanctus ſeipſum dare non poteſt, pater autem & filius eum dare poſſunt; aliquid ergo illi poſſunt, & operantur: quod iſte non poteſt, neq; operatur. Dat ergo ſpiritus ſanctus ſeipſum, atq; ita dici po-

Auguſtinus. Filius datur à ſeipſo.

teſt, quòd à ſeipso procedat, & mittatur: ſiquidem illius temporalis proceſsio, & donatio, eſt ipſa Dei operatio. hoc etiam filio attribuendum eſſe Augu. 2. de trinit. cap. 5. apertiſsimè demonſtrat. Miſit Deus filium ſuū, ait Apoſt. ad Gal. 4. factū ex muliere,

Iſaiæ 48.

pater autem non miſit filium, ſine ſpiritu ſancto, ſicut Iſa. 48. cōteſtatur: Nunc miſit me dominus, & ſpiritus eius. & 9 Filius datus eſt nobis. datus, inquam, à ſpiritu, quia à ſpi-

Lucæ 4.

ritu ſancto miſſus eſt. & 61. Spiritus domini ſuper me, euāgelizare pauperibus miſit me. quā ſanè dominus Iſa. propbetiam in ſe dixit eſſe completā. Sed dices, quomodo pater eū miſit, ſi ipſe ſe miſit? cui reſpōdeo, quærens, vt dicat, quomodo pater eū ſanctificauit, ſi & ipſe ſe ſanctificauit, vtrūq; enim dn̄s ait Ioā: 10. Quē pater inquit ſanctificauit, et miſit in mundum.

mundū. & 17. Ego pro eis ſanctifico meipsū. Miſsio ergo filij eſt ipſius incarnatio, in qua viſibilis apparuit, quā à tota planè trinit. factā eſſe, indubitanter credimus. Sed dices, ſi filius miſſus eſt à ſe; cur ergo ait à me ipſo non veni, Ioan: 8. ſoluitur ab Aug. 2. de trinit. 5. hoc dictum eſſe ſecundùm formam ſerui: ſecundùm quam fecit, vt non mitteretur. Itaq; filium dari, & ſeipſum dare, ſimiliter & ſpiritum ſanctum. dixi. Verùm non deſunt argumenta contra prædicta, quæ in ſequenti capitulo ſunt explicanda.

CAP. VI.

Omnes diuinas perſonas mitti, & mittere.

QVidquid in diuinis eſſentiale eſt, tribus conueniat omninò, neceſſarium eſt perſonis: ſed tam actiua, quàm paſſiua miſsio, eſt quid eſſentiale Deo: reſpectum enim indicat ad creaturas, qui planè tribus communis eſt: ergo. Sanè, quod ex tempore Deo attribuitur, reſpectum ad creaturam enuntiat: igitur, omnes perſonæ diuinæ, & mittunt & mittuntur. 1. *Amplius, venire ad creaturas, eſt tribus commune: ait enim dominus, Ioan: 15. Ego & pater ad eum veniemus: igitur, & mitti. reuera, eadem vtriusq; ratio eſſe videtur. proinde Augu. ad Dardanum ſic loquitur: Quælibet, inquit, perſona dat, & datur: ergo quod prius.* 2. *Adhuc, quidquid conuenit alicui perſonæ, omnibus etiam conuenit; exceptis perſonarum notionibus: ſed miſsio, perſonam aliquam non ſignificat, neq; etiam notionem: igitur, cuilibet perſonæ competere poteſt.* 3. *Profectò, mitti diuinam perſonam, eſt ipſam dari: ſed pater dat ſeipſum (cùm haberi non poſsit, niſi ſeipſo donante) igitur ſeipſum mittit.* 4. *Item, non videtur, quòd aliqua perſona mittatur: miſſus enim minor eſt mittente. ſed vna perſona diuina, non eſt minor altera: igitur, vna ab altera mitti non poteſt. Omne præterea quod mittitur, ſeparatur à mittēte, authore Hieronymo in Ezechielem, ſed in diuinis nihil eſt ſeparabile: ergo nulla porſona mitti poteſt. Sanè, quicunq; mittitur, ab aliquo loco diſcedit, & ad aliquem locum de nouo accedit, quod certè, diuinæ minimè conuenit perſonæ. Præterea, mitti, aut dicit reſpectum æternum ſcilicet ad mittentem, aut temporalem, & rationis, ad eum videlicet, cui mittitur.* 5. *Secundus eſt tribus perſonis communis, ideo pater & mittit, & mitti poteſt. quòd ſi mitti, reſpectum tantùmmodo realem ſignificare dixeris, nempè proceſsionem à mittente; tunc planè, filius à ſpiritu ſancto non mittitur, quippe, qui ab eo minimè procedat. Quare, aut pater ab alijs mittitur, aut filius à ſpiritu ſancto non procedit: nam ſi mitti complectatur, claudatque intra ſe produci; & mittere quoq; in producere, eandem habebit virtutem, continendi: mittere enim, & mitti idem ſignificare videntur; diuerſimodè tamen, quantùm ad grāmaticorum modos. proinde, ſi mittere ſignificat producere, & mitti ſimiliter, produci connotabit; ſed ſpiritus ſanctus non producit filium: igitur filium mittere non poteſt. Amplius, mittere, & mitti, relationes videntur dicere oppoſitas. quare ſi mittere non includit, clauditq; producere; nec mitti, poterit intra ſe produci, complecti: acceptis namque duabus correlationibus, ſicut primum ſe habet ad ſecundum; ita abſque dubio, & ſecundum ad tertium: ſed mittere, & mitti, & producere, & produci, correlatiuè ſe habent: igitur, ſi vnum, alterum complectitur, & alterum, alterum complectatur, neceſſe eſt. ſi ergo ſpiritus ſanctus non producit filium; ab eo vtiq; nequaquam mittitur.* 6.

CAP. VII.

Soluuntur Argumenta.

1. AD primum: Non omnis reſpectus, qui ex tempore Deo conuenire poteſt,
tribus omninò conueniat perſonis, neceſſariũ eſt: præſertim, ſi aliquem cõ-
notet realem, atque intrinſecum reſpectum. Quoniam autem miſsio, non
ſolùm relationem ad creaturas; ſed etiam relationem connotat æternam,
vt dixi; idcirco patri in diuinis conuenire nequit, nec mirum, eò, quòd pa
2. ter ab aliquo procedat. Ad 2. & ad eiuſdem confirmationem dico, conſequentiam non va-
lere: venire enim, & dari, proceſsionis relationem æternæ non connotant, ac mitti: ideo
non eſt ſimile. vnde apparuiſſe legitur; non tamen miſſus dicitur, quia non habet à quo
procedat. Proinde, verum eſt, quamlibet perſonam, ſecundùm Auguſtini ſententiam, &
dare, & dari; non tamen mittere, & mitti: dari namq; impensè ſignificat liberam dan-
3. tis communionem, mitti verò, realem, atq; intrinſecum reſpectum. Ad 3. miſsio planè,
quatenus proceſsionem à mittente oſtendit; in ſui reuera ſignificatione, notionem com-
plectitur, in generali quidem; quatenus ſcilicet eſſe ab alio duabus ſit notionibus commu-
ne: miſsio namq;, vt ſæpenumero dixi, proceſsionem importat ab alio, & in diuinis ſe-
cundam originem. Ad confirmationem reſpondeo, quòd ſi dare, liberalem alicuius com-
municationem indicet; ſic certè dici poteſt, quòd pater ſeipſum det: vt potè, qui ſe libe-
raliter communicet creaturæ ad fruendum. ſin verò nuntiet authoritatem dantis, reſpe-
ctu eius, quod datur; ſic ei ſolùmmodo conuenit perſonæ, quæ ab alio procedit, cuius-
4. modi non eſt perſona patris. Ad 4. maior eſt vera in his, qui mittuntur, aut conſilio,
aut imperio alicuius; in quibus vtiq; imperans eſt maior, & conſilians, eſt ſapientior:
At, in diuinis, vbi eſt proceſsio originis ſecundùm æqualitatem, locum habere non po-
teſt. Ad primam confirmationem reſpondeo, illud, quod nouo modo eſſe incipit, vbi pri-
ùs non erat, in ſua quidem miſsione localiter moueri; proinde oportere à mittente ſepa-
rari. ſed hæc certè diuinæ perſonæ minimè conueniunt: quia non ſic alibi eſſe incipit, vbi
priùs non erat, nec deſinit vbi fuerat. Quare, huiuſmodi miſsio, ſine ſeparatione fit, ſo-
lamq; habet diſtinctionem originis. Ad 2. autem confirmationem patet ſolutio: de miſ-
5. ſione namq; loquitur ſecundùm motum localem, quæ in Deum non cadit. Ad 5. mittere
dupliciter accipi poteſt, eſſentialiter ſcilicet, & notialiter: primo quidem modo com-
mune eſt tribus, in cauſa autem eſt, quia mittere perinde eſt; ac alicuius perſonæ ori-
ginem, per aliquem effectum in creatura, eiuſdem perſonæ repræſentatiuum oſtendere,
ac propalare. ſed hoc planè tribus conueniat, opus eſt, quia opera trinitatis ad extra
ſunt indiuiſa, in ratione actiui: ſecundo verò modo, duabus tamen conuenit perſonis pro-
ductis, quæ proceſsionem originis habent. Qualibet ergo perſona mittit, non tamen quæ-
libet perſona mittitur, ob eam, quam dixi non ſemel; ſed ſæpiſsimè rationem, qua, om-
nia fermè ſoluuntur argumenta. Ad formam autem argumenti reſpondeo, mitti non ſo-
lùm rationis reſpectum ad mittentem oſtendere; ſed etiam reſpectum realem producti,
non quidem ad perſonam mittentem; ſed ad eam planè perſonam à qua producitur: di-
cit enim connotando reſpectum procedentis, & hunc quidem ad producentem, non au-
tem ad mittentem. mittens namq; perſona poteſt eſſe non producens; licet producens ſit
etiam mittens. Ad confirmationem: actiuum, & paſsiuum ſub alio, atq; alio gramma-
tices modo idem ſignificare approbo: idem enim aliquid in vtroq; poteſt eſſe connota-
tum, quod penes huiuſmodi modos diuerſum non ſit. Manifeſtare quidem, & manife-
ſtari, quæ præcipuè ſignificantur, penes illos modos diuerſos, diuerſificantur; non ita
tamen hoc, quod eſt perſonã procedere. Sanè, quod connotatur tam in actiuo, quàm in
paſsiuo, vniformiter perſeuerat. Exempli gratia, ſcio ignem calefacere, & ſcitur, ignem
calefacere, quòad ſcire, & ſciri varia eſt grammaticorum conſtructio: illud autem,
quod notatur, nempe terminus ipſius ſcire, vtrobiq; vniformiter ſe habet. vnde mittere
& mitti ſunt correlatiua, quòad formalia ſignificata, atq; vtrumq; dicit per ſe rationis
reſpectum; vnum tamen iſtorum, includit vt connotatum aliquod extremum relationis,
reliquum

Opera trinitatis ad extra ſunt indiuiſa.

Mitti dicit realem reſpectũ producti ad producentem

reliquum verò minimè. hac de cauſa, non ſequitur, quod infertur. Ad 6. mittere & mitti, quantùm ad ſua ſignificata, rationis relationes oppoſitas indicant: ſed mitti ex ſanctarum vſu ſcripturarum, atq; earundem interpretum conſenſu, produci connotat, mittere verò producere non connotat; ideo in argumento deficit proportio. hoc autem ſanctarum ſcripturarum ſtudioſi, ex vſu ſcripturarum, non autem ex rei natura didicerunt. Qualis ergo miſſio ſit in diuinis, & quæ perſonæ mittant, & mittantur, diximus

6. mittere & mitti differunt.

Quaestionis septimae. Cap. I.

Miſſio ſpiritus ſancti viſibilis.

IN his, quæ diuinarum indicant originem perſonarum, nonnulla eſſe intelligimus, quæ habitudinem ad ſui principium oſtendunt, vtpotè proceſſio, & exitus: nonnulla verò cum habitudine ad principium, proceſſionis terminum ſibi conſtituunt, aut quidem æternum, vt generatio, & ſpiratio: generatio enim diuinæ eſt perſonæ proceſſio in naturam diuinam, ſpiratio verò paſſiua, proceſſionem prodit ſubſiſtentis amoris. aut certè terminus eſt temporalis, qui ad miſſionem, dationemq; ſpectat; ad hoc enim mittitur, vt in aliquo, nouo planè modo ſit, atq; eſſe videatur: datur verò, vt nouo quodam modo habeatur. Perſonam autem diuinam ab aliqua creatura haberi, vel ſecundùm nouum exiſtendi modum in aliquo eſſe, eſt planè
quoddam temporale: quam ob cauſam, miſſio, & datio in diuinis, ex tempore dicuntur, Miſſio.
generatio verò, & ſpiratio, ex diebus æternitatis, at proceſſio, & exitus, & æternaliter, Datio. Generatio.
& temporaliter. Ego à Deo proceſſi, & exiui, inquit filius Dei, proceſſit reuera ab æ- Spiratio.
terno, vt Deus: temporaliter autem, aut ſecundùm viſibilem miſſionem vt ſit homo, vel proceſſio.
ſecundùm inuiſibilem, vt ſit in homine. Porrò, viſibilis miſſionis donationisq; modus du- Exitus.
plex eſſe videtur: vel nouus exiſtendi, aut habendi modus, qui planè ſine gratia, gratum Miſſio viſibilis.
faciente, haberi non poteſt. etenim, præter communẽ modum, quo Deus omnibus in rebus Gratia gratũ
eſſe dicitur, nempe, eſſentia, potentia, & præſentia, vnus adhuc supereſt, qui rationali faciens.
tantùmmodo conuenire poteſt creaturæ: ſecundùm quem ſanè modum, Deus in creatura eſſe dicitur; velut cognitum in cognoſcente, & amatum in amante. Quoniam autem, per cognitionem, & amorem rationalis creatura Deum ipſum, ſua operatione attingit, profectò iuxta hunc ſpecialem modum exiſtendi, Deus non ſolum in creatura eſſe dicitur rationali; verùmetiam in ea, vti in proprio templo habitare belliſſimè. Huius autem rei cauſa eſt gratia gratum faciens, quam ſecum copioſè affert diuinæ perſonæ miſſio temporalis, ſiue ex tempore humanæ exhibita naturæ. Sanè, illud ſolùm habere dicimur, quo liberè, & vti, & frui poſſumus: habere autem poteſtatem fruendi diuina perſona, ſolius eſt gratiæ gratum facientis: in ipſo verò dono gratiæ huiuſmodi, ipſe quoq; ſpiritus ſanctus habetur, inhabitatq; hominem habentem: proinde ipſummet dari, atq; mitti aſſerunt ſapientiæ duces. Hunc autem & ſi in veteri lege, prophetis legimus fuiſſe tri
butum, in vmbris, & figuris; non ita tamen affatim copioſèq;, ac in noua gratiæ lege, in Gratia noui
qua, copioſiſſima illius effuſio exundauit, crebris, atque vberrimis gratiarum muneri- teſtamenti.
bus orbem terrarum irrigando, idq; ob nouæ legis dignitatem, maieſtatemq;. In prophetis viſio extitit imaginaria, per ſpirituales corporum imagines, quæ aliquid prætendebant, atq; ſignificabant. In veteri autem lege ſigna præoſtenſa ſunt veteris, ac nouæ legis ſacramentalia: in quibus, quædam res exiſtentes aſſumebantur, ad aliquid ſignificandum. At, Spiritus ſanctus viſibiliter miſſus eſſe dicitur; quatenus ſcilicet quibuſdam in ſignis apparuit viſibilibus, quæ ad illius dona oſtendenda plurimùm conferre poſſunt. Sanè, Deus rerum omnium prouidentiſſimus gubernator, ſecundùm vniuſcuiuſq; modum, omnibus prouidere diſpoſuit: quippe, qui nouit generi humano;

pro ſua neceßitate, temporibus ſuis congruentem exhibere medicinam. Modus autem humanæ naturæ admodum congruus fuit, vt per viſibilia, ad inuiſibilium rationem aſcenderetur; ideo, inuiſibilia Dei, per viſibilia illi oſtenſa ſunt: vt ex illis admonitus per ea

Miſsionis filij & ſpiritus S. differentia.

quæ nouit, ſurgat ad amandum quodammodo incognita. Quamobrem filius, & ſpiritus ſanctus non tantùm inuiſibili illapſu; ſed etiam viſibilibus, mirabilibusq́; rebus, ad nos venire dignati ſunt: quo abundantiùs illorum commendaretur charitas, & copioſa eſſet noſtra redemptio. Venit autem Dei filius in homines, factus homo, vt verè eſſet, ac diceretur filius hominis Venit autem ſpiritus ſanctus, non in ſimilitudinem hominum factus, aut formam ſerui accipiens; ſed quandam creaturæ ſpeciem, ex tempore factam, in qua viſibiliter appareret; ideo nuſquam legimus Deum patrem, ſpiritu ſancto eſſe maiorem:

Ratio apparitionis.

non enim ſic aſſumpta eſt creatura, inquit Auguſtinus 2. de trinitate 7. in qua appareret ſpiritus ſanctus, ſicut aſſumptus eſt filius hominis, in qua forma ipſius verbi Dei perſona præſentaretur. Neque enim columbam beatificauit ſpiritus ſanctus, vel illum flatum, aut illum ignem, ſibiq́; & perſonæ ſuæ in vnitatem habitumq́; coniunxit in æternum. Apparuerunt ergo iſta, ſicut opportunè apparere debuerant, ad eum ſignificandum, demonſtrandumq́; ſicut & ſignificari, & demonſtrari, mortalibus oportebat. Sed

Quare pater nõ dicitur miſſus viſibiliter.

dicet aliquis, cur ergo, & pater non dicitur mißus per illas ſpecies corporales, ignem rubi Exodi 3. Columnam nubis. Exo. 19. vel ignis, & fulgura in monte, & quæ ſunt generis eiuſdem, cùm eum coram patribus locutum, teſte ſcriptura, didicimus, ſi per illos creaturæ modos hominibus demonſtrabatur? In hac autem quæſtione error illorum cauendus eſt, qui ſolum patrem aßerunt eſſe inuiſibilem, atque immortalem, ob ea, quæ à Paulo ſcribuntur 1. Timot. 1. Regi ſeculorum inuiſibili. & 6. qui ſolus habet immorta-

Dictio excluſiua.

litatem: dictio namque excluſiua, filium & ſpiritum ſanctum non excludit, cum eſſentialia ſint illis communia. verba ergo Apoſtoli, id ſignificare intendunt, quod eſt diuinæ naturæ proprium, ſibiq́; peculiariter conuenit. Ad quæſtionem autem ita reſpondendum eſſe dico: ideo patrem per formas patribus oſtenſas miſſum dici non poſſe; quia ſcriptura in huiuſmodi viſionibus, apparitionibusq́; nil diſtinctè de patre loquitur, ſicuti cùm de filij, ac ſpiritus ſancti mißionibus diſputat. Quam ob cauſam, tota ſimul in illis intelligitur trinitas, quæ per famulantem ſibi creaturam loquebatur. proinde

Quare Moyſes deum videre cupiebat.

Moyſes, vt legitur Exo. 33. qui loquebatur cum Deo facie ad faciem; ſicut loquitur amicus cum proximo ſuo, à Deo petebat, vt illius maieſtatem oſtenderet: Si inueni, inquit, gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi temetipſum manifeſtè. nouerat vtiq́; quod corporaliter videbat, & veram viſionem Dei ſpiritaliter requirebat. locutio quippe illa, quæ fiebat in vocibus, ſic temperata erat; ac eſſet amici, ad amicum loquentis: ſed Deus corporeis oculis videri non poteſt. Itaq́; viſiones illæ per creaturam commutabilem, Deo incommutabili ſubditam factæ ſunt, rerum cauſis, & temporibus deſeruientes. Porrò id, quod Danieli oſtenſum eſt cap. 7. de ſene pleno dierum, à quo filius regnum accepit, prophetica eſt, atq́; imaginaria apparitio, ideo ad rem non pertinet. Adde, quòd mißio temporalis, patri congruere non poteſt ob eas, quas paulò ante cauſas recitauimus. Ex

Quare miſſus eſt ſpiritus S.

tribus igitur diuinis perſonis, duæ tantùmmodo viſibiliter miſſæ ſunt, filius ſcilicet, & ſpiritus ſanctus: idq́; non ſine ſummo Dei conſilio. Reuera, omnis humana, atq́; angelica natura, omnesq́; ſubſtantiales qualitates, eſſe videlicet, viuere, diſcernere, ſentire, & quæ his ſimilia reputantur, per filium condita eſſe legimus: bene verò eſſe, ſanctèq́; viuere, ac rectè ſentire, beneficio ſancti ſpiritus nobis præſtita ſunt. Quibus ergo adeſt ſolius creatricis potentiæ beneficium; ij profectò ſolis naturæ donis vtuntur, quæ per verbum creata ſunt: quippe, qui ſuperiora adhuc dona attingere nequiuerunt. Quamobrem

Oſculetur me

canit ſponſa: Oſculetur me oſculo oris ſui: corporalis ſanè, Chriſti præſentia, tanquam os erat dilecti, qui tot amicam oſculis allexit; quot planè doctrinis illam, veluti paruulam, ac lactantem imbuere ſtuduit: verùm, quemadmodum ſolo ſponſi oſculo, ſponſa conci-

pere ne-

De ſpiritu ſancto.

pere nequit; ita planè, eccleſia ſolo verbo ingrauidari non poterat, niſi per ſpiritus ſancti ingreſſum, copula fieret. Quapropter olim cecinit amicus ſponſi: Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, noua ſcilicet corda, veteri iam adam ſepulto, contritiſq; draconis capitibus in aquis ſalutis, & vita, & noua redeunt omnia, nouo ſpiritu fœcunda.

CAP. II.

Miſſio ſpiritus ſancti in die pentecoſtes in linguis igneis.

INter alias ſancti ſpiritus viſibiles miſſiones, apparitionesq; mirabiles; ea certè, quæ in die pentecoſtes accidit, tum rei nouitate, tum diuinæ gratiæ abundantia, & viſu, & auditu mirabilior extitit. Hora tertia, vt legitur, Hora tertia. *venit ſpiritus ſanctus in diſcipulos, quando tertia lex, quæ eſt perfectæ libertatis ferenda erat; quia ſcilicet tertia in trinitate perſona viſibiliter apparebat, quæ trinitatis ſacramentum olim ſub vmbris legis, ac velaminibus occultatum & abſconditum, orbem terrarum clariſſimè, potentiſſimeq; edoctura erat, venit repen-* Sonus repentinus. *tè de cœlo ſono edito: ſonitu namq; repentino corda diſcipulorum concuſſit, quo & dei maieſtatem, & ipſorum planè agnoſcerent infirmitatem: veritas certè, vera eſt humilitas. fuit autem ſonus ille, cœleſtis, repentinus, vehemens, ac omnia replens. Cœleſtis, in-* Cœleſtis. *quam, quia Apoſtolos è terrenis, cœleſtes reddidit: quorum poſtmodum conuerſatio fuit in cœlis. Repentinus, vt pote qui repentè in nouam illos transformauit creaturam: neſcit enim tarda molimina ſpiritus ſancti gratia. Vehemens, eos ad ſui cognitionem, vilitatem* Vehemens. *que vehementer impellens, carnalia euellens, ac prorſus eradicans omnia, mirabilesque ſuſcitans ardores ſapientiæ. Replens, vt non amplius in eis impatientiæ murmur reſona-* Replens. *ret, nec quicquam terreni amoris capere poſſent: denique, vt donis cœleſtibus abundanter imbuti, largiter, copioſèq; in nos illa effunderent. Hæc planè eſt eccleſiæ plenitudo, quam Chriſtus eius caput ſuis meritis acquiſiuit: ſpiritus ſanctus repleuit, copioſo gratiarum munere: pater cœleſtis omnia ei dedit, & præordinauit. In hac omnis gratiæ, omniſq;* Eccleſiæ plenitudo. *ſcientiæ, deniq; vniuerſarum habetur virtutum plenitudo, in qua, veluti in quodam ædificio, vnusquiſq; ſecundùm datam ſibi menſuram fidei, adimplet ea, quæ deſunt paſſionũ Chriſti in corpore ſuo. hæc eſt ſponſi plenitudo, quam ſpiritus ſanctus inſtanter operatur ſatagitq; eccleſiæ plenitudinis complendæ, perficiendæq;. Proinde in ſono repentino aduenit, quia nimirum apoſtolorum ſonus in omnem terram erat exiturus: Dedit, inquit, vo-* Lingua ſpiritus S. *cem ſuam, & mota terra eſt: nam vox domini ſuper aquas multas, vox domini in virtute, vox domini in magnificentia Et apparuerunt eis diſpartitæ linguæ, ſicut ignis Propter* Turris Babel. *impiorum temeritatem olim ſub eber linguæ confuſæ ſunt, tunc obtenebrauit impios ædificatio turris ſceleſta. ſed in hac viſibili ſpiritus ſancti miſſione, ſapientes reddidit, rara dei notitia, linguis admirabilis ſapientia conceſſa eſt Illic lapſus condemnauit, in hac autem apparitione, ſpiritus liberos fecit: vbi enim ſpiritus domini, ibi libertas. libertatis ſiquidem, & remiſſionis peccatorum dies eſt pentecoſtes, Leuit. 23. Numerabitis, inquit,* Pentecoſtes dies libertatis. *à paſcha ſeptem ſeptenarios dierum, & die ſequenti facietis diem pentecoſtes, dies propitiationis, indulgentiæ, remiſſionis. Itaq; præteriens ſeptima ſabbati legalis, & feſtiuitatis, tunc ſpiritus ſanctus doctis gentibus, in pentecoſte, propitiationem peccatorum nobis tribuit: vnde, & quinquageſimo tempore eſt debitorum remiſſio quinquageſimus pſalmus, in figuram huius quinquageſimæ, remiſſionem, & miſericordiæ conſecutionem, Dauid continet, & variam ſpiritus mentionem facit, ſpiritum ſanctum, ſpiritum exultationis, ſpiritum rectum, ſpiritum principalem appellans. Idem arca Noe nobis indicat. Æ-* Arca Noe ſignum libertatis. *dificabatur diuino imperio arca, pro piorum hominum ſalute, trecentorum cubitorum erat longitudo eius, & quinquaginta latitudo. Aqua, quæ occidit homines, ſimulachro-*

rum cultus, Arca, eccleſia Chriſti, trecenti cubiti, trinitas, qui in vnum cubitum deitatis conueniunt, quinquaginta, pentecoſtes præfigurant. In Syon, quaſi in arca apoſtoli congregati erant. Ex arca eliminatus eſt coruus, id eſt, diabolus, emiſſa eſt columba, quæ ſecunda vice ramum oliuæ in ore ferens, & poſt dies ſeptem dimiſſa, inuentaq́ ſibi requie, confidens ceſſaſſe diluuium, nidificauit: columba, aduentus eſt ſpiritus ſancti, quæ ante legem inuiſiens creaturam, non inuenit quomodo ſuper ea requieſceret; ſicut nec Ieſus, vbi inclinaret caput ſuum: ita impietas omnia occuparat. ſecunda autem vice ramum in ore, ſignificans in lege, ac in ore prophetarum, paruum quendam fructum miſericordiæ ſpiritum ſanctum ferre. At, poſt ſeptem dies, legis vtiq;, & prophetarum, in fidelibus requiem inuenit, & in eis ambulauit. Tunc quidem in columba, nunc autẽ in igneis linguis.

Columba arcæ.

Coruus arcæ.

Lingua planè verbi baiula eſt· proinde hoc ſigno non ſolùm eiuſdem, ſpiritum ſanctum cum patre, filioq́ eſſe naturæ oſtendit; ſed etiam illius miniſterio, vtrumq; nobis innoteſcere. Ille, inquit, me manifeſtabit, quia de meo accipiet, hoc etiam ſigno oſtendebatur, eccleſiam omnium gentium linguis fore loquuturam. Lingua mea, ait Dauid Pſalm. 44. calamus ſcribæ velocis. velox ſcriba ſpiritus ſanctus, qui verbum bonum in vtero virginis tam velociter ſcripſit, atque nouam legem in Apoſtolorum corda transfudit. Velox ſcriba, qui tempore non eget in docendo; ſed ipſum tetigiſſe, docuiſſe eſt, velox, cui multæ perſuaſione non eſt opus, in peccatorum cordibus conterrendis: eſt enim ignis, & malleus conterrens petram. Iſte eſt ſpiritus artifex, omnium habens ſcientiam, pacis, & fidei, ſpiritus intelligentiæ, & libertatis, ſpiritus manſuetudinis, illuſtrationis, & ſalutis. Ipſe eſt noſtræ imaginis reformator, mentis perfectio, animæ inſtauratio, fidei author, ſpiritualis mentalium oculorum ſol, interni hominis lumen, opulentia filiorum, æternorum bonorum theſaurus, pignus æterni regni, primitiæ vitæ æternæ, ſignaculum gratiæ baptiſmi. Ipſe, inquam, eſt ſpiritus ſanctus, qui fidem facit, quòd nos à deo in filios adoptati ſumus, quiquè noſtra corda Chriſto conglutinat. Spiritus ſanctus eſt cibus, Chriſtum diligentium, quo nunquam ſatiantur: ipſe potus eſt animarum filiorum dei, charitas eorum, qui ſibi coniuncti ſunt. Ipſe, inquam, eſt copula vnionis noſtræ in Chriſto, animarum exultatio, lugentium conſolatio, mæſtitudinis depoſitio, mentis requies, ſapientiæ communicatio, prudentiæ inuentio, præſcientiæ illuſtratio. hoc prophetæ illuſtrantur, idiotæ ſapientia conduntur: hoc reges inunguntur, ſacerdotes ordinantur, altaria fundantur, vnguentum conſecratur, dæmones abiguntur, morbi curantur. hic eſt hortator, conſolator, hortatur, obſecrat deus mortalem, lutum, creator, creaturam, alios vt filios, alios vt fratres, alios vt amicos compellit, ad ſe trahit, cor exhilarat, eduleat, calefacit. Propter timorem tuum domine vterum geſſimus, & parturiuimus & peperimus ſpiritum ſalutis; quia concapimus ab excelſo ſpiritum adoptionis. In principio, quando omnium opifex hominem fecit, faciei corporis illius, cum forma angelici cuiuſdam fulgoris illuſtrauit. Quam ſpeciem, mox vt honeſtatis oſor vidit, inuidit, illamq́ per inobedientiam deceptam ſeduxit, & corrupit: quam opifex reformare volens, non extrinſecus hominem adornauit, ne iterum pateret ruinæ; ſed miſſo ſpiritu ſuo in corda noſtra intrinſecus reformauit. ſicq́ ſpiritus S. noſtris ſpiritibus vnitus eſt. hic eſt theſaurus noſter, quem nos habemus in vaſis fictilibus, hic eſt cœlorum regnum intra nos: quem nos mentali oculo videmus, quem vidit Abraham Gen. 18. ſed extrinſecus, apud quercum Mambre. Vidit & Iob 38. ſed extra per turbinem. Vidit Moyſes Exo. 33. ſed extra per cauernam in petra. Vidit Iſaias 6. ſed extra in throno excelſo. Vidit Ezechiel 1. ſed in animalibus oculatis. Vidit & Daniel 7. ſed in viſione noctis. Vident fideles mundo corde, ſicut filij, & hæredes. Nullus infidelium hunc theſaurum poſſidet. Cuſtodiamus theſaurum, qui in nobis eſt, precioſum margaritum: retineamus conceptionem ſpiritus illæſam, quam ipſe diſcipulorum cordibus impreſſit, authore Ieremia 31. Ecce dies venient dicit dominus, & dabo vobis teſtamentum nouum, nõ illud quod pepigi cum patribus veſtris in Ægypto; ſed dabo leges meas in cordibus re-

Lingua mea.

Spiritus ſancti tituli.

Lex noua.

ſtris, &

ſtris, & in viſceribus veſtris ſuperſcribam eas Lex vetus per Moyſen data eſt: noua verò ſpiritu duce nobis conceſſa eſt. in illa agnitionis primitiæ Iſraeli declarabantur; ſed in hac nunc gentibus ſignificantur. in illa linguã, quam nõ nouit populus, audiuit: in hac linguã, quam non nouit loquutus eſt apoſtolorum chorus: in illa, cùm lex daretur, voces audiebantur, & tubæ: in hac factus eſt repentè de cœlo aduenientis ſpiritus vehementis. ſed de hac miſsione ſatis.

CAP. III.

Miſsio ſpiritus ſancti in forma columbæ.

IN Chriſti baptiſmate, ſpiritus ſanctus, euangelio teſtante, didicimus, quòd in columbæ ſpecie ſeſe intuentium obtutibus videndum obtulerit: quod planè magnum, atque admirabile indicat ſacramentum: eſt enim columba animal fœcundum, mite, ſociale, atque pacificum, omni prorſus amaritudinis & veneni felle carens. Quapropter in Chriſto, gratiæ donandæ authoritatem, quæ per ſpiritualem nobis contingit regenerationem, præſetuliſſe videtur. vnde & vox patris intonuit: Hic eſt filius meus dilectus, vt ad ſimilitudinem vnigeniti, alij quoque regenerarentur, quos pater miſericordiarum, ab æterno in gloriam adduxerat, conformes fieri imagini filij ſui. Fœcunditas igitur atque abundantia regenerandorum, in quibus omni peccatorum veneno extincto, veræ pacis, ac ſanctæ veſtigia ſocietatis ſectaturi eſſent, illa columba oſtendebat. Sanè, ſpiritus ſanctus, authore Origene, ſecunda homelia in cantico quando de magnis, & occultioribus ſacramentis, & quæ multi capere non poſſunt, loquitur; in turturis appellatione ſignatur, id eſt, in eius auis, quæ ſemper in montium iugis, & arborum verticibus commoratur. In vallibus autem, & his, quæ ad homines vſque perueniunt, columba aſſumitur: denique Saluator, quia hominem eſt dignatus aſſumere, & venit ad terras, multique tunc circa Iordanem peccatores erant; idcirco ſpiritus ſanctus non in turturis; ſed in columbæ ſpecie apparuit. Auis manſueta, innocens, & ſimplex, talis eſt ſpiritus ſanctus, mundus, & volucris, & ſublimè conſurgens. Quamobrem orantes dicimus: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? Pſal. 54 Sicut columbæ, inquam, non ſicut coruo. Columba, inquit Auguſt. à moleſtia quærit auolationem; ſed non amittit dilectionem: columba enim pro ſigno dilectionis ponitur, & in ea gemitus amatur. Nonnè ſpiritus ſanctus, teſte apoſtolo, poſtulat pro nobis gemitib. inenarrabilibus, id eſt, poſtulantes nos facit. Rectè ergo columbæ figuram aſſumpſit, vt ſub illo volatili, ſpiritus virtutes intelligeremus Et Pſal. 67. vocat columbam deargentatam, cuius poſteriora ſunt in pallore auri: Si dormiatis, inquit, inter medios cleros columbæ deargẽtatæ, cuius poſteriora ſunt in pallore auri. Duo quidẽ cleri, duo ſanè teſtamẽta, quorũ profectò vna tantùm eſt columba, quia ab vno edita ſunt ſpiritu; ſed primũ, columbam habet argenteam, nempè ſpiritum timoris: ſecundum verò columbam auream, hoc eſt, ſpiritum adoptionis, & amoris, in quo clamamus abba pater. Ibi timor, hîc amor. ibi ſeruitus, hîc libertas ſpiritus: nam vbi ſpiritus domini, ibi libertas. Salomon, oculos commendat columbarum Cant. 4. Oculi tui ſicut columbæ, & collum tuum ſicut turturis. In columbis, oculi prædicantur: fertur enim hoc genus auis, quum ad aquas venerit, quia ibi ſolet accipitris inſidias pati, venientem deſuper inimicum, volitantis vmbra in aquis inſpecta deprehendere, & oculorum perſpicatia, fraudem periculi imminentis euadere: hoc igitur ſpiritu illuminamur; vt non ignoremus cogitationes ſathanæ. Si nobis præterea ſunt columbæ oculi, interiora legis penetramus: non his intenti, quæ litera; ſed quæ ſpiritus edocet: litera enim occidit, ſpiritus autem viuificat. Conſentit his diuus Hieronymus, exponens illud Matth. 10. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Serpens toto corpore occultat caput, & illud, in quo vita eſt, protegit; ita & nos

Columba animal fœcundum.

Turtur quid ſignificet.

Dauid.

Columba argentea, & aurea.

Salomon.

Oculi colũbæ

Hieronymus.

toto

Simplices ſicut columbæ

toto periculo corporis caput noſtrum, qui eſt Chriſtus, cuſtodiamus. Sint ergo Chriſticolæ prudentes, vt per prudentiam deuitent inſidias: & per ſimplicitatem non faciant malum. Et exponens illud Pſalm. 67. de columba argentata: Columba, inquit, quæ interpretatur in ſpiritu, propter manifeſtiorem, & viſui expoſita, alas deargentatas habet: occultiorem verò intrinſecus ſenſum, in auri pallore operit, in cuius ſpecie deſcendit ſpiritus ſanctus, & manſit ſuper dominum ſaluatorem. Sanè, quid oremus, ait Apoſtolus ad Rom. 8. ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe ſpiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Gemitus columbæ.

Gemitus columbæ eſt, ait Auguſt. ſuper Ioan. tract. 6. gemunt in amore, non in ſemetipſo gemit, ſed in nobis gemit; quia gemere nos facit, inſinuans, quia peregrinamur à domino, docenſque nos in patriam ſuſpirare. Qui ergo ſimpliciter viuit, pacemque ſeruat cum proximo ſuo; is certè interiori oculorum aſpectu cernit ſuper ſe ſpiritum venientem ſicut columbam.

Columbæ cõditiones.

Columba de fructibus terræ viuit: innocens eius victus eſt. ſunt paſſeres breuiſſimi, qui vel muſcas occidant, nihil horũ columba: non enim de morte paſcitur. humilitas etiam ſaluatoris per auem ſimplicem, & gementem, non per ſuperbam, & exultantẽ, ſicuti eſt coruus, cõmendanda erat. Columba, inquam, eſt ſimplex, innocens, ſine felle, pacata in oſculis, non ſæua in vnguibus: proinde ad huius columbæ membra raptores, auaros, ſubdolos, ebrioſos, flagitioſos, nequaquam ſpectare, veriſſimum eſt. Baptizato domino, ſpiritus ſanctus in columbæ ſpecie deſcendit, manſitque ſuper eum: ex quo propriam quandam domini poteſtatem ad baptizandum, Ioannes animaduertit, per quam eccleſiæ pax firmata eſt.

Vna columba

vnam tantùm videmus ſuper Chriſti caput columbam, quia vna eſt poteſtas baptizandi.

Colũba Noe

Emiſſa eſt columba ex arca Gen. 8. & primò non inuenit requiem pedibus ſuis, redijt in arcam: plena enim erant aquis omnia, & maluit redire, quàm rebaptizari: Coruus autem ille emiſſus eſt, antequam ſiccaretur aqua, rebaptizatus, redire noluit, mortuus eſt in his aquis: vnum ergo baptiſma, vna fides, quia vnus eſt vtriuſque ſpiritus. Ad arcam rediјt columba, ramum de oliua afferens. Ramus ille, & folia, & fructum habebat. Columba ſpiritus, ad arcam nos reuocat, cupitque vt non ſolùm folia, ſed etiam fructus nobiſcum afferamus. Oliuæ fructus, charitatem ſignificat, quam ſuper eminentiorem viam vocat apoſtolus: nam ſicut oleum, cæteris liquoribus; ita abſque dubio charitas cæteris omnibus ſupereminet virtutibus.

Coruus non rediјt in arcã.

Poſt dies quadraginta emiſſus eſt coruus: non eſt reuerſus, aut aquis vtique interceptus, aut aliquo ſupernatante cadauere illectus, cui reuera ſimiles reputandi ſunt, qui extra eccleſiam commorari deſiderant, carnali, atque aliquo terreno deſiderio illecti & irretiti. Poſt quadraginta dies emiſſa eſt columba, & non inuento loco requieſcendi, in arcam reuerſa eſt. Sanè, quadragenarius numerus, vitam, quæ in hoc mundo agitur, in qua ſanctis requies non conceditur, ſignificat: Surgite, inquit Michæas 2. non habebitis hîc requiem. Et Pſal. Surgite, poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris. Denique poſt ſeptem dies dimiſſa eſt, quia ſeptiformem præſeferebant ſancti ſpiritus gratiam: oliuæ fructuoſum ſurculum retulit, gratiæ, & miſericordiæ ſpem, ad eccleſiæ vnitatem reportauit. Poſt alios ſeptem dies dimiſſa, reuerſa non eſt, quia nimirum in fine ſæculi, non amplius ſub ſacramento ſpei, quo in hoc tempore ſociatur eccleſia, erit ſanctorum requies; ſed iam in ſalutis æternæ perfectiſſima viſione. Quæ ergo per columbam in arca Noe geſta ſunt, hæc in eccleſia dei viui, per ſanctum adimpleta eſſe videmus ſpiritum. Sanè, ſpiritus ſanctus primo quidem ſuo egreſſu, non inuenit locum requieſcendi, & hoc quidem in lege naturæ, quando aquæ obruerant omnia: aquæ, inquam, tum errorum, tum cæterorum criminum, paucis admodũ eductis.

Ramus oliuæ

ſecundò, egreſſus eſt, inuenitque ramũ oliuæ virentis, nempè promiſſam in lege, & prophetis, venturi ſaluatoris miſericordiam. poſtremò, venit, & habitauit, atque habitat in nobis, vt ſimus illius templum, illius membra, & organa.

Alo

Alæ columbæ myſticæ.

	Dextra.	*Siniſtra.*	
	Amor.	*Timor.*	
	Penna prima alæ dextræ.		
1	*Diuina miſericordia.*	*Diuina ſeueritas.*	1.
2	*Incompræhenſibilis gloria.*	*Pœna perpetua.*	2.
3	*Pœnitentiæ gratia.*	*Peccatorum enormitas.*	3.
4	*Suſtentatio dei.*	*Propria fragilitas.*	4.
5	*Confortans letitia.*	*Seducens proſperitas.*	5.
6	*Erudiens iuſtitia.*	*Frangens aduerſitas.*	6.
7	*Voluntas libera.*	*Familiaris hoſtilitas.*	7.
8	*Angelorum, ſanctorumq́ beneuolentia.*	*Dæmonis peruerſitas.*	8.
9	*Viuorum auxilia.*	*Ad viuos iniquitas.*	9.
10.	*Mortuorum ſuffragia.*	*Ad mortuos crudelitas.*	10.

CAP. IIII.

Septem columbæ proprietates.

SEptiformis gratiæ ſpiritus, quem ſuper dominum ex Iſaiæ vaticinio legimus requieuiſſe, illa columba ſignificabatur; neq; id abſq; myſterio geſtum fuiſſe, putandum, neq; huiuſce volucris quoddam naturæ ſecretum prætereundum eſt: quandoquidem illius natura ſeptem fungatur virtutibus, quadam ſcilicet ſeptem ſpiritus gratijs, atq; muneribus ſimilitudine congruen- Prima proprietas.
tibus. hæc namq; ſuper riuos aquarum ſedet, vt accipitrem, eius iam conſpecta vmbra, 1.
effugere queat: Deinde, nil viuum commedit: ſed ex fructibus terræ viuit. Poſt modum, 2.
non ſolùm ſuos, ſed alienos quoq; pullos tuetur, fouet, & alit. In foraminibus petræ inſu- 3.
per nidificare ſatagit. Quintò, grana colligit candidiora. omni præterea felle caret: po- 4. 5.
ſtremò gemitum pro cantu habet. Porrò, primæ columbæ proprietati congruit ſpiritus 6.
ſapientiæ, quo inimicorum deuitamus inſidias. ſecundæ verò, ſpiritus intellectus, cuius 7.
ope, ab eſu proximorum abſtinemus. tertiæ autem ſpiritus conſilij, conſultum ſanè nobis eſt, vt miſericordes ſimus, ſi miſericordiam conſequi deſideramus; vt alter alterius onera portemus. quartæ, conuenit ſpiritus fortitudinis: virtus enim eſt circa difficile. proinde in tuto loco noſtri labores, atq; ſudores reponendi ſunt, in petra firmiſsima, ad quam ſerpens accedere non audet. quintæ autem ſpiritus ſcientiæ, quo verum à falſo diſtinguimus, veras ſcripturas, tanquam grana candidiora agnoſcentes. ſextæ, ſpiritus pietatis. Pietas eſt cultus dei, quæ ſanè non reddit malum pro malo; ſed vincit in bono malum Pater dimitte, ait, illis, quia neſciunt quid faciunt. Septimæ verò, ſpiritus timoris; in timore enim conuerſatur incolatus ſui tempore: iccirco conuertit cantica in luctum, & gaudium in mœrorem ſed de his hactenus. Præterea, ſpiritus ſanctus in transfiguratione ſub lucidæ nubis ſpecie apparuit, ſub qua planè lucidiſsimam Chriſti doctrinam oſtendebat, itemq́ vmbraculum prætendebat contra incentiua vitiorum: Apoſtolis autem ſub ſpecie flatus à Chriſto inſufflante tributus eſt, quo in ſacramentis adminiſtrandis, diuina oſtenderetur poteſtas; tum etiam, vt ſpiritum à filio procedere manifeſtaret: fruſtra certè exſufflaret eum, qui ab ipſo nullatenus procederet. ſed contra prædicta poſſet aliquis ita arguere, vt videbitur in ſequenti capitulo.

Spiritus ſanctus in nube & flatu oſtenſus eſt.

CAP. V.

Q *Spiritum*

Spiritum ſanctum viſibiliter miſſum non fuiſſe.

1 SI ſpiritus ſanctus miſſus fuit viſibiliter, aut certè huiuſmodi viſibilem miſſionem, interior reuelatio concomitata eſt, aut minimè. Quòd ſi abſq; interiori reuelatione factam fuiſſe, dixeris; inanis profectò reputabitur, & vana, quippe, quæ ſine illa, nihil affert emolumenti. ſin verò primo modo res ſeſe habet, exterior miſſio, atq; viſibilis, ocioſa videtur omninò: occupatio enim externorum impedit intellectum, intrinſeca, atq; profunda cogitantem. ergo.
2 Amplius ſi ſpiritus miſſus eſt viſibiliter. igitur eſt minor patre: Fateamur, inquit Auguſt. 4. de trin. 9. filium minorem factum, & in tantum minorem, in quantum factum, & in tantum factum, in quantum miſſum. Igitur, ſi ſpiritus ſanctus miſſus eſt viſibiliter minor patre eſt, quod ſanè ſcripturæ non admittunt: igitur ſpiritus ſanctus non fuit miſſus viſibiliter.
3 Adhuc, ſi ſpiritus ſanctus mittitur, ſeu miſſus fuit in ſigno viſibili; in omni ergo ſacramento viſibiliter appareret: quodlibet namq; ſacramentum, gratiæ ſignum eſt, quæ ſpiritui ſancto propriè attribuitur. Adde, quòd ſi viſibiliter miſſus ſit, patribus olim miſſum fuiſſe, rationi omninò congruere videtur: quemadmodum multarum eſſe videntur teſtimonia ſcripturarum in Daniele 7. de antiquo dierum, de fluuio igneo, qui ad ſpiritum ſanctum pertinet, de angelis, qui viſi ſunt Loth, & Abrahæ, in quibus tota ſimul trinitas, authore Auguſtino, repræſentabatur, & ſimilibus. At nuſquam legimus, ſpiritum patribus viſibiliter miſſum fuiſſe, Igitur, viſibilis illius miſſio non fuit neceſſaria, alioqui prophetis fuiſſet conceſſa.
4 Præterea, ſi miſſus fuit viſibiliter; hoc reuera fieri non poterat, niſi in ſigno vel effectu viſibili, ſpiritum ſanctum repræſentante. ſed quilibet effectus quòad rationem veſtigij, vt diximus, ipſum repræſentare poteſt. Igitur in quolibet effectu viſibiliter appareret, quod eſt falſum: non enim per illas creaturas viſibiles magis mittitur ſpiritus ſanctus, quàm alia perſona: quælibet namque creatura viſibilis, eſt effectus, totam demonſtrans trinitatem.
5 Amplius, ſpiritus ſanctus, ſi viſibiliter miſſus fuit; profectò illius miſſio ſecundùm creaturam rationalem, non autem irrationalem fieri debuerat, quemadmodum & filius viſibiliter veniens, humanam aſſumpſit naturam: alioqui non ſatis honeſta, & digna ſpiritu ſancto miſſio illa eſſet dicenda: ſed hoc non apparet. ergo quod prius. Adde, quòd ſi inuiſibilia, per viſibilia manifeſtentur, cuilibet ergo exhibenda fuerat miſſio viſibilis, & veteris, & noui teſtamenti, hominibus, alioqui inuiſibilis miſſio nihil profuiſſet. ſed ex veteri lege hoc haberi non poteſt: ergo viſibilis miſſio non eſt admittenda. Inſuper, quæ viſibiliter oſtendebantur, miniſterio angelorum id contigiſſe, Paulus ad Galat. affirmat. Angeli ergo, & non ſpiritus ſanctus viſibiliter miſſi ſunt.

CAP. VI.

Soluuntur argumenta.

AD primum dico, exteriorem apparitionem, ſine interiori non prodeſſe: illa enim diſtinguit exteriorem, atq; diſcernit. Quando ergo infers, exterior ergo impedit magis, quàm iuuat interiorem, verum quidem eſt, quando ſenſibilia diuerſa ſunt ab intelligibili: ſic enim potentiæ ſe inuicem impediunt: ſecus autem eſt, quando ſenſus, illud perficit, atq; intuetur obiectum, circa cuius inquiſitionem intellectus occupatur. Tunc ſanè, intellectus vigoratur magis, quàm offenditur. ſiquidem potentiæ circa idem verſantur obiectum, ſibiq; mutuò illius præſentiam adminiſtrant. Ad 2. negatur ſimilitudo: nam ſpiritus ſanctus non vnit ſibi naturam

turam

turam ſigni viſibilis, ad ſuam proceſsionem manifeſtandam. hac de cauſa, quæ illius ſigni
viſibilis naturæ conueniunt, vt naturæ etiam ſpiritus ſancti conueniant, non eſt neceſſe.
propterea, ſpiritus dici non poteſt minor patre; ſicuti filius, qui vniuit ſibi humanam na-
turam in vnitate ſuppoſiti, vt inter illas eſſet idiomatum communicatio. Ad 3. Miſsio ſpi 3.
ritus ſancti, non eſt attendenda ſecundùm propheticas viſiones, vt dixi, neq; ſecundùm
noui ac veteris teſtamenti ſacramentalia ſigna, in quibus quædam res præexiſtentes aſ-
ſumptæ ſunt ad aliquid ſignificandum; ſed potiùs ſecundùm aliquas creaturas, ad huiuſ-
modi miſsionem oſtendendam ſpecialiter ordinatas. In ſacramentis præterea humanum
adhibetur miniſterium, non autem in viſibili ſpiritus ſancti miſsione. deinde, ſacramenta Sacramentũ & miſsio differunt.
gratiam ſignificant ex inſtitutione, ſignum autem miſsionis viſibilis, originis perſonæ mo-
dum, naturaliter repræſentat. Ex quo patet, non eſſe ſimile, quod in argumento aſſumi-
tur. Ad probationem dico, ſpiritus ſancti miſsionem viſibilem, gratiæ tempore congruè
datam fuiſſe, in qua eſt ſpiritus amoris, & non timoris, & ſeruitutis. Præterea, viſibilis fi-
lij miſsio præcedere debuerat. ſiquidem ſpiritus ſanctus, filium, ſicuti filius, patrem erat
manifeſtaturus. Quam ob cauſam, etſi aliquæ diuinarum apparitiones perſonarum, pa-
tribus obtigerint; illæ reuera, authore Auguſt. ad aliquid manifeſtandum potiùs ordi-
natæ ſunt, quàm ad diuinæ perſonæ inhabitationem aliquam oſtendendam. Ad 4. Verum 4.
quidem eſt, omnem creaturam, ſpiritum ſanctum, ſicut & alias diuinas perſonas præſe-
ferre, atq; oſtendere: ſed hoc quidem, quòad eſſe naturæ, non autem quòad eſſe gratiæ
per aliquem effectum ſpecialem originis modum repræſentando. licet ergo in creaturis
ſit trinitatis veſtigium; non tamen gratiæ & originis modus, ideo ſpiritum ſanctum in
vnaquaq; natura viſibiliter apparere, dici non poteſt. Ad 5. filij perſona, vt ſanctifica- 5.
tionis authrix erat declaranda; ideo per eam ſanè creaturam erat oſtendenda, ad quam
ſpectat agere, competitq; ſanctificari. At ſpiritus ſancti miſsio viſibilis, huiuſmodi erat
ſanctificationis indicium; iccirco non opus illi fuit, vt creaturam aſſumeret in vnitatem
ſuppoſiti; ſed temporalem tantùmmodo, qua ſuæ oſtenſionis officium perageret. Ad con- Viſibiles apparitiones ſpiritus ſancti factæ ſunt miniſterio angelorum.
firmationem dico, illas viſibiles creaturas, miniſterio quidem angelorum factas fuiſſe, ad
ſpiritus ſancti perſonam, non autem ad angelorum oſtendendam, manifeſtandamq;. Quã
ob cauſam, cùm in illis viſibilibus eſſet ſpiritus ſanctus, veluti ſignatum in ſigno, ideo ſpi-
ritus ſanctus, non autem quiſpiam angelus, miſſus, ſeu mitti dicitur. Hæc de ſpiritu ſan-
cto ſcribenda eſſe duxi, illo opem ferente, atq; edocente, qui eſt omnis ſcientiæ artifex, qui
que eſt deus ignis, & ſpiritus numen: omnium enim eſt opifex, omnem habens ſcientiam
omnemq; virtutem, omnia proſpiciens. Laus tibi ſancte Pymander, qui trinitatis tuæ, ac
diuinitatis me participem fieri voluiſti. Hæc Tuderti ſcripſi die Mercurij, quæ eſt prima Oratio Hannibalis.
Octobris, hora ferè tertia, ante prandium, quod tempus ſpiritui ſancto conuenit, quippe,
qui hora tertia in diſcipulos venit: vtinam & abundè in nos immittat ſemper ſuæ bene-
dictionis atq; conſolationis radios, quibus illuminati, verum Pymandrum, eiusq; verbum,
cum tertia mente ſeu perſona opifice, qui eſt deus, vnius ſubſtantiæ, potentiæ, atq; naturæ
cum patre & filio, confiteri valeamus. Laus tibi ſancte ſpiritus, ſcientiæ dux, abſcondito-
rum reuelator, orphanorum pater, hæreditatis noſtræ pignus: qui me ita confortare ac
confirmare dignatus es, vt hæc tua ſcriberem. O lux totum illumina, ſpiritus
deus, verbum tuum me agit ſpiritifer opifex: Tu es verus deus,
ex patre filioq; procedens, lux & vita, omnium
viuificator, & dominus.

Commentum III.

Qvaestionis primae. cap. I.

De relationibus diuinis.

Quid ſit relatio.

Q Voniam quidem multa dixi, tum in primo, tum etiam in hoc ſecundo libro de ſanctarum, diuinarumq́; perſonarum maieſtate, proprietate, quæ ſine diuinarum relationum cognitione plenè, rectèq; haberi non poſſunt; ideo, congruum eſſe duxi, rationiq; conſentaneum, ſi de ſanctis relationibus verba facerem; quamuis in primo lib. de illis nonnulla dixerim: eſt enim hoc negotiū arduum quidem ſatis; ſed non contemnendæ vtilitatis. Porrò, relatiua ea eſſe dicuntur à philoſopho, quæ ad aliquid dicuntur: vnum namq; ſine altero intelligi non poteſt. Ad aliquid, inquit, talia dicuntur: quæcunq; hoc ipſum quod ſunt aliorum dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud. vt maius id, quod eſt alterius dicitur: aliquo enim maius dicitur, & duplum dicitur id, quod eſt alterius duplum. hæc planè deſcriptio, tum ſecundùm eſſe, relatiuis, tum etiam ſecundùm dici, conuenire videtur. vnde pater, & filius, duplum & dimidium, quæ ſunt relatiua, ſecundùm eſſe, huiuſmodi naturæ iudicantur, nempè, vt id, quod ſunt ad aliud referatur. Eandem ſubeunt rationem relatiua ſecundùm dici, vtpote ſenſus & ſenſibile, ſcientia & ſcibile. Cæterùm, quoniam relatio eſt accidens imperfectum, ob ſuam certè debilitatem, paruitatemq́;; ita, vt in numero eorum quæ ſunt de ſecundis intellectis eſſe cenſeatur: ſubſtantiæ ineſſe non poteſt, niſi per medium accidens, quod relatione perfectius reputatur. Itaq; illud accidens, cuius medio, relatio ſubſtantiæ ineſſe dicitur, fundamentum appellatur: exempli gratia, duplum ſubſtantiæ ineſt mediante numero. numerus ergo, dupli fundamentum nominabitur, ſubſtantia verò, ſubiectum. Porrò, nonnulli, authore Auicenna in 3. ſuæ met: cap. 10. arbitrati ſunt, relationum nullam eſſe certitudinem, niſi in anima tantùm, cùm res intelligit. Illud, inquiunt, quod eſt in re de relatione, fundamentum ſolùmmodo eſt, & termini, habitudo verò inter illa, eſt ſolùm obiectiuè in anima cognoſcente: relatio namq; realis non ex actu in re, ſed ex potentia propinqua nominatur, ex qua intellectus cogitur, non quidem ex actu extrinſeco; ſed ex intimis fundamenti rationibus, vt illam reducere velit. Quemadmodū per oppoſitum, relatio dextri in columna, eſt relatio rationis, eò, quòd in columna nihil ponitur, à quo intellectus cogatur, dexteritatis relationem circa columnam ponere: reales ergo relationes dicuntur, quia adeò rei propinquiſſimæ ſunt, vt ab ipſa rerum neceſſitate intellectus cogatur, eas credere, atq; acceptare, ac ſi in re inuentæ eſſent. Nullam autem relationem eſſe extra animæ conceptum, ſic nonnulli aſtruere conantur. & primò quidem de relatione primi modi: Identitas, aiunt, ſimilitudo, & æqualitas, & aliæ relationes modò numeri non ſunt aliud, quàm quædam vnitates: vnitas verò quædam eſt indiuiſio, atq; indiſtinctio, quæ profectò in aliqua re communi à natura fundari non poſſunt, cùm huiuſmodi res in natura non ſit, neq; etiam in duabus rebus indiuidualibus, alioqui vna, ac eadem res in duobus inueniretur ſubiectis. Igitur, huiuſmodi relationes in anima tantùm ſunt. De relatione autem ſecundi, ita etiam arguunt: Paternitas, & filiatio fundantur in actu, qui tranſit. ſed actus huiuſmodi, quia non eſt, in re, nihil fundare poteſt. Igitur, paternitas, & filiatio non ſunt in re, ſed in intellectu. Præterea, paternitas à quo produceretur, non quidem à patre: abſurdum enim eſt dicere, aliquid actione tranſeunte, agere in ſeipſo, neq; à filio: recipit enim, & non imprimit in patrem, neq; ab actione pro-

Philoſop. quid dicat de relatiuis.

Relatiua ſecūdùm eſſe, & ſecundùm dici.

Fundamentū relationis.

Numerus dupli fundamentum.

Relationes nō eſſe extra animam.

Relatio primi modi.

Relatio ſecundi modi.

ne profluente à patre, quia nimirum illa in filio recipitur, atque ita, quidquid derelinquitur, eſt in filio & non in patre. Quoniam igitur, paternitati productiuum principium aſsignari non poteſt; conſtat apertiſsimè in intellectu, non autem in re relationem eſſe. Pro relatione autem tertij modi, ſic quoque arguunt.

Relatio tertij modi.

Rem, realiter dependere à non re, eſt impoſsibile: dependeret enim à nihilo. hoc autem abſurdum in tertio relatiuorum modo contingeret, ſi relatio eſſet res: ſtat namq; ſcientia etiam ſcibili deſtructo. proinde inter ſcientiam & ſcibile, relatio non eſt in re; ſed in intellectu. Deniq; illud non eſt res extra intellectum, quod fit ſine omni agente reali,

Relationes habere extra animam.

ſed albo exiſtente in oriente, ſi fiat aliud album in occidente, per intellectum ſanè, non autem per aliquod agens reale inter ea ſimilitudo intelligitur; imò, authore philoſopho 5 phyſ: com. 10. aliquid de nouo relatiuè dici contingit, cùm alterius planè, non autem cum ſui mutatione: ergo quod prius. Verùm, Auerroes 12. met. comm. 19. contrarium

Auer: ſententia de eſſe relationum.

ſentire videtur: quærens enim vtrum ſubſtantiarum, & aliorum prædicamentorum ſint eadem principia, inter prædicamenta connumerat ad aliquid: imò de eo ſolo expreſſam mentionem facit. Verum inquit altera, aut eadem ſint principia, & elementa ſubſtantiarum, & eorum quæ ſunt ad aliquid. Porrò, in 6. met. comm: 4. dum ens diuidit, illud planè in ens in anima, & in ens diſtinctum in prædicamenta diuiſit, quod reuera extra animam eſſe neceſſe eſt. alioqui membra diuiſionis non eſſent oppoſita. Cùm igitur, inter prædicamenta, ad aliquid eſſe dicatur à Commentatore; dubium non eſt, quod ipſe putauerit, ad aliquid, ens reale eſſe: huius autem prædicamenti ſpecialiter meminit philoſophus. ob ſuam certè debilitatem, cuius gratia, multi putauerunt inter prædicamenta non eſſe numerandum.

Auicenna de eſſe relatiuorum.

Auicenna quoq; eiuſdem eſt ſententiæ 3 met. ſuæ. ca. 10. Nos, inquit, ſcimus, quòd hæc res ineſſe, eſt pater illius, & ille filius illius, ſiue intelligatur, ſiue non, & ſcimus quòd planta accipit nutrimentum, ſic quod ibi eſt agens. Et ſcimus quòd cœlum eſt ſuper terram, & terra eſt inferior eo, ſiue hæc intelligantur, ſiue non: & iſtud quod aſsignamus, eſt ſimile in alijs relatiuis. Præterea, quando intellectus, ad intelligendum dominum in habitudine ad ſeruum cogitur; aut huiuſmodi habitudo, ex natura rei, & in actu primo præceſsit, aut non. ſi ſic, eſt ergo ens reale: intellectus enim, actum præcedit. ſi verò non, poteſt ergo intellectus ex parte ſui, ſine habitudine ad ſeruum, dominum intelligere. ex quo namq; intellectus actum non præcedit, huiuſmodi non cogitur habitudinem ad ſeruum intelligere, cùm dominum intelligere vult: atque ita vnum relatiuum, ſine altero intelligi poſſet.

Ariſtoteles.

Quam ob cauſam Ariſtoteles in prædicamentis, primam relatiuorum diffinitionem corrigens, realia relatiua hoc pacto diffinire videtur. Ad aliquid ſunt, quæcunq; ſecundùm eorum eſſe, ad aliud ſeſe habent, eſſe, inquam, non intentionale; ſed reale intelligit. Relatio igitur, abſq; vlla intellectus operatione eſſe habet reale à fundamento, & ſubiecto diſtinctum.

Soluuntur rationes contrariæ.

Ad rationes autem adductas dici poteſt, ad primam, negatur minor: nam ſicuti inter duo alba, eſt rationis vnitas in qualitate; ita planè & in natura ſpecifica albedinis illa vnitas fundari poſſet, quæ eſt communis ſecundùm rationem. Dicis, quòd relatio ergo realis, qualis ponitur ſimilitudo, ſuper vnitatem rationis fundabitur, quod ſanè impoſsibile eſſe videtur: à ſuo enim fundamento realitatem accipit; ideo vnitas rationis eſſe non poteſt. Dico, ſimilitudinis fundamentum non eſſe vnitatem naturæ communis; ſed res potiùs ſingulares, non quidem abſolutas; ſed quatenus ſunt vnum ſpecie. Ad 2. fundamentum eſt potentia generandi, vt fuit ſub actu, qui profectò actus manet in virtute: quod planè ſufficit. vnde eadem actione, & quòd pater & filius ſuo modo dici poſſunt cauſæ duæ partiales paternitatis: quod certè non arbitror eſſe impoſsibile, vt eadem actio à duabus ſit cauſis partialibus; bene verò à cauſis totalibus, & diſparatis. Ad 3. dico, poſſe dependere à non re in actu, quæ tamen eſt res in potentia. Sanè, quæ ſunt ad finem, à fine pendent, qui licet non ſit in actu; producibilis tamen eſt. ita, licet ſcibile actu deſtruatur;

remanet tamen in potentia, vt roſa in hyeme: nullum ergo eſt abſurdum ab eo ſcientiam dependere, propterea neganda eſt conſequentia: ergo dependet à nihilo: nam & ſi ſcibile deſtruatur; remanet tamen potentia; ideo remanet quoq; relatio realis, potentialis,
4. *cui planè non inconuenit, vt dicatur non dependere à re in actu; ſed à nihilo. Ad 4. negatur minor: album enim in oriente, quòad ſuam realitatem ſimilitudinem producit: quando autem ſit album in occidente, ſimilitudo ſolùmmodo ſuum formale recipit, nempe dici ad alterum, ad quod planè ſufficit alterius albi in occidente productio: poſito namq; albo in oriente, naturaliter ſequitur, vt aſſimiletur albo in occidente exiſtenti.*

Relatio realis quid ſit.

Relationis realis tres conditiones.

Cæterùm, hæc ſunt relationi reali neceſſaria, vt vera eſſe poſſit, ab ipſaq; relatione rationis diſtinguatur. In primis, vt illius extrema, realia ſint, propterea oppoſitio inter ens, & non ens, realis dici non poteſt: extrema enim illius realia non ſunt; ſed alterum tantùm. Deinde, vt ſecundùm rem differant; iccirco identitas non eſt relatio realis: nam & ſi extrema ſint realia; ſecundùm rem tamen non differunt. Poſtremò, vt inter extrema ſit mutua habitudo. hac de cauſa, relatio, inter ſcibile, & ſcientiam, cauſam, & cauſatum, Deum, & creaturam, & quæ ſunt generis eiuſdem, realis eſſe non poteſt; ideo enim ſcibile, ad ſcientiam refertur, quia nimirum ſcientia ad ipſum refertur: in cauſa autem eſt, quia vnum extremum ab altero dependet: non autem alterum viciſſim ab altero. ſcientia ſiquidem noſtra dependet à ſcibili, non autem è conuerſo: & ſentire à ſenſibili, non è conuerſo: & menſuratum à menſura, non è conuerſo. Quam ob cauſam, Ariſtoteles 5. met. cap. ad aliquid, ait: menſurabile verò, & ſcibile, & intellectuale, eò quòd aliud dicitur ad ipſum, ad aliquid dicuntur. Reali igitur relationi opus eſt mutua habitudine: etenim, cùm omnis relatio realis inter extrema realia verſetur, trahatq; realitatem à fundamento, aut profectò in vtroq; extremo eſt fundamentum reale, aut in altero tantùm. ſi in vtroq;, habetur vtiq; mutua relatio, cuiuſmodi ſunt primi modi relationes: nam quemadmodum ex natura rei, Socratis ſubſtantia ſub homine continetur, ita planè, & Mercurij. De duplo autem, & dimidio, & albo, & albo ſimile habetur iudicium. in hunc quoque modum, ſe habent relationes ſecundi modi: vtpotè dominium, & ſeruitus: nam ſicut ineſt domino actiua regendi potentia; ita, abſq; dubio, ineſt ſeruo potentia paſſiua, qua regatur. quoniam autem in relationibus tertij modi, non eſt mutua habitudo; ideo inter illas, relatio realis haberi non poteſt. Sunt autem duo modi præcipui in relatione mutua, vnus quidem quantitatis, à quo primus relatiuorum modus cõſtituitur, alter verò potentiæ, ſiue actionis modus, à quo conſtituitur, ſecundus. Et id quidem ſpectat ad fundamentum relationis, quòad modum, nam quòad entitatem, latiùs patet: non ſolùm enim quantitas, & potentia, ſiue actio fundat; ſed etiam ſubſtantia in diſtinctione numerali, & ſpecifica ſubſtantiali. ſimiliter quantitas in æqualitate, qualitas in ſimilitudine, actio, & paſſio in relatione, quæ eſt inter agens, & patiens, & in potentia actiua, & paſſiua. ſunt autem tot relatiuorum modi; quot ſanè modis contingit vnam rem ad alteram ordinari, quippè cùm relatio ordinem dicat: interdum autem vna ad alteram res ordinatur, aut ſecundùm eſſe; quatenus ſcilicet vnius eſſe, ab altera dependet eſſentialiter, aut menſuratiuè, præcipuè menſura perfectionali. Eſſentialiter, inquam, vt idæatum ab idæa, ſcientia à ſcibili, ſenſus à ſenſibili: menſuratiuè verò, vt omnes colores, ab albedine, omnis ſubſtantia, à prima & nobiliſſima ſubſtantia. is autem vocatur primus relatiuorum modus. ſecundus verò, actiuam paſſiuamq; virtutem conſequitur; quatenus ſcilicet vna res ab alia patitur, aliquid ſibi conferente: is autem modus inuenitur inter generantem, & genitum, docentem, & addiſcentem, ædificantem, & ædificatum. tertius autem, ſecundùm quantitatem penſatur; quatenus ſcilicet vnius quantitas, ab alterius quantitate menſurari poterit. Ad primum autem modum, relationes, quæ ſuper vnitatem fundantur, quæ eſt principium quantitatis, reducuntur: quare identitas in ſubſtantiæ vnitate fundata, & ſimilitudo in vnitate qualitatis, ſub primo modo contınen-

Relatio realis eſt eiuſdem ordinis.

Modi relatiuorum non eſt relatio realis.

Relationis. Primus modus. Secundus.

Tertius.

continentur. ſufficiènter ergo à philoſopho 5. mèt. cap. ad aliquid aſſignati ſunt, atque diſpoſiti relatiuorum modi. Amplius, quoniam relatio ſuam à fundamento realitatem trahit, atq; recipit. tot ſunt ergo relatiuorum modi; quot ſunt fundamenta, quòad modum rationemq; fundandi. hæc autem in genere tria eſſe videntur, nempe quantitas, actio, menſura perfectionalis. et quantitas quidem ad primum, actio verò ad ſecundum menſura autem perfectionalis ad tertium modum attinet. In quantitate autem vera, omnes propemodum proportiones numerales fundantur: in his autem, quæ habent quantitatis modum, vtpotè ſubſtantia conſiderata, vt vna, identitatem fundat: vt plures verò diſtinctionem; ſic etiam qualitas, vt vna in ſpecie, ſimilitudinem: vt plures, diſſimilitudinem. ſub actione, quatenus ſe extendit ad omnem motum, atque productionem, paſſionemq;, quæ actionem ſupponit, relationes ſuper paſſionem fundatæ numerantur, vtpotè ſeruitus, filiatio, relationes, quæ fundantur ſuper principia actiua, & paſſiua, ſiue ſubſtantiæ fuerint, ſiue qualitates. ſub menſura perfectionali, omne ſcibile, quod eſt menſura ſcientiæ ſecundùm veritatem, & perfectionem. Itaq; iſtis tribus modis, ſufficienter relatio realis diuiditur: nulla enim inueniri poteſt, quæ ſub aliquo iſtorum modorum non contineatur. Alia ratio. Relatiuorum fundamenta ſunt tria.

Obiectiones cōtra modos relatiuorum.

1. *Dicis, de quolibet ente alteri comparato, verum eſt dicere, idem eſſe cum eo, vel diuerſum, idq; tam in ſubſtantia, quàm in quantitate, & qualitate. Non rectè ergo dixiſſe videtur Ariſtoteles, eadem ſunt, quorum vna eſt ſubſtantia. Præterea, omne ens, cuilibet enti comparatum; vel eſt ſimile; vel diſſimile illi. & ſecundùm perfectionem, vel eſt æquale, vel inæquale illi: ſimilitudo ergo non ſolùm in quantitate fundari poteſt; ſed in quolibet genere entis abſoluti: & ſimiliter æqualitas, non in ſola quantitate: non rectè ergo à philoſopho primus relatiuorum modus expoſitus, atq; annotatus eſſe videtur.*

2. *Amplius, potentia actiua refertur ad paſſiuam, vt calefactiuum ad calefactibile, & ad actum quoque ſuum, vt ad calefacere: & viſus ad videre: ſed tunc vni relatiuo, plura correſponderent relatiua in eodem relationis genere, quod eſt impoſſibile, alioqui idem relatiuum eſſet & non eſſet: & hæc quidem contra ſecundum modum.*

3. *Adhuc, tertius modus cum primo coincidere videtur: ratio enim menſuræ, & menſurabilis ad primum attinet: nam duplum eſt menſura dimidij, & omnes duæ quātitates proportionem ad inuicem habentes, ita ſe habent, quòd vna ſit menſura, altera verò menſurata; quatenus vna eſt maior, vel minor, aut alteri æqualis. Relatio præterea ponitur inter ſcientiam, & ſcibile, aſſignaturq; huic tertio modo, qui tamen in 2. eſſe videtur: ſcientia enim cauſatur à ſcibili. proinde ſcibile ſe habet vt factiuum, ſcientia verò, vt factum: non bene ergo hunc tertium modum relatiuorum philoſophus diſtinxit.*

Solutiones.

1. *Reſpondeo ad primā, Ariſtotelē ſubſtantiam intellexiſſe, non quatenus contra accidens diſtinguitur; ſed quæ de qualibet eſſentia verificari poſſit: quo profectò loquendi modo vtitur in anteprædicamentis: Vniuoca ſunt, inquit, quorum ratio ſubſtantiæ eſt eadem. ſimiliter, quando dicit, ſimilia ſunt, quorum qualitas eſt vna, qualitatem ibi non intelligit, quatenus ſcilicet ab alijs prædicamentis diſtinguitur; ſed id potiùs, quod qualitatis modum habet. Quoniam autem formæ ſubſtantiales, & differentiæ, & actiones, atq; paſſiones, rem omninò qualificant; ideo, & ſimilitudo, & diſſimilitudo in huiuſmodi inuenitur. Eodem quoq; modo quantitatem intelligit, ea ſcilicet, quæ habent modum quātitatis, vt nigredo duorum graduum, & nigredo 6. graduum: porrò, quia omnis forma intenſibilis & remiſſibilis aſſumere poteſt, ſiue induere quantitatis modum. hac de cauſa, ſecundùm eas, æqualitas attenditur.*

Ad 2. vni relatiuo, vt poſtea, latiùs dicam, plura relatiua partialia correſpondere valent, vt vni patri, plures filij, non autem plura totalia, alioqui idem ſimul eſſet, & non eſſet. Plura quoq; reſpondere poſſunt, non tamen æquè primò; ſed vnum quidem primò, & per ſe, alterum autem per ſe, ſed non primò: ſpecies namq; per ſe primò ad genus, ad indiuidua verò per ſe; non autem primò refertur: relatiuum namq; per ſe primò, ſuum primum, & totale reſpicit correlatiuum. pro-

inde, ſi

inde, ſi ſecundarium remoueatur, non deſinit eſſe relatiuum; niſi illius ordinis reſpectu, quem habet ad ſecundum. itaq́, potentia actiua, & ad paſſiuam, & ad agere dicitur: ſed ad vnum quidem per ſe primò, ad aliud autem per ſe, ſed non primò. 3. *Ad 3. negatur maior: non enim omnis relatio inter menſuram, & menſurabile ſub primo modo continetur: ſed illa tantùmmodo, quæ mutua eſt, quæq́ ſuper quantitatem continuam, vel diſcretam fundatur. Illa autem, quæ mutua non eſt, ſed vnum ab altero pendet extremo, & non è conuerſo, tertium ſanè modum conſtituit. Ad confirmationem dico, relationem inter ſcientiam, & ſcibile, interdum in ſecundo, nonnunquam autem in 3. modo contineri: etenim, ſi ſcibile ad ſcientiam comparetur; ſeſe vtiq; habebit, vt cauſa ad cauſatum in ſcientia ſpeculatiua, vel ſicut cauſatum, ad cauſam in ſcientia practica; atque ita, ad ſecundum modum pertinet. quòd ſi, vt obiectum ſcientiæ terminatiuum, atq; menſuratiuum comparetur, non quidem quantitatiuæ; ſed quòad veritatem potiùs; ſic abſq; dubio, ad tertium modum attinet. Quid ergo ſit relatio, ac quomodo ſit extra animam, quid etiam ſit relatio realis, quotq́ ſint relatiuorum modi, dixi.*

CAP. II.

Relatio quomodo à ſuo diſtinguatur fundamento.

Quomodo relatio ſit idem realiter, non formaliter cũ ſuo fundamẽto.

BIſariam relatio conſiderari poteſt: vno ſeu primo quidem modo, quòad id certè, quod dicit in recto, atq; intrinſecè. ſecundo verò modo, quòad id, quod in obliquo dicit, ex connotato, quod eſt terminus. Porrò, quòad primum modum ſpectat; relatio, & fundamentum idem realiter eſſe videntur, non autem formaliter: fundamentum enim eſt ad ſe, relatio autem ad alterum. Quam ob cauſam relationem realem, ſubiecto aduenire, ſine ſubiecti mutatione ait philoſophus 5. phy: tex: 10. aliquid autem de nouo alicui aduenire ſubiecto, quod priùs illi non inerat, abſq; ſubiecti mutatione, fieri non poteſt, ſi relatio à ſuo fundamento realiter fuerit diſtincta, quod priùs inerat ſubiecto. vnde poſito vno ſolo albo in mundo, tota quidem ſimilitudinis realitas, non autem formalitas ponitur: quòad vſque productum fuerit coalbum alterum. nec obeſt quòd aliqui dicunt: ex fundamenti poſitione relationem eſſe incompletam, ex termini verò poſitione compleri; atq; ita ſine eius, in quo eſt mutatione, aduenire poſſe. Nam ſi ſola termini poſitione compleatur, aut certè quòad ſuum formale præcisè, vel quòad ſuam realitatem completur. Si primò modo, tota ergo ſimilitudinis realitas ante termini poſitionẽ in ſubiecto, inerat vtiq; ſubiecto, aut non erat, niſi fundamentum, puta albedo. quare eadem eſt albedinis, ac ſimilitudinis realitas. Si verò ſecundo modo intelligas, non eſt planè intelligibile, quonam pacto, poſito termino compleatur, niſi quia relationis realitas, quæ erat in potentia, poſito fundamento, ex termini poſitione, fiat actu in ſubiecto, quod planè, abſq; ſubiecti mutatione fieri non poteſt: nam quod tranſit ab eſſe in potentia, ad eſſe in actu, neceſſariò aliter ſe habebit, quàm prius. Dicis, quemadmodum, remoto calefactibili, ſi eſſet calor calefactiuus; calefactio vtiq; actiua actualiter non eſſet, nec ineſſet agenti, vt accidens in ſubiecto: appoſito tamen calefactibili, ſtatim rediret, eſſetq́ actio in agente; ita certè remoto termino extrinſeco, vel paſſo, tam relatio, quàm actio tollitur actu. Reſpondeo, ſimilitudinem non eſſe bonam: hac enim ratione, poſito paſſo, ſequitur actio, quia nimirum ab agente eſt productiuè, & in paſſo recipitur; ſed relatio non eſt productiuè realiter à ſuo ſubiecto, & in termino recepta: non ergo eſt ſimile. Porrò, hanc noſtram ſententiam fulcit, atq; corroborat philoſophi doctrina, quæ in 5. phyſ: tex: 10. clariſſimè conſpi-

Philoſ. 5. ph. ad relationem non eſt mot⁹

mè conſpicitur: Ad relationem, inquit, non eſt motus: poteſt enim alicui aduenire, altero ſolo mutato. at, ſi relatio à fundamento realiter diſtinguitur; planè ei, cui adueniret, aliqua mutatio accederet, & non tantùm in altero extremo, quod de nouo producitur, alioqui philoſophus in hac ſua ratione, principium peteret. Nam, ſi relationem à fundamento, aliam rem eſſe dixerit: deinde velit ad relationem motum non eſſe, quia nimirũ vni aduenit extremo, ſine alterius mutatione; principium vtiq; petit. Præterea, 7. phyſ: tex: 17. ſic argumentando diſſerit, non eſſe alterationem ad primam ſpeciem qualitatũ. In aliquid, inquit, non eſt alteratio, ſicut nec motus; ſed habitus eſt ad aliquid: ergo &c. Sanè, ſi relatio fundata ſuper habitum, alia res eſſet ab habitu; philoſophi ratio nullius eſſet momenti: non enim ſequitur, ad aliquid non eſt motus: ergo in habitu non eſt motus, niſi hoc ſit verum, habitus & relatio ſunt idem realiter. Suffragatur huic ſententiæ Auerroes de ſubſtantia orbis, aſſerens materiæ potentiã, ipſam eſſe materiæ ſubſtantiam. & primo phyſ: com: 70. ait, potentiam differre à materia. ſi ergo prima, à ſecunda non diſcrepat ſententia; planum eſt, relationem, & fundamentum idem eſſe realiter, prædicamentaliter autem ſiue ratione differre. Ex his ergo, quæ dicta ſunt, clariſſimũ eſt, relationem primo modo ſumptam, nempe quantùm ad id, quod dicit in recto, & intrinſecè idem eſſe realiter cum fundamento. Porrò, quantùm ad ſecundum modum realiter differre videntur: etenim, fundamentum cùm ſit quid abſolutum, terminum nequaquam includit, relatio verò, quia eſt ad alterum, ipſum includat, neceſſarium eſt: ideo realis eſt inter illa diſtinctio. Aliqua præterea, re eſſentiæ, ſiue prædicamenti diſtingui dicuntur, ſuntq; illa, quæ realiter differunt, & quæ in diuerſis prædicamentis habentur: alia verò re exiſtentiæ, quorum alterum, ſine altero conſiſtere poteſt, in quorum haberi numero poſſunt accidens, & ſubiectum, album, & dulce, & quæ ſunt generis eiuſdem. Ex hac autem diſtinctione, multorum opiniones, quæ in huiuſmodi negotio inter ſe pugnare videntur, conciliari poſſunt. Sanè, ſi relationem, eiuſq; fundamentum ſecundùm eſſe, ſiue rem eſſentiæ ſpectes; tunc abſq; dubio, non ſunt idem realiter: ſecundùm verò eſſe exiſtentiæ, ab inuicem realiter diſcreta non ſunt. Dicam aliter, quod tamen in idem recidit: aliqua inter ſe diſtinguuntur ſubiecto, vel diffinitione: relatio autem, à ſuo fundamento, non quidem ſubiecto; ſed diffinitione diſtinguitur: relatio enim, & fundamentum eidem accidunt ſubiecto; iccirco ſubiecto diſtingui nõ poſſunt; ſed eadem ſunt omninò: quoniam autem in diuerſis eſſe videntur prædicamentis; ideo diffinitione ſeparantur: diuerſorum enim generum, & non ſubalternatim poſitorũ, diuerſa ſunt genera & differentiæ. Adde, quòd quamuis nulla relatio in ſubiecto, à fundamento diſſentiat; nulla tamen eadem eſt fundamento, in ſubiecto mutuò: remota namq; relatione, fundamentum conſiſtere valet. Aliqua namq; ſunt in ſubiecto mutuò, ac conuertibiliter, ita vt vnum, ſine altero non inſit, aut de aliquo ſubiecto prædicetur: quod planè relationi non conuenit, reſpectu ſui fundamenti, vt dixi. Alia verò ſic ſe habent, quòd vnum poteſt ſine altero exiſtere: quod congruit relationi. Itaq;, relatio, in recto, & intrinſecè, ſecundùm eſſe exiſtentiæ, ac ſubiecto non mutuò à ſuo fundamento realiter non differt: alio verò modo realiter diſtinguuntur. Verùm nonnulli contra prædicta argumentari non deſinunt, vt dicetur capite ſequenti.

Auerroes.

Quomodo relatio differt à fundamento.

Re eſſentiæ & exiſtentiæ diſtingui.

Relatio à ſuo fundamento definitione non ſubiecto diſtinguitur.

CAP. III.

Relationem, à ſuo fundamento realiter differre.

RElatio, & fundamentũ in diſtinctis prædicamentis habentur, vt clariſſimè patet: igitur, ſunt duæ res: nã ex 6. met: diſtinctio entis in 10. prædicamẽta, eſt planè diſtinctio entis realis. proinde quodlibet prædicamentũ, ens reſte dicendum eſt: ſunt ergo decem res, atq; ita relatio, & fundamentũ, quoni-

am in diſtinctis ſunt prædicamentis; duæ quoq; res appellantur. Amplius, ſubſtantia,
2. & accidens non ſunt vna, atq; eadem res: ſed relationis fundamentum eſt ſubſtantia.
diſtinctio ſiquidem numeralis Mercurij, & Platonis ſuper vtriuſq; ſubſtantia fundatur:
relatio verò realis eſt accidēs, vtpotè in prædicamento ad aliquid, quod in numero prædicamentorum accidentiū habetur: igitur, ab inuicē realiter diſſentiunt. Sanè, authore
phil. 12. met: com: 19. diuerſorum generū, id eſt, prædicamentorum, diuerſa ſunt principia
& elementa: ſed relatio eſt aliud genus à quantitate, & qualitate, & actione, & paſſione, quæ ſunt fundamenta relationis. cùm igitur, diuerſa ſint fundamenti, ac relatio-
3. nis principia; neceſſariò ergo realiter diſtinguuntur. Adhuc, nulla ſubſtantia in genere, poteſt eſſe idem realiter quod relatio; ſed diſtinctio ſubſtantialis inter indiuidua eiuſdem ſpeciei, eſt relatio, quæ in ſubſtantia fundatur: in huiuſmodi ergo relationibus, diſtinctio habetur realis à ſuis fundamentis. In creaturis præterea, fundamentum non continetur ſub ſignificatione nominis relatiui: id enim quod continetur ſub ſignificatione nominis relatiui, eſt alia res: fundamentum ergo, ab ea re, quæ ſub nomine relatiuo ha-
4. betur, diſtinguitur omninò. Item, quæcunq; oppoſita in eodem ſemper permanente ſucceſſiuè fundantur; ab illo vtique realiter differunt: ſed ſimilitudo, & diſſimilitudo in eadem quidem albedine, illa ſemper eadem permanente fundari poſſunt: ab illa ergo realiter diſtinguuntur. Sanè, illa realiter differunt, quorum alterum recipit augmentum, altero eodem modo permanente. ſed albedo, quæ eſt fundamentum vna conſiſtere valet,
5. ſimilitudines verò augeri: igitur ſecundùm rem diſſentiunt. Amplius, illa, quæ ita ſe habent, quòd vnum altero intenſius ſit; reali vtiq; diſtinctione ab inuicem ſeparantur:
6. ſed album poteſt eſſe albius, minùſq; ſimile: ergo quod prius. Amplius, ſi relatio à fundamento realiter non diſſentit; tunc planè æqualitas, & ſimilitudo magis different, quàm ſimilitudo, & relatio potentiæ actiuæ, quæ fundatur in eodem colore, quod eſt falſum:
7. ſimilitudo enim, & potentia actiua in colore fundatæ diuerſi generis ſunt. Præterea, relatio rationis, eſt alia res rationis à ſuo fundamento: igitur, relatio realis realiter differt à ſuo fundamento. His ergo atque ſimilibus nituntur nōnulli probare, relationem realem, à ſuo fundamento realiter differre.

CAP. IIII.

Soluuntur Argumenta.

AD primum, & cætera quæ ſequuntur, ex prædictis patet ſolutio: relatio
1. enim, & fundamentum ſecundùm quidem rem eſſentiæ, non autem exiſtētiæ diſtinguuntur. Præterea, prædicamenta quatenus res ſunt, diſtingui realiter, nequaquā neceſſe eſt: alioqui actio, & paſſio, cùm vnus ſint motus numero, vt dicitur 3. phy: duo vtiq; prædicamenta dicenda non eſſent. verùm, quatenus ſub formali ratione cōſiſtunt; vna profectò res ſub diſtinctis prædicamentis nō ponitur. itaq; prædicamenta eſſe decē res, duobus modis intelligi poteſt, aut certè eſſe decē res; quatenus ſcilicet omne prædicamentū ſignatū, eſt res, & verus eſt ſenſus. aut quia omne prædicamentum ſignatum, comparatū alteri, eſt res, & res quidem diſtincta: quod ſanè nō approbo. Exēplo nobis eſſe poſſunt perfectiones diuinæ, quæ licet ſuis rationibus formalibus diſtinguantur; non tamen res diſtinctæ dicendæ ſunt: relatio ergo, & fundamentum diffinitione; non autem ſubiecto diſtinguuntur. Ad 2. maior., vno quidem modo eſt vera, altero verò, falſa reputatur. ſi enim intelligas accidens, vt aliquod ſubſtantiæ ſuperadditum, atque inhærens; tunc abſque dubio, ſubſtantia & accidens eadem res nequaquam ſunt. quòd ſi certè id dixeris, quod eſt extra rationem rei, ita ſanè idem ſunt. Quando ergo dicis, relationis fundamentum, eſt ſubſtantia: approbo quidem, & cùm iterum dicis, omnis relatio eſt accidens, non inficias ibo, ſiue obſiſtā:

Quomodo prædicamenta ſint decē res.

ſi primo

*ſi primo, aut ſecundo modo intellexeris : etenim, relatio in quantitate, vel qualitate fun-
data; accidens planè primo vel ſecundo modo dici poteſt. ſanè ad fundamenti rationem
non attinet, quippe, cùm quantitas ſine æqualitate intelligi valeat. Porrò, relatio in ſub-
ſtantia fundata, vtpotè creatio paſſiua, ſecundo modo, accidens nominatur : nihil enim
realis ſuper fundamentū addit. Dicis, ſi omnis relatio realis ad prædicamentū ad aliquid
pertinet, aliqua verò relatio ſubſtantia ſit; ad prædicamentū ergo accidentis pertinebit?
vtiq;. Nam ſi motus & terminus ſint idē realiter; profectò, generatio paſſiua, & ſubſtan-
tia genita ſimiliter idem erunt : generationē autem paſſiuam, ſub paſſionis prædicamen-
to contineri, ſatis liquet. itaq; ſubſtantiam in prædicamento accidentis, nō quidem ratione
ſubſtantiæ, quandoquidem prædicamenta formaliter impermixta ſint, inueniri, non eſt
impoſſibile. Ad probationem dico, Ariſtotelē in loco iam citato, & com: 22. per prin-
cipia, & elementa, formam, & priuationem, atq; materiam intelligere, quæ licet in o-
mni genere proportionaliter inueniantur; alia tamen ſunt aliorum generum : vtpotè in
genere colorum, forma eſt albedo, priuatio, nigredo, materia, ſuperficies. Itaq; relatio,
ſi alia, atq; alia habeat elementa, materiæ, vel ſubiecto in quo recipitur, non autem fun-
damento comparanda eſt : quando ſuum fundamentum eſt accidens : atque ita eſt alia
res à ſuo ſubiecto. ſimilitudo ſiquidem, quæ eſt identicè albedo, eſt alia res à corpore
albo : igitur, quòad diuerſitatem elementorum, relatio, fundamento comparanda non
eſt : neq; hæc fuit Ariſtotelis ſententia; ſed ſubiecto potiùs, cuius reſpectu, ab eo in acci-
dente iā fundato, realiter diſtingui, approbo. Ad 3. maior vera eſt formaliter, non autē* 3.
realiter : hæc enim ita vera eſt, nulla ſubſtantia eſt relatio, ſicuti iſta, nulla ſubſtantia eſt Subiectum eſt
quantitas : quando autem prædicamentum negatur à prædicamento, de formali præ- homo, funda-
dicatione intelligi debet, non autem de identica : alioqui, hæc non eſſet identica, actio eſt mentum po-
paſſio; quæ tamen ſecundùm prædicationem formalem, veritatem non habet : illa ergo tentia generā
maior de prædicatione formali intelligenda eſt. Ad confirmationem, relatio, ſi ſubie- di. terminus à
cto, non autem fundamento comparetur, quod ſignatur nomine relatiuo, eſt quidem a- quo eſt pater,
lia res à ſubiecto, dum modò in potentia actiua, vel paſſiua, aut in actione, vel paſſio- terminus ad
ne fundetur : nam quæ in ſubſtantia fundatæ ſunt, à ſubiecto non diſtinguuntur, nec e- quem, eſt filiꝰ relatio paternitas.
tiam à fundamento. Ad 4. verum quidem eſt ſecundùm rem eſſentiæ, prædicamenti, 4.
*& diffinitionis, non eſſe eadem ſubiecto mutuò, non autem ſecundùm rem exiſtentiæ, &
ſubiecto non mutuò; pari quoq; facilitate ſoluitur confirmatio. Ad 5. patet reſponſio :* 5.
*differunt, vt dixi, re exiſtentiæ, & diffinitione, non autem re eſſentiæ, & ſubiecto.
Ad 6. verum planè eſt, relationem, ac ſimilitudinem, quòad rem ſubiecti magis differ-* 6.
re ſiue exiſtentiæ, non autem quòad rem obiecti, diffinitionis, vel eſſentiæ. Ad 7. ne- 7.
*gatur ſimilitudo : vel fortaſſis totum argumentum eſt concedendum : ſecundùm eum ſa-
nè modum, quem toties inculcando inſinuauimus. Verùm alia oppinio, quæ de hac mate-
ria aliter ſentit, in ſequenti capite eſt excutienda.*

CAP. V.

Relationem, & fundamentum idem eſſe.

SI relatio, à ſuo fundamento realiter diſtingueretur; tunc in relationibus eſ- 1.
*ſet proceſſus in infinitum : duæ namq; ſimilitudines, à duabus albedinibus
diſtinguerentur, quæ ſunt earum fundamenta : & illæ adhuc poſſent eſſe
ſimiles; ſic etiam aliæ, atq; ita in infinitum procederetur. quare ad funda-
menta ſtandum eſt, quæ ſuæ ſunt relationes. Sanè, diſtantia, quæ eſt relatio, à ſuo fun-* Relationem à
damento non differt : aliter dum ego mouerer, diſtinctas relationes ab omnibus, quæ à ſuo fundamē
me diſtant, producerem, atq; cauſarē. Profectò, aut in inſtanti, aut in tempore acquiri- to realiter nō diſtingui.

tur. ſed in aliquo iſtorum acquiri non poteſt: ergo eadem etiam quæſtio ad fundamen-
tum ſpectat, quippe, cùm non ſit quantitas mobilis: illa enim non augetur, aut multipli-
catur, ſicut diſtantiæ, nec poteſt eſſe locus: locus namq; non eſt in re, quæ diſtat, nec eſt
vbi: reſpectus enim eſt, in relatione fundatus: quomodo ergo eſt relationis fundamen-
2. tum. relatio ergo, & fundamentum idem ſunt realiter. Amplius, differentia ab eo, cuius
eſt differentia realiter nequaquam differt: igitur relatio ſecundùm rem à ſuo funda-
mento non diſcrepat. Tenet conſequentia: nam relatio per fundamentum à relatione dif-
fert. Sanè, ſi res ita ſe haberet; relatio fundamento adueniens, illud compoſitius redde-
ret, atq; augmenti multitudine cumularet: quod reuera falſum eſt. in Deo præterea eſ-
3. ſet compoſitio, quippe, cùm in eo ſint relationes additæ. Item, ſi relatio à ſuo fundamento
differret: igitur, materia prima eſt ſubiectum accidentis. potentia ſiquidem materiæ
ad formam, eſt relatio, vt dicitur. 1. phyſ: com: 70. ſed hæc à materia differt: ſubiectũ
ergo accidentium, materia prima diceretur. infinitæ præterea in quolibet, res diſtinctæ
4. inuenirentur, ob partes, quæ aliquantiſper inter ſe diuiderentur. Amplius, Mercuri-
um eſſe patrem, nil aliud eſt, quàm Mercurium habere filium, ſed filius nihil addit Mer-
curio: relatio ergo, vltra fundamentum, nihil addit ſubiecto. non ergo diſtat à funda-
mento, alioqui eſſet accidens, per accidens, poſſetq; adeſſe, & abeſſe præter ſubiecti
5. corruptionem, atq; ita Mercurius, & Tatius abſq; relationibus conſiſtere poſſent. Ite-
rùm, ſi relatio eſſet alia res à fundamento; poſſet vtique dici terminus motus: per rela-
tionem namq; ipſum fundamentum, cui relatio aduenit, mutationi reali ſubderetur. ſed
hoc quidem philoſopho aduerſatur in 5. phyſ: diſputanti in relatione motum, vel mu-
tationem non eſſe. Similitudo præterea, ſiue relatio haberet proprium ineſſe; aliud pro-
fectò ab ineſſe albedinis, atq; ita ſi aliqua relatio ſuper ſubſtantiam fundaretur, ob ſuã
planè accidentalitatem, accidentalis eſſet: quod Simplicio in prædicamentis nequaquam
probatur. Priùs, inquit phil: de quãtitate, & qualitate, quàm de relatione loquitur, quia
nimirum in iſtis, relatio immediatè, non autem in ſubſtantia fundatur. Id autem de re-
latione accidentali intelligit: relatio ſuper ſubſtantiam immediatè fundata, propria ac-
cidentalitate carebit. Inſuper, relationis genus compoſitum eſſet ex in, & ad, quod om-
nino iudicatur abſurdum: primus namq; cuiuslibet generis primi conceptus, vt ſimplex
6. ſit, neceſſe eſt. Amplius, relatio in ſuas diſtinguitur ſpecies, penes fundamenta, vel ſe-
cundùm fundamentorum diſtinctionem: non enim dominium à paternitate differt pe-
nes id, quod eſt eſſe ad aliud; ſed penes fundamentum potiùs. de alijs verò relationi-
bus idem eſt iudicium. Quare, ſi relatio realiter à fundamento diſtingueretur; ex ſe v-
tique in ſuas ſpecies formaliter diſtinctionem haberet. Relatio ergo à ſuo fundamento
realiter non differt.

CAP. VI.

Soluuntur Argumenta.

1. AD primum, negatur conſequentia: relatio namq; ſeipſa ad fundamentũ re-
fertur, ſine fundamento certè eſſe non poteſt, neque ſine conditione ad eius
fundamentum, atq; ita ad fundamentum ſtabit, nullusq; proceſſus in infini-
tum ſequatur, neceſſarium eſt. Ad confirmationem dico: dum ipſe moueor,
in his, quæ à me diſtant, rem quidem cauſari ab illis diſtinctam, ſecundùm rem diſſinitio-
nis, prædicamenti, vel eſſentiæ, non autem ſubiecti, vel exiſtentiæ, poteſt certè relatio ali-
qua noua fieri alicui, aut quia ambo extrema mutantur, vel alterum tantùm, aut certè
quoddam tertium, vt refert Auerroes 8. phy. Ad aliam probationem Relatio diſtantiæ
non per ſe acquiritur: ſed terminum ad quem conſequitur: atq; ita dici poteſt, quod in in-
ſtanti

 De relationibus.

ſtanti acquiratur, ſicuti de termino ad quem dicere conſueuimus. Porrò, diſtantiæ fundamentum eſt locus, nec obeſt in eodem ſubiecto relationem eſſe, in quo eius inuenitur fundamentum: nam poteſt inter aliqua noua conſurgere relatio per aliquod fundamentũ: hoc enim fundamento conuenit, vt id ſit, per quod relatio inſit ſubiecto, ſiue illud idem inſit ſubiecto, ſiue non. Ad 2. Relatio ſecundùm rem eſſentiæ, quatenus eſt accidens ab 2.
habitudine non differt, quam habet ad ſubiectum, vel fundamentum. Ad confirmationem dici poteſt, relatiuum compoſitius dici ſecundùm rem prædicamenti, non autem exiſtentiæ. Ad confirmationem aliam reſpondeo: relationes, quæ de deo dicuntur, non eſſe alicuius generis, ſed tranſcendentia eſſe genera. Cùm ergo relationes in deo non ſint per modum actus, quia in deo, eſſentia non ſe habet vt potentia, relatio verò, vt actus; iccirco in deum nulla cadere poteſt compoſitio. Ad 3. conſequentia, pro accidentibus imperfe- 3.
ctis, vtpote pro dimenſionibus, potentia, & huiuſmodi ab Auerrois ſequacibus admittitur: de qua quidem materia alibi nobis latiùs loquendum eſt. Infinitas quoq; res reſpectiuas in potentia, non autem abſolutas, & in actu nonnulli admittunt. Ad 4. verum quidem eſt, 4.
Mercurium patrem eſſe, nil aliud dicere, quàm Tatium filium habere: hoc autem intelligendum eſt, ſecundùm rem exiſtentiæ, & ſubiecti, non autem eſſentiæ, & prædicamenti. Ad confirmationem dico, relationem à Mercurio poſſe adeſſe, & abeſſe; non tamen ſtante fundamento. Ad 5. Mutari bifariam ſumitur ad ſe, & ad aliud: proinde ad relatio- 5.
nem non eſt motus, vt in terminum ad ſe, bene verò vt ad aliud. vnde relatio, proprium habet ineſſe, aliud ab ineſſe fundamenti, non quidem ſecundùm rem exiſtentiæ, vel ſubiecti; ſed eſſentiæ, prædicamenti, & diffinitionis. Sanè, ſicut relatio non ad ſe, ſed ad alterum forma eſſe dicitur; ita planè ille, cui aduenit relatio, non ad ſe, ſed ad aliud mutatur. Quare, ſi mutari perinde ſit, ac aliter ſe habere nunc, quàm prius, idq; reſpectu ſui, tunc abſq; dubio, ad aliquid motus eſſe non poteſt. ſi verò mutari, ad aliter ſe habere, tum ad ſe, tum ad aliud commune ſit; tunc mutatio eſt ad aliquid, quod Simplicius intellexiſſe videtur: ſecundùm relationem ſiquidem aliquis aliter ſe habet ad alterum. Philoſophus autem, quoniam aliquid aliter ſe habere ad alterum, illo aliter non ſe habente, impoſſibile putauit; hac de cauſa ad aliquid motum, ſiue mutationem non eſſe firmiſſimè docuit. Ad 6. Approbo planè relationem in ſuas ſpecies, ſuam diſtinctionem habere: ſed illam per fundamenta nobis innoteſcere, idq; ob modicam, quam ipſa in ſuis fundamentis habet entitatem. Simile quiddam accidit in alijs accidentibus, quæ modicæ ſunt realitatis, quorum planè intrinſeca diſtinctio, extrinſeca innoteſcit. Fieri ergo poteſt, vt relatio aliquo modo à fundamento diſtinguatur, habeatq; nihilominus formalem diſtinctionem. Quomodo ergo relatio, & fundamentum ſint idem, dixi.

Quomodo motus eſt ad relationem.

Simplicij opinio.

QVAESTIONIS SECVNDAE CAP. I.

Relatio eſt formalis ratio, alterius correlatiui relationis terminandæ.

Relatiuo tria ineſſe ſcimus, nempe ſubiectum, cui ineſt relatio: fundamentum, per quod illi ineſt: & tertium eſt ipſa relatio. Exempli gratia, in patre eſt homo, cui ineſt paternitas, vocaturq; ſubiectum, virtus generatiua, qua genuit, & per quam ineſt ſibi paternitas, & hæc quidem fundamentum dicitur, atq; ipſa paternitas, quæ relatio nominatur. Amplius, terminus quoq; filiationis eſt pater: relatio verò terminandi, ob quam pater ad filium dicitur formaliter, ipſa videtur eſſe relatio nempè paternitas, non aliquod abſolutum, quod paternitate prius eſſe putetur. Sanè, quemadmodum dicere conſueuimus, & animam ſcire, & ſcientiam,

Subiectum. Relatio. Fundamentũ. Terminus. Ratio terminandi.

Relatio eſt ratio terminandi.

entiam: animam quidem, vt materiam, & ſubiectum, ſcientiam verò formaliter: ita planè dicere valemus, patrem ad filium referri. ſubiecto, quia nimirum homo eſt, fundamento verò, ob potentiam generandi, qua & ipſum genuit: formaliter autem, ipſa paternitate. Quod ergo refertur, eſt relatiuum, vt pater: quo verò refertur, vt materia, & ſubiecto, eſt homo: quo autem, veluti conditione referendi, potentia vocatur generandi. deniq; quo
1. *refertur, tanquam conditione formali referendi, eſt ipſa paternitas. Profectò, eo ſanè modo ſe habet albedo ad album; quo planè paternitas ad patrem, ſeu relatio ad relatiuum. ſed album, albedine formaliter eſt album: igitur eſt formaliter ad aliquid relatione.*
2. *Amplius, eo planè relatiuum refertur, ſuamque terminat relationem, quo in eſſe relatiuo conſtituitur; ſed formaliter relatione eſt tale: igitur relatione propriè refertur, & terminat. Sanè, per illud terminat alterius relationem relatiuum mutuum; per quod vtique in diffinitione eius ponitur. ſed hoc fit relatione, authore philoſopho 6. Topicorum, &*
3. *Porphyrio, ergo quod prius. Adhuc, Ratio præcipua relatiui terminandi, illa præcipuè dicenda eſt, quæ, vt relatiua ſint ſimul natura, efficit, atq; operatur: ſed hæc paternitas, ſiue relatio dicitur: igitur, ipſa eſt cauſa alterius correlatiui relationis terminandæ: nam ſi abſolutum aliquod hoc fungatur officio; tunc planè vnum relatiuum ſiue relatio, ſine altero & intelligi, & diffiniri poſſet, quod falſum eſt: relationis enim intellectus, ex fundamento, formaliq; termino dependet. Quicunq; præterea vnum relatiuum diffinitè cognoſceret; non ſtatim alterum ſciret, atq; intelligeret: ignoraret enim alterius abſolutū, quippe, cùm vnum relatiuum, cum alterius abſoluto minimè conuertatur. ſed hæc, philo.*
4. *doctrinæ in prædicamentis aduerſantur omninò. Amplius, ea certè ratione, vnum correlatiuum, alterius rationem terminat; qua profectò ad ipſum refertur, vt dicitur in prædicamentis. ſed non refertur per abſolutum: igitur, per abſolutum terminandæ relationis poteſtatem non habet. Item, ſubſtantia non eſt ad aliquid, ſed abſolutum eſt ſubſtantia: ad aliquid ergo eſſet, ſaltem, quia aliud eſt ad ipſam, ſi abſoluto alterius correlatiui,*
5. *relatio terminaretur. Item, manente domino, quatenus dominus eſt, cæteris circumſcriptis; ad ipſum omnino ſeruus refertur, & è conuerſo: terminandæ ergo relationis ratio formalis, eſt correlatio oppoſita, & non aliquod abſolutum: illo namq; poſito, ſi relatio*
6. *non adſit, ab aliquo alio terminari non poteſt. Iterum, ſi filiatio non ſit per ſe ratio terminandæ paternitatis, ſed aliquod abſolutum potiùs; filiatio vtiq; ad terminum paternitatis, ſiue ad id, quod eſt pater ſpectaret per accidens: atq; ita primi, & ſecundi modi relatiua, ſimilia eſſent tertij ordinis relatiuis, quippe, quæ mutua conuertentia priuarentur:*
7. *vnum enim ad alterum per ſe referri non poſſet. Amplius, terminari perinde eſt; ac eſſe vel dici ad aliud: ſed relatio, ſeu relatiuum eſt per ſe ad aliquid, vt terminabile ad terminum: igitur, eſt ratio terminandi: per idem enim relatiuum terminandi habet rationem; per quod reuera, alteri opponitur correlatiuo: ſed hoc eſt per relationem, & non per abſolutum. ſiquidem oppoſiti relatio eſt, vt ad aliud ſibi oppoſitum, idq; ſicut ad termi-*
8. *num: igitur, relationis intereſt, alterius correlatiui relationem terminare. Præterea, ſi aliquod abſolutum in filio, eſt ratio terminadi; illud ergo abſolutum, filiationem præcederet, eſſetq; ab ea eſſentialiter diſtinctum: atq; ita per filiationem ſuppoſitum non produceretur, nec à patris ſuppoſito diſtingueretur. Vnde & patris ſuppoſitum, ſine filiatione, paternitatis relationem eſſet terminaturum: quod planè philoſophi euertit doctrinam, quam in prædicamentis traditam eſſe videmus. Ex his ergo atq; ſimilibus conſtat, terminanda alterius correlatiui relationis formaliter, alterius eſſe correlatiui relationē oppoſitam, non autem aliquod abſolutum.*

CAP. II.

Relationis terminum formalem eſſe aliquod abſolutum.

Nullus

 De relationibus.

NVllus terminus,vel ratio terminatiua,eiuſdem eſt prioritatis cum re deter- 1.
minata,ſiue determinato;imò illo prior ſit,eſt neceſſarium omnino. ſed re-
latio non eſt prior correlatiuo: etenim ſunt ſimul natura,ideo ſi non habet
authoritatem præcedendi; nec etiam habebit authoritatem terminandi.
Amplius,illa dicuntur relatiua tertij ordinis à philoſopho 5. met. ad quæ 2.
alia referuntur: igitur, relatio non eſt ratio formalis terminandi, vt dixi. Tenet conſe-
quentia: nam relatiua tertij ordinis, vt abſoluta,non autem, vt relatiua, terminant,quæ
ad ſe referuntur. Adhuc,actus, quatenus eſt prior potentia, ipſam diffinit: igitur,ab- 3.
ſoluto conuenit terminare,& non relatiuo. Antecedens eſt Ariſt. 9. met. conſequentia
patet: actus enim,vt eſt relatiuum,prior potentia nequaquam dici poteſt. quatenus ergo
eſt abſolutum,potentiæ terminat relationem. Iterum,ſi relatio eſt ratio formalis alterius 4.
correlatiui,relationis determinandæ; tunc planè in diffinitionibus circulus inueniretur:
etenim vnius relatio,ratio eſſet diffiniendi alterum:quod reuera in diffinitionibus admit
ti non debet. Præterea, omnis relatio per terminum ad quem diffinitur: igitur,diffinita 5.
relatione per diffinitionem,terminus ad quem prior eſſe videtur: igitur,quatenus eſt ab
ſolutum,non autem relatiuum, rationem habet terminandi. Sanè, illud, quod eſt prius
natura ipſa relatione terminata; eſt abſque dubio terminus quo illius: terminus enim quo,
ſaltem vt fundamentum ab ipſa relatione præſupponitur. ſed hoc eſt abſolutum, & non
mutua correlatio realis: ſunt enim tales ſimul natura. Ergo quod prius. Amplius, ſicut ſe 6.
habet fundamentum reſpectu relati,ſiue in relato; ita abſque dubio,terminus quo,in ter-
minante: ſed fundamentum eſt aliquid abſolutum, ergo & terminus quo ſimiliter ſe ha-
bebit. Amplius, omnis relatio à termino,atque à fundamento dependet, & ex conſequen- 7.
ti,illi posterior eſſe videtur. ſed relatio oppoſita, hac relatione, cùm ſint ſimul natura,
prior eſſe non poteſt: igitur,terminus eſſe nequit: nam ab ea dependere non valet,alioqui
circulus admitteretur. Omnis præterea habitudo inter extrema, præſupponat neceſſe 8.
eſt illius habitudinis extrema: ſed omnis relatio eſt habitudo inter fundamentum,& ter
minum: igitur terminum præſupponit, non autem oppoſitam relationem: ad eam ergo
non terminatur. hanc autem ſententiam,exemplorum varietate illuſtrare, ac confirma- Exempla.
re poſſumus: effectus namque primæ cauſæ,ad primam quidem cauſam, eſt relatio realis.
ſed hæc ad relationem realem,quæ non eſt,non terminatur; nec etiam ad relationem ra-
tionis: igitur ad abſolutum. Item,ſcientia ad ſcibile,quod aliquando non eſt,terminatur:
non quidem ad realem relationem iam non exiſtentem, neque ad relationem rationis: ens
namque rationis non eſt terminus relationis realis. Igitur,ad abſolutum in ſcibili termina-
bitur. Hæc atque ſimilia adduci ſolent ab his,qui ſubtiliter,acutèque huius rei veritatem in-
dagare,atque perſcrutari,& inuenire voluerunt.

CAP. III.

Soluuntur argumenta vtriuſque partis.

QVi huiuſmodi diſcordes,atque ſubtiles pugnantium ſententias conciliare uellet, poſſet vtique dicere, biſariam aliquid ad alicuius rationem referri, aut certè ratione generis, aut ſanè ratione ſpeciei. vnde, homini rationale competit, ſecundùm quidem ſpeciei,non autem generis rationem. Porrò,relatiuo,habere virtutem terminandi alterius relationem, idque relatione, ex ſpecifica, non autem ex generica conuenit ratione: multa enim abſoluta, non relatione, tanquam ratione terminandi,vtpote relatiua tertij ordinis ſua correlatiua determinant. hoc modo, ſi intelligas argumenta iam proximè adducta; abſque dubio,in ſoluendis illorum difficultatibus,parùm, aut nihil laborabis. Sanè, alterius correlatiui relationis terminandæ,non generis quidem Conciliantur opiniones.

ſed ſpe-

Soluuntur argumenta.

ſed ſpeciei illi congruit ratione: eſt enim hoc modo reciprocum, habetq́ habitudinem ſui correlatiui terminandi per relationem: per ſe enim ad illud refertur, non aliud verò ad ipſum. Qui igitur, huiuſce cupiunt ſententiæ ſequi fautores; ad argumenta oppoſita reſpondere valent. illa ſiquidem de relatiuis tertij ordinis intelligenda eſſe, non autem de reciprocis, contra quorum naturam huiuſmodi rationes non militant. Ad illud, de relatiuorum diffinitione dico: vnum relatiuum per alterum diffiniri. proinde nego, illud eſſe diffinitione prius: nam hoc eſt proprium relatiuorum, vt diffiniens, & diffinitum ſint ſimul natura, nec vnum, altero notius dici poteſt. quam ob cauſam, ſecundùm Boëtij ſententiam condefiniuntur potiùs, quàm vnum ab altero diffiniatur: ſunt namq; tum diffinitione, tum etiam natura ſimul. ex hoc etiam patet, quomodo in diffinitionibus circulus eſſe non poſſit. Sed de termino relationis deinceps loquamur.

CAP. IIII.

Terminum relationis ad conceptum ipſius quidditatiuum attinere.

Vna opinio.

QVidditatiuus conceptus in non habentibus deſcriptionem, perinde eſt, ac ratio formalis, qua ſcilicet res apta eſt concipi: nonnunquam autem formaliter ſumitur pro actu concipiendi, interdum verò obiectiuè pro re, quæ concipitur, vel quæ apta eſt concipi. itaq́, conceptus quidditatiuus, eſt conceptus rei obiectiuus. Quæſtio ergo eſt, ſi terminus, ad quidditatem relationis obiectiuam pertineat; ita, vt ſine termino intelligi, aut diffiniri non poſſit. Caeterùm, cùm ex termino, & fundamento relatio pendeat, quæ alterius generis eſſe videntur: ex his, quæ in proprio genere ſunt relationis, diffinitionem nequaquam conſtare, quidam dixerunt. Quorum reuera ſententia mihi non probatur: nam quando aliquod genus per op-

Contrariæ rationes.

1. poſitas diuiditur differentias; ſpecies vtiq; illius generis, tum ex eo, tum etiam ex differentijs diuidentibus, conſtituendæ ſunt. Sed relatio ſicuti & alia prædicamenta, per dif-
2. ferentias oppoſitas diuiditur, alioqui eiuſdem eſſent ſpeciei relatiua omnia: relationis ergo ſpecies, per genus, & differentiam diffiniri poterit. Amplius, quod ex partibus conſtat eſſentialibus; per ipſaſmet etiam diffinitionem ſuſcipere poteſt: diffinitio enim, rei eſt cognitio à partibus eſſentialibus expreſſa. Sed relationis ſpecies, inſtar aliarum profectò ſpecierum, ex genere & differentia, tanquam ex eſſentialibus partibus conſtat: igitur, diffiniri poteſt. Sanè, ex his planè conſiſtit ſpecies prorſus omnis, in quæ iam reſoluitur: ſed in differentiam veluti in rem, qua ab alijs diſtinguitur ſpecificè, & in genus, quo cum alijs cognationem habet, & conformitatem, reſoluitur. ex his igitur conſtat, &
3. diffinitur, in quæ reducitur. Adhuc, quemadmodum prædicamenta ſunt impermixta, ita omnino diffinitio eſſentialis, ex rebus alterius prædicamenti conflari non poteſt; ſed ex his quidem, quæ ad illud attinent genus, in quo eſt res diffinienda. ſed relatio eſt prædicamentum: illius ergo diffinitio ex proprio genere, & differentia conſtat. ſiquidem, de omni ſpecie relationis in primo modo dicendi per ſe prædicamentum relationis dicitur. Porrò, quidquid huiuſmodi eſt, diffinitiuum nominatur, ſiue habens poteſtatem diffiniendi. Itaq;, quemadmodum quodlibet accidens, præter eam, quam per additamenta diffinitionem recipit, diffinitur etiam per ſua intrinſeca eſſentialia; ita certè relationi competit, quippe, quæ non ſolùm per extrinſeca, verùm etiam per intrinſeca ſui generis, diffinitur. Reuera per propriam differentiam relatio, ab alia non eiuſdem ſpeciei exiſtente, diſcernitur, atque diſtinguitur: per terminum autem, ſiue fundamentum originaliter tantùm. Cùm igitur hæc ita ſe habeant, perſcrutando quærimus, ſi relationis terminus ad quiddi-

Terminũ eſſe de conceptu obiectiuo relationis.

quidditatem obiectiuam pertineat, quod quidem Peripatetici approbare videntur: paſ-
ſim namq; Ariſtoteles ideo vocat relatiuum ad aliquid, quia nimirum eius eſſe, eſt ad
aliud. ſiquidem, quidquid ad primam rei rationem ſpectat; ad illius vtiq; quidditatiuum 1.
conceptum ſpectet, neceſſarium eſt: prima namq; rei ratio, & ipſius quidditatiuus conce-
ptus idem omninò ſunt. quam ob cauſam, ſine termino relatiuum, ſiue relationem diffini-
ri non poſſe, clariſſimè patet. Amplius, quemadmodum homo ſine rationali, rectè, per- 2.
fectèq; intelligi non poteſt; ita abſq; dubio, relatio, ſine termino, nequaquam intelligitur:
terminus ergo ad quidditatiuum relationis conceptum ſpectat. Iterùm, quod rationi for- 3.
mali generis conuenit; illud idem formali ſpeciei conueniat, opus eſt. ſed ad formalem re-
latiui rationem terminus pertinet: relatiuum enim eſt, quòd hoc ipſo quod eſt ad aliud
ſe habet. igitur, terminus ad omnem penitus relatiui ſpeciem attinet. Item, quod ſecundi 4.
modi per ſe prædicata præcedit, ad rei conceptum quidditatiuum attinet. ſed eſſe ad ter-
minum, omne prædicatum ſecundi modi per ſe relationis præcedit: eſt namq; per ſe pri-
mò relatiui ad aliud eſſe. Ergo quod prius. Præterea, pater eſt relatiuum ad filium, aut 5.
per accidens vtiq;, aut per ſe; ſi primo modo, tunc rectè intelligeretur pater, ſine eſſe, ſi-
ue habitudine ad filium: quod falſum eſt. ſi verò ſecundo modo, ad rei conceptum perti-
net quidditatiuũ: quod enim per ſe eſt, ad rei rationem ſpectat: terminus ergo, eſt quid-
ditatiuus relationis conceptus. Præterea, Relatio, ſine fundamento intelligi poteſt, non au- 6.
tem ſine termino: igitur ad relationis eſſentiam, ſiue quidditatem terminus potiùs, quàm Relatio ſine
fundamentum ſpectat. Sed relatio in 2. modo per ſe fundamentum reſpicit. igitur, ter- termino non
minum, vt ſibi intimiorem in primo modo intuetur: atq; ita ad relationis attinet quiddi- poteſt intelligi.
tatiuum conceptum. Ex quo patet, relationem ſine termino intelligi non poſſe. Profectò,
omnis effectus in actu, à cauſa in actu exiſtente dependet. ſed relatio à termino effecti-
uè dependet: huiuſmodi namq; dependentia ad cauſam reducitur efficientem. Quare, ſi
relatio eſt in actu; & ipſe quoq; terminus erit in actu. Præterea, relatio quiddidatiuè
eſt ad aliud: igitur illud aliud, ad quod relatio eſt, nihil eſſe non poteſt: ſed aliquid ſit,
neceſſe eſt: huiuſmodi autem, terminus eſt: igitur, relatio ſine termino non intelligitur.
Sanè, relatiua ad conuertentiam dicuntur, quare neceſſe eſt ſimul coëxiſtere: non er-
go ſine termino, relatio exiſtit, ſiue intelligitur. Amplius, ſi relationem, ſine funda-
mento in actu eſſe, eſt impoſſibile; multò magis ſine termino: intimior namq;, atq; pro-
ximior eſt illi terminus, quàm fundamentum. ſiquidem relationis habitudo, ordine eſ-
ſentiali, ad terminum prius, quàm ad fundamentum intendit. Itaq; terminum eſſe de cõ-
ceptu quidditatiuo relationis, ipſamq; ſine termino intelligi non poſſe, ſatis clarè me di-
xiſſe puto.

CAP. V.

Ad relationis quidditatiuum conceptum, terminum non pertinere, nam ſine illo intelligi poteſt.

OMnis relatio, omneq; relatiuum ex proprio conſiſtit genere, & differentia: 1.
omne namq;, quod eſt in prædicamento, ſiue eſt prædicamentum, ex pro-
prio genere, & differentia, conſtat. ſed terminus non eſt relationis genus,
aut differentia: ex illo igitur, relatio nequaquam conſtabit: terminus
namq; alterius eſt ſpeciei, atq; res omnino abſoluta. Sanè, quod ad alicu-
ius ſpectat quidditatiuum conceptum; ab illo minimè diſſentit, ſed idem prorſus illi eſt:
at, relationis terminus, non ita ſe habet cum relatione, vt patet rectè intuenti: igitur,
non eſt de illius conceptu quidditatiuo; alioqui dicendo, Mercurius eſt pater alicuius
filij, in nugationem incideremus: filius ſiquidem bis repeteretur, in ſe quidem ſemel, &
in patre iterùm. Amplius, alterum oppoſitorum, ad rationem alterius oppoſiti quid- 2.

ditatiuam non ſpectat; aliter ſibimet eſſet oppoſitum : ſed relatio ſuo eſt termino oppo-
ſita, præſertim ſi ſit ipſa ad oppoſitum, veluti eſt contrarietatis relatio, aut aliqua hu-
3. iuſmodi. terminus ergo ad quidditatiuum relationis conceptum non ſpectat. Item, quod
eſt de alicuius quidditate, ac ratione; profectò formaliter in illo continetur, alioqui
diffinitio extra diffinitum inueniretur. ſed relationis terminus, in ipſa formaliter non
continetur : eſt enim res extrinſeca, atque abſoluta. ad illius ergo rationem non ſpectat
quidditatiuam Planè, ſpecies perfecta, atque completa in aliquo genere, ad alterius ſpe-
ciei quidditatem non attinet, alioqui ſpecierum quidditates, confuſionis detrimentum
paterentur, deſtrueretur que pulcherrimus naturæ ordo ſed terminus eſt ſpecies completa
4. in genere ſubſtantiæ: igitur, non eſt de quidditate alterius ſpeciei. Adhuc, ens diuiditur
per abſolutum, & reſpectiuum, ſed terminus eſt ens abſolutum, relatio verò ens re-
ſpectiuum; ad quidditatem ergo relationis non attinet : quando enim aliquod commune
per oppoſitas ſecatur differentias; altera ſanè, ad alterius rationem conſtituendã, pote-
5. ſtatem non habet : ergo quod prius. Præterea, quod ponitur in alicuius diffinitione, ſiue
ad illius conceptum quidditatiuum ſpectat, de eo vtique prædicatur in primo modo dicen-
di per ſe. ſed terminus, de relatione non prædicatur in primo modo dicendi per ſe : ſunt
enim ab inuicem realiter, & ſpecificè diſtincta : ergo, ad illius quidditatem non perti-
6. net. Iterùm, quod diffinitur per aliud, tanquam per additamentum, abſque illo intelligi
poteſt : queamadmodum albedo, ſine pariete intelligitur. ſed relatio, per ſuum termi-
num, quaſi per additamentum diffinitur : poteſt ergo ſine termino intelligi, atque ita ter-
7. minus non eſt, ſiue ſpectat ad quidditatiuum relationis conceptum. Amplius, materia
Quod relatio ſine termino poſsit intelligi. eſt in potentia ad omnes formas : igitur, relatio poteſt ſine termino intelligi: Tenet con-
ſequentia : illa ſiquidem materiæ potentia, reſpectum indicat, non quidem ad formam
exiſtentem, cùm iam non exiſtat; ſed ad futuram potiùs. vnde ille reſpectus eſt rei nõ e-
8. xiſtentis, poteſt ergo relatio, ſine termino & intelligi, & eſſe. Item, omnis per ſe effectus,
à ſua cauſa per ſe dependet omnino; ſed cauſæ finalis effectus, à fine, veluti à cauſa per
ſe dependet, quando nimirum finis cauſat, at tum temporis, finis non eſt : dependentia
ergo, ſiue reſpectus eſt rei nondum exiſtentis. Adde, quòd virtus primi cauſantis, om-
nes prorſus formas, tum generabiles, tum etiam corruptibiles continet. proinde, earum
omnium productiuum nominari poteſt. ſed huiuſmodi productiuum ad producibile nõ-
dum exiſtens refertur : ergo quod prius. Itaque, terminum non eſſe de relationis quiddi-
tatiuo conceptu, ipſamque intelligi poſſe relationem, ſine termino, manifeſtaui.

CAP. VI.

Soluuntur argumenta.

Conciliatio rationum.

OPeræprecium eſt ſcire, cuiuslibet relatiui terminum bifariam intelligi poſſe : vno quidem modo, pro eo ſcilicet, ad quod nimirum ipſum relatiuum eſt, nempè pro filio, ad quem pater refertur. alio verò modo, pro habitudine patris, quæ planè terminus dici non poteſt; ſed via potiùs cum vltimo termino Itaque, ſi primo modo, terminum intellexeris; tunc verum eſt, quod ſecundæ diſputando defendunt, atque tuentur rationes. at ſi ſecundo modo percipias; profectò admittendæ ſunt priores rationes. Sanè, aliquid eſſe de alicuius quidditatiuo conceptu, duobus quippe modis intelligitur : vnus quidem communis eſt, & improprius. vnde id tale eſſe aſſerimus, ſine quo res illa intelligi nequaquam poteſt, etiamſi illius pars eſſentialis nequaquam extiterit : atque hoc modo, terminum ad quidditatiuum relationis conceptum pertinere, affirmamus. alius autem modus proprius eſt, ac peculiaris, ſub quo tantùmmodo partes eſſentiales continentur; veluti ſunt ſuperiùs de ſuo inferiori, differentia

Eſſe de quidditatiuo conceptu dupliciter intelligitur.

differentiæ eſſentiales genericæ, atq; ſpecificæ: atq; ita modus ad quidditatem relationis
non ſpectat. Amplius, ſi relatio, atq; illius terminus, ex ſuorum fundamentorum rati-
one conſiderentur; ſic certè vnum, alterum præcedit, & non è conuerſo: nam pater hoc
modo, filium præcedit, & non è conuerſo. Quòd ſi quatenus relatiua ſint, intelligantur,
partim quidem conſiderari poſſunt, vt alterius dependentiam relatiui determinantia,
atq; ita vnum ſecundùm naturam, alterum præcedit: aliud verò quòad nos tantùm: par-
tim verò, in quantum ſub forma relationis conſiſtunt, quo planè ordine ſunt ſimul natu-
ra. Quamobrem, ſi quiſpiam dixerit relationem in ſuo quidem conceptu quidditatiuo,
terminum non includere, ſiue complecti, quippè cùm per ipſum, tanquam per addita-
mentum, atq; rem extrinſecam diffiniatur; id profectò rectè intelligendum eſt: nam ſi
ita intellexeris, vt relatio proprio, & quidditatiuo conceptu, ſine termino intelligatur,
non rectè quidem ſentis: ſunt enim ſimul natura, id eſt, naturali intellectu. proinde, v-
num in ſuo quidem intellectu, alterum includit, & nequit ſine altero intelligi. vnde ſi
quis intelligat patrem; filium abſq; dubio, intelligit: pater enim eſt res habens filium, &
è conuerſo. At, ſi dixeris, filium non eſſe de quidditatiuo patris conceptu, quippe cùm
non ſit pars illius eſſentialis, genus videlicet, vel differentia: bene dicis, atq; approbo
ſententiam tuam. Quare, ſi attentè hæc perpendimus, quonammodo terminus ad quid-
ditatiuum relationis conceptum pertineat; facile intelligimus, atq; eadem facilitate ar-
gumenta omnia ſoluentur, opinionesq; pugnantes, conciliabuntur. Proinde ad primum,
ita reſpondeo, terminum non eſſe de relationis conceptu quidditatiuo, propriè, vt pars
illius eſſentialis, genus, ſcilicet, vel differentia; ſed potiùs communiter, & ſecundo mo-
do, cum habitudine ad ipſum. Ad primam confirmationem patet reſponſio, ſimiliter 1.
& ad ſecundam: non enim nugatio committitur, ſicut dicendo homo rationalis, licet ra-
tionale bis includatur, quia ſcilicet ſemel in ſe, & ſemel in homine: in cauſa autem eſt,
quia non eodem modo accipitur: rationale namq; pars eſt, homo verò totum quid; ſic
etiam eſſe ad terminum, pars eſt relatiui, relatiuum verò eſt totum. Ad 2. argumen- 2.
tum rectè procederet, ſi terminus eſſet pars relationis eſſentialis propria, vtpote genus,
vel differentia, modò cùm ſit res extrinſeca, nihil planè concludit. Ad 3. patet, quo- 3.
modo terminus ad quidditatem relationis pertineat: nam ſi formaliter in relatione con-
tineretur; planè benè concluderet. Ad 4. quamuis terminus ſit res abſoluta, ob habi- 4.
tudinem tamen quam habet ad relationem, ad illius pertinet quidditatiuum conceptum,
non quidem primo modo, vt dixi; ſed ſecundo. proinde nihil refert, ſi de illius quid-
ditate eſſe dicatur. Ad 5. quod ponitur in alicuius diffinitione, veluti pars eſſentialis, 5.
de diffinito vtiq; in primo modo dicendi per ſe, rectè legitimèq; prædicare valet: ſed ter-
minus non hoc modo ponitur; ſed vt diffiniti dependentiam determinans potiùs: igitur,
argumentum nihil concludit. Ad 6. maior non eſt vera. nam relatio non ita per termi- 6.
num diffinitur per additamentum, quaſi ſine eo poſſit intelligi; ſed quia illius non eſt
pars eſſentialis: nam etſi in quidditate relationis eſſentialiter nõ includatur; bene tamen
obiectiuè. Ad 7. reſpectus fundamentales poſſunt eſſe ad non exiſtens. proinde ratio 7.
productiui in Deo, ſimiliter reſpectus materiæ ad formam, & animæ ad corpus, funda-
mentales reſpectus appellantur. Ad 8. reſpectu finis vltimi, & vniuerſalis, actualis de- 8.
pendentia ponenda eſt, non autem reſpectu finis proximi nondum exiſtentis; idcirco fun-
damentalis huiuſmodi appellabitur, quæ ſanè ſine termino eſſe poteſt: veluti eſt reſpe-
ctus medicinæ ad ſanitatem, nondum actu exiſtentem. vtrum ergo terminus ad quiddi-
tatiuum relationis conceptum pertineat, dixi.

Relatiuum ſine termino poteſt intelligi.

QVAESTIONIS TERTIAE CAP. I.

Idem relatiuum ad plura poſſe referri.

REferri apud logicos, & methaphyſicos perinde eſt; ac id, quod eſt, ad aliud eſſe: quam ob cauſam inquirendo quærimus, ſi idem relatiuũ ad plura referri poſſit. Porrò, idem ad plura referri, bifariam intelligitur: vno quidem modo, idem relatiuum ad plura referri, non vna quidem; ſed diuerſis relationibus, ſpecie differentibus: vnde ſecundùm hunc modum nonnulli putant, idem materialiter, ad diuerſa etiam primò referri per ſe poſſe. ſicut homo albus, ſimilitudine quidem ad alium album, diſſimilitudine verò, ad hominem nigrum refertur. At, ſi diuerſis quidem relationibus numero, ſpecie nihilominus eadem referatur; idem ad diuerſa referri, omnino impoſſibile eſſe arbitrantur quidam: etenim, plura accidentia eiusdem ſpeciei in eodem ſubiecto eſſe, non eſt poſſibile; eodem quoq; modo, idem diuerſis relationibus numeralibus eiusdem ſpeciei ad plura referri, vel vnũ ad plura, rationi nequaquam conuenire affirmant. alio modo, idem ad plura refertur, eadem certè numeri relatione, idq; dupliciter, vel quòd referatur ad plura, non veluti ad terminos; ſed potiùs tanquam ad vnum correlatiuum, & ad aliud, vti ad ſubiectum, vel ad terminos oppoſitos, velut filiatio ad patrem, & ad filium. hoc autem modo, idem ad plura referri per ſe, ſiue per alterum, eſt impoſſibile: alioqui idem; duo eſſet, authore philoſopho 5. met. cap. ad aliquid alio modo, quod idem vnica relatione, ad plura, tanquam ad plures eiusdem relationis terminos referatur: & hoc quidem verum eſſe affirmant, idem ad plura, vnica relatione per ſe, & primò referri; & non ad vnum, per alterum: pater enim, vnica paternitate, ad plures filios refertur; & non ad vnum per alterum: ſed vna paternitate ad omnes. Sed huic ſententiæ nonnulla aduerſari videntur argumenta. ſiquidem, idem referri per ſe primò ad plura, prorſus eſt intelligibile: alioqui vna relatio, eſſet eſſentialiter plures. Tenet conſequentia: non enim eſt aliqua habitudo per ſe primò ad plura; ſed relatio ſecundùm ſe, eſt habitudo ad aliud: igitur, relatio, quæ ratio eſt referendi vnum ad plura per ſe primò; neceſſariò eſſet plures eſſentialiter. Sanè, ſi eſſe ad aliud, eſt de eſſentia relationis, multiplicato igitur eſſe ad aliud, relatio ipſa multiplicabitur: ſiquidem multiplicata alicuius eſſentia, & res, cuius eſt eſſentia, multiplicabitur. Amplius, ſi idem relatiuum ad plura referri poſſet, idem certè plures, ac proprias diffinitiones haberet: relatio enim, & relatiuum eſſe ad aliud diffinitur; ſed plura ſunt eſſe ad, quia ſcilicet plures termini: ergo plures propriæ diffinitiones. Adhuc, tunc idem ſimul eſſet, & non eſſet, patet: nam ſi aliquid, vnica relatione ad plura referretur, ſi vnum correlatiuorum fuerit corruptum; & reliquum etiam corrumpi neceſſe eſt: atq; ita relatio ex parte corrupti non erit, ſed ex parte remanentis: poteſt enim aliud remanere; ſicque idem erit, & non erit, quod eſt abſurdum. Sed hæc ita conciliari, aut ſolui poſſunt, præmiſſa priùs aliqua diſtinctione. Referri ad plura, aut ſecundùm identitatem rei eſſentiæ, aut exiſtentiæ, vel ſecundùm identitatem rei ſubiecti, aut rei diffinitionis, idque, aut per ſe primò, aut non per ſe primò intelligi poteſt: idem ergo relatiuum ſecundùm identitatem rei eſſentiæ, vel diffinitionis, ad plura diuerſarum rationum per ſe primò referri non poteſt: alioqui idem ſecundùm rem eſſentiæ, & diffinitionis bis diceretur: quod falſum, & hoc fortaſſis innuere videntur poſteriores rationes. idem autem relatiuum, ſecundùm identitatem rei eſſentiæ, & diffinitionis ad plura referri poteſt: non quidem primò, vt ſecunda opinio indicat: nam duplum, eadem duplicitate ſpecie, per ſe primò ad dimidium, & non per ſe primò ad multiplex refertur. Sanè, aliquid poteſt competere alicui duobus modis: aut certè per ſe primò, quod nimirum ſecundùm propriam, atq; ſpecificam rationem illi conuenit, idq; adæquatè. aut reuera nõ per ſe primò, quando ſcilicet, licet per cauſam in ſe exiſtentem; non tamen per propriam, & conuertibilem ſibi conuenit. Ex quo patet, idẽ

ad plura

Margin notes:

Referri duplex.

2. modus.

Idem relatiuum ad plura non poſſe referri.

1.

2.

3.

Conciliatio opinionum.

Aliquid competere per ſe primò, & per ſe non primò

De relationibus.

ad plura per ſe primò referri, eſſe impoſſibile: bene autem per ſe non primò. Cæterùm, ſi per ſe primò intelligas adæquatè; ſic abſque dubio nihil ad plura refferri poteſt: & hoc forſitan dicunt ſecundæ rationes. at ſi intellexeris per ſe primò, vt ordinem indicet quòd hoc ſcilicet priùs referatur ad illud, quàm ad aliud; tunc planè idem ad plura referri poteſt etiam primò: non enim refertur ad vnum per alterum. hunc autem ſenſum imitari videntur primæ rationes. Quòdſi ita liceat intelligere, nulla planè eſt contradictio.

An ex fundamentis ſit diſtinctio formalis, vel ex terminis.

Sed dicet aliquis, ſi eſſe per ſe primò ſpecificam indicat rationem, vtrum diſtinctio formalis relationis à fundamento, an à termino proficiſcitur. Sanè, duas relatio habere videtur habitudines, & vnam quidem ad ſubiectum, cui ineſt, ſiue per quod ineſt: alteram verò ad terminum. Porrò authore Boetio, prima habitudo eſſe, in, nominatur; ſecunda verò, eſſe ad, ſcilicet ad terminum.

Eſſe in. & eſſe ad.

Præterea, quemadmodum philoſophus docet 5. met. com. 27. talpæ, quatenus eſt animal, conuenit poſſe videre; non autem quatenus eſt talpa; ita planè habitudo ad fundamentum ratione generis, relationi competit, in quantum ſcilicet accidentia ſunt; non autem ratione ſpeciei: alioqui omni accidenti competeret. hoc autem modo, à fundamentis, formalem diſtinctionem relationes ſortiuntur: à terminis verò, proprijs rationibus, quatenus ſcilicet relationes ſunt.

Termini non ſunt differentiæ relationū.

Profectò ſi relationes per terminos diffiniantur, liquet omnino à terminis illarum emanare diſtinctionem formalem; ipſi nihilominùs termini, ſecundùm aliquorum ſententiam, relatio- 1.
num differentiæ dici non poſſunt: ſunt enim alterius generis; ſed diuerſorum generum
non ſubalternatim poſitorum, diuerſa ſunt genera & differentiæ. Amplius, formalis 2.
rei diſtinctio, ex propria ipſius realitate proficiſcitur: ſed terminus non eſt propria rei
realitas: igitur non eſt illius differentia formalis.

Contrariæ rationes.

verùm Porphyrij doctrina aliud ſentire videtur: Differentia eſt, inquit, qua inter ſe ſpecies differunt: ſed terminis relatio- 1.
num ſpecies ab inuicem ſeparantur, ſeu diſtinguuntur: igitur formales ſunt relationum
differentiæ. Adhuc, ſi terminis relationes ab inuicem differunt; aut certè per ſe, aut 2.
per accidens; non quidem per accidens, per ſe ergo. at differentia planè illa dicitur, qua videlicet per ſe differunt ſpecies. ergo quod priùs.

Conciliatio opinionum.

Sed hæc ita conciliari poſſunt, vt dicamus terminos non eſſe relationum differentias formales; quatenus illarum eſſentiales partes ſint: ſed vt cauſæ potiùs differendi. Sed non deſunt argumenta diſſoluenda, vt patebit in capite ſequenti.

CAP. II.

Idem relatiuum non poſſe ad plura referri.

S*I idem relatiuum ad diuerſa referri poſſet; tunc reuera, vnum atque idem* 1.
haberet plura eſſe. Tenet conſequentia: ſi ſciencia (inquit philoſophus 5.
met. refertur ad ſcibile, & ad ſuum ſubiectum; bis idem diceretur, & vnum plura eſſe haberet. Amplius, ſi idem relatiuum ad plura referretur, 2.
tunc planè eiuſdem plures eſſent propriæ diffinitiones, quemadmodum
paulò ante diſputando demonſtraui: ſed hoc eſt abſurdum; cùm vnius rei, vna ſit eſſentia, quam diffinitio euiſcerat, atque prodit: ergo. Præterea, ex terminorum multi- 3.
plicatione, relationes quoque multiplicari percipimus: vno namque termino corrupto,
manet adhuc relatio ad alium terminum; etiam ſi termini corrupti reſpectus omnino
perierit: igitur impoſſibile eſt idem, ad plura vnica relatione referri. Adhuc, mutatis 4.
ſeu variatis relationis principijs eſſentialibus, variatur quoque relatio: ſed terminus eſt
relationis principium; quippè, cùm ex termino, atque ex fundamento relatio dependeat, vt diximus: ipſo ergo corrupto, alterum corruptum iri, neceſſum eſt. ſiquidem deſtructio vnius, ſufficit ad corruptionem alterius. Iterum, relationis diſtinctionem for- 5.

malem à fundamento proficiſci, ſic probatur. habitudo ad ſubiectum, teſte philoſopho, 7. met. eſt de eſſentia accidentis; ſed relatio eſt accidens: igitur habitudo ad ſubiectũ, eſt de eſſentia relationis. ſed fundamentum eſt ſubiectum, ſaltim per quod, ſcilicet relatio ineſt ſubiecto: habitudo ergo ad fundamentum, ad relationis pertinet eſſentiam,
6. *atque ita ex fundamento, diſtinctionem formalem relatio acquirit. Item, à quo res habet eſſe, ab eodem planè habet diſtinctionem formalem: ſed relatio habet eſſe à fundamento, vt omnium propemodum eſt ſententia; à fundamento ergo habet formalem diſtinctionem.*

CAP. III.

Soluuntur argumenta.

AD primum, atque ad ſecundum, ex ſupradictis patet ſolutio. ad tertium ve-
1. *rò dico, multiplicatis ſubiectis; relationes quoque numeraliter multiplica-*
2. *ri: ſpecie verò, ſi principia multiplicentur. Quam ob cauſam, corrupto v-*
3. *no termino, non illico illius relatio corrumpitur, etiamſi aliud remaneat*
Mortuo vno filio, non corrumpitur paternitas.
correlatiuum; ſed tantùm deſinit relatio, reſpectu illius termini corrupti ſecundùm modum eſſendi, quem antea habebat, priùſquàm terminus corrumperetur. proinde mortuo vno filio, non paternitas; ſed modus paternitatis corrumpitur. Ad 4. minor admittenda non eſt: etenim terminus non eſt eſſentiale relationis principium; iecirco ipſo mu-
4.
5. *tato; relationem quoque mutari, neceſſarium non eſt. Ad 5. verum quidem eſt, à fundamento, generis ratione, non autem ſpeciei formalem diſtinctionem, relationem reci-*
6. *pere, ſicuti paulò ante iudicaui. Ad 6. iam diximus qualem à termino, atq; fundamẽto relatio diſtinctionem habeat; propterea non opus, vt ſequatur, quod infertur. Itaque, quomodo idem relatiuum ad plura referri poſſit, dixiſſe me puto.*

CAP. IIII.

Relationem realem non eſſe inter Deum, & creaturas.

POſteaquàm nonnulla in medium adduxi, quæ huic negotio profutura eſſe iudicaui; reliquum eſt, ad diuinas relationes accedere: & priùs quidem, quæ inter deum & creaturas habentur, inueſtigandæ nobis ſunt; vt ſic poſtea gradatim, ad illas diuinas aſcendere valeamus. Porrò, quia legitimus perſcrutationis ordo, à rei diffinitione proficiſcitur, dicam priùs (quamuis paulò ante de hac re nonnihil dixerim) quid ſit relatio realis. Eſt autem relatio realis, quæ inter extre-
Relatio realis.
ma realia verſatur, nempè, inter fundamentum, & terminum realem: oriturq; ſeu eſt in fundamento, ex natura rei, non autem ex intellectu fabricante, ſiue negociante. Quã
Fundamentũ reale.
ob cauſam, opus illi eſt fundamento reali, actu exiſtente: quod enim nihil eſt in actu reali; nullam planè relationem realem fundare poteſt: idcirco non entis ad ens, nulla
Terminus realis.
eſt relatio realis. Deinde, neceſſarius illi eſt terminus realis in actu, quippè, quod nihil eſt, nullam rem quidditatiuè ad aliud relatam, terminare valet. hac de cauſa entis ad non ens, nulla eſt relatio realis: proinde, contradictio non eſt relatio realis, ob id nimirum; quia ſemper eſt non entis ad ens, vel entis ad non ens. Addunt quidam, extrema
Extrema diſtincta.
relationis realis, realiter eſſe diſtincta: identitas namque eiuſdem ad ſeipſum, relatio realis dicenda non eſt. vnde philoſophus 4. met. idem non eſt duo realiter: approbo quidem huiuſmodi ſententiam in relationibus primi modi, quantùm ad ſubiecta, vel ſuppoſita, ſimiliter ſecundi, & tertij modi; non autem in relationibus actiui & paſſiui:

idem enim

De relationibus.

idem enim eſt actiuum, & paſſiuum, reſpectu ſui, ſiue ſubiecti ſeu ſuppoſiti, aut fundamenti realis diſtinctione. Poſtremò, vt dixi, hæc relatio conſurgit ex natura rei, non vtens opere intellectus circa obiectum, hoc eſt, circa fundamentum, & terminum negociantis, atque operantis. Ex hoc autem apparet, quid ſit relatio rationis: illa ſanè appellanda eſt, cui aliqua iſtarum conditionum defuerit; puta, quia præſtò illi non eſt fundamentum reale, aut terminus. Denique, quia ex natura rei non conſurgit.

Relatio rationis.

itaque, ex horum intelligentia atque notitia, inter deum & creaturas, relationem realem conſiſtere non poſſe, clariſſimè patet. Profectò, quod eſt formaliter ſummè neceſſarium, non habet relationem realem in potentia ad aliquod contingens, & poſſibile non eſſe: quod enim neceſſe eſt eſſe, nõ poteſt non eſſe; nec aliquod, quod in ipſo eſt ex natura

Inter deum & creaturas non eſt relatio realis.

rei: ſed omnis relatio realis, ad aliquod ſimpliciter contingens, poteſt non eſſe, ſicut & ipſummet contingens. at deus ſecundùm quodlibet, quod in ipſo eſt formaliter, vel eſſe poteſt ex natura rei; eſt ſummè neceſſarium, vt dixi in primo lib: igitur ad creaturam, quæ eſt res contingens, relationem realem nequaquam habet, aut habere poteſt. 1.

Amplius, quidquid eſt in Deo formaliter, ex natura rei, eſt ipſemet Deus, & eadem prorſus realitas enim eſſentia diuina, authore Auguſt: 11. de trinit: Deus enim eſt, quidquid habet ob ſummam ſuam ſimplicitatem. Si ergo in deo ſit relatio realis ad creaturas; corrupta igitur creatura, aut certè diuina eſſentia, cui relatio eſt idem realiter, corrumperetur; aut planè relatio realis eſſet nõ entis. ſed quodlibet iſtorum falſum eſt, atque abſurdum. 2.

Amplius, illud, quod eſt actus purus, non eſt in potentia ad aliquid recipiendum, quod ab ipſo re, ac formaliter diſtinguitur; alioqui naturam puri actus amitteret: ſed Deus, eſt actus purus, vt in primo libro dixi, reſpectus verò de nouo adueniens, ab ipſo eſſentialiter diſtinguitur: igitur non eſt in potentia, ad huiuſmodi nouũ reſpectum aduenientem recipiendum. 3.

Præterea, nihil quod eſt in deo, præſupponit creaturam in eſſe reali: deus enim, & quidquid in ipſo eſt, ex natura rei, reſpectu creaturæ, eſt ſimpliciter primum & æternum. at, ſi huiuſmodi relatio in deo inueniretur, ſicut relatio ſuum terminum; ita vtique ipſe neceſſariò creaturam præſupponeret; atque ita creatura omnino eſſet neceſſaria: quod reuera rectè philoſophantibus minimè probatur: igitur inter deum & creaturam, relatio realis eſſe non poteſt. 4.

Adhuc, quod refertur realiter, ad aliquod eſſentialiter diſtinctum; ab illo vtique dependet, & ex conſequenti imperfectum, limitatum, atque mutabile appellabitur: neceſſariò namque in habendo præexigit illud; atque ideo mutabile & imperfectum, quippè cùm non poſſit ex ſeipſo, ſine alio, ab ipſo eſſentialiter diſtincto conſiſtere. ſed quidquid eſt in deo, eſt independens, & inproductum, relatio autem producitur atque dependet à termino: igitur relatio huiuſmodi, deo nequaquam competere poteſt. 5.

Item, quod ad aliud realiter refertur; in eodẽ ſanè ordine habetur, atque numeratur cum illo: ſed deus eſt ſupra omnẽ creaturarũ ordinẽ. ergo quod priùs. Sanè, nullũ infinitũ poteſt eſſe pars vniuerſi: quod autem non eſt pars vniuerſi; ad aliquid ipſius vniuerſi, referri non poteſt. profectò, ſi non eſt pars conſtitutiua, ad aliquid vniuerſi conſtituentium comparari non poteſt. 6.

Rationes contrariæ.

Verùm huiuſmodi ratio non omnibus modis eſt neceſſaria: nam & ſi deus non ſit pars vniuerſi; ab ipſo tamen vniuerſo diſtinguitur, manetque ſequeſter per vniuerſum: quæ profectò omnia relationes dicunt atque demonſtrant. 1.

Pater præterea in diuinis nõ eſt pars filij, ad quem nihilominus refertur, & viciſſim filius ad patrem. 2.

Amplius, qui ita arguit, in vitiũ incidit petitionis principij: dei enim ad creaturas, eſt ordo prioritatis, vel primitatis, cùm ſit ens ſimpliciter primum in toto vniuerſo, de quo reuera ordine, cum alijs etiam relationibus, quæſtio vertitur, an ſit relatio realis. Cùm ergo dicit, Deum nõ habere ad creaturam realem ordinem; petit proculdubio, quod probare debuerat. Ordo ſiquidem, non ſolùm eſt poſterioris ad prius; ſed etiam prioris ad poſterius: quod ſi dixerit, prius ſiue primum eſſe reale, non autem poſterius; hoc profectò illi probandum 3.

fuerat

fuerat. Item, Deus ad ordinem pertinet vniuerſi, tanquam ens ſimpliciter primū: or-
4. do enim ex rebus prioribus, atque poſterioribus conſtatur, atque integratur; eſt tamen ſupra poſteriorum ordinem, quod planè ad illius perfectionem attinet. Sed dicet aliquis: Deus ad creaturam realiter refertur, relatione reali, in creatura, non autē in Deo exiſtente: ſicut cùm dicitur, Deus eſt cauſa; huiuſmodi profectò reſpectus in creatura formaliter inuenitur: ſed huiuſmodi ſententia rationibus non paucis, & quidem efficacibus euertitur atque exploditur.

An deus relatione exiſtente in creatura referatur realiter.

1. Sanè, omne quod ad aliud refertur, eſt relatiuum: ſed deus refertur ad creaturas realiter, relatiuum eſt igitur. at omne relatiuum ex relatione, vt ex principio formali; ex fundamento autem, veluti ex principio fundamentali conſtituitur: ſed deo non conuenit huiuſmodi habere, quippè, cùm relationis fundamentum ſit ipſa creatura; nec etiam ipſa competit illi relatio: Deo ergo non conuenit eſſe tale relatiuum, & ex conſequenti; ſi relatiuum non ſit, referri non poteſt.
2. Amplius, formam in vltima perfectione conſtitutam, aliquod eſſe formale recipere eſt impoſſibile; ſed diuina natura, eſt vltimatæ, ſiue abſolutiſſimæ perfectionis, eſſe autem relatiuum, eſt eſſe formale: igitur, deum accipere eſſe per relationem, ſiue eſſe relatiuū non eſt poſſibile.
3. Adhuc, nulla cauſa formalis, ſuum effectum in aliquo conſtituere poteſt, niſi in eo certè, cui ipſa formaliter ineſt: cauſę enim formalis, eſt cauſa intrinſeca; ſed referre eſt actus formalis relationis, ſicuti effectus formalis formæ abſolutæ, eſt dare eſſe ad ſe; ità certè formæ reſpectiuæ ad aliud. Quare ibi vtique relatio inuenitur, vbi planè ſuus effectus eſſe conſpicitur; ſed huiuſmodi effectus in deo inuenitur: ergo & relatio formaliter, quod arguens non admittit. Itaq; in deo formaliter non eſſe relationem realem ad creaturas, puto ſatis dictum eſſe: verùm non deſunt, qui contra prædicta audeant arguere, vt patebit capite ſequenti.

CAP. V.

Relationem realem, inter Deum & creaturam inueniri.

1. DEus neceſſariò eſt potens, quia neceſſariò eſt: potentia enim dei, ab illius eſſe nō differt. igitur relationem realem habet ad creaturam. Tenet cōſequentia: nam creatura, licet actu contingens ſit; in eſſe tamen poſſibili eſt neceſſaria, & æterna: eſſe autem poſſibile, nihil dici non poteſt; ſed aliquid reale potiùs. vnde & à chymera diſtinguitur: ſecundùm igitur illud eſſe, deus realiter refertur. Sanè, non eſt minus eſſe quidditatiuum exemplatum, quàm eſſe effectiuum, vel productiuum: non minus enim eſſe rei deus largitur, ipſam exemplando, quàm illam efficiendo, ſiue producendo: ſed ſecundùm æternum dei exēplar creatura eſt æterna: igitur ad illam eſt relatio realis.
2. Amplius, quidquid dicitur, ad aliquid refertur; ſed deus, quatenus eſt creator, dicitur ad aliquid: relationes enim ſecundi modi, vt dicitur 4. met. in vtroq; extrēmo reales ſunt, cuiuſmodi ſunt; creator, cauſa, principium, motor, & quæ ſunt generis eiuſdem, quæ ad creaturam realiter referuntur: igitur realiter ad creaturas refertur. Adde, quòd omne quod eſt creator, aut ſui certè, aut alterius creator dicitur. non ſui; ergo alterius: ſed omne tale eſt relatiuum. Deus ergo quatenus eſt creator, relatiuum appellatur: per iſta enim ad aliquid dicitur, teſte Auguſtino de doctrina Chriſtiana. relatium eſt igitur, ergo refertur. Profectò, ſicuti accidens de aliquo ſubiecto prædicans, huiuſmodi certè ſubiectū tale dimittit, quale ipſum eſt; ità profectò hoc prædicatum creator, qui de Deo dicitur, & eſt relatiuum. dimittit ergo ipſum relatiuum; ſed omne relatiuum refertur. ergo ca.

Relationes ſecundi modi.

*go &c. Etenim, ſicut forma eſt in aliquo; ita denominat illud, quare, ſi non eſt relatio
aliqua realis dei ad creaturas; Deus vtique non erit realiter creator, quod eſt abſurdũ.
Amplius, Deus, quæ creanda erant ſuis temporibus, ab æterno voluit: igitur relatio-* 3.
*nem realem habet ad creaturas. Tenet conſequentia: velle enim creare, relationem inclu
dit, quæ reuera relatio rationis eſſe non poteſt; priùs enim potuit velle creaturam, quàm
ſe velle eam intelligere: ideo namq; voluit creaturam, non quia ſciuit; ſed quia voluit:
propterea ſciuit eam ſe velle: illa ergo relatio æterna, voluntatis dei ad creaturas, eſt re-
alis: non enim eſt in voluntate per actum intellectus, eam ad aliquid comparantis. Am-* 4.
*plius, relationes primi, per modum numeri, in vtroq; termino, ſiue extremo, reales re-
putantur, atque dicuntur; ſed in deo ſunt huiuſmodi relationes, reſpectu creaturæ: eſt
enim diſsimilis creaturæ, & inæqualis atque verè, realiterq; ab ipſa diuerſus. ſed diuer-
ſitas eſt relatio, & ſi illa fuerit realis; & ipſa quoque relatio ſimiliter erit: Dei ergo ad
creaturas, eſt relatio realis. Sanè, quod eſt principium verè, & realiter in aliquo ordi-
ne reali, ad poſterius realiter refertur: ordo enim realis dicit prius, & poſterius, quo-
rum vtrumq; ſecundùm rem, ad aliud refertur: ſed in ordine entium deus eſt realiter
primum: realiter ergo ad poſterius refertur. Profectò, Deus eſt realiter verèq; domi-
nus; igitur relationem habet realem ad creaturam: dominus enim dicitur ob dominiũ,
quod in creaturas habet: non minùs enim deus dominus eſt, quàm creatura ſit ſerua: ſed
reale diuinum, dicit relationem realem: ergo quod priùs. Iterum, illud quod mutatio-* 5.
*nem non indicat, etiamſi de nouo contingat, à deo remouendum non eſt, ob cauſam ſuæ
immutabilitatis: ſed relatio alicui aduenire poteſt, ſine mutatione ſui, authore philoſo-
pho 5. phyſ. Dei ergo immutabilitas impedimento eſſe non poteſt; quin deus ad creatu-
ram referatur. deus ſiquidẽ de non agente, realiter ſit agens, requirit ergo ſaltem re-
ſpectum realem: talis enim actio, cùm ſit prior natura, & à termino producto eſſenti-
aliter diſtincta, ſine ipſa creatura poteſt conſiſtere. Quam ob cauſam creatarum no-
uitas rerum, impedimento eſſe non poteſt; quo minùs in deo huiuſmodi relatio ad crea-
turas ſit realis & æterna: actus namque intelligendi de obiecto in re, vel in actu non
exiſtente, ad obiectum realiter refertur, etiamſi obiectum fuerit non ens, vt dicitur 4.
met: entis ergo ad non ens, poteſt eſſe relatio realis. voluntas ſanè, quæ malum deteſta-* Entis ad non ens relatio realis.
*tur, ad ſuum per ſe primum obiectum, nempè ad malum refertur; malum tamen non eſt
ens reale. Inſuper, potentia refertur ad actum, ante actum, & materia ad formam,
ante illius eſſe actuale, & motus ad terminum nondum exiſtentem. itaq; dei immutabi-
litas, atque creatarum rerum nouitas, obſiſtere nequeunt, aut prohibere valent; vt in-
ter deum & creaturas, relatio realis eſſe non poſſit, neque ob cauſam diuinæ ſimplici-
tatis: relatio enim compoſitionem non facit; ita profectò album tantum eſt ſimplex, ac
album, & ſimile. neque dei independentia, alterius ſiquidem relatio, ad aliquid eſſe po
teſt, ſine dependentia, ad ipſam certè rem, ad quã refertur: ſicut patet in diuinis per-
ſonis, quæ ad inuicem referuntur. Amplius, relatio, omnem penitus actum intellectus* 6.
*præcedens, realis vtique dicenda eſt; conſurgit planè ex natura rei, non egens opere
intellectus fabricantis: ſed in deo eſt huiuſmodi relatio ad creaturam, vtpotè omnipo-
tentia, ante omnem intellectus actum; omnipotentia autem reſpectum indicat, ſicuti
etiã potentia: igitur inter Deum & creaturam, eſt relatio realis. Præterea, nomina, quæ* 7.
*propriè, & non metaphoricè de Deo dicuntur, intrinſeca vtique eſſe dicuntur, atque for
malia: ſed his ſimilia ſunt nomina relationum inter Deum, & creaturas exiſtentium, vt
potè, cauſa, principium, dominus, & quæ ſunt huiuſmodi, ſicuti paulò ante diximus.
ergo. Ex his ergo atque ſimilibus, nonnulli probare conati ſunt, inter deum & creaturã,
relationem eſſe realem.*

CAP. VI.

T *Soluuntur*

Soluuntur argumenta.

1. Creaturæ eſſe poſsibile.

AD primum, creatura in eſſe poſsibili, neceſſariò omnino dici non poteſt, niſi fortaſsis neceſſarium intelligas ſyncathegorematicè, pro compoſitionis ſcilicet determinatione: iſta enim compoſitio eſt neceſsaria, creatura eſt poſſibilis; ſed non eſt neceſſe, quia neceſſe eſt actu: & ex conſequenti non eſt poſsibile. Quare, huiuſmodi poſsibilitas in creatura, ſicuti & in chymera nihil reale ponit, niſi quòd hoc tantùm interſit, in chymera quidem, non autem in creatura eſſe repugnantiam terminorum; eſſe planè chymeræ repugnat, creaturæ autē couuenit. Ad confirmationem dico, exemplatum duobus modis intelligi: vno quidem, quatenus ſcilicet eſſe verum, atque reale ſignificat cauſatum; atque ita ſimul creatura exemplatur, & efficitur: cauſa namq; exemplaris, eſt quaſi quoddam efficiens. alio verò modo, quatenus exemplatum dicit eſſe intellectum: atque ita in creatura, nullam

2. *ab æterno realitatem conſtituit. Ad 2. ad aliquid dicitur dupliciter: vno quidem mo-*

Ad aliquid formaliter & denominatiuè.

do formaliter; & ita maior vera eſt, minor autem negatur. alio modo, denominatione extrinſeca; & ſic contrario modo res ſe habet. Ad confirmationem reſpóndeo: nullam creaturæ relationem ad Deum, ad ſecundum relatiuorum modum attinere: omnis enim relatio producti in creatura, ad deum eſt tranſcendens, & non eſt accidens creaturæ. tametſi realis ſit ipſius creaturæ ad deum, non autem è conuerſo. Ad 2. confirmationē dico, Deum eſſe creatorem, non ſui, ſed alterius; idq; denominatione extrinſeca, non per aliquid, quod ſibi formaliter ineſt. hoc planè modo, Auguſtinum intellexiſſe, credendum eſt. Ad 3. confirmationem, maior vera eſt de prædicato, quod formaliter ineſt ſubiecto, non autem de illo, quod denominatione extrinſeca, de ſubiecto dicitur. Ad 4. confirmationem, realiter vno modo compoſitionem determinat, & perinde eſt; ac verè, atque ita, quia Deus verè eſt creator: idcirco realiter creator appellatur. alio autem modo prædicatum determinat; & ſic deus, tùm dominus, tùm etiam creator appellatur, denominatione quidem extrinſeca, non autem relatione reali, quæ eſt in creatura, quam quidem Deus determinat; quatenus ſcilicet creatura ab ipſo realiter dependet. ſic quoque opus aliquod vocatur humanum, non certè ob aliquid humanitatis, quod ipſi operi formaliter inſit; ſed potiùs ob humanitatem, quæ eſt in homine formaliter, ad quē

Deus creator denominatione extrinſeca.

3. *planè huiusmodi opus habitudinem habet. Ad 3. Deum velle creaturam eſſe, nullam in deo relationem dicit; ſed relationem realem creaturæ connotat ad Deum, quam pro*

4. *tempore voluit fore, ſicuti & ipſam quoque creaturam. Ad 4. relatio creaturæ ad deum, realis quidem eſt, non autem è conuerso; quia Deus eſt ens neceſſarium ſimpliciter, & immutabile, non potentiale, vel poſsibile ad huiuſmodi relationem ſtatuendam. Ad primam confirmationem dico, ordinem non eſſe relationem æquiparantiæ, aut realem, niſi impropriè tantùm; quia nimirum vtrumq; extremum, ad aliud ordinatur: vnum quidem ſicut prius, alterū verò ſicut poſterius. Rectiùs ergo diſquiparantiæ, quàm æquiparantiæ huiusmodi relatio vocabitur: quam ob cauſam ens primum, & illimitatū, ad ſecundum, quod eſt creatum, relationem realem non habet. Ad 2. confirmationem, patet ex dictis ſolutio: ſi enim realiter compoſitionem determinet, verum eſt; falſum verò, ſi prædicatum, idq; quantùm ad reſpectum, non autem quantùm ad fundamen-*

Relatio creaturæ ad deum eſt realis, & non è conuerſo.

5. *tum, ob dominij reſpectum. Ad 5. negatur minor: quælibet namq; relatio de nouo alicui adueniens, aliquam profectò in eo mutatiónem ponit: ſiquidem, quicquid huiuſmodi eſt, cui aliqua relatio noua formaliter aduenit; ſecundùm illam certè aliter ſe habet nunc, quàm priùs, efficiturq; de non relato relatum; atque ita de contradictorio in cõtradictorium migrat: ſed mutari, eſt aliter ſe habere nunc, quàm priùs: mutatur ergo cui noua relatio formaliter aduenit. In omni præterea factione ſubiectum neceſſarium eſſe, philoſophus primo phyſ: apertiſsimè docet: nam omne quod ſit, aut eſt ſubſtantia,*

aut quale,

aut quale, aut quantum, aut adaliquid. vnde & terminus eſt factionis de ſubiecto; & ſic mutatur. ſuffragatur nobis diuus Auguſt. 5. de Trinit. cap: vltimo: Talis, inquit, relatio non aduenit ſine mutatione eius, de quo dicitur. Et diuus Ambroſius primo libro de Spiritu ſancto contra Arrium arguendo, ſic ait: Si paternitas, deo de nouo contigit; deus ergo eſt mutatus: ad relationem ergo eſt mutatio. Ad philoſophi autem authoritatem, atque aliorum dico: nequaquam negaſſe ad extrinſecas relationes, mutationem non eſſe, vt patet in vbi, ad quam motum philoſophus conſtituit. de reſpectibus autem intrinſecis, ſic etiam intelligendi ſunt, nempè nunquam negaſſe, ad illos mutationem nõ eſſe; ſed quia ſecundum modum, legemq́ naturæ, ad tales relationes, mutatio primò ſpectare non videtur: præſupponit enim mutationem adaliquid abſolutum; ideo ad huiuſmodi reſpectus mutationem non eſſe dixerunt: verùntamen ad hanc relationem, mutatio eſt, quæ reuera illam in aliquo abſoluto, cui aduenit, vel in vtroq; præſupponere dignoſcitur. quando ergo inſertur nouitatem creaturæ actualis, vel poſsibilis; non eſſe impedimento, quominùs relatio realis non ſit inter deum & creaturam; nec eſſe impoſſibile ad non ens, relationem eſſe realem, omnibus modis falſum eſſe dicimus: illud enim quod per ſe, & quidditatiuè eſt ad aliud; eſſe ad non ens, eſt impoſsibile: ſed reſpectus per ſe, & quidditatiuè eſt ad aliud: ad non ens igitur nequaquam erit. Amplius, alicuius rei realis per ſe cauſæ ſunt reales; ſed fundamentum & terminus in creaturis ſaltem ſunt per ſe cauſæ relationis; quatenus extrema: igitur, non ens non poteſt eſſe extremum relationis realis. Quando ergo dicis, quòd actus intelligendi, ad obiectum non exiſtens, realiter referatur, dico, omnem notitiæ relationem, ad obiectum creatum extrinſecum, quatenus eſt obiectum accidentalis notitiæ, ſine illa conſiſtere poſſe: ita, vt exiſtente obiecto, ad illud referatur: non exiſtente verò, minimè. huiuſmodi enim reſpectus, aut aptitudinaliter conuenit notitiæ, aut per accidens. Ad illud de voluntate dico: ad malum, quatenus nolitum, nullã eſſe relationem: hoc enim modo ex parte obiecti eſt non ens. vnde ſic non eſt ens, neque bonum; bonum autem, vt bonum, non eſt vniuerſale nolitionis obiectum, ſed malum; ideo non concludit. Ad aliam confirmationem reſpondeo, tùm materiam, tùm etiam potentiam, ante formam, vel actum non referri. Ex quo patet, multa abſurda pro veris, aduerſarium aſsumpſiſſe. Ad illud de ſimplicitate dico, illud, cui de nouo aduenit aliqua realitas formaliter, non eſſe ſimpliciter ſimplex, nec omnino purum actum; ſed in potentia potiùs ad huiuſmodi realitatem habendam, & componibile ſibi: talis namq; relatio, compoſitionem facit: album enim ſimile eſt magis compoſitum, quàm album tantùm. plures ſiquidem inſunt illi actus perfectiui plurium potentiarum, ſiue plures formæ. Ad illud de dependentia, quamùis ſi Deus realiter ad creaturas referatur, non opus eſſet, vt ab illa dependeret; nihilominus quòad aliquam realitatem, quæ eſſet compoſitio formaliter, nempè, quantùm ad ipſam relationem nouam, ab aliquo dependeret: omne enim compoſitum neceſſariò dependet ab aliquo componente effectiuè, & mutatum, ſecundùm quod huiuſmodi à mutante. talis ſiquidem relatio, in ipſo profectò aliquam copmoſitionem faceret, atque mutationẽ, quòad illud, quòd ipſi ineſſet formaliter: atq; ita à ſeipſo, vel ab aliquo priori dependeret; quod reuera falſum eſt, quippè, cùm ſit formaliter ſecundùm quodlibet ſui indepẽdens. Ad 6 omnipotentia, quantùm ad reſpectum, ex parte poſsibilium, eſt in deo per actum intellectus; huiuſmodi tamen reſpectus fundamentum, non quidem per actũ intellectus ibi eſt, ſed ex natura rei potiùs. Ad 7. Deus propriè, & denominatione formali, tũ dominus, tũ cauſa, vel aliquid huiuſmodi dicitur; idq́ non realiter quidẽ, quòad relationes per huiuſmodi ſignificatas, quippè cùm eas tantùm habeat per actum intellectus: quòad verò ad illarum fundamenta, concretiuè ſemper, dominus, vel cauſa, aut aliquid huiuſmodi veriſsimè dicitur. Dicis, talia ſunt relatiua ſecundùm dici, quæ profectò nihil reale in vtroque extremo ponunt; quod quidem falſum eſt: nam in altero

Ad extrinſecas relationes eſt mutatio.

Entis ad non ens, non eſt relatio realis.

Simpliciter ſimplex.

Omne compoſitum neceſſariò dependet.

6.

7.

Deus quomodo dicitur dominus.

Relatiuum ſecundum eſſe, & ſecundùm dici.

extremo aliquid reale ſit, neceſſarium eſt. Reſpondeo, quòd creator, & dominus, in deo relatiua ſint ſecundùm eſſe; ipſa tamen relationes rationis dicere: hoc enim intereſt inter relatiuum ſecundùm eſſe & ſecundùm dici, quòd relatiuum ſecundùm eſſe non importet principaliter, aut formaliter relationem, veluti pater, dominus, creator, &c. ſed per accidens potiùs, rationis, vel realem reſpectum indicat: relatiuum verò ſecundùm dici, principaliter non relationem dicit, ſed aliquod abſolutum, vt ſcientia ad ſcibile, cuius reſpectus vt ſit res, vel rationis per accidens illi accidit. Quomodo ergo relatio realis dei, ad creaturas non ſit, non vna; ſed multis rationibus palam oſtenſum eſſe arbitror.

Qvaestionis qvartae. Cap. I.

Dei ad creaturas, nullam eſſe relationem rationis, per actum intellectus diuini, ſed creati.

Relatio rationis, nō eſt per actum intellectus diuini. *CVm ſimus in hoc obſcuro, ſed non parum vtili diuinarum relationum negotio, attente atq; ſtudioſè ſingula quæq; nobis obſeruanda ſunt: ſi quomodo diuino Pymandro nobis opem ferente, tantæ rei veritatem intelligere valeamus. Quare, vbi de relatione reali locutus ſum, libet modò perſcrutari, vtrum inter deum, & creaturam ſit aliqua rationis relatio: idq; per actū intellectus diuini, vel creati, necne. Ad quod quidem dico: approbans aliquorum ſententiam, qua, nullam rationis relationem, per actum diuini intellectus fabricatam, inter deum & creaturam inueniri, firmiter, atque conſtanter affirmant.*

Prima ratio. *Sanè, noua rationis relatio, per nouum actum intelligendi, ſeu rationis fiat, neceſſarium eſt: nam ſicut eſſe habet per actum rationis, vel intellectus; ita planè, noua eſſe non poteſt, niſi à nouo actu proficiſcatur: ſed in deum non cadit nouus actus intelligendi, nec ergo noua relatio rationis. Actus planè intelligendi, eſt ſua ſubſtantia, vt dicitur 12. met. quare, ſi aliquid noui reciperet; ipſa vtiq; diuina ſubſtantia, aliquid nouitatis eſſet receptura: quod eſt impoſſibile.*

2. *Amplius, a contradictorio in contradictorium per mutationem tranſitus fiat, neceſſum eſt: mutatio enim authore philoſopho 5. phyſ. eſt tranſitus à nō eſſe in eſſe, vel ab eſſe, ad non eſſe, vel ab eſſe in eſſe, ſecundū quid: quartus autē modus,*
Mutationis ſpecies. *ſcilicet à non eſſe, in nō eſſe, eſt impoſſibilis. Quòd ſi quiſpiā dixerit, à contradictorio in contradictorium, alicuius ſubiecti, ſine ipſius mutatione, tranſitum dari; in magnam profectò illico caſurus eſt abſurditatem, nempe, vt dicat, quòd de vno contradictorio in aliud migrās, non ſe aliter habeat ante, quàm poſt migrationem, atque tranſitum, quod eſt plane abſurdum, ne dicam impoſſibile & falſum: etenim, ſic de non albo, vera erat oratio, quando non album vocatur; ita planè, vera erit, poſtquàm effectum eſt album; atque ita ſimul, & ſemel vnum, atque idem album, & non album diceretur: quod reuera aperta eſt contradictio. Quamobrem, ſi deus de non relato, fieret relatus, non quidem per intellectum creatum; aut hoc certè fieret per creaturæ mutationem realem, quod planè eſt impoſſibile: cùm enim illa eſſet realis, relatio quoque dei, ad creaturas eſſet realis, quod antea reprobauimus aut per mutationem intelligendi; non quidem per opus intellectus, vel rationis: per mutationem dei igitur; ſed deus eſt ſimpliciter immutabilis. ergo quod priùs.*

Relationes nouæ per actum intellectus creati. *Porrò, Deo per actum intellectus creati, relationes nouæ attribui poſſunt; ille ſiquidem intellectus, qui cum mutatione ſui deum intelligit, atque ad creaturas comparat, nouos profectò reſpectus circa ipſum, & creaturas componere poteſt: ſed ita ſe habet intellectus creatus: poteſt ergo conſimiles reſpectus contexere, ac moliri, deumq; his nominibus appellare, qui planè relationibus æternis in diuina men-*

De relationibus.

uina mente exiſtentibus, conſimiles quodammodo ſunt, releſſe geſtiunt. Sanè, relatio Dei creantis æterna, habet per ſe primum terminum, qui plane eſt creatura in eſſe æterno intellecta, quòad ſuum eſſe actu creatum, pro tali inſtanti conſtituendum, atq; ordinandum. alium verò terminum per accidens, nempè creaturam, re, atq; actu exiſtentem: vnde temporalis, ac noua Dei denominatio proficiſcitur, huiuſmodi autem terminus, cùm ſit per accidens, æternus vt ſit, nequaquam neceſſarium eſt; tametſi, ſecundùm intelligendi modum, huius termini ratione, Deum de nouo denominet, atq; appellet. Itaq;, reſpectu primi termini, relatio ab æterno Deum denominat; non quidem pro æterno; ſed pro tempore, in quo creator, aut creans dicatur. relatus ſiquidem ad creaturam, tum temporis creandam, de nouo autem per accidens denominatur. Quare, quidquid perfectionis, ex natura rei Deo ineſt; præcedit prorſus quidquid in creatura conſtitui poteſt. proinde, tales rationis reſpectus in ipſo ſecundùm rationem poſteriores ſunt, atq; cenſentur: relationes autem reales creaturarum, ad ipſū prius concipit, quàm rationis ſuæ ad creaturas: ideo enim dicitur relatiuè creator, dominus, & huiuſmodi; eò quòd creatura creetur, ſubijciatur, atq; referatur. Quamobrem, relationes Dei ad creaturam, quantùm ad hoc negotium ſpectat, ſimiles profectò relationibus menſuræ, & menſurati eſſe iudicantur, de quibus philoſ: 5. met: loquitur. ſed menſura, ad menſuratum refertur, quia menſuratum ad ipſam, non autem e conuerſo ſimiliter etiam ad creaturam ſe habet; ideo relatio creaturæ erit prior. Præterea, ſi huiuſmodi relationes in Deo priores eſſent; profectò reales dicerentur, quod paulò ante exploſum eſt: ſiquidē, quod eſt cum aliquo relatio, & ſubſtantialiter idem; relatio vtiq; realis nominatur. Deniq; hoc ipſum Auguſtinus 5. de trinit: cap. vlt. conſtanter tuetur: Deus dicitur temporaliter dominus, inquit, quia creatura ſerua, ex quo animaduertimus relationem ſeruientis eſſe priorē. ſunt autem quiddam firmiter aſſerentes, Deum de nouo nominari, ac dici dominum, & creatorem. Deus, inquiunt, ab æterno ſeipſum intellexit, creaturam, vt creabilem comparando, ex quo relatio procedit, quæ creatiuus dicitur. reſpectu verò creaturæ creandæ, creaturus, reſpectu autem creatæ pro tali inſtanti, creans, at reſpectu iam creatæ, creator nominatur. Itaq;, quatuor deo inſunt ad creaturas, creatiuus, creaturus, creans, & creator; & totidem etiam creaturæ, nempe creabile, creandum, quod creatur, & creatū. ſed ab æterno fuit relatio Dei, vt creantis, & creatoris: relatione ergo æterna, ad creaturam refertur, atq; propter creaturæ nouitatem, de nouo referri videtur. ſed horum ſententia rationi minimè conſonat. habens ſiquidem formam actu, per eam, actu formaliter denominatur; ſicuti actu habens albedinem, album appellatur. 1. Quare, ſi Deus ab æterno, actu ad creaturam, creantis habeat relationem æternam: actu igitur vocabitur creans, & creator. per ſuum ſaltem intellectum æternum. Amplius, eſſe poſſibile, & eſſe actu creaturæ, ſecundùm rationem intelligibilis, diuerſa eſſe iudicantur: relatio ergo rationis ad ipſam; quatenus eſt creabilis, 2. & vt iam creata, diuerſa eſt ſecundum rationem: nam actus, & potentia, diuerſa ſunt intelligibilia, atque diſtincta. at, ſi aliqua diuerſa extiterint ſecundùm rationem intelligibilis; diuerſa quoq; eſſe ſecundùm diuerſos rationis reſpectus, prorſus neceſſarium eſſe videtur. 3. Præterea, ſi hæc ita ſe habeant, nihil ergo noui in rerum natura cenſebitur eſſe: nam ſi ab æterno Deus eſt creans, & creator; id cùm ſine creatura, actu exiſtente, fieri non poſſit: ab æterno ergo creatura exiſtit, atq; ita nihil noui conditum eſſe in rebus aſſerere poſſumus. Explodenda ergo eſt huiuſmodi ſententia, quæ de Dei relatione inerudité, atq; imprudenter loquitur, ne dicam perperam & imprudenter.

Duplex terminus relationis æternæ.

Relationes dei ad creaturam quales ſint.

Vtrum de nouo Deus dicatur creator.

Confutatur ſententia.

CAP. II.

Relationem rationis eſſe in Deo reſpectu creaturæ, illamq́ priorem eſſe, quam ſint reſpectus reales creaturæ, quidam arguunt.

1. *Sicut actu æterno, creatura noua ſit in eſſe reali; ita profectò actu æterno fieri poteſt reſpectus rationis nouus ad creaturam nouam. valet ſimilitudo: plus enim eſt in actu reali creaturam, quàm reſpectum rationis producere: ſed primum eſt verum, ſimiliter ergo & ſecundum. Sanè, ſi intellectus creatus, nouum rationis componere poteſt reſpectum; multò magis intellectus diuinus per ſuum actum, idipſum efficere poteſt: non enim neceſſe eſt, actu diuinæ intellectionis poſito, realiter intellectui meſſe omnia: multa certè, & fore poſſibilia ſunt, & intellectu; quæ tamen non erunt, quia non ſic diuina voluntas determinauit. Inſuper, reſpectus rationis, vel non eſt in aliquo formaliter, vel compoſitionem non facit, & ex conſequenti, aliquam mutationem non determinat. Deniq;, Deus ad creaturam non ſolum non refertur quòad eſſe intellectuale; ſed etiam, quòad eſſe reale: ſed eſſe reale, eſt quando creat actu, illud autem eſt nouum: relationis ergo ipſius creantis ad creata, primus, & per ſe terminus, eſt eſſe reale nouum. proinde Deum de nouo*
2. *ad creaturam referri, nonnulli ſtatuere contendunt. Amplius, ſicut non poteſt eſſe ſeruus, qui non habeat dominum, inquit Auguſtin. 5. de trinit: cap: vlt. ſic etiam non poteſt eſſe dominus, qui non habeat ſeruum: ſed Deus de nouo habet creaturam ſeruam, ergo de nouo eſt dominus, habetq́ nouam relationem Id autem Deo contingere poteſt, ſine ipſius mutatione, ſicuti accidit numo, ſine ipſius mutatione, vt precium ſit, volūtate inſtituentis mutationem, patiento. itaq́ Deus, ad creaturam de nouo referri poteſt, relatione in creatura, non in Deo exiſtente. Actio, inquit philoſophus 3. phyſ: & paſſio ſunt in patiente, & in re mota: igitur, creatio, actio, & creatio paſſio ſunt in re creata: ſicut ergo agens, ex actione exiſtente in paſſo denominatur; ita etiam Deus refertur ex relatione, quæ eſt in creatura. Deus temporaliter dicitur creator, ait Augu: non mutatione ſui; ſed eius, ad quod dicitur; ita quoque vrina vocatur ſana, & opus humanum, non quidem ob ſanitatem, quæ ſit in vrina formaliter, aut humanitatem in opere; ſed quòd in aliis ſunt; ſic etiam Deus, creator, dominus, aut creans dici poteſt, non à re-*
3. *latione aliqua rationis, aut rei, quæ in ipſo eſt; ſed in creatura potiùs. Adhuc, relationes oppoſitæ ſunt ſimul duratione: ergo, in Deo eſt relatio noua. Tenet conſequentia: nam ſicut aliqua relatio realis eſt noua in creatura; ſic erit relatio correſpondens noua in deo quæ ſimul poteſt cum Dei immutabilitate conſiſtere: reſpectus namq; rationis non eſt formaliter in obiecto; ſed in intellectu potiùs, ſicut, & ipſum intelligere. cùm ergo non*
4. *ponat mutationem in obiecto, à Deo remouenda non eſt, ob illius immutabilitatem. Præterea, actio, ſecundùm ſuam cauſalitatem, & rationem, eſt prior paſſione: paſſio enim eſt illatio, effectusq́ actionis. ſed creatio actio, eſt actio: prior ergo eſt actione, paſſione. Sanè, idem eſt ordo fundamentorum, & relationum; ſed diuinarum relationum*
6. *fundamentum, ipſarum fundamenta creaturarum præcedit: ergo quod prius. Adhuc, relationes, alteri conuenientes; quatenus cauſales, effectuum relationibus; quatenus huiuſmodi ſunt, priores cenſentur: cauſa enim prior eſt effectu: ſed aliquæ relationes dei, ad creaturam, vt potè, creatio, conſeruatio, & huiuſmodi, cauſales ſunt. ergo: creatio enim actio, eſt Deus, ad ipſum igitur ſubſtantialiter Dei ad creaturam relationes referuntur, quæ præcedunt relationes creaturarum: ergo quod prius.*

CAP. III.

Soluuntur Argumenta.

AD primum, quamuis creatura à Deo, per actum æternum in eſſe poßit po- 1.
ni, ſiue conſtitui; non tamen de nouo per intellectionem diuinam, quemad-
modum, nec ipſa quoq; intellectio diuina noua eſſe poteſt: poteſt enim De-
us de nouo aliquid creare, non autem noui aliquid intelligere. reſpectus
ergo rationis, diuinam intellectionem concomitans, nouus eſſe non poteſt.

Reſpectus rationis non eſt in Deo.

Ad primam confirmationem, dico non eſſe ſimile: etenim, intellectus creatus, cùm ſit
nouus, & natura mutabilis; poteſt huiuſmodi reſpectus componere, qui profectò diuino
intellectui, ob illius ſimplicitatem, immutabilitatemque conuenire non poßunt. Ad 2.
dico, oportere omnia illa poni, ſaltem de nouo non eſſe, in eſſe intellecto: quidquid enim
Deus intelligit, ab æterno intelligit. quòad verò ad contingentia, non neceſſariò.
Ad 3. reſpectus rationis, ſi in Deo ſit formaliter, quod minimè placet; mutationem,
compoſitionemque indicat neceßariò, ſi nouus extiterit, ob nouitatem planè actus,
quem ipſe conſequitur. Ad 4. confirmationem dico, quòd relationis creantis, vel cre-
aturæ, terminus per ſe ſit eſſe reale creaturæ futurum quidem, aut præſens, vel præ-
teritum, non extra profectò intellectum; ideo nouus eſſe non poteſt, nec etiam debet:
manet ſiquidem in eſſe intellecto, ſeu comparatiuo ipſius intellectus comparantis. Ad 2.
2. quamuis non ſit aliquis in actu, ſeu in effectu ſeruus, qui dominum actu habeat, &
è conuerſo; alicui tamẽ relatio rationis domini, reſpectu alicuius, quod actu æternum non
eſt; ſed in eſſe cognito tantùm ab æterno competere poteſt. hoc modo, Deus, dominus di-
citur ab æterno, & creatura, ſerua, ſiue ſeruituti ſubdita. vel dicitur dominus de nouo

Deus ab æterno dominus.

per accidens, reſpectu ſecundi termini, vt dixi. Ad primam confirmationem de ſimi-
litudine numi, dico. illud fieri poſſe, quia per voluntatem diſponitur mutabilem quod
reuera in Deum non cadit, qui eſt omnibus modis immutabilis: ſi enim hoc eſſet in Deo,
neceßariò mutaretur; ſicuti, ſi numus de nouo per proprium actum precium fieret; mu-
tationi vtiq; ſubderetur. ex quo patet, exemplũ non eſſe ſimile omnino. Ad 2. confirma-
tionem, impoßibile quoddam ingerit, vixq; intellectu dignum: in productione namque,
in qua productum, eſſe ſimpliciter, atq; ſubſtantiale recipit, actiuas, atq; paßiuas pro-
ductiones, in eodem, ſiue eodem fundamento realiter eſſe, eſt impoßibile; alioqui idem
productum, ſeipſum produceret: quod planè primo de trinit: cap. primo, Auguſtinus 1.
reprehendit. ſed per creationem, aliquid accipit eſſe ſimpliciter. quare, vt idem ſuppo-
ſitum creatum, actiuam, atq; paßiuam creationem habeat, videtur omnino impoßibile

Creatio actio non eſt in creatura.

eſſe. Amplius, relatio, quæ non eſt motus, neq; mutatio, neq; actiò de genere actionis, 2.
de qua loquitur philoſophus, in agente ſolummodo conſtituenda eſt. ſed creatio, actio eſt
huiuſmodi: ergo eſt tantùm in agente. Iterum, actio, quæ non dependet à termino pro- 3.
ducto, nec ab aliquo ipſius; natura vtiq; prior illo, ac quolibet illius, dicenda eſt: ſed
creatio actio, eſt huiuſmodi: ergo &c. Profectò, ſi opinio illa vera eſſet; abſq; dubio, cre-
atura, creatrix eſſentia, atq; domina diceretur: in quocunq; enim formaliter creatio eſt
dominium planè illi concedendum eſt: atq; ita creatura, & domina eſſet, & creatrix:
quod certè abſurdum eſt, atq; impoßibile. Ad Ariſtot: autem authoritatem dico, illum
loqui de actione, quæ non eſt de genere actionis; ſed de actione potiùs eo modo, quo a-
liquando terminus actionis, actio vocatur; ſic etiam generationis terminus, generatio.
vel non eſt audiendus. Ad illud Auguſtini, non eſt ſimile de relatione, & mutatione:
etenim, quamuis in Deo nulla ſit mutatio; poteſt tamen eſſe aliqua, ad creaturam rela-
tio. Ad illud de vrina, negatur quoq; ſimilitudo: ſanitas enim formaliter eſt in animali.

In Deum nõ cadit mutatio ſed relatio.

proinde ſi actio creatio eſſet in creatura formaliter; creatura quoq; formaliter eſſet cre-
atrix: quod eſt impoßibile, & abſurdum: ergo quod prius. Ad 3. licet creatura, & 3.
ſua relatio realis ad Deum in re, atq; in effectu noua ſit; eſt tamen antiqua in eſſe intel-
lecto.

lecto. Quamobrem, relatio Dei ad creaturam, relationi reali creaturæ, ad Deum nequaquam opponitur formaliter. Sanè, non ſatis eſt probabile, relationem rationis, & realem oppoſitione relatiua, formaliter opponi: non ſunt enim ſimul natura. Ad confirmationem dico, reſpectum rationis, mutationem aliquam oſtendere: ſiue illius, cui formaliter conuenit, ſiue alterius. Quare, ſi reſpectus rationis Deo attribuatur, aut mutatio erit in intellectu creato, huiuſmodi reſpectum negociante, aut in intellectu diuino; non quidem
4. in intellectu diuino: ergo intellectui creato erit attribuenda. Ad 4. quamuis actio de genere actionis, quæ eſt cauſalis, atq; realis reſpectus paſſionis, ipſa ſit paſſione prior, non tamen ipſa creatio: non enim eſt reſpectus realis, nec actio de genere actionis. Ad confirmationem, negatur maior: poſſunt ſiquidem interdum eſſe fundamenta, vtpotè prius, & poſterius natura, ſine relationibus ſimul natura exiſtentibus; quemadmodum in relationibus cauſæ, & cauſati clariſſimè videre licet. Quare, etſi iſtarum relationum fundamentum in Deo vtiq; prius ſit; non opus eſt tamen relationes ſimiliter ſe habere.
5. Ad 5. patet ſolutio: maior enim falſa eſt: licet enim cauſa prior ſit; relatio tamen poteſt eſſe poſterior, ſi fuerit relatio rationis, & relatio effectus, relatio cauſalis. Ad confirmationem dico, minorem falſam eſſe: ens namq; rationis non eſt idem ſubſtantialiter cum ente reali. hæc quidem dicta ſunt de relatione rationis, quam inter Deum, & creaturam aliqui ſtatuere conantur. Verùm, quia creationis, actionisq; meminimus, operæprecium me facturum putaui; ſi de huiuſmodi negotio nonnulla diſputando contexero, quæ huic certè ſpeculationi, & congrua ſunt, & multùm profutura eſſe cenſui.

Qvaestionis qvintae. Cap. I.

Actio quomodo diuinis competat.

Actio multiplex.

QVoniam noſtro inſtituto deſeruit de actione loqui, primùm quidem multiplicem illius nominis ſenſum adducere oportet; vt tandem ad rei veritatem pertingamus, euulſis à noſtro negotio extraneis ſenſibus, atq; peregrinis nominibus excluſis. Actio interdum ſignificat ſubſtantiam, teſte Auguſt: 14. de trin: cap. 4. Anima, inquit, ſeipſam agit, atque mouet, & nouit ſemper ſcilicet habitualiter, vtpotè habens eſſentiam ſibi præſentem, quæ poteſt ſeipſam cognoſcere: intelligere præterea, & velle actiones ſunt, quæ ad qualitatis genus pertinent. productio inſuper actiua, quæ ſub relationis genere continetur, actio nominatur. poſtremò, mouere propriè actio dicitur de genere actionis: Deus autem cùm ſeipſum ſciat, & velit, dubium nullum eſſe poteſt; quin huiuſmodi habeat actiones, in quo etiam inuenitur productio actiua, vtpotè generatio, & ſpiratio actiua: quæ etſi non ſint de genere relationis; ſuas tamen retinent rationes formales. De actione autem propriè dicta, quæ paſſum reſpicit; an in Deum cadat necnè, nonnulli addubitarunt. verùmtamen, rationi magis conſonum eſt, vt illam à Deo remoueamus omnino. ſiquidem

Quæ nam actio non ſit in Deo.

1. in quo actio huiuſmodi inuenitur, & paſſio ſimiliter: talis namq; actio, paſſum intuetur, & ſpectat: ſed in Deo non eſt paſſio, aut pati: nec ergo huiuſmodi actio. Ampli-
2. us, patiens ex ſui natura, imperfectionem ſonat; ſed in Deum non cadit imperfectio: nec ergo patiens. Porrò, vbi eſt verum agens, & verum patiens ſit, neceſſarium eſt:
3. Deus igitur, quantùm ad intra non eſt propriè agens. Sanè, vbi eſt actio, ibi eſt & receptio: ſed in Deo non eſt receptio: derogaretur enim diuinæ maieſtati, quod enim ali-
4. quid recipit, non eſt abſolutè perfectum: ergo quod prius. Deniq; actio propriè intellecta, atq; paſſio, in aliquo ſine mutatione eſſe non poſſunt: at, in Deum nulla cadit mutatio: ergo, nec huiuſmodi actio. Quòd ſi dixeris, in diuinis eſſe generationem paſſiuam; ergo & paſſionem, atq; actionem, & receptionem. Reſpondeo, quòd idem ſit in diuinis,

filium

 De actione.

*ſilium à patre eſſe recipere; ac ſilium originari, ſiue originem habere à patre; idcirco,
paſſio impropriè accipitur, & æquiuocè, quia nimirum virtus productiua, actiua dici-
tur; ideo eius correlatiua, paſſiua nuncupatur. Ex hoc etiam intelligimus cauſam, ob quã
in diuinis non ſit actio huiuſmodi, & paſſio; bene tamen productio, & produci: actio* Actio eſt aliquid reſpectiuum.
*namq; quædam impreſſio eſt, quæ ſubſiſtenti repugnat, atq; obſiſtit: productio autem
diuina, ſubſiſtens producit. Ex his etiam licet colligere actionem eſſe aliquid reſpecti-
uum, non autem abſolutum; abſolutum planè, per aliud quidditatiuè nequaquam diffi-
niri poteſt. ſed actio diffinitur per paſſum: actio igitur, reſpectum dicit, atq; enunti-* 1.
at. Omnis præterea forma abſoluta, quæ in ſubiecto ab agente naturali producitur; illa 2.
*profectò, actione de genere actionis producatur, neceſſum eſt. Quare, ſi actio eſſet for-
ma abſoluta; ſic etiam eſſet producenda, atq; ita, actionis eſſet actio. Amplius, agens* 3.
*in quantum agens, eſt ad aliquid: ergo actio eſt forma reſpectiua. Tenet conſequentia:
hoc namq; mutuat agens, ab ipſa actione. itaq;, actio eſt reſpectus intrinſecus aduem-
ens, non autem quid abſolutum. Sed dicet aliquis, ſi actio tranſiens ſit in diuinis, an tan-* Actio tranſiẽs duplex.
*tùm actio immanens? Sanè, actio tranſiens ad aliquod extrinſecum determinatur, quod
profectò duplex eſt, ſubiectum ſcilicet, vel productum. vnde actio; quatenus paſſum
reſpicit, eſt actio de genere actionis, quæ reuera in Deum ad intra cadere non poteſt,* Actio de genere actionis.
*cum nullum ſit ibi paſſum: nec etiam ad extra, Deo ineſt formaliter, ſed denominatio-
ne extrinſeca tantùm. at, ſi actio tranſiens, reſpectus tantùmmodò extrinſecos reſpi-
ciat; illorum profectò gratia, nulla erit in Deo actio formaliter ponenda, quippe, cùm
nulla in Deo ſit relatio formaliter actualis, qua ad creaturam referatur; nec etiam re-
ſpectu generationis, & ſpirationis: productio enim diuina non eſt actio tranſiens; quia
ad ſolam ſpectat actionem de genere actionis. Itaq;, in Deo nullo modo eſt actio tranſi-* In deo non eſt actio tranſiẽs.
ens, ſed immanens tantùm. Sunt autem multæ actionum ſpecies: nam quædam dicitur Species actionum variæ.
*abijciens, vtpotè calefactio, quæ frigiditatem aquæ connaturalem abijcit, atq; expellit.
alia eſt perfectio: perficit enim ſubiectum, ſicuti viſio perficit videntem. alia ad re-
lationis genus attinet, vt dicere, ſpirare, atq; producere. aliæ ſunt immanentes, vt in-* Actio immanens, & tranſiens quomodo differunt.
*telligere, & velle. aliæ verò tranſeuntes, vt imprimere, & creare: modò nobis viden-
dum eſt quid interſit, aut diſcriminis ſit inter huiuſmodi actiones. Profectò, actio im-
manens, eſt ſubiectiuè in agente, à quo producitur: perfectio enim eſt ſubiectiuè in eo,* 1.
*cuius eſt perfectio. ſed actio immanens, eſt perfectio agentis, vt contemplatio contem-
plantis: igitur, eſt ſubiectiuè in agente. Amplius, per actionem immanentem ex natu-* 2.
*ra ſui non immutatur obiectum circa quod eſt: video enim ſiue intelligo lapidem, ſine
lapidis mutatione: per tranſeuntem verò, ſemper immutatur ſubiectum, atq; aliquid de
nouo admittit, vel nanciſcitur, vtpotè qualitatem, vel quantitatem, aut locum, deniq;
vel formam ſubſtantialem. Adhuc, per actionem immanentem, non ſemper producitur* 3.
*aliquod ab operatione diſtinctum, vt videre præcisè, aut imaginari, aut velle, aut de-
ſiderare; tametſi per actum intelligendi, producatur conceptus, & per frequentatos a-
ctus ſpeculandi, habitus ſpeculatiuus, & per frequentatos actus morales, habitus mo-
ralis. at, per actionem tranſeuntem ſemper producitur aliquid diſtinctum; idq́ue du-
pliciter: nam interdum manet, opus poſt operationem vt domus & huiuſmodi, ali-
quando verò manet operatione manente, atque perdurante, vt ſonus, vox, & hu-
iuſmodi. In Deo autem eſſe actiones immanentes, patet ſatis: Deus enim eſt intelligens,* In Deo ſunt actiones immanentes.
*& volens: ſed intelligere, & velle ſunt operationes immanentes: igitur in Deo ſunt hu-
iuſmodi actiones. Itaq; actiones immanentes vniuerſaliter illæ ſunt, quæ ex ſeipſis ali-
quem terminum non reſpiciunt: tranſeuntes verò ad aliquem terminum contendunt,
tranſeuntq; terminatiuè intelligendo.*

CAP. II.

Actionem

Actionem de genere actionis in Deo eſſe, & actiones immanentes non ita differre, argumentis probatur.

IN quocunque inuenitur principium productiuum, imprimens aliquid in
1. *aliquo; ibi, abſque dubio, veram actionem inueniri, neceſſarium eſt:*
propria enim actio, eſt quædam impreſſio. ſed in diuinis pater imprimit
ſuæ eſſentiæ, vel naturæ, generationem paſſiuam; igitur, in diuinis eſt actio
2. *de genere actionis. Item, quando aliquid poſterius natura, ab alio, aliquid*
habet, quàm illud ſit; per actionem certè de genere actionis, illud habere videtur: ſed
filius eſt prior attributis, quippè, cùm illa ſibi communicentur; poſterius ergo habet at-
tributa quàm ipſe ſit: in Deo ergo eſt verè actio de genere actionis. Sanè, aliquod a-
gens, ſine actione agere, eſt impoſſibile: ſed Deus agit ad extra, creaturam condendo
& conſeruando, & ad intra, perſonas producendo, & vbiq; producit agendo: igitur, ha-
bet actionem de genere actionis. Profectò, productio, & actio ſunt inſeparabilia: ſed
productio eſt in Deo: ergo, & actio. ſi enim ſepargri poſſent; Deus vtiq; illas in crea-
3. *turis ſepararet, quod reuera inconueniens reputatur: ergo quod prius. Amplius, vbi*
operationes ſunt fines, & non aliquod extrinſecum; ibi profectò per actionem transe-
untem non producitur aliquod diſtinctum: ſed in quibuſdam artibus, authore philoſop.
1. eth: cap. 1. operationes ſunt fines, & non aliquod operatum, atq; vt commentator e-
xemplis oſtendit, de arte ſaltandi, & cytharizandi, philoſophi ſententia intelligi poteſt:
malè ergo, differentia inter actionem immanentem, & tranſeuntem ſuperiùs annotata
4. *eſt. Adhuc, inter actionem immanentem, & tranſeuntem, hæc à philoſopho 9. eth: cō:*
16. aſsignatur communis differentia, quòd illa præter actionem nihil operati habeat; hæc
autem præter actionem, aliquod operatum: igitur, ab actione immanente nihil produ-
5. *citur; quod tamen ſuperiùs approbabatur. Item, nihil diſcriminis inter immanentem, &*
transeuntem actionem eſſe videtur, aut profectò non illud, quod ſuperiùs annotatur:
quod clariſsimè patet. Sanè, ſi illa eſt actio tranſiens, quæ in terminum tendit: igitur
actio immanens, eſt actio tranſiens. Tenet conſequentia: velle enim, bonum intuetur ſci-
licet obiectum pro termino: igitur, eſt actio tranſiens: intelligere præterea, eſt ſubie-
ctum recipiens, nempè intellectum poſsibilem. actio inſuper fundamentalis, non erit
actio tranſiens. denique motus ex ſua ratione formali, ſubiectum non reſpicit, quippe,
qui ſine ſubiecto intelligi poteſt: Ergo quod prius.

CAP. III.

Soluuntur Argumenta.

1. *AD primum, impreſſio ad recipiens, non autem ad fundamentum reſpicit:*
nam recipiens, & receptum ſemper diſtinguuntur realiter, non autem
fundamentum, & quod fundatur. vnde quamuis in diuinis ſit productio,
non tamen ibi eſt impreſſio; quia ſcilicet, non eſt receptio: ibi namq; rece-
2. *ptio eſt; vbi planè non eſt plena, atq; abſoluta perfectio. Ad 2. negatur*
Attributa fundantur in eſſentia diuina. *maior: ſiquidem attributa fundantur potiùs, quàm imprimuntur eſſentiæ. vnde quam-*
uis fundamentum, natura id, quod fundatur præcedat, nequaquam illud recipere dicen-
dum eſt: impreſſio enim, & receptio à diuinis quàm longiſsimè abſunt. Ad primam &
ſecundam confirmationem dico: Deum producere, non per actionem, quæ eſt de genere
actionis; ideo nihil concludit. productio præterea; quamuis abſtrahat in diuinis, ab a-
ctione,

ſtione; non tamen in agente creato: formam enim à materia ſeparatam producere nequit. Ad 3. philoſophi ſententia ita intelligenda eſt: operationes in quibuſdam artibus ſunt fines; non aliquod operatum: hoc eſt, quæ poſt actionem non remanent, vt ſaltatio, & cytarizatio, pro nihilo habentur, non autem intendit aſſerere, per huiuſmodi artem, 3.
nihil produci diſtinctum. Ad 4. philoſophus non negat operatum aliquod non produci per actionem immanentem; alioqui aduerſus ſe pugnaret: nam tex: 14. hoc determinauit; quoſdam ſcilicet habitus ex frequentatis actibus haberi, atq; fieri: ſed hoc potiùs negare intendit, aliquod ſcilicet operatum per actionem immanentem produci: quòd tamen illius non ſit perfectio, & vltimus finis; ſicuti in actione tranſeunte videre poſſumus. omnis ſiquidem operatio tranſiens, aliquod habet operatum, ad quod profectò; veluti ad vltimum finem, & complementum ordinatur, quod certè ipſa actione, operationeq́ præſtantius eſt: ſanitas namq;, ſanatione potior eſt, & ædificatione, domus. operatio autem immanens, aut non habet aliquod operatum; vt patet in actu ſentiendi, aut non eſt finis, & illius complementum; ſed potiùs ad conſimilem, atq; perfectiorem actionem ordinatur: vt iuſtitia, ad actus iuſtitiæ, & alia quæq́ ad conſimiles, melioresq́ actus operandi, atq; agendi. Ad 5. dico, velle non reſpicere bonum, vt productum, neq; vt paſſum: hoc enim intereſt actionis tranſeuntis; ſic etiam intelligere ex ſua formali ratione, ſubiectum nequaquam reſpicit. De actione autem fundamentali, id dicendum eſſe cenſeo, quòd quamuis non reſpiciat terminum formalem actualiter exiſtentem; bene tamen aliquod paſſum intuetur, atq; obſeruat: vti, illuminatiuitas, illuminabile, & ſimilia huiuſmodi multa. Cùm autem dicis: motum neceſſariò reſpicere terminum ad quem dico actionem tranſeuntem; ex ſua ratione formali id reſpicere: non autem productum, ideo nihil legitimè concludere poteſt. Quid ergo ſit actio immanens, & tranſiens, & quomodo ab inuicem diſtinguantur, quæq́ actio ſit in diuinis, breuiter dixi, ad alia properando, quæ ſunt conſiderationis eiuſdem.

4.

Operatum eſt operationis perfectio.

5.

CAP. IIII.

Actio tranſiens eſt in paſſo ſubiectiuè.

Actio, interdum pro forma cauſata ab agente intelligitur, & à paſſo acquiſita; quemadmodum calefactio actiuè ſumpta, eſt ipſemet calor, realiter cauſatus ab agente in paſſo. interdum verò eſt reſpectus realis, quem habet agens ad paſſum. Itaq́ primo modo, actio eſt in paſſo, ſecundo verò, in agente. Profectò, tam motus, quàm actio, vel paſſio in eo planè ſunt, quod agitur; hoc eſt in mobili, & patiente: ſonus enim & auditio ſunt in organo auditus; quia nimirum actus actiui, & paſſiui ſit in patiente, & non in agente, & mouente. Nam ſi motus, & 1.
actio eſſent in mouente; profectò omne mouens, neceſſariò moueretur. omnis ſiquidem motus eſt in mobili; ſed actio tranſiens eſt quidam motus: igitur, eſt in patiente, & non in agente: actio namq; & paſſio ſunt vnus motus ſubiecto, ratione verò diſtinguuntur: illa ſanè eſt ab agente, hæc verò in patiente. Amplius, illud, quod in aliquo recipitur, 2.
in eo; ſine dubio, eſt ſubiectiuè, in quo recipitur. ſed actio tranſiens recipitur in patiente: doctio namq;, licet ſit actus docentis; continuè tamen tendit in diſcipulum: igitur; actio ſubiectiuè eſt in patiente. Adhuc, omnis actualitas, eſt ſubiectiuè in eo, cuius 3.
eſt actualitas: ſed actio tranſiens eſt actualitas patientis, cùm ſit eius perfectio: ergò quod prius. Item, illud accidens, quod eſt in aliquo ſubiectiuè; compoſitionem vtiquè 4.
cum illo facit: ſed actio tranſiens, non componit, ſiue compoſitionem facit cum agente: nam quod attribuitur alicui, vt ab eo, in aliud procedens; reuera non facit compoſitionem cum eo. ſed talis eſt actio cum agente: ergo quod prius: actio enim non eſt motus

Actio quomodo eſt in paſſo

 propriè;

ne & paſsi one. propriè; ſed methaphoricè proinde, de ocio exiens mutari dicitur: hoc autem fieri non
poſſet, ſi actio, aliquid eſſet in ſubiecto manens. hac etiam ratione, ad relationem non
Ad relationē non eſt mot9 eſt motus; quia ſcilicet ſine aliqua mutatione eius, quod ad aliud refertur, ex ſola alte-
rius mutatione, relatio deſinere poteſt. Præterea, omnis perfectio eſt in eo, cuius eſt
5. perfectio formaliter: perfectio enim formam ſequitur. ſed actio eſt perfectio patientis:
6. quia eſt actio tranſiens in aliud: ergo eſt in patiente. Item, omne accidens eſt princi-
pium formale ſui ſubiecti: eſt enim forma accidentalis, & non niſi ſui ſubiecti. ſed actio
non eſt principium formale agentis; ſed potiùs agens eſt principium actionis effectiuū:
7. igitur, actio tranſiens eſt ſubiectiuè in patiente. Præterea, quod fluit ab aliquo, eſt
ſubiectiuè in eo, quod huiuſmodi fluxum recipit. ſed actio eſt fluxus agentis in patien-
Quòd actio non fit in agē te. tem: igitur, actio tranſiens non in agente eſt, ſed in patiente potiùs. Reuera, ſi actio pri-
mo modo ſumpta, ſubiectiuè eſſet in agente; aut hoc eſſet per aliquam potentiam acti-
uam, aut per aliquem actum abſolutum, acquiſitum in agente: non primo modo; quia
potentia actiua agentis non eſt actio, aliter agens, continuè ageret: præſtò enim eſt il-
li ſemper potentia agendi, quod eſt falſum. nec etiam ſecundo modo: illud enim in quo
aliquid fit, in eo quod tale, rationem facti ſubit, non autem agentis ſed ſi in agente, dum
agit, actus aliquis abſolutus acquiritur; tunc profectò agens, ſaltem ſubiectiuè erit actū
quod implicat planè contradictionem: nam ſicut mouens, moto; ita certè agens, in eo
quod agens, opponitur acto Præterea, in quocunq; eſt mutatio, eſt mutatio, vel mo-
tus; quatenus eſt huiuſmodi: mutari enim neceſſe eſt, atq; moueri. ſi aliquis ergo actus
abſolutus acquiratur in agente de nouo, dum agit; erit planè in agente aliqua mutatio,
vel motus: igitur, agens, quatenus eſt agens, mutabitur, quod eſt impoſsibile: actio er-
go tranſiens eſt in patiente. vnde philoſophus 3. phyſ: comm: 20. Neque, inquit, actum
alterius in altero eſſe, inconueniens eſt: eſt enim doctio actus docentis: in quodam enim
&c. Quam ob cauſam dicit Commentator, non eſſe inopinabile, actionem agentis, eſſe
in alio: per ſe enim manifeſtum eſt, doctrinam eſſe actionem agentis, & in alio eſſe. vn-
de, ſi aliquod agens ſit, actioq; non tranſeunte in aliud; ſed in ſeipſum, actio quidem eſt
Quomodo actio fit in agē te. ſubiectiuè in agente, non in eo, quod agens; ſed potiùs in eo quod patiens. Quare, actio
tranſiens non eſt ſubiectiuè in agente, veluti in quo; ſed à quo potiùs, idque cauſatiuè.
At, ſi actio tranſiens, reſpectum ad paſſum dicat agentis; proculdubio, eſt ſubiectiuè
tantùm in agente: in quocunq; enim eſt fundamentum reſpectus; in eodem ſubiectiuè v-
tiq; erit reſpectus. relatio ſiquidem, & fundamentum, aut ſunt propemodum idem, aut
vnum, alteri nititur; atq; ex conſequenti: vbi eſt vnum ſubiectiuè; erit etiam, & alte-
rum. ſed reſpectus agentis ad paſſum fundamentum, eſt potētia actiua agentis, quæ ſub-
Soluuntur primæ rationes. iectiuè eſt in agente: ergo, & actio hoc modo ſumpta in agente dicitur eſſe. Cæterùm,
quibus primæ rationes non placent; ita reſpondere conſueuerunt, & ad primam quidem
1. ſic: Actio, inquiunt, ibi intelligitur conſecutiuè, pro actione vtiq; producta, ſiue produ-
cenda, non autem pro actione eſſentiali: ſonatio enim, tantùmmodò, ſecundùm ſpeciem
ſoni in organo receptam, non autem ſecundùm eſſe reale eſt ſubiectiuè in aure audientis:
Actio in agente eſſentialiter conſecutiuè in patiente. actio ergo eſſentialiter eſt in agente, conſecutiuè verò in patiente, hoc eſt: illud, quod
conſecutiuè cauſatur ab agente, per mediam actionē, eſt in patiente. quando ergo infer-
tur, ſi actio eſt in agente; ergo motus eſt in mouente: dico, actionē naturalem, quæ eſt cū
tranſmutatione, non ſine motu eſſe; ipſam tamen eſſentialiter non eſſe ipſummet motum:
actio enim intellecta pro eo, quod per actionem producitur, recipiturq; in paſſo, eſt cum
motu alterationis, atq; ſubiectiuè in patiente; iccirco nō licet inferre, ōne agens, neceſſariò
2. moueri. Al 2. eadē facilitate ratio ſecunda ſoluitur: conſecutiuè namq;, non autem eſſen-
tialiter actio eſt in patiente: non ergo illa actio in patiente, ſicuti in ſubiecto recipitur; ſed
3. potiùs, ſi ut cauſa in ſuo quidem effectu. Ad 3. hac certè ratione, actio tranſiens, a-
ctualitas nominatur patientis; quia nimirum id, quod per talem producitur actionem,

ſubiecti-

De actione & paſſione.

ſubiectiuè eſt forma recepta iu patiente: ex hoc autem non licet aſſerere actionem eſſentialiter eſſe in patiente. Ad 4. actio dupliciter conſiderari poteſt: aut certè ſecundùm modum ſignificandi; atq; ita non eſt in agente, ſed ſicut ab agente. Aut ſecundũ 4.
rem ſignificatam; & ſic ſubiectiuè eſt in agente. Ad 5. hac de cauſa patientis perfectio 5.
actio dicitur; quia id, quod per actionem cauſatur, veluti forma, iu patiente recipitur,
non quia actio eſſentialiter ſit in patiente. Ad 6. quamuis actio ſecundùm rem ſignifi- 6.
catam ſit principium informandi, quo agens formaliter agere dicitur; ſecundùm autem
modũ ſignificandi, nõ eſt actionis principiũ. Ad 7. ſicut actio pro forma, quæ per acti- 7.
onẽ ab agente producitur in paſſo, intellecta eſt, inſtar effectus à cauſa procedentis; ſic ab agẽte influit in paſſum; non ſic autẽ ſe habet actio eſſentialiter conſiderata: ſic enim non ſuſcipitur in paſſo, vt accidens in ſubiecto; ſed potiùs vt cauſa in ſuo effectu. Ex his ergo bene intellectis, ſoluũtur cætera argumenta, hac diſtinctione obſeruata, atque rectè intellecta. Reuera actio immanens à tranſeunte, id certè diſcriminis habere videtur, quòd ſcilicet id, quod ab huiuſmodi actione cauſatur, communiter in ſubiecto maneat: quod verò à tranſeunte producitur, in aliud tranſeat, atque migret, vt calor ab igne, ſiue à calefactione; vtraq; tamen actio eſſentialiter eſt in agente: tranſiens uerò, conſecutiuè eſt in patiente; hoc eſt, forma producta per actionem, in paſſo recipitur. Hanc ſanè ſententiam, & philoſophi doctrinæ, & rectæ rationi confórmem, atque vicinam eſſe affirmo: pro cuius veritate ſtatuenda, corroborandaq́;, nonnulla argumenta adducere curaui, vt vnusquiſq; pro ſuo libitu, atque voluntate, accipere poſſit.

Actionis immanentis, & tranſeuntis diſcrimen.

CAP. V.

Actionem tranſeuntem eſſentialiter eſſe in agente, conſecutiuè verò in patiente.

QValibet perfectio in eo, cuius eſt profectò, inueniatur, neceſſe eſt: ſed a- 1.
ctio eſſentialiter intellecta, eſt perfectio agentis, vt intellectio intelligentis, & volitio volentis; calefactio quoque, & doctio, & quæ ſunt his ſimilia, non autem ipſa producta, quæ recipitur in paſſo: igitur actio tranſiens, eſſen-
tialiter accepta, eſt in agente. Amplius, relatio eſt in eodem ſubiectiuè cum ſuo pro- 2.
ximo fundamento, vt dixi: ſed relatio, cuius fundamentum eſt actio tranſiens, eſt ſubiectiuè in agente; velut paternitas in patre generante, & relatio calefacientis, in cale-
faciente: actio ergo tranſiens, ſubiectiuè eſt in agente. Adhuc, omnis forma exiſtens 3.
in aliquo ſubiectiuè, ipſum denominat: ſed actio non denominat patiens; non ergo ſubiectiuè eſt in patiente. Profectò, ſi actio ſubiectiuè eſſet in patiente; ab illa vtique nomen acciperet; idq́; denominatione intrinſeca: denominatio enim intrinſeca, à forma inhærente proficiſcitur: ſed hoc nequaquam patiens ab actione ſortitur. actio ergo eſt
ſubiectiuè in agente. Item, cuius eſt potentia; eiuſdem etiam eſt operatio: ipſa enim à 4.
potentia proficiſcitur, atq; emanat. ſi ergo operatio tranſiens, ſubiectiuè eſt in paſſo,
in ipſo quoq; erit actiua potentia, quod eſt abſurdum. Sed dicet aliquis, actio, & ter- Obiectiones.
minus actionis, ſunt idem realiter: ſed terminus actionis, eſt realiter in patiente; ergo 1.
& actio. Maiorũ autem veritas ſic probari poteſt: nam ſi actio, atque illius terminus, non eſſent idem realiter; in actionibus plane, proceſſus fieret in infinitũ: actio enim quæ differret à termino, aut eſſet principium actiuum, aut principij effectus actiui; non primum quidem, alioqui actiuo principio poſito, ſemper poneretur actio, quod eſt falſum: eſt ergo actio, actiui principij effectus: ſed quomodo eſt principij actiui effectus, ſine actione? atque ita in eandem incideremus abſurditatem, vt ſcilicet in principio di

 ximus,

ximus, nempe in infinitum procedere. Amplius, actio eſt cum motu, ſiue in motu, vt dicit author ſex principiorum: Omnis, inquit, motus in actione firmabitur; ſed motus
2. *eſt in mobili. 3. phyſ. ergo actio eſt in patiente. Reſpondeo, quòd agens ſuã actionem*
Solutiones. *producat, non certè per aliquam mediam actionem, quippe, cùm non eo modo produ-*
1. *catur, ſicuti id, quod producitur; ſed ſicut id, quod producitur potiùs ex parte producentis: actio enim non eſt id, quod producitur; ſed effectus principij actiui, id eſt, potentiæ actiuæ, non quidem per aliam naturalem actionem productus; ſed magis effectus quo. Ad 2. ad authoritatem illam dico: loqui quidem de actione, quæ eſt forma*
2.
3. *ab agente producta, atq; in paſſo recepta, ſicut paulò ante annotauimus. Amplius, reſpectus oppoſiti non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto: ſed actio, & paſſio ſunt reſpectus oppoſiti; vt generatio actiua, & generatio paſſiua: non poſſunt ergo eſſe in eodem ſubiecto; ſed actio erit in agente, paſſio autem in patiente. hoc autem intelligendum eſt ſecundùm formam productam, conſecutiuè ſcilicet; quia nimirum à quo generatur, & qui generatur, non poteſt eſſe idem: nam actus generandi actiuæ, & paſſiuæ potentiæ,*
Auerroes. *pro forma acceptus, in genito recipitur. Auerrois ſententia fuit, actionem paſſionemq;*
Contradictiones. *motum eſſe, 9. met. com. 9 18. 20. 21: motus enim dicitur ob ordinem, quem habet ad terminum ad quem. quare, vt ab agente illatus, actio: vt verò in paſſo receptus, paſſio*
1. *nominatur. Verùm huic obuiat ſententiæ ſolis lumen, quo àër ſine motu illuminatur. De-*
2. *us præterea in animam agit, ſine motu ſuam illi gratiam infundendo. Voluntas inſuper,*
3.
4. *ſubitò in ſe agit ſine motu; ſimiliter & intellectus agens. Denique, actio, & paſſio, motu, in quo fundantur, poſteriores eſſent; atq; ita mouens non diceretur agens, nec moueri, agere. nec moueri ſimiliter pati: actio igitur non eſt in motu, ſed in agente eſſentialiter; conſecutiuè verò in paſſo, ſiue patiente. agens ſiquidem ad paſſum refertur, relatione ſibi formaliter inhærente: nam relatio, ſuo tantùmmodo fundamento eſſe largitur formale; talis autem reſpectus ad genus actionis pertinet. In eo præterea eſt formaliter actus, vt dixi, in quo eſt potentia ad huiuſmodi actum: ſed in agente eſt potentia ad agendum, hoc eſt, ipſa actiuitas. ergo & ipſum agere. Ex his ergo atq; ſimilibus, quid ad hanc quæſtionem dicendum ſit, manifeſtum eſſe puto; quamuis nonnulla videa-*
Argumenta contraria. *tur in huiuſmodi opinionibus eſſe cõtrouerſia. proinde, vnuſquiſq; abundet in ſenſu ſuo, quemadmodum, & aliqui ſic abundare conſueuerunt, vt hæc obijcerent argumenta. Si*
1. *actio eſt formaliter in agente, inquiunt: igitur nullum agens, ſine ſui mutatione, de nouo aliquid agere poterit; atq; ita Deus in mundi creatione, aliquid noui paſſus eſt: quod*
2. *eſt falſum. Præterea, omne agens, etiamſi phyſicum nequaquam extiterit, agendo pateretur, dum nouam, ſcilicet actionem reciperet. Deniq;, huiuſmodi actio eſſet imma-*
3.
Solutio. *nens, non autem tranſiens. Reſpondeo, & ad primum quidem, verùm planè eſt, nullũ*
1. *agens, ſine ſui mutatione agere poſſe, actione noua ſibi formaliter inhærente. at deus noua non agit actione formali, ſed fundamentali tantùm, quæ eſt æterna. Et ſi dicas, nũc autem agit, non autem priùs; hoc certè denominatione extrinſeca intelligendum eſt, ob*
2. *relationem in creatura exiſtentem. Ad 2. ſemper agens creatum patitur; non tamen phyſica paſſione. Ad 3. patet ſolutio ex dictis, quare dicatur actio tranſiens. Quomodo ergo actio tranſiens ſit in agente, vel patiente, dixiſſe me puto.*

QVAESTIONIS SEXTAE CAP. I.

Relationes eſſe in diuinis.

Expeditis

De relationibus diuinis.

Expeditis, abſolutisq́ relationibus, quæ inter Deum, & creaturam eſſe dicuntur, additis præterea nonullis, quæ ad huius rei materiam ſpectare viſa ſunt; adeſt tandem tempus, ad diuinas profectò relationes accedendi, de quibus ſanè pro tanta rei maieſtate, magna cum animi modeſtia nobis loquendum eſt. Porrò in diuinis, identitatem, diſtinctionem, æqualitatem, ſimilitudinemq́ inueniri, liquet ſatis: tùm ex his, quæ in hoc ſecundo; tum etiam ex his, quæ in primo libro dicta ſunt. Sanè, in diuinis ſunt principia diſtinctiua, vtpotè relationes originis; quia verò vnum in ſubſtantia, facit idem in quantitate, æquale, in qualitate autem ſimile, authore philoſopho 5. met. In diuinis autem, cùm eadem ſit ſubſtantia: erit igitur eadem omnino quantitas virtutis, nempe eadem infinitas, atq; attributa. Cæterùm, diuinarum relationum proximum fundamentum, eſt vnitas diuina; remotum verò, ſubſtātia, quantitas, qualitas, ſicut in deo intelligi debent; quæ reuera non prædicamentaliter ſed tranſcendenter ſumenda ſunt. Sunt autem in diuinis relationes reales, quippe, quæ habeant fundamentum reale, terminum quoq; realem. deniq; extrema quoq; realiter diſtincta, quæ ex natura extremorum, termini ſcilicet & fundamenti innaſcuntur, idq́ ſine opere intellectus, vnum alteri comparantis; diſtinctio autem in illis priorem locum obtinet: omnis enim alia relatio à diſtinctione exordium habet, eiuſdem namq; ad ſeipſum, non eſt relatio realis. deindè eſt identitas, quia ſcilicet ſubſtantia præcedit quātitatem, qui eſt in diuinis modus eſſendi, id eſt ipſa infinitas; & hæc quidem perfectiones attributales præcedit. In diuinis verò tot ſunt æqualitates, atq; ſimilitudines; quot ſunt attributa: nam quodlibet attributum ſuam habet magnitudinem, in qua fundatur æqualitas, atq; in quolibet etiam ipſorum, propria ſimilitudo fundatur: non eſt autem eadem æqualitas numero in diuinis ſiquidem quæ ſunt eadem numero, eſſentialia ſunt, atq; priora notionalibus; relationes autem communes, notionalibus poſteriores habentur. Itaq; in diuinis relationes eſſe, omnino neceſſarium, eaſdemq́ reales: cùm enim aliquid procedit à principio eiuſdem naturæ, tùm procedens, tùm id, à quo procedit, in eodem ordine conueniant, neceſſe eſt, habeantq́ ad inuicem reſpectus reales: ſed in diuinis ſunt proceſſiones in identitate naturæ. igitur ſunt proceſſiones reales, realiter etiam ab inuicem diſtinctæ: in diuinis namq; ſubſtantia continet vnitatem; relatio verò multiplicat trinitatem: ſi ergo relationes diuinæ non diſtinguerentur ab inuicem realiter; nec etiam perſonarum diuinarum trinitas eſſet realis, ſed rationis tantùm; quod eſt impoſſibile. Profectò, quando aliquid attribuendum eſt alicui; omnia etiam, quæ ad illius rationem ſpectant, ſunt quoque illi attribuenda: ſed ad relationis rationem attinet, eſſe reſpectum vnius ad alterum, ſecundùm quem certè, vnum alteri relatiuè opponitur; ſed in deo eſt realis relatio: igitur relatiua oppoſitio, quæ planè in ſui relatione, diſtinctionem includit In deo ergo eſt realis diſtinctio, ſecundùm quidem rē relatiuam, non autem eſſentiam, in qua eſt ſumma vnitas. hæ autem relationes quatuor numerantur. ſiquidem relatio authore philoſopho 5. met. vel ſupra quantitatatem fundatur; vt duplum, & dimidium, aut ſupra actionem, & paſſionem; vt pater & filius, dominus & ſeruus. Cùm autem in deo non ſit quantitas: relationes ergo diuinæ ſuper actionem fundantur, ſecundùm quam eſt proceſſio in deo intrinſeca: duæ autem accipiuntur, ſecundùm proceſſionem verbi vna; altera verò ſecundùm proceſſionem voluntatis: ſecundū quamlibet autem, duæ ſunt oppoſitæ relationes accipiendæ, quarum vna eſt procedentis à principio; altera verò ipſius principij; paternitas, filiatio, ſpiratio, proceſſio. In viuentibus ſanè perfectis, relatio principij generationis, paternitas appellatur; procedentis verò filiatio: proceſſio autem amoris, quemadmodum proprium nomen non habet, ſic etiam relationes, quæ ſecundùm ipſam accipiuntur. Proinde principij huius proceſſionis relatio, ſpiratio, procedentis verò relatio, dicitur proceſſio; tametſi non ad relationes, ſed ad ipſas proceſſiones, vel origines hæc duo nomina ſpectent. Itaq́, relationes

diuinas

Diſtinctio, identitas, realitas, ſimilitudo.

Fundamentū remotum & propinquum relationum.

Reales rationes in diuinis.

Relationes realiter diſtinguuntur ab inuicem.

Quatuor relationes in diuinis.

Relationes diuinæ ſuper actionem fundantur.

diuinas huiuſmodi eſſe, & numero, & proprietate, ex ſupra poſitis manifeſtum eſſe puto. Sed contra prædicta non deſunt argumenta.

CAP. II.

In diuinis relationes non eſſe, neque tot numero, & proprietate.

1. Quidquid eſt in deo, de ipſo realiter prædicatur, authore Boetio de Trinit: Cùm quis, inquit, prædicamenta in diuinam vertit prædicationem, cuncta mutantur in ſubſtantiam, quæ prædicari poſſunt; ad aliquid verò omnino prædicari non poteſt: ſed relatio non dicit ſubſtantiam, vtpotè, quæ in diuinis ſit ſecundùm rẽ reſpectiuam, non autem abſolutam: igitur relatio nõ eſt realiter in deo. Sanè, eius, quod eſt idem, ad id, quod eſt idem, eſt relatio rationis, & non realis; exigit enim extrema realia: ſed eodem authore, in eodem de Trinitate libro, ſimilis eſt relatio in trinitate patris ad filium, & vtriusque ad ſpiritum ſanctum:
2. in diuinis ergo relationes rationis, non autem reales habentur, ſiue eſſe poſſunt. Amplius, Relatio, quæ deo attribuitur, quatenus eſt creaturarum principium; non realis, ſed rationis eſt tantùm, vt paulò ante dixi: igitur relationes diuinæ, ſunt relationes rationis. Tenet conſequentia: relatio enim paternitas, eſt relatio principium: ergo eſt relatio rationis. Profectò relationes, quæ intellectus operationem conſequuntur, rationis relationes dicendæ ſunt; ſed generatio in diuinis, ſecundùm verbi proceſſionem, intelligibilis eſt; igitur paternitas, & filiatio in diuinis, ad relationes rationis pertinent. Præ-
3. terea, quæcunque vni, & eidem ſunt eadem, ſibimet ſunt eadem: ſed omnis relatio in deo, eſt prorſus idem cum diuina eſſentia; relationes ergo ab inuicem realiter non diſtinguuntur: nam quemadmodum paternitas, & filiatio, à diuina eſſentia tantũmodò ſecundùm nominis rationem diſtinguũtur; ita planè bonitas, & potentia: ſed bonitatis, & potentia diuinæ, ob huius nominis diſtinctionem, non eſt neceſſaria aliqua diſtinctio realis: igitur paternitas à filiatione, realiter non diſtinguitur. Reuera, ſi in diuinis relatio realis, ſecundùm originem eſt intelligenda, vbi profectò vna relatio, ab alia, originem ſiue ortum non habet; ibi abſq; dubio relationes ab inuicem realiter non diſtinguntur:
4. quod in diuinis eſſe, clariſſimè intelligimus. ergo quod priùs. Adhuc, in diuinis ſunt plures relationes, quàm quatuor: perperam ergo, quatuor tantùmmodò numerantur; nam relationes intelligentis ad intellectum, & volentis ad volitum, ſunt relationes reales in diuinis, neq; ſub his continentur: non ſunt ergo tantùm quatuor relationes reales in deo. Reuera, relationes intelligibiles, authore Auicenna, multiplicantur in infinitũ; ſed relationes reales in deo, ſecundùm proceſſionem verbi intelligibilem, accipiendæ
5. ſunt: ſunt ergo in deo infinitæ relationes reales. Item, ſicut in primo libro diffusè copi-
6. oſeq; diſputando oſtendi, ideæ ſunt æternæ in mente diuina; igitur ſunt plures quã quatuor relationes in diuinis. Tenet conſequentia: illæ enim cùm ſint æternæ in mente, & reſpectum habeant ad creaturam; ſunt vtiq; relationes. ergo &c.

CAP. III.

Soluuntur Argumenta.

1. Relationes quomodo ſint in Deo.

Ad primum, Boetius à diuinis relationem nequaquam remouere voluit; ſed modum potiùs relationis. Verum quidem eſt relationem in deo non eſſe per modum inhærentis, ſecundùm propriam relationis rationem; eſt nihilominùs per modum ad aliud ſe habentis. Ad confirmationem dico, Boetium

relationes

 De relationibus diuinis.

relationes diuinas aſsimilare identitatis relationi, non quidem, quòad numerum; ſed quòad ſubſtantiæ vnitatem potiùs: relationes enim non ſunt idem numero, ſed eſſentia, ſiue ſubſtantia. Ad 2. negatur ſimilitudo: proceſsiones enim diuinæ in eadem natura 2.
ſunt, creaturarum verò in diuerſa; ideo non eſt ſimile. Ad confirmationem, ſimilitudinem veram eſſe dicimus in rebus, quæ ſolam intellectus operationem conſequuntur, non autem in rebus, quæ realiter diſtinguuntur. perſona ſiquidem procedens in diuinis, realiter diſtinguitur à perſona procedente: ideo non eſt ſimile. Ad 3. argumentum 3.
huiuſmodi valet, authore philoſopho 3. phyſ. in his certè, quæ tum re, tum etiam ratione, eadem ſunt; non autem in his, quæ ſola ratione differunt: nam vt ipſemet teſtatur, actio, & paſsio non ſunt omnino idem, quamuis ſit idē motus: in actione namq; eſt motus, tanquam à quo motus in mobile proficiſcitur, in paſsione verò, velut in quo: vtpote quæ ab alio accipit motum. Quamobrem, & ſi paternitas, & filiatio, ſecundum rem cum diuina eſſentia ſint idem omnino; proprijs tamē rationibus, oppoſitos reſpectus præſeferentibus, diſtinguūtur. Ergo, &c. Ad confirmationē dico, verū eſſe propriè loquendo, relationes ab inuicē non oriri, atq; proficiſci; ſecundùm tamen proceſsionē alicuius ab alio, accipiuntur. Ad 4. Negatur antecedens, & ad probationem dico, id veritatem habere, 4.
vbi intellectus & res intellecta diſtinguuntur, veluti ſcientiæ ad rem ſcitam, & volentis ad rem volitam: ſed quia in Deo intellectus, & res intellecta ſunt idem omnino, quippe, qui ſeipſum intelligendo, intelligit omnia; & eadem ratione, voluntas & volitum: idcirco huiuſmodi relationes in deo, reales nequaquam dicendæ ſunt: quemadmodum, nec relatio eiuſdem ad ſeipſum. Quæ autem ad verbum eſt relatio, realis eſt: intelligitur enim, vt procedens per actionem intelligibilem, non autem, vt res intellecta. Quando certè leonem intelligimus, id planè, quod ex re intellecta intellectus conſpicit, verbum vocatur. Ad confirmationem, negatur ſimilitudo: Deus ſiquidem vno actu intelligit omnia; ideo in infinitum illius relationes augeri non poſſunt: ſecus autem eſt de actibus noſtris, quos profectò plures eſſe, neceſſe eſt, ob plura obiecta, quæ intelligimus. Ad 5. Verum quidem eſt ideales reſpectus à deo cognitos eſſe; ob id tamen non ſunt in 5.
deo plures relationes conſtituendæ; ſed aſſerendum eſt potiùs, deum plures relationes cognoſcere. Ad confirmationem dico, æqualitatem, ſimilitudinem, in deo eſſe relationes rationis. Quomodo ergo ſint quatuor relationes reales in diuinis, & quo etiam modo, nempe realiter ab inuicem diſtinguantur, iam dixi.

CAP. IIII.

Notiones diuinæ ſunt quinque: innaſcibilitas, paternitas, filiatio, communis ſpiratio, proceſsio.

Quoniam quidem de relationibus diuinis nonnulla dicta ſunt; deinde de notionibus diuinis aliqua dicentur. Notio eſt propria ratio perſonæ diuinæ cognoſcendæ, diuinæ autem perſonæ ſecundùm originem multiplicantur, originis verò modi, duo profectò numerantur: alter ſcilicet, à quo alius, alter verò, qui ab alio: ſecundùm igitur hos duos modos, perſona innoteſcere poteſt: nihil ergo in diuinis notio eſſe poteſt, quod ad originem non pertineat, aut ratio non ſit perſonæ innoteſcendæ, ſi ſit tribus commune. Itaq; notio eſt ratio realis, quà diuina perſona innoteſcit: nulla præterea negatio extra genus dicta, de aliquo diuino ſuppoſito, non pertinens ad originem, notio dici poteſt. notio ſiquidem, aut aliquid ad originem pertinens dicit, aut ex ſuo formali ſignificato originem ponit, aut ſaltem connotat, quamuis aliquam neget originem, vt de ingenito patet. Itaq; notio cùm ſit ratio innoteſcendi perſonam; id certè tum priuatiuè, vel negatiuè, tū etiam poſitiuè fieri poteſt:

Quid ſit notio.

Originis modi duo.

Notio pertinet ad originem.

nibus diui nis. *priuatiuè, inquam, vt ingenitum, quæ eſt notio primæ perſonæ, negatq; ab ipſa ſcilicet*
Quinque notiones. *notione, quamlibet productionem paſſiuam: poſitiuè verò perſona innoteſcit, quæ eſt ab*
alia, vel à qua eſt alia. & is quidem ſecundus modus duplex; alter ſanè ſecundùm na-
Ingenitus *turam, ex quo conſurgit notio, quæ paternitas appellatur: alter verò ſecundùm volū-*
Notio priuata *tatem, ex quo fluit notio, quæ dicitur communis & actiua ſpiratio; primus quoq; mo-*
dus ſimiliter ſe habet, quippe, qui duas notiones contineat, nempe filiationem, atq; paſ-
ſiuam ſpirationem: ſi enim proceſſio ſit ſecundùm naturam, ſiue intellectum; filiatio: ſi
verò ſecundùm voluntatem, ſpiratio paſſiua nominatur. Adde, ingenitum, quod ad pa
tris perſonam propriè pertinet, & quinque notiones numerabis: ſunt igitur quinque no-
Proprietates. *tiones in diuinis, ſcilicet innaſcibilitas, paternitas, filiatio, communis ſpiratio, & proceſ-*
ſio, ex quibus tantùm quatuor relationes appellantur; ſiquidem innaſcibilitas per redu
ctionem relatio nominatur. quatuor autem tantùmmodò proprietates ſunt: communis e-
Perſonales no tiones tres. *nim ſpiratio, quia duabus perſonis conuenit, proprietas dicenda non eſt. notiones autem*
perſonales, id eſt, perſonas conſtituentes, tres quidem numerantur, nempè paternitas,
filiatio, proceſſio: innaſcibilitas namq;, atq; communis ſpiratio; licet perſonarum notio-
Obiectiones. *nes ſint; perſonales tamen dici non poſſunt. Sed dubitabit aliquis, ſi innaſcibilitas, eſt*
1. *notio primæ perſonæ in diuinis: igitur negatio producendi actiuè, ſecundùm reuera om-*
2. *nem producendi modum intrinſecum, eſt notio Spiritus ſancti. Amplius, quemadmo-*
Inſpirabilitas *dum innaſcibilitas patris notio dicitur; ita planè patris, ac filii notio, inſpirabilitas di*
cenda eſſet: vterq; enim ab aliquo non ſpiratur, ſicut pater à nullo gignitur, ſiue naſci-
tur. Quòd ſi dixeris, inſpirabilitatem ſub innaſcibilitate intelligi; id profectò in filij per-
ſona veritatem non habet, in quo innaſcibilitatem non eſſe, clariſſimè conſtat: inſpirabi-
Ingenerabilitas. *litas ergo, filij ſaltem notio, dici poſſet. Adhuc, ſi ſpiritus ſanctus non gignitur, ſed*
3. *producitur; igitur ingenerabilitas eſt notio Spiritus ſancti. Reſpondeo, ad primum:*
Solutiones. *quoniam omnis productionis actiuæ negatio, eſt extra genus, nullumq; ſibi determinat*
1. *ens, ſed æquè conuenit eſſentiæ, ac chymeræ, & ſpiritui ſancto; ideo ſpiritus ſancti no-*
tio eſſe non poteſt: ingenitum autem, quoniam omnem prorſus negat productionem paſ-
2. *ſiuam, contrario modo ſe habet. Ad 2. quòad patris pertinet perſonam inſpirabilitas,*
ſub innaſcibilitate comprehenditur; ideo notionum numerum augere non valet: quòad
verò ad filium ſpectat, quia vnum tantùmmodò productionis modum negat; iccirco nul-
lius perſonæ notio appellatur: etenim productionem paſſiuam nequaquam negat: perſo-
na autem, cuius notio eſt aliqua productionis negatio, eſt ſimpliciter abſoluta, & im-
producta; quod reuera per inſeparabilitatem fieri non poteſt. quare, filius licet impro-
3. *ductus dici non poſſit; bene tamen atq; verè dicitur inſpiratus. Ad 3. eadem facilitate*
ſoluitur obiectio, quæ de ingenerabilitate, atq; ſimilitudine propoſita eſt: quinque er
Aliæ obiectiones. *go eſſe diuinas notiones dixi. Sed iterum dubitabit aliquis: tot eſſe debent notiones; quot*
reuera ſunt relationes. ſiquidem notiones, relationes perſonarum ſunt, quibus diſtin-
1. *guuntur: ſed diuinæ relationes tantùmmodò quatuor deſcribuntur; totidem ergo erunt*
notiones. Sanè, ſi in diuinis eſſent quinque notiones; profectò deus diceretur quinus, ſi-
cuti vnus, ex eſſentiæ vnitate, & trinus, ex perſonarum trinitate appellatur: quod eſt
2. *omnino falſum. Amplius, in perſona patris ſunt tres notiones, ſcilicet, innaſcibilitas, pa-*
ternitas, communis ſpiratio: aut certè huiuſmodi inter ſe re differunt, aut non; ſed ra-
tione tantùm: non primum, alioqui patris perſona, ex pluribus rebus eſſet compoſita,
quod planè abſurdiſſimum eſt. neq; ſecundum: nam ſi ratione tantùm differunt, vna
de altera prædicabitur; atque ita communis ſpiratio erit paternitas: quod omnibus mo-
3. *dis eſt impoſſibile, Adhuc, ſicut patri, filioq; commune eſt, quòd ab eis ſpiritus ſan-*
ctus procedat; ita profectò filio, ac ſpiritui ſancto, vt à patre procedant: ſed primum
eſt notio patris, & filij, ſcilicet communis ſpiratio; ſecundum ergo, notio erit filij, &
ſpiritus ſancti, nempe communis proceſſio: ſunt ergo ſex, & non quinque tantùm diui-
næ notiones.

De eſſentia & relatione.

næ notiones. Reſpondeo, ad primum iam diximus, præter quatuor relationes, aliam no-
tionem, nempè innaſcibilitatem, neceſſariam eſſe. Ad confirmationem dico, notiones
diuinas ſignificari, vt rationes, quæ perſonas notificant; eſſentiam verò, & perſonas, vt Solutiones.
res potiùs. hac de cauſa deus dicitur vnus, ob eſſentiæ vnitatem, & trinus, ob perſona- 1.
rum trinitatem; non autem quinus, ob quinarium relationum numerum. Ad 2. Quoni- 2.
am in diuinis ſola relatiua oppoſitio, realem conficit pluralitatem, vnius verò perſonæ
proprietates ad inuicem relatiuè non opponuntur; nec ergo ex conſequenti realiter dif-
ferunt, nec etiam vna de altera prædicatur. Ad 3. negatur ſimilitudo: filius enim, & 3.
ſpiritus ſanctus, non vno eodemq; modo à patre procedunt; ſicut pater & filius, ſecun-
dùm eundem omnino modum ſpirandi, ſpirant ſpiritum ſanctum: non ergo eſt ſimile.
Quot ergo ſint notiones diuinæ, & quomodo diſtent, hæc pauca dixi.

Qvaestionis septimae. Cap. I.

Eſſentiam diuinam, & relationem, idem realiter eſſe, diſtingui verò formaliter ex natura rei.

IN primo Pymandri, quid diſcriminis ſit inter relationem & perſonam, &
quomodo perſonæ per proprietates relatiuas diſtinguantur, ac nonnulla,
quæ huic negotio deſeruire videbantur, diſputando deſcripſi: nunc certè
opportunum, imò neceſſarium eſſe iudicaui, quô relationum diuinarũ in-
quiſitio abſolutior, atque perfectior eſſe poſſit, quæ reliqua erant, addere,
atque huic noſtro propoſito certamini connectere. adduximus autem hanc famoſam, &
nequaquam vulgarem quæſtionem, quæ de eſſentiæ ac relationis vnitate, diſtinctioneq;
ſubtiliter loquitur: atq; in ipſo quaſi limine, quæſtionis veritatem proponendo, inſerui,
nempè eſſentiam diuinam, & relationem, vtpotè paternitatem, idem prorſus eſſe rea-
liter; differre verò formaliter, ex natura rei. Sanè illud, quod conſtituit per ſe vnum Ratio prima.
ſuppoſitum ſimplex cum alio, non diſtinguitur realiter ab ipſo: ex quibuscunq; enim
realiter diſtinctis, non fit per ſe vnum, niſi certè per compoſitionem. ſed eſſentia, & re-
latio, ita ſe habent ad inuicem, ex quibus conſtat diuina perſona, non quidem compoſiti-
one, quæ ex partibus reſultet; ſed potiùs ex eſſentia, & proprietate relatiua: igitur eſ-
ſentia & proprietas relatiua, non diſtinguuntur realiter. Amplius, illa, quorum vnũ, 2.
ſecundùm vltimam abſtractionem acceptum, de alio ſimiliter ſe habenti prædicatur,
ſunt omnino realiter idem; ſed eſſentia & paternitas, ſunt huiusmodi: verum enim eſt
dicere, eſſentia eſt paternitas. ergo quod prius. Iterum, omne diſtinctum realiter ab 3.
eſſentia diuina, vel à deo; abſq; dubio in creaturarum numero eſt computandum: ſed
proprietates diuinæ relatiuæ, in creatararum numero habendæ non ſunt; igitur à diui-
na eſſentia realiter non diſtinguuntur. Præterea, illud, quo nihil maius cogitari poteſt, 4.
eſt omnino idem realiter cuilibet ſibi formaliter compoſſibili, alioqui haberet rationem
partis, & imperfecti; & ſic ab aliquo perfectibilis: ſed diuina eſſentia eſt id, quo ali-
quid maius excogitari non poteſt; idem ergo eſt realiter relationi ſibi compoſſibili:
etenim, ſi realiter ab ipſa eſſentia relatio diſtingueretur; vtique ipſam perficeret aliquo
modo. cùm ſiquidem actuaret, ſiue in actum reduceret. Cùm autẽ hæc ſint prorſus im-
poſſibilia, manifeſtum eſt, relationes diuinas à diuina eſſentia realiter nõ diſtingui: pro-
fectò diuina eſſentia, ob ſuam quidem infinitatem, eadem realiter eſt cum re ſibi com-
poſſibili, ſiue, vt ita dicam, componibili, cuiuſcunq; conditionis exiſtenti; illi tamẽ for-
maliter eãdem eſſe, eſt planè impoſſibile. Sanè, quod ex ſe perfectionem formaliter

 indicat,

indicat, cum eo, quod ex ſeipſo non eſt formaliter perfectum, ſiue perfectionem dicit,
idem formaliter fieri non poteſt. Itaq; eſsentia & relatio, formaliter diſtinguuntur ex
Eſſentia & relatio in diuinis, ex natura rei, formaliter diſtinguuntur.
natura rei: vtramq; enim, nempè eſsentiam & relationem in diuinis, ex natura rei, nō
autem ex opere intellectus, aut vnam ex opere intellectus, alteram verò ex natura rei
exiſtere, clariſsimum eſt; vtramq; certè ex opere intellectus tantùm exiſtere, eſt om-
nino impoſsibile; alioqui, perſona ex ipſis conſtituta, eſſet profectò purum ens rationis:
ſed primum ens ſimpliciter, non poteſt eſſe ens rationis: ens namq; rationis aliquo re-
Prima ratio.
uera intellectu poſterius eſt, quod diuinæ eſsentiæ congruere poteſt: igitur eſsentia &
2. *relatio, non ex opere intellectus, ſed ex natura rei in diuinis conſiſtunt. neq; eſſentia e-*
rit ens rationis, relatio verò ex natura rei: relatio ſiquidem ſine fundamento reali, v-
tique realis dicenda non eſt. quare, ſi diuina eſſentia fuerit ens rationis; & relatio ſimi-
3. *liter. Denique relatio, eſſentiam neceſſariò præſupponit: ens autem ex natura rei, præ-*
ſupponere ens rationis, non eſt neceſse; neque relatio in diuinis ex opere tantùmmodò
intellectus pendere, dicenda eſt; alioqui vnum ſuppoſitum diuinum, ab altero non re-
aliter, ſed ratione tantùm diſtingueretur. Perſonæ inſuper productæ, vnico producen-
di modo, nempè modo intellectus, non autem voluntatis producerentur. Sanè, ſi relatio
& eſsentia diuinas conſtituunt perſonas; altera verò illarum eſt ens rationis; altera au-
tē ens ex natura rei: igitur perſonæ productæ partim entia rationis, partim entia ex na-
tura rei dicerentur: ex vtriſq; enim conſtarent, ſed hoc eſt abſurdiſsimum: igitur eſsē-
tia & relatio ex natura rei, non autem ex opere intellectus, in diuinis conſiſtunt. Cùm
Eſſentia & relatio formaliter ex natura rei differunt.
autem eſſentia & relatio in diuinis ita ſe habeant, ab inuicem formaliter diſtingui, ex
natura rei, patet ſatis. Sanè, contradictoria, de eodem penitus indiſtincto, ex natura
rei, vera eſſe non poſſunt: ſed diſtinguere perſonam vnam ab altera, & non diſtingue-
1. *re; idq; ex natura rei, contradictoria vtique ſunt, quæ ergo ſic habent, diſtinguuntur*
ex natura rei; ſed relatione, non autem eſſentia perſonæ diuinæ diſtinguuntur: igitur,
2. *eſſentia & relatio, ab inuicem formaliter ex natura rei diſsentiunt. Amplius, quæ ex*
natura rei formaliter dicunt aliquod poſitiuum: ſed alterum ipſorum eſt ſimpliciter in-
finitum, dicitq; perfectionem ſimpliciter; alterum verò minimè; abſq; dubio diſtinguū-
tur formaliter ex natura rei: ſed eſsentia diuina, & paternitas, ſunt huiuſmodi, vt in
3. *primo Pymandri dixi; igitur diſtinguuntur formaliter ex natura rei. Amplius, quod*
ex natura rei, atque ratione formali, eſt obiectum beatificum, ab eo, quod non eſt ta-
le, ex natura rei diſtinguitur: ſed eſsentia diuina, eſt primum obiectum beatificum, nō
autem relatio, alioqui in quatuor obiectis realiter diſtinctis, hoc eſt, in quatuor relatio-
nibus, primò intellectus beatificaretur, quod eſt falſum: primarium enim beatitudinis
obiectum, eſt diuina eſſentia: igitur relatio & eſſentia formaliter diſtinguuntur ex na-
4. *tura rei. Adhuc, quæcunq; vni, & eidem ſimpliciter ſimplici extra intellectum, ſunt*
penitus eadem; proculdubio inter ſe ſimiliter ſe habent; alioqui cum tertio non eſsent
idem omnino. ſi ergo paternitas, & diuina eſsentia, & filiatio, ſint prorſus idem; igitur
paternitas à filiatione nequaquam diſtingueretur, quod eſt abſurdum & impoſsibile:
nam pater eſſet filius, & filius pater; & ex conſequenti, paternitas eſſet filiatio. Adde,
quòd ſi paternitas ſit omnibus modis idem cū diuina eſſentia, quemadmodū diuina eſsen-
5. *tia non prædicatur de filiatione, nec etiā paternitas: quod certè, quàm ſit abſurdiſsimū,*
neminē latet. Suffragatur huic ſententiæ diuus Auguſt. 7. de Trin. cap: 11. Si eſsentia,
inquit, ad aliud diceretur; eſsentia vtique non eſſet eſſentia. at ſi paternitatis, & eſsentiæ,
ſit eadē omnino formalitas, ſicut paternitas: ſic etiam eſsentia diceretur ad aliquid; atq;
Eſſentia non dicitur ad aliquid.
ita eſsentia non eſſet eſſentia, quod eſt impoſsibile: quia nimirū negatur idē de ſeipſo.
Quòd ſi quiſpiam dixerit, pro Auguſtini ſententia conſeruanda, rationis diſtinctionem
ſufficere; nec opus eſse diſtinctionem formalem ex natura rei adducere, dico: ſi Augu-
ſtini ſententia, ex ſola rationis diſtinctione ſaluari poteſt; tunc remoto rationis opere,
hæc eſset

De eſſentia & relatione.

hæc eſſet falſa: eſſentia non eſt ad aliud, & eius oppoſita; eſt vera, atq; ita, circumſcripto opere intellectus, eſſentia, non eſſet eſſentia. Idem præterea 7. de trinit: Abſurdum eſt, inquit, vt ſubſtantia dicatur ad aliud; ſed hoc de relatione dici non poteſt, quæ ex ſui natura, ad aliud refertur: igitur, formaliter ex natura rei ab eſſentiá ſeparatur. & cap, 9. ſubſtantia patris eſt, quo eſt, non autem, quo eſt perſona patris, ſiue pater. & de verbo idem ſimiliter ſentit cap. 4. Non, inquit, eo eſt verbum, quo eſt eſſentia, quæ profectò omnia, ſi formaliter idem eſſent cum diuina eſſentia; falſa, ſine dubio, dicenda eſſent Relatio igitur, atq; eſſentia formaliter diſtinguuntur, atq; in primo modo dicendi per ſe nequaquam eſſe poſſunt: vtpotè, quia vnum eſt abſolutum, aliud verò reſpectus, ſiue reſpectiuum, quæ ſimul in primo modo dicendi per ſe conuenire nequeunt. Quamobrem, triplici inadæquatione eſſentia, & relatio diſtinguuntur: eſſentia enim dicit perfectionem ſimpliciter, non autem relatio: eſſentia præterea, ex ſeipſa per identitatem, relationis realitatem includit, non è conuerſo. Deniq; de quo prædicatur eſſentia, non ſemper prædicatur relatio quælibet, aut cui ineſt eſſentia, etiam omnis relatio ineſt. Inadæquatione igitur perfectionis, mutuæ communicationis, atq; prædicationis eſſentia, & relatio ab inuicem diſtinguuntur. Quomodo ergo eſſentia, & diuinæ relationes ab inuicem diſtinguantur, & conueniant, dixi: ſed multa inſtant argumenta, quæ in ſequenti capitulo excutientur.

Eſſentia differt à relatione triplici adæquatione.

CAP. II.

Eſſentiam, & diuinas relationes non eſſe idem realiter, nec diſtingui formaliter.

PAter, diuinitate, ſiue eſſentia, non autem paternitate, eſt Deus, authore Auguſtino 7. de trinit: Non eo pater, inquit, quo Deus; nec eo verbum, quò Deus: igitur, paternitás, à diuina eſſentia realiter ſeparatur. Tenet conſequentia: paternitas reuerà, non eſt deitas. Sanè, nihil eſt in ſeipſo primò, veluti in fundamento, teſte philoſopho 4 phyſ: ſed proprietas eſt in eſſentia, vti in fundamento: igitur, non eſt; ſed ab eſſentia diſtinguitur realiter. 1.
Amplius, illa non ſunt idem realiter, quorum vnum multiplicatur realiter, altero, ſine multiplicatione manente: ſed relatio multiplicatur realiter; eſſentia verò, nequaquam, ob ſummam illius ſimplicitatem: realiter ergo diſtinguuntur. Sanè, quemadmodum illa non ſunt idem realiter, quæ ſub primis entis differentiis continentur; ita planè, imò multò minùs illa, quæ ſub primis alicuius generis differentijs: ſed eſſentia, & relatio ſunt huiuſmodi: continentur enim ſub abſoluto, & reſpectiuo: ergo quod prius. 2.
Amplius, illa, quæ ita ſe habent, quorum vnum poteſt eſſe ſine reliquo; realiter vtiq; inter ſe differunt: eadem enim res à ſeipſa ſeparari non poteſt. ſed diuina eſſentia, eſt in vna relatione, ſiue cum vna relatione, ſine altera, alioqui de relatione, de qua prædicatur diuina eſſentia; prædicaretur etiam alia relatio; atq; ita paternitas eſſet filiatio, & è conuerſo. quod eſt falſum: igitur, eſſentia diuina, & relatio differunt realiter. Profectò, vt dixi, vna eſt ſimpliciter infinita; vtpotè eſſentia: alia autem, minimè: igitur, realiter differunt. 3.
Præterea, aut tota paternitatis realitas, eſt eſſentia, & tum paternitatis, & filiationis vna eademq; prorſus erit realitas, atq; ita, paternitas, & filiatio, pater, & filius ſunt idem omnino, quod ad ſabellij hæreſim pertinet. aut certè, eſſentia non eſt plena, ſiue tota paternitatis realitas, nec pari ratione filiationis; & tum eſſet incidendum in alterius hæreſis foueam, nempe, vt dicamus, in diuinis aliquam realitatem inueniri, à diuina eſſentia, ſecretam, atq; diſtinctam: eſſentia ergo, atq; relatio non ſolùm formaliter; ſed e- 4.

De eſſentia & relatione.

tiam realiter diſtinguuntur. Adhuc, relatio, quatenus ab eſſentia diſtinguitur, aut certè eſt per ſe res in primo modo, aut non. non ſecundum, alioqui per ſe nihil eſſet; & tunc
5. à diuina eſſentia ne formaliter quidem diſtingueretur: quod enim nulla res eſt, omnino nihil eſt: & quod nihil eſt, diſtinctioni non ſubijcitur. ſi autē res ſit in primo modo, aut alia vt diſtincta res; idem namq; , & diuerſum circa ens immediatè ſe habent. ſi alia res, realiter ergo ab eſſentia diſtinguitur; ſicq́ cum ea compoſitionem faceret: ergo quod
6. prius. Iterum, quod non eſt idem formaliter alteri; ab eo vtiq; eſt formaliter diuerſū: ſed ſi relatio formaliter ab eſſentia ſecernitur, quia non eſt eadem formaliter eſſentiæ: eſt ergo diuerſa formaliter ab ea. Porrò, omne diuerſum ab alio, realiter vtiq; ab eo diſtinguitur: ergo relatio, & eſſentia non ſolum formaliter; ſed etiam realiter diſtinguuntur. Profectò, quemadmodum eidem, reſpectu eiuſdem formaliter, differre, & conuenire nihil poteſt; ita planè, neq; conuenire, & differre realiter, per idem omnino realiter. ſed perſona diuina, ab altera realiter diſtinguitur: igitur, eidem conuenire realiter nequit per idem realiter; ſicut nec illud, per idem formaliter. Quare, ſicuti ex conuenientia, differentiaq; perſonarum, formalis; ita etiam realis diſtinctio, neceſſariò habetur, atq; concluditur.
7. Item, eſſentia diuina, tum formaliter, tum etiam realiter eſt illimitata, atq; infinita: igitur, ſi à relatione realiter non diſſentit; nec etiam formaliter, valet conſequentia: nam ſicut ex ſua illimitatione reali, eſt omnino eadem realiter cum relatione; ita planè, ex ſua infinitate formali, erit illi eadem formaliter: vnumquodq; enim ſua realitate, entitateq́, qua eſt, & conſiſtit, diſtinguendum eſt, à quocunque diſtinguitur: ſed relatio, quia eandem prorſus habet cum eſſentia realitatem, ſua realita-
8. te, entitateq́, ab ipſa non diſtinguitur: igitur, ratione tantùm ſeparantur. Præterea, eodem ſanè modo aliqua ſunt idem inter ſe, quo reuera ſunt eadem in tertio: eſt enim hæc firmiſſima ſyllogiſtica ratio. ſed duæ relationes oppoſitæ, ſi ſint eædem ipſi eſſentiæ; erunt igitur eædem inter ſe: non ſunt ergo ab inuicem realiter diſtinctæ; niſi etiam ab eſſentia realiter diſtinguantur. ſed ab inuicem realiter diſtinguuntur: igitur, ab eſſentia di-
9. uina ſimiliter ſeparantur. Amplius, ſi relatio eſt eadem realiter eſſentiæ, aut identitas eſt adæquata eſſentiæ, aut non. ſi adæquata; tunc planè eſſentia, nulli alteri relationi erit eadem realiter, quod eſt falſum. ſi non adæquata; hoc reuera, per aliquam diſtinctionem fiat, neceſſe eſt. Ad hoc autem non ſufficit formalis aliquorum diſtinctio: hæc enim ſicut nec realitatum identitatem excludit; ita nec realis aliquorum identitatis adæquationem. diſtinctio ergo realis inter eſſentiam, & relationem erit ſtatuenda: alioqui relatio, & eſſentia eſſent penitus idem. Ex his ergo, atq; ſimilibus patet, & eſſentiam, & relationem non formaliter; ſed realiter diſtingui.

CAP. III.

Soluuntur argumenta.

Paternitas nō eſt deitas formaliter.

1. AD primum, approbo maiorem: patrem ſcilicet deitate, Deum eſſe, idq; formaliter: paternitatem verò, deitatem non eſſe: verum eſſe formaliter, aliquod tamen, quod eſt paternitas realiter, vtpotè diuinam eſſentiam, Deum eſſe. ſi enim accipiatur paternitas pro ſuppoſitione perſonali; minor vtiq; erit falſa: etenim eſſentia eſt paternitas, & eſt Deus. ſi verò pro ſuppoſitione ſimplici, ſic eſt vera, & non ſequitur concluſio, nec aliud quippiam; niſi quia eſſentia non ſit paternitas formaliter, aut paternitas formaliter ſit eſſentia. Ad confirmationem dico: id tantùm haberi, relationem ſcilicet, ab eſſentia, in qua eſt, & funda-
2. tur, aliquo modo ex natura rei diſtingui. Ad 2. vnum realiter, non eſt multa diſtincta realiter, quaſi ſint idem omnino; poteſt tamen, & eſt, id; quod eſt illimitatum, & infinitum,

De eſſentia & relatione.

ſinitum, eſſe cuilibet perſonæ diuinæ idem realiter. Ad confirmationem dico, hoc tan-
tùm haberi, eſſentiam ſcilicet, & relationem formaliter diſtingui: eſt enim in eis vna
realitas; non tamen, vna eademq́; formalitas. Ad 3. dico, nunquam eſſentiam ſine ali- 3.
qua relatione eſſe poſſe, aut ſine aliqua ex perſonis diuinis; nec vnam ſimpliciter loquen-
do, ſine alia; niſi fortaſſis cum reduplicatione: nimirum hoc modo, vt eſſentia in filio,
eſt in patre; non tamen, vt in filio. Ad confirmationem dico, quamuis eſſe infinitum, re-
lationi formaliter repugnet; non tamen vnitas eius, quod eſt ſimpliciter infinitum. Ad
4. rationes illæ non oſtendunt realem eſſentiæ, & relationis diſtinctionem: alioqui rela- 4.
tionis, & eſſentiæ compoſitionem in perſona non effugeremus. Ad 5. quamuis relatio ſit 5.
res per ſe, non tamen per ſe res primò, quæ eſt eſſentia; nec per ſe alia res, ab eſſentia,
vel non eſt eſſentia: eſt enim per ſe res, quia non eſt nihil; ſed non per ſe eſt eſſentia di-
uina, aut res, quæ per ſe primo modo ſit eſſentia diuina, quippe, cùm huiuſmodi modus
eſſentiæ ſit diuinæ tantùm. quare, relatio eſt ſemper eſſentia; non tamen per ſe primò, hoc
eſt, realiter, & non formaliter. Ad 6. ſi maior intelligatur pro alietate, vt ita dicam, 6.
reali, ſiue eſſentiali, falſa quidem; ſi verò pro formali, vera profectò dicenda eſt: re-
latio enim eſt alia res formaliter, non autem realiter ab eſſentia diuina. Ad confirma-
tionem dico, ſuppoſitum diuinum, cum alio eſſe idem eſſentialiter, quia Deus ſcilicet,
non realiter; ideo in minori, falſum aſſumitur. hoc etiam modo, neq; vna relatio, alteri
eſt eadem realiter. Præterea, poſſunt eſſe aliqua duo, formaliter inuicem diſtincta,
quorum alterum, ab altero realiter diſtinguatur, vtpotè eſſentia, & paternitas, reali-
ter idem ſunt, formaliter verò diſtinguuntur: paternitas verò à filiatione, realiter di-
ſtinguitur, quia proprijs ſcilicet rationibus diſſentiunt. Ad 7. negatur conſequentia, & 7.
ad probationem dico: quòd licet eſſentia, & formaliter, & realiter ſit illimitata, & in-
finita; à relatione tamen formaliter diſtinguitur: neq; valet, ſicut eſt eidem realiter; ſic
etiam formaliter: nam infinitas ſimpliciter omnem prorſus imperfectionem excludit,
quæ reuera neceſſariò ineſſet, ſi relatio non idem realiter cum eſſentia eſſet; compatitur
autẽ diſtinctionem formalem, quæ non tantùm imperfectionẽ; ſed perfectionem potiùs
indicat, atq; oſtendit. Ad probationem reſpondeo, quòd relatio ſua quidem realitate, eſt
omnino idem cum eſſentia, formalitate verò diſtinguitur: neq; enim vna de altera in abſ-
tracto prædicaretur, ſi ab illa realiter diſtingueretur. Ad 8. verum quidem eſt quod 8.
in maiori accipitur, ſi illud tertium non eſſet formaliter infinitum, cuiuſmodi eſt eſſen-
tia diuina. cùm autem illa duo non ſint formaliter infinita; non ſequitur quòd cùm idem
extiterint cum tertio, eadem neceſſariò fore inter ſe. Ad 9. dico illam identitatem non 9.
ita eſſentiæ adæquatam eſſe, quin ipſa eſſentia oppoſitæ relationi eadem omnino eſſe ne-
queat; imò eſt prorſus eadem, neq; ex hoc etiam inter eſſentiam, & relationem aliqua
ſtatuenda eſt diſtinctio realis, quandoquidem diſtinctio formalis cum infinitate eſſen-
tiæ ſufficiat pleniſſimè. vnde, quamuis vna formalitas, infinita exiſtens, ob ſuam forma-
lem infinitatem, aliam ſuperet; eſt tamen adæquata, ſuæ realitatis reſpectu: vnica enim
eſt in illis realitas ſimpliciſſima. Quare, ſi quòad huiuſmodi realitatis rationem diſtin-
ctio poneretur; iuſta vtiq; eſſet argutia diſputantis. Itaq́; eſſentiam diuinam, atq; diui-
nas relationes, realiter quidem idem eſſe, formaliter verò differre, patet ſatis. Verùm
alijs argumentis contra prædicta quidam arguere tentarunt: vt patebit in capite ſe-
quenti.

CAP. IIII.

Eſſentiam diuinam, & relationem ſecundùm intelligentiæ rationem tantùm diſtingui.

Propria

De eſſentia & relatione.

*PRopria relationis ratio, non ad illud, in quo eſt; ſed ad aliquid externum
refertur. proinde, quemadmodum in quolibet accidentis prædicamento,
duo conſideranda ſunt, alterum quidem eſt id, quod vnicuiq; competit prædicamentorum;
quatenus eſt accidens: alterum veró, propria vniuſcuiuſq;
illorum generum ratio; ita, & in relationis prædicamento. Cùm igitur propria
illius ratio, ad extra referatur, relationes in quantum accidentis rationem ſubeunt,
accidentis verò eſſe, eſt ineſſe; eſſe profectò habent accidentale: quæ ſanè, ſi ad Deum
transferantur, dimiſſo accidentali eſſe, eſſe induunt ſubſtantiale: quidquid enim eſt
in Deo, eſt eius eſſentia; ideo relatio, in Deo exiſtens, habet eſſe diuinæ eſſentiæ omnino;
quatenus autem ad aliquid dicitur, non aliqua ad eſſentiam habitudo ſignificatur,
ſed ad ſuam potiùs relationem oppoſitam. Itaq;, relationem realiter in Deo exiſtentem,
eſſentiæ ſecundùm rem idem eſſe, atq; ſecundùm intelligentiæ rationem ab ea tantùm
differre, clariſſimum eſt: quod ſic certè ad formam ſyllogiſticam reduci poteſt. illud,
Ratio prima quod in alicuius ſubſtantiam migrat, ab illo vtiq; ſola intelligentiæ ratione diſtinguitur:
ſed relatio, authore Boëtio in lib: de trinit: comparata ad eſſentiam, in ipſam realiter
2. tranſit: igitur, ab illa ſecundùm intelligentiæ rationem diſtinguitur tantùm. Amplius,
relatio à fundamento realiter diſtinguitur; idq; in creaturis. at, in diuinis, idem omnino
eſt cum ſuo fundamento, vt rei veritas, & Auguſt. doctrina in lib. de trinitate quinto,
clariſſimè docent. ſola ergo intelligentiæ ratione, ſeparantur. Sanè, relatio, alicui comparata,
ac illius reſpectu, nihil realiter diſtinguere valens; profectò ab illo ſecundùm
intelligentiæ rationem tantùmmodo diſtinguitur. ſed diuinæ relationis officium eſt, perſonam
ab altera perſona duntaxat diſtinguere, non autem perſonam ab eſſentia: igitur,
3. ab eſſentia ſecundùm ſolam intelligentiæ rationem diſtinguitur. Amplius, ſi relatio, eſſentiæ
comparata, ab ea extra intellectum, diſtinctionem haberet; cum eſſentia planè
compoſitionem faceret: ambæ enim in aliquo vno ſuppoſito, cuius ſunt conſtitutiuæ, ſibi
reuera compoſſibiles ſunt. quæ verò huiuſmodi ſunt, aliquam habeant habitudinem ad
inuicem, neceſſarium eſt: aliter ſuppoſitum, non eſſet hoc aliquid per ſe vnum. ſed diuinum
ſuppoſitum non eſt compoſitum; bene tamen eſt per ſe vnum: relatio ergo non formaliter;
ſed intelligentiæ tantùm ratione à diuina eſſentia ſecernitur. Sanè, quæ ex natura
rei formaliter diſtinguuntur, realiter quoq; diſtingui, neceſſe eſt: re enim inter ſe
diſtincta ſunt: ſed eſſentia, & relatio ſecundùm omnium propemodum ſententias, realiter
4. non diſtinguuntur, nec ergo formaliter; ſed ratione tantùm. Amplius, ſi diſtinctio
formalis, non ſufficit, vt realis ſit perſonarum diſtinctio: igitur, relatio ab eſſentia
ſecundùm intelligentiæ rationem tantùm diſtinguitur. Tenet conſequentia: nam ſicut diſtinctio
rationis, realem inter perſonas diſtinctionem conſtituere non poteſt, nec etiam
5. formalis. par ſiquidem in vtroq; defectus habetur: igitur, quod prius. Præterea, vnius
quidditatiuus conceptus, ab alterius conceptu quidditatiuo, per res vtiq; in ſignificato,
vel connotato diuerſas diſtinguitur: ſunt enim huiuſmodi conceptus reales; ſed eſſentiæ,
& relationis conceptus non ſunt huiuſmodi, alioqui realiter eſſentia, & relatio diſtinguerentur;
nec etiam in connotato: nam relatio oppoſita, à relatione, ſiue relationis
conotato conceptu, eſt eſſentiæ eadem realiter; ſicut & altera relatio connotans: nullò
ergo modo quidditatiuè diſtinguuntur. Ex his ergo, atq; ſimilibus conſtat, relationem
ab eſſentia ſecundùm ſolam intelligentiæ rationem, non autem formaliter diſtingui.*

CAP. V.

Soluuntur argumenta.

Ad primum

De eſſentia & relatione.

1\. Quòd non ſit probabile, relationem, ſola ratione diſtingui ab eſſentia.

AD primum, quamuis relatio transeat in realem eſſentiæ identitatem; ma-
net tamen diſtincta ab eſſentia, ex natura rei: nam ſi omnibus modis tranſ-
iret; non eſſent profectò manſura duo prædicamenta diſtincta, niſi ſecun-
dùm quandam ſimilitudinem, quod planè Boëtio non probatur: tranſitus
ergo, ſecundùm realem identitatem, eſt intelligendus. non ergo ſecundùm
ſolam intelligentiæ rationem relatio, à diuina eſſentia diſtinguitur; imò hoc ipſum nullo
ferè modo probabile eſſe poteſt, etiam ſecundùm intentionem arguentis: ſi enim nomi-
ne relationis, non autem eſſentiæ, reſpectus oſtenditur ad oppoſitam quidem relationem,
qui videlicet eſt realis ex natura rei. relatio ſiquidem diuina, vtpotè paternitas non eſt
reſpectus rationis: hunc autem eſſentiæ diuinæ reſpectum non ineſſe, arguens confirmat:
relatio ergo, & eſſentia diſtinguuntur ex natura rei. Amplius, relatio, qua ratione ab 2.
eſſentia diſtinguitur; ea profectò eſt alicuius ſuppoſiti realis, & conſtitutiua, & diſtin-
ctiua: ſed id, ſola intelligentiæ ratione fieri non poteſt, quippe, cùm ens rationis, alicu-
ius entis realis conſtituendi, ratio eſſe nequeat; neq; diſtinctione reali, alioqui, compoſi-
tionem facerent in tertio, vt dixi: reſtat ergo, vt eſſentia, & relatio non ſecundùm ſo-
lam intelligentiæ rationem; ſed ſecundùm diſtinctionem potiùs diſtinguantur: hac enim
ratione formali, eſt ratio diuini ſuppoſiti conſtituendi, quod profectò eſſentiæ diuinæ nõ
conuenit: non enim eſt ſuppoſiti diuini conſtitutiua formaliter. reuera, ſi relatio, ad eſ-
ſentiam, ut ad ſuum fundamentum comparatur, nihil autem fundat ſeipſum; differt
ergo ab eſſentia ex natura rei, alioqui vnum fundaret reliquum. Præterea, ſi relatio- 3.
nes, à diuina eſſentia ſecundùm ſolam intelligentiæ rationem ſeparantur; eodem ergo mo
do, ſeparatæ erunt ab inuicem: quibus enim diſtinguuntur à tertio, diſtinguuntur ab in-
uicem. ſed inter ſe non diſtinguuntur ſola intelligentiæ ratione; ſed formalibus rationi-
bus: ſimiliter ergo ab eſſentia diſcernuntur. neq; ratio illa eſt admittenda, relationes
ſimiles eſſe attributis: nam, authore auguſtino 7. de trinit: res alio modo ſe habet: ait
enim, eo Deus, quo ſapiens; non tamen eo Deus, quo pater. Adhuc, in eſſentialiter or- 4.
dinatis, planum eſt, eſſe ſecundùm rem, diſtingui, ſiue diſtinctionem ſecundùm rem, præ-
cedere. proinde, remoto priori; poſterius quoq; eſſe remouendum: igitur, eſſe ſecundùm
rationẽ, præcedit diſtinctionẽ ſecundùm rationem. ſed in Deo non eſt eſſe ſecundùm ra-
tionem, nec ergo diſtingui: valet, vt logici dicunt, à deſtructione conſequentis, ad de-
ſtructionem antecedentis. Sanè, nulla forma, alicui fundamento repugnans, effectum
illi formalem dare, aut largiri poteſt: huiuſmodi namq; eſſe circa proprium collocat fun-
damentum: ſed quæuis à noſtra ratione forma cauſata, atq; producta, æquè diuinæ eſ-
ſentiæ, relationiq; repugnat; ac contingens, neceſſario, & æterno, temporale, & enti ſim-
pliciter, ens ſecundùm quid: eſſentia ergo diuina, & relatio nulla intellectus noſtri di-
ſtinctione ſeparantur. Amplius, cuicunq; repugnat ſubiectum, & eius paſſio ſimiliter: 5.
ſed rationis diſtinctio, eſt paſſio entis rationis, ſicut diſtinctio realis, entis realis. at, eſ-
ſentiæ diuinæ nullo modo conuenit, aut conuenire poteſt ens rationis, nec ergo ſimiliter
eius paſſio, quæ eſt ratione diſtingui. Profectò, omnis diſtinctio, ab extremis ſpecifica-
tur: diſtinctio enim eſſentialis, inter eſſentias tantùmmodò inuenitur; ſicut etiam ſpeci-
fica, inter ſpecies. ſed eſſentia, & relatio non ſunt entia rationis: igitur, in illis, nulla eſ-
ſe poteſt diſtinctio rationis. Quòd ſi quiſpiam dixerit, eſſentiam, & relationem, vt in
eſſe obiectiuo animæ noſtræ, non autem in ſe, diſtingui; is profectò concedit, quod quæ-
ritur: cùm enim eſſentia, & relatio tum in ſe, tum in eſſe cognito, eiuſdem ſint rationis,
ſi vnum illis repugnat, & alterum repugnabit. itaq;, eſſentiam diuinam, ac relationem,
ratione tantùm diſtingui, eſt impoſſibile omnino. Ad 2. principale: verum quidem eſt, 2.
relationem in creaturis, quæ eſt relatio fundamenti, & eſſentialiter, & realiter diſtin-
gui; & ex conſequenti propriam accidentalitatem habere: in diuinis autem, quoniam in
identitatem realem tranſit, accidens eſſe non poteſt; nec ab eſſentia realiter; ſed ex na-

De eſſentia & relatione.

tura rei diſtingui, vt iam dixi. Ad confirmationem dico, maiorem eſſe falſam: etenim quamuis ad relationem non ſpectet, perſonam ab eſſentia realiter diſtinguere; ſed perſonam, à perſona; nihilominus, virtutem habet diſtinguendi perſonam ab eſſentia, non quidem ratione; ſed ex natura rei, ob eas planè, quas ante adduximus, rationes. Ad

3. 3. quamuis eſſentia, & relatio diſtinguantur ex natura rei; non tamen compoſitionem

Relatio nō eſt actus eſſentiæ.

faciunt in ſuppoſito, ab eis conſtituto: in cauſa autem eſt, quia eſſentialiter, atq; realiter non diſtinguuntur, nec vnum ſe habet ad alterum, vt actus ad potentiam: illud enim,

1. quod eſt in termino perfectionis, & intenſiuè infinitum, atq; tum ſecundùm rem, tum etiam ſecundùm rationem, purus eſt actus, potentiæ rationem, reſpectu cuiuſcunq;, ſubire non poteſt. ſed eſſentia diuina eſt huiuſmodi, vt in primo dixi: igitur, relatio, non

2. poteſt eſſe, aut ſe habere, vt actus, reſpectu ipſius diuinæ eſſentiæ. Amplius, quod eſt perfectione ſimpliciter, & formaliter & prius, & infinitum, non eſt materia, aut potentia, alicuius poſterioris reſpectu. perfectione, inquam, ſimpliciter, & formaliter infinitum: nam licet ſubiectum ſit prius perfectione, ipſo accidente; non tamen perfectione ſimpliciter infinita, nihil imperfectionis habente: ſed eſſentia diuina eſt infinita, &

Eſſentia diuina non poteſt eſſe in potentia ad aliquod.

prima, perfectione ſimpliciter; quia nimirum in diuinis, quod eſt prius generatione, & perfectione etiam: non enim ibi proceſſus ſe habet; ſicuti in creaturis ab imperfecto ad perfectum, in quibus, quod eſt poſterius generatione, eſt prius perfectione, vt forma; ſicuti dicitur 9. met. quia in Deum planè nulla cadit imperfectio. Cùm igitur eſſentia ſit prior, quaſi generatione, & via naturæ, quia præſupponitur: eſt ergo ſimpliciter prior perfectione. in ipſam ergo non cadit potentia, aut quaſi potentia reſpectu relationis: quippe, cùm, & ſecundùm rationem, & ſecundùm rem, ſit in termino perfectionis.

3. Adhuc, actuale determinat ſuum, atq; contrahit potentiale: ſed proprietates relatiuæ, authore Damaſceno 3. lib: cap. 9. non ſunt determinatiuæ ipſius naturæ; ſed ſuppoſiti: ergo quod prius. Eſſentia ergo, & relatio, ſicut duo actus, quorum alter eſt infinitus ex ſua ratione formali, alter verò minimè, conueniunt ad diuini ſuppoſiti conſtitutionem: non quidem per informationem vnius ab alio; ſed per veram identitatem realem: etenim, quoniam eſſentia eſt formaliter infinita, eſt realiter idem cum quolibet ſibi compoſſibili in eodem ſuppoſito; nec actuari ab alio, nec ipſa aliud actuare poteſt: ſed eſt in

Suppoſitū diuinum nō eſt compoſitum.

ſuppoſitis, ſicut quidditas quædam in forma infinita actuans, atq;, vt ita dicam, ipſamet eſſentians ſuppoſita. Itaq; proprietas relatiua diuina non ſe habet ad eſſentiam, ſicut contrahens, vel determinans ipſam, quia ſua infinitate, omnes per identitatem realem includit diuinas relationes; licet non ſit formaliter vna ex illis. Ex quo patet, perſonam, ex eſſentia, & relatione conſtitutam, non eſſe vnam, quaſi per compoſitionem actualis & poſſibilis, veluti eſt vnitas ſortis ex humanitate, & ſorteitate, quia videlicet humanitas, ſorteitatis realitatem non includit, nec è conuerſo. at, ſuppoſitum diuinum eſt vnum, per veram realitatem conſtituentium: in perſona ergo diuina eſt omnimoda ſimplicitas, & nulla prorſus compoſitio, quia idem realiter non componitur ſibi ipſi. deniq; quia in Deo nihil eſt actuale reſpectu alicuius potentialis; ſed purus actus omnino: & ita ſimplex perſona, ſicut eſſentia: & tres perſonæ, ſicut vna perſona; idq́; compoſitionis, non autem diſtinctionis reſpectu. Quando ergo in tertio argumento principali aſſumitur illa ratio, quæ ſic arguit: conſtitutiua alicuius per ſe vnius, quod eſt per ſe vnum, aliquam

Conſtitutiua alicuius.

habent habitudinem aliam, quàm vt diſtincta ſunt. Dico verum eſſe in conſtitutiuis realiter, vel eſſentialiter diſtinctis, cuiuſmodi non ſunt eſſentia, & relatio in diuinis. itaq;, eſſentia & relatio diſtinctæ formaliter, & idem realiter, ſuppoſitum diuinum conſtituunt: quod per ſe eſt vnum, vera identitate reali conſtituentium; non tamen vnione actus, & potentiæ. Quando ergo dicis, ſuppoſitum ergo diuinum non eſt niſi hoc, & hoc, id eſt, eſſentia, & relatio. verum quidem eſt diſtincta formaliter, & idem realiter: perfectius enim reſultat, quàm ſi eſſet compoſitum ex materiæ vnione ad formam: nam

ſi conſti-

De eſſentia & relatione.

ſi conſtitutiua ſunt realiter vnum, & quod ex illis eſt conſtitutum; veriſsimè, propriiſsimeq́; & eſt, & dicitur, ſine compoſitione, vnum. Sed dicet aliquis, ex duobus non fit aliquid per ſe vnum; niſi vnum ſit actus, & alterum potentia: 2. de anima, & 7. met. ſed ex eſſentia, & relatione conſtituuntur ſuppoſita diuina: relatio ergo, vt actus, eſſentia verò, vt potentia ſe habent in diuinis ſuppoſitis conſtituendis. (Obiectiones quòd relatio ſit actus eſſentiæ.) *Sane, quando aliqua conſtituunt vnum, illud profectò, quod eſt in alio, reſpectu quidem illius, actus rationem, atque officium obtinere videtur: ſicuti videre eſt in forma, quæ eſt in materia. ſed relatio eſt in eſſentia, & non è conuerſo: igitur, eſt eſſentiæ actus. Amplius, fundamentum eſt quid* 2. *præſuppoſitum, atque potentiale reſpectu relationis ſuperuenientis: ſed eſſentia eſt fundamentum relationis: ergo quod prius. Profectò, id, quod conſtituit, & diſtinguit aliquid ab alio, actus officio fungitur: actus enim diſtinguit, & ſeparat 9. met: ſed relatio conſtituit, & diſtinguit ſuppoſitū, non autē ipsa eſſentia: ergo eſt eſſentiæ actus.* (Solutiones.) *Reſpondeo ad primum maior eſt falſa in his, quæ conſtituunt vnū per identitatem realem, vt dictū eſt.* 1. *Ad confirma: maior quoq; eſt falſa: quando alterum tranſit in illud, in quo eſt per identitatē realem, ſicuti relatio in infinitatē eſſentiæ. Ad 2. verum eſt in creaturis, quòd* 2. *fundamentū, reſpectu relationis, potentiæ rationē ſubeat, quia ſcilicet nō eſt relationis realitas: ſed hoc in diuinis locum non habet; vbi omnia ſunt vnus purus actus, vt dictum eſt paulò ſuperius. Ad probationē dico: relationem, perſonā à perſona, non autem perſonā ab eſſentia diſtinguere: eſt enim perſonalis, non autem eſſentiæ actus.* (Relatio eſt perſonæ, & non eſſentiæ actus) *eſſentia quoque cùm non ſit actus eſſentialis, relatione principalior eſt, perſonam, à quocunq; non Deo diſtinguens: quomodo ergo relatio non ſit actus eſſentiæ, & perſona dici non poſsit compoſita, dixi.* 3. *Reſtat, reliqua principalia argumenta ſoluere & primum quidem confirmationem tertij argumenti, ad quam ita reſpondeo: non opus eſſe, ea, quæ ex natura rei diſtinguuntur, diſtingui, vt dixi etiam realiter. Ad 4. principale, quamuis relatio,* 4. *formaliter tantùm ab eſſentia diſtinguatur; ab oppoſita tamen relatione, realiter diſtinguitur, quod planè fieri non poſſet, ſi ab eſſentia, ſecundùm intelligentiæ rationem diſtingueretur. Ad 5. quamuis eſſentiæ, atq; relationis nomina, ex natura rei aliqua* 5. *diſtincta ſignificent, atq; ita diſtinctos habeant conceptus; non ob id tamen, res diuerſas oſtendunt. ſed tempus eſt perficiendi, abſoluendiq́; obſcuriſsimi, abditiſsimiq́; ſed admodum vtiliſsimi relationum diuinarum negotium, de quo quidem aliqua, & parcius quidem diximus: reliqua verò, partim iudicio legentium, atq; ſolertiæ inquirenda relinquentes, partim verò, eorum indagini, ac ſtudio, quibus lubebit primum Pymandri perlegere.* (Laus Pymandro dicitur.) *Laus tibi ſancte Pymander, qui reuelas profunda de tenebris, & abſcondita palam facis: vt in omnibus ſuauis ſit miſericordia tua, cuius ſermocinatio eſt cum ſimplicibus, & vocas ea, quæ non ſunt; quaſi ea, quæ ſunt: vt qui gloriatur, in domino glorietur. Laus tibi ſancte pymander, bone Pymander, gloria, & imperium, in omni ſeculorum ſeculò, Amen.*

Tuderti die Lunæ 27. Octobris. in vigilia Symonis, & Iudæ, hora meridiana, in loco montis ſancti. 1 5 7 2. Gregorio 13. ſum: Pon:

DE ANGELIS.

MERCVRIVS.

Septem deinceps fabricauit gubernatores, qui circulis mundum ſenſibilem complectuntur, eorumq́; diſpoſitio fatum vocatur.

Commentum IIII.

QVAESTIONIS PRIMAE. CAP. I.

Tria deorum genera.
Plato in Cratylo.
Homerus.
Heſiodus.
Orpheus.
phenices.
Ægyptij.

TRIA fuerunt in philoſophia, veteriq́; theologia genera deorum: primum genus Solis, ac Lunæ, cæterarumq́; ſtellarum: ſecundum genus eorum deorum, qui à motu cœli abſoluti, per terras vagari, è cœlo terras petere, in cœlo beatè viuere, res humanas gubernare, dixerunt: tertium genus eorum, quos è hominibus in deorum concilio poëtæ collocarunt. Porrò, primum genus ab his inuentum eſt, quibus apud barbaros, viſum eſt, cœlum habere diuinitatem: quemadmodum Plato in Cratylo loqui videtur: Equidem, inquit, ita conijcio, videntur vtiq; mihi Græcorum priſci, Deos ſolos putaſſe eos; quos etiam his temporibus barbarorum plurimi arbitrantur, Solem, Lunam, Terram, Stellas, Cœlum: cùm enim hæc omnia perpetuo in curſu eſſe conſpicerent, ab hac natura τυ θειν θεoῖς. *nominaſſe videntur: deinde & aliò aduertentes, omnes eodem nomine nuncupaſſe. In Timæo, terram vocat primam, antiquiſſimamq́; deorum omnium, qui intra cœlum ſunt geniti: oceanum, & flumina, omnemq́; mundum barbari illi deificarunt. In Cratylo, Homerum adducit, oceanum deorum originem inſtituentem, & Tethyn genitricem. idemq́; voluit, vt arbitror, & Heſiodus. Ait præterea Orpheus, oceanum primum pulchri fluuium coniugium inchoaſſe, qui cum Tethy germana ſe commiſcuit. itaq́; huiuſmodi, error priſcos illos terrigenas, barbarosq́; adeò occuparat; vt brutis, rebusq́; ſenſu, & ratione carentibus, diuinitatem, atq; diuinos honores tribuerent; quo profectò errore Stoici traducti, Deum, ignem corporeum eſſe putauerunt. Phenices, ignem, & ventum coluere: aquam, & terram Ægyptij, qui planè, ita religioſi extiterunt; vt etiam quæ in hortis naſcuntur, pro dijs habuerint. Draconẽ præterea, ſerpentem, bouem, felem, aquilam, accipitrem, anubim, animal, caput habens caninum, bouem illum nigrum, quem apim appellabant, & poſt mortem ſerapin, Deos eſſe dixerunt. Puerum quoq; à titanibus laceratum Oſirydem, Iſydem, aliosq; turpiſſimos homines venerabantur, ac caſſo labore, colebant.*

Mauri.
M..edones.
Pheni.
Latini.
Romani.
Attenien:
Samij.
Mercurius.
Plato.
Barbarorum ſuperſtitio.

Mauri quoq; ſimiliter deluſi, mbã, Macedones gabirum, Pheni vranum, Latini faunum, Romani quirinum, Athenienſes, Mineruam, Samij Iunonem, Paphij, Venerem, Lennos, Vulcanum, Naxos, liberum, apollinem delphos, & quæ ſunt alia deorum monſtra, ſedula, ſed inani, barbari religione colebant: ſed iam pridem hoc genus deorum à vetuſtiſſima chaldæorum, hebræorumq́; theologia exploſum eſt: hebetis enim, obtuſiq́; cordis eſt, bruta, atq; elementa, & quæ facta ſunt, & ſenſu carent, tanquam deos adorare: quod ipſemet Mercurius in Pymandro confitetur. Multum, *inquit*, proaui noſtri circa deorum rationem increduli, inuenerunt artem, quæ efficerent deos, cui inuentæ adiunxerunt virtutem de mundi natura &c. *Rectè ergo Plato, in Cratylo, & in legibus ait, à barbaris allatam ad Græcos aſtrorum diuinitatem: nihil ergo aliud eſt cœli diuinitas,*

atq; alia-

De diuerſo Deorũ cultu.

atq; aliarum cultus creaturarum; quàm barbarorum ſuperſtitio. Tertium quoque deorum genus, niſi benè atque prudenter intelligatur, eſt etiam fabularum commentum, fictitium profectò & inane: excluſa igitur, fabuloſa, ac poetica cœli, terraq́;, atq; aliarum rerum conditarum diuinitate, ad verorum deorum, id eſt angelorum theologiam, cognitionemq́; veniendum eſt.

Barbarorum ſuperſtitio.

Sanè, in theologia Moyſi, Mercurij, atq; Sybillarum, angeli vocantur dij. Plato quoq; in Eutyphrone ait, ſanctitatẽ à dijs, id eſt angelis diligi.

Angeli vocantur dij.

Ad hoc etiam agendum, nos cohortatur ſapientiſſimus Mercurius, qui poſt diuinarum perſonarum, ſanctiſſimam profundiſſimamq́; doctrinam, ad ſanctorum angelorum oracula interpretanda feliciter tranſit: ſeruata reuera optima methodo, ac congruo ordine, de illarum diſſerens creaturarum excellentia, quarum natura deo proximior eſt, atq; vicinior. Septem, *inquit*, deinceps fabricauit gubernatores, *nempe angelorum ordines*, qui mundũ ſenſibilem circulis eſſent & gubernaturi, & complexuri, hi autem, *vt paulò poſt dicet*, humanæ mentis meditatione gaudentes, tanquã eiuſdem ferè naturæ participes, ſinguli eorum proprij ordinis hominẽ participem reddidere.

Textus exponitur.

Et in 2. dial. deos vocat Etenim, *inquit*, ex iis, qui præter ipſum appellantur dij, ſeu dæmones, ſiue homines, nullus eſſe tam bonus poteſt, quàm deus vnicus. *Vbi angelorum, dæmonum, atq; hominum nomina diſtincte deſcripſit. Et in eodem mox ſubdit:* reliqui igitur dij, cuncti immortales, honorati nomine dei: deus autem bonum, non ſecundũ honorationem, ſed ipſa ſui natura: vna enim dei natura eſt, ipſum ſcilicet bonum *quaſi diceret: Deus quidem natura bonus eſt, dij verò immortales, id eſt, angeli, nomine, ſeu participatione boni honorantur.*

Solus Deus bonus.

Et in 3. dialogo: Dij omnes ſeminalem naturam diligebant: diſtinctis enim libratiſque rebus, quæ igneo ſpiritu vehebantur, emicuit cœlum ſeptem in circulis: Dij in aſtrorum idæis, dinumeratæ ſunt ſtellæ, ſecundùm eos, qui habitãt illas, deos. *Vbi angelorum numerum, ſtellarum numero comparare videtur: Tot, inquit, ſtellæ dinumerantur; quot ſunt dij, qui inhabitant illas. ex quo videtur, per ſeptem gubernatores, non certum quendam angelorum omnium numerum complecti; ſed eorum duntaxat, quibus vniuerſi orbis regendi regimen commiſſum eſt: hos autem ſecundùm communem antiquorum ſententiam, ſeptem, nempè Lunam, Mercurium, Solem, Venerem; Martem, Iouem, Saturnum, appellare conſueuit antiquitas. Ii, inquam, ſunt ſeptẽ gubernatores, qui ſeptem circulis mundum ſenſibilem complectuntur, & regunt.*

Angelorum numerus, ſimilis numero ſtellarum.

Septem gubernatores.

Præter hos autem ſunt dij aſtrorum, quorum numerus ſtellarum multitudini comparatur: Dinumeratæ ſunt ſtellæ, inquit, ſecundùm eos, qui illas inhabitant, deos. Quam ob cauſam, quemadmodum ſtellarum numerus nobis incognitus; ita planè & angelorum. Congruit huic ſententiæ illud Iob: Nunquid eſt, inquit, numerus militum eius? De qua reuera ſententiæ, materiæq́; dignitate; ſua in digreſſione nobis loquendum eſt. vnde ſequitur, quiſq; deorum ait, ex interna virtute aſſcriptum opus ſibi impleuit. Et Dialogo 10. Hominum, *inquit*, immortales animæ, in dæmones tranſeunt: demum in deorum chorum feliciter reuolant. *Chori deorum gemini: vagantium vnus, non vagantium alter.*

Iob.

Numerus militum dei.

Chori Deorũ gemini.

Mira profectò Mercurij Theologia, quæ tàm clarè de angelorum ordinibus, animarumq́; felicitate loquitur: nam quidam angelorum, teſte Dionyſio, vultui Dei ſemper aſſiſtunt; quidam verò ad explenda myſteria foras mittuntur: animæ quoque hominum, pro meritorum qualitate, ad ſingulos angelorum ordines aſcendunt, reuolantq́; ad ſuperos. Et iterum: Eſt etiam animarum communio quædam, deorum animæ communicant hominum animabus. Mundi totius adminiſtratio, ex vnius natura dependens, per vnius mentem, qua nihil eſt validius, nihil diuinius, nihil deniq; magis vnitũ: omnia gubernat: hominum ad deos, ad homines deorum communio eſt. *Recte profectò ange-*

Angelorum & hominum communio.

lorum

De diuerſo Deorũ cult. | Paulus. | Angeli adminiſtratorij ſpiritus. | Septem mũdi

lorum miniſteria, quæ circa homines exhibent, cum vnius regimine, à quo mundus & natura dependet, ob oculos mentis noſtræ depinxit: Omnes, inquit Paulus ad Hebræ: 1. ſunt adminiſtratorij ſpiritus, miſſi propter eos, qui hæreditatẽ capiũt ſalutis. Et Dial. 11. eos, quos in primo ſeptem gubernatores nominat, ſeptem mundorum nomine intelligit. Inſpice, *inquit*, mundos ſeptem ſuppoſitos, ornatu mirifico fabricatos, ordine ſempiterno, curſu ſuo differenter complentes æuum, plena lumine ſingula. *Clarè profectò planetarum officia, atque naturas deſcripſit, ornatum, ordinemq́ mirificum. Ad Aſclepium, vnum eſſe proteſtatur mundi gubernatorem:* Cœli, *inquit*, & ipſius animæ, vnus eſt gubernator deus. *diuidit poſtea, atque diſtinguit Deorum, Dæmonum, atq; hominum genera, quæ ab illo vno gubernatore regũtur. Et paulò poſt*, fiunt itaque, quæ fiunt, aut à dijs, aut à dæmonibus, aut ab hominibus, per deos, angelos bonos intelligens. *Et iterum, clariùs, atq; vberiùs de angelis diſſerens, admonet Aſclepium, vt attentè audiat docentem:* Magna tibi pando, *inquit*, & diuina audo myſteria, cuius rei initium facio, ex optato fauore cœleſti. Deorum genera multa ſunt, eorumque omniũ pars intelligibilis dicitur: alia verò ſenſibilis. intelligibilis autem dicitur, non quia ſubiaceat ſenſibus noſtris; ſed quia ſublimis eſt ratio, vltra hominum mentes, intentioneſque conſiſtens. ſi non attentiore aurium obſequio verba loquentium acceperit, tranſuolabit, aut magis refluet, ſiſque potis liquoribus miſcebit ſe. Sunt ergo omnium ſpecierum principes dij, hos ſequuntur dij, quorum eſt princeps ὐσία. *Angelorum planè ordines mira breuitate deſcripſit, illorumq́ principem vocauit Vſian, id eſt, ens per eſſentiam. Ex his ergo alijsq́ Mercurij oraculis, conſtat ſatis angelos eſſe in rerum natura, rerum miniſtros, quos deos appellat, quorum alij Dei vultus ſemper intendunt: alij verò foras mittuntur, vt ſuum quiſq; expleat officium: quorum profectò numerũ, ſtellarum numero ſimilem eſſe fatetur, magnamq́ habere cum hominibus vitæ communionem. deniq; principẽ habere vſian: de quibus omnibus nobis poſthàc erit diſputandum.*

Vnus gubernator. | Deorum genera multa. | Vſia. | Mercurij de Angelis.

CAP. II.

Platonis doctrina de angelorum creatione & natura.

Angelorum creatio. | Deus pater vocatur angelorum.

ANgelorum conditio, atq; natura, à diuino Platone in Timæo præclarè deſcribitur, alijsq; in locis multis, de quibus nonnulla dicere conſtitui. In Timæo autem ita ad angelos ſub Dei perſona, ſermonem dirigit: Dij deorum, inquit, quorum opifex ego ſum, & pater, hæc attendite, quæ à me facta ſunt, me ita volente indiſſolubilia ſunt. Quapropter, quia generati eſtis immortales, & indiſſolubiles omnino non eſtis; nec tamen vnquam diſſoluemini, nec mortis fatum ſubibitis: nam mea voluntas, maius præſtantiusq; vobis eſt vinculum, ad vitæ cuſtodiam; quàm nexus illi, quibus eſtis tunc cùm gignebamini, colligati. Angeli ergo, natura quidem, atq; conditione mortales, & diſſolubiles; dei verò voluntate immortales & indiſſolubiles conſiſtunt: ſed nunc iam quid iubeam, cognoſcite, inquit, Tria adhuc genera mortalium nobis generanda reſtant, abſq; horum generatione, cœlũ imperfectum erit: omnia enim animantium genera, ambitu ſuo non continebit; contineat autem oportet, ſi eſt mundus omnino perfectus futurus: hæc verò, ſi à me fiant ſolo, vitaq́ donentur, dijs adæquabuntur. Quapropter accedite, vt ſecundùm naturam ad animalium generationem, vim imitemini meam, quæ in ortu veſtro vſus ſum. Angelos quidem rerum conditarum creatores nequaquam appellat; ſed imitatores diuinæ virtutis, hoc eſt, in creaturarum conditione, atq; adminiſtratione, miniſtros, illorum immortalem ſub-

Angeli non ſunt creatores ſed imitatores

talem ſub-

talem, ſublimemq́ conditionem, à mortalium, atq; infimarum rerum, natura diſcernens, atq; diſtinguens: Ego, inquit, vobis ſemen, & initium tradam, vos cætera exequi par eſt: igitur diuinorum ſunt operum executores, non creatores; alioqui & ſemen, & initium à ſeipſis haberent; vt immortali naturæ, mortalem attexentes, faciatis animalia: non immortalem, id eſt, animam humanam, & mortalem, id eſt, corpus creant, ſed attexunt, ſed coniungunt; quod planè miniſtrorum eſt, non creatoris officium. In Phædro, Angelorum exercitus & agmina, Iouem ſequentia, in curribus, & equis alatis, artificioſè mirificèq; depingit. — Angelorum exercitus in cœlo.

Magnus vtique in cœlo Iupiter, ait, citans alatũ currum, primus incedit, exornans cuncta, prouidèq; diſponens, hunc ſequitur Deorum, Dæmonumq́ exercitus, per vndecim partes ordinatus: permanet autem veſta in deorum æde ſola. aliorum verò deorum, quicunque in 12. numero cenſentur, ſuæ quiſq; functioni præeſt, vt quiſq; eſt ordinatus. Permulti igitur, beatiq; diſcurſus intra cœlum exiſtunt, quibus quilibet deorum intendit, ſuum quiſq; officium peragens. Simile quidã habet Ioannes in Apocalypſi: Et exercitus qui erant, inquit, in cœlo, ſequebantur eum in equis albis. — Apocal.

Dauid quoque canit: Currus dei decem millia, multiplex millia lætantium in Synai in ſancto. — Pſal. 64.

Demum, inquit, cùm auriga ad præſepe ſiſteret equos, obijcit illis ambroſiam, & poſt ipſam nectar, monſtrat omnimodã ſuauitatem, perfectionemq́. — Ambroſia. Nectar.

Gaudet Socrates in Phædone, ſe ad ſanctos angelos eſſe migraturum: nam poſtquàm vnum dixit eſſe verum ſapientem, deum ſcilicet, angelos adhuc inſeruit, & adiunxit, quorum ſocietate ſe fruiturum ſperabat: — Socrates.

Niſi me, inquit, viri Athenienſes, migraturum putarẽ, primùm quidem ad deos alios ſapientes, & bonos; deinde ad homines defunctos, his, qui hîc ſunt meliores, iniuſtè agerem, non moleſtè ferens mortem. nunc certè habetote ſperare ad deos, dominos bonos me iturum; propterea bono animo ſum, ſperoq́ ſupereſſe aliquid his, qui defuncti ſunt. — Boni viri è vita migrant ad angelos.

ex quo animaduertimus, & animarum immortalitatem, & piam angelorum, hominumq; communionem. In quarto de legibus. angelos hominibus præeſſe, perſpicuè & eleganter oſtendit: — Angelos hominibus præeſſe.

Cùm intelligeret Saturnus, inquit, nullam hominis naturam, res humanas ita gubernare poſſe, vt ſi omnibus, arbitratu ſuo dominetur, laſciuiori ſuperbia, iniuſticiaq; non repleatur, non homines; ſed diuinioris generis dæmones, ciuitatibus noſtris, reges principeſq; præfecit. quod nunc nos in ouium gregibus, aliorumq́ armentis facimus: non enim bobus, boues, nec capris, capras præficimus; ſed nos ipſi genus melius dominamur. Similiter deus homines amans, genus dæmonum, genere noſtro præſtantius, nobis præfecit. — Angeli præfecti vrbium.

In hac ſanè Platonis ſententia, multa quidem mirifica, noſtræq; religioni conformia nobis proponuntur. Inprimis, angelorum genus, noſtro genere eſſe præſtantius. deinde, illos, res humanas curare. Poſtremò, id nobis ex diuina conceſſum eſſe benignitate, quorum vita, ſine angelorum præſidijs, diſpendio pateret multorum, & ruinæ. — Sine angelis non eſſet tuta humana vita.

Simile quiddam habes in Daniele & Zacharia: Angelus regni Perſarum, inquit, multis diebus reſtitit mihi. — Daniel & Zacharias prophetæ.

Iterum, in decimo de legibus, angelorum prouidentiam, ſolicitudinemq́, circa res humanas, admodum acute, & ſolerter demonſtrat: Hoc, ait, deorum, qui cœlum habitant, qui à dijs negligi putant, iudicium eſt; vt qui melior ſit, ad meliores, qui peior, ad peiores animas, tã in vita, quàm in omni morte proficiſcatur. vnde, ſi quis impiè quicquam agit, vel loquitur, qui fortè præſens fuerit, deos defendat, magiſtratibuſq; ſignificet: tanta erat apud Athenienſes deorum veneratio.

Verùm, quamuis angelorum nomen non fuerit ipſi Platoni notum; Laertius tamen perhibet, platonem deos confeſſum fuiſſe, qui res humanas curarent, eoſq; dæmones eſſe: dæmonas autem philo aſſerit eſſe, qui apud Moyſen vocantur angeli. — Nomen angelorum Platoni non fuit notum.

In Republica aſſerit, quòd per omnes mundi partes diſtribuerint principes duodecim, dial. 8. quos theologi vocant principes prouinciarum: Lex videbit, inquit, vt 12. ſolennitates dijs 12. quibus ſingulæ tribus cognominantur, ciues peragant, dijſq; ipſis, ſacra per ſingulos menſes faciant: choros præterea, ludoſq; muſicos, & certami- — 12. dij, 12. ſolennitates.

na gy-

na gymnica, prout dijs ſingulis, & temporibus conuenit. In Protagora: Qui à dijs diliguntur ſunt optimi, inquit. Et in Gorgia, minùs miſerum eſſe, qui dent pœnas à dijs, qui per omnem mundum inuiſibiliter commeantes, caſtigant ſæpe delinquentes. eodemq́ libro ſententiam ſapientum eſſe, deos hominesq́ habere ſocietatem, & quòd ſit lex apud deos, ſanctè qui vixiſſet, tendere ad inſulas beatas: Tradunt, inquit, ſapientes, cœlum, & terram, deosq́ & homines, ſocietate quadam, & amicitia, modeſtoq́ ornatu, & temperantia, & iuſticia contineri. In Cratylo: Deorum, inquit ſermoni, per ipſos deos ſuperſedeamus: nam de eis vereor loqui. Homerus quoq; de huiuſmodi ſpiritibus loquens, ait feliciſſimè, ſine labore viuere.

Angeli caſtigãt delinquẽtes.

Homerus.

Dÿ beatè, & facilè, ſine labore viuentes, & de olympo,
In quo dÿ gaudent, exultat tempus & omne.
Non pane veſcuntur, non guſtant cerula vina,
Sanguinis expertes hinc ſunt immortalesq́.

Callimachus.

Hi morbis ſenioq́ carent, neſciuntq́ labores.
Traiectum reſonum, qui effugerunt acherontis.

Catullus.

Præſentes namq; ante domos inuiſere caſtas
Cœlicolæ, nondum ſpreta pietate, ſolebant.
Sed poſtquàm tellus ſcelere eſt imbuta nefando,
Iuſticiamq́ omnem cupida de mente fugarunt.
Quare nec tales dignantur inuiſere cœtus,
Nec ſe contingi patiuntur lumine claro.

Virgilius.

Attonitus monitu tanto, imperioq́ deorum

Magi. Pſellus. Phericides. Cicero. Plato. Ariſtoteles. Tres mundi ſeu cœli. Angeli non ſeneſcunt.

Mundus, inquiunt Magi Chaldæorũ, habet intelligibiles ſuſtentatores, inflexibiles. hæc nomina ſunt angelicarũ poteſtatum, quæ vocantur etiam in noſtris literis authoritates, virtutes. Pſellus, poteſtates, inquit, ſtatuunt in mundo chaldæi, easq́ appellant mundi ductores, ceu quæ mundũ agant motibus prouidentiæ. Phericides Pytagoræ præceptor, teſte Plutarcho, ait deos veſci nectare & ambroſia. Marcus Cicero de natura deorũ: Fit credibile, inquit, deorum & hominum cauſa factum eſſe mundũ. Plato in republica, hoſpitibus ſimiles, variaq́ in veſte, figuraq́, ipſi adeunt vrbes ſuperi, ac verſantur vbiq́. Ariſtoteles primo de cœlo, cœlum vocat, in quo dicimus totam habitare diuinitatem, hanc autem non eſt putandum ſtellis attribuere. Deinde, extremam totius mundi circumferentiam, quicquid extra Solem, Lunam, omnesq́ cœleſtes orbes putatur eſſe. ſecundum cœlum eſſe, quod his extremi mundi regionibus ſubiaceat, in quo aſtra videntur. tertium ſignificatum eſſe, totum vniuerſum, quod ab vltimis mundi regionibus clauditur. vnde extra cœlum dicit eſſe entia feliciſſima, com. 100. Extra cœlum non corpus, vacuum, & tempus. Quocirca neque apta ſunt, quæ ibi ſunt eſſe in loco, neq; tempus ſeneſcere ea facit, neq; vllius eorum eſt vlla mutatio: optimã in vniuerſa ſempiternitate vitam, & ſufficientiſſimam habent. Et 12. met: com: 52. deum vocat ducem, ad quem vniuerſi orbis entia intendunt, cui qui proximiores ſunt, pro liberis habentur: vniuerſa namq; ſe habent, perinde; ac exercitus ad ducem, bonum autem exercitus dux eſt: non enim ob ordinem ipſe dux; ſed ob ducem eſt ille, vniuerſa autem ſunt aliquò modo, ſed non ſimiliter ordinata, aquatica, volatilia, plantæ, ad vnum ſunt vniuerſa ordinata,

De angelis.

dinata; perinde atq; in domo liberis quidem minimè licet quiduis facere, &c. Itaq;, ex hac philoſophi ſententia, & dei prouidentia, circa mundum oſtenditur, & ſanctorum angelorum ordines; quaſi exercitus ſummi ducis, deo proximiores, in domo illa cœli, locum filiorum obtinent. Proclus, apertè angelos nominat: vnde chori angelorum im-

Proclus.

plentur amore, inquit, dij quidem ipſi, deorumq; pediſſequi, in habitu proprio permanentes, ſequentibus bene faciunt, & ad ſe conuertunt. Iamblicus de myſterijs Ægyptio-

Iamblicus.

rum: Ante omnem, inquit, rationis vſum, ineſt naturaliter inſita deorum notitia; imò tactus quidam diuinitatis melior, quam notitia: ex quo incitatur naturalis appetitus boni, & ratiocinatio, atq; iudicium. Diſtinguit poſtea inter deum & deos, id eſt, deum

Inſita eſt nobis cognitio angelorum.

& angelos: Eſſe, inquit, noſtrum, eſt deum cognoſcere. deinde poſt deos ponimus dæmonas, heròes, animas puras: hi tres ordines pediſſequi ſunt deorum. Itaq; cognitio diuinorum fuit ſemper in anima, per ſimplicem intuitum, vel contactum, qui externarum rerum occupatione, attractione, atque amore, videndi detrimentum patitur. Angelos autem deos dici, literæ quoque ſacræ edocent: Deus, inquit, ſtetit in ſynagoga deorum.

Deus ſtetit in ſynagoga deorum.

Et illud: Ego dixi dij eſtis. Vult ergo Iamblicus inſitam, atq; innatam nobis eſſe angelorum cognitionem; imò & contactum quendam, vnionemq;, quam, circa exteriora diſtracti, non perpendimus atq; conſideramus. Quam ob cauſam, aſſuefaciendus eſt ani-

Plotinus.

mus, inquit Plotinus enn: prima, lib. 6. cap. 8. primò quidem ſtudia pulchra conſiderare. deinde opera pulchra, quæ fiunt à viris probis. poſthæc eorum animum, qui talia gerunt. Et enn. 5. cap. 3. lib. 8. Dij, ait, omnes pulchri, venuſti, venerandi, inæſtimabili decore pollentes, perpetuò ſapiunt mente tranquilla, ſtabiliq; & pura, aſſiduè con-

Deorum pulchritudo.

templantur; nec dedignantur homines, omnem regionem cœli diſcurrunt, locumq; comprehendunt conquieſcentes: quorum vita eſt veritas, ipſorum genitrix atq; nutrix: o-

Veritas nutrit angelos.

mnia cernunt, quæ ſunt in eſſentia, ſeipſos quoq; vident in alijs: omnia enim illic vndiq; perſpicua ſunt, nihil ibi tenebroſum, nihil obſiſtens; ſed omnis illic omnibus eſt conſpicuus, intrinſecus, atq; per omnia: lumen namq; lumini occurrit vbique, quilibet in ſe habet omnia; & omnia rurſum in alio conſpicit.

Angeli quomodo ſe intelligant.

Et enn: 6. libr: cap: 8. Centrum id eſſe dico, à quo circulus proficiſcitur, ad quod animas omnes ſe conferre decet; feruntur autem illuc deorum animæ ſemper; & idcirco dij ſunt, quoniam feruntur ad illud: deus enim eſt, quicquid eſt illi coniunctum.

Deus eſt centrum angelorum.

itaq;, in præclara Platonis, atq; Ariſtotelis theologia, aliorumq; præclariſſimorum diuinæ cognitionis ſapientum, latiſſimè patet, angelos, deos vocari, quorum vita, omnis eſt felicitatis ac beatitudinis plena, quorum intereſt hominibus prouidere, resq; inferiores agere prouidentiæ gubernaculis. denique, ſua ad homines obſequia, incredibili ſuauitate inceſſanter exhibere.

CAP. III.

Angelorum natura ex ſacris literis oſtenditur.

Quid ſignificet angelus.

ANgelus, eſt nomen officij, non naturæ: nam proprio ac peculiari nomine, ſpiritus vocatur: Qui facit, inquit, angelos ſuos ſpiritus, hoc eſt eos, qui ſunt ſpiritus & mentes cœleſtes, cùm vult angelos facit, Pſal. 103. itaq; angeli diuinorum myſteriorum nuncij nominantur. Quamobrem, cùm Chriſtus nobis diuina eſſet annunciaturus ſecreta, ab oraculo Iſaiæ, magni vocatur conſilij angelus, 9. Et apud Malach. cap: 3. angelus teſtamenti dicitur. vnde nonnunquam angeli, vice domini functi ſunt:

Apparitiones angelorum.

Et venerunt angeli ad Sodomam veſpere, inquit, quos Abraham diuinis honoribus cumulauit: Domine, inquit, ſi inueni ſeruus tuus gratiam coram te. angelos vidit, & dominum intellexit. Angelus ſaræ ancillæ apparens, oſtendit ei fontem aquæ, Gen: 25. ſuaſitq;, vt dominæ ſuæ ſe ſubijceret. Angelus luctabatur

Angelus Iacob.

cum Iacob, Gen: 32: luctantur enim boni viri cum Deo, ſiue cum angelis deum retinere cupientes. Sic Moyſes Exod. 32. deum reluctantem, & ipſe luctando tenuit. Dauid angelum euaginato enſe, Hieroſolymorum ciuitatem iam ferientem, precibus compeſcuit: tetigit autem angelus neruum fæmoris Iacob, & exaruit, ac poſtea claudicando incedebat, eorum profectò præſeferens ſimilitudinem, qui claudicauerunt à ſemitis ſuis.

Angelus rubi

Angelus apparuit Moyſi in rubro, in flamma ignis, Exod. 3. Ego ſum, ait, Deus patrum tuorum: potuit autem fieri, vt ſub præſentia angeli, deus ſeſe oſtenderet; & tamen per ea, quæ fierent, eſſe deus cognoſceretur. vnde cap: 23. apertè promittit Deus ſe angelum ſuum miſſurum: Ecce mitto angelum meum, obſerua eum, quia in medio eius ſum; & ne contemnendum putes, quia non dimittet te cùm peccaueris, & nomen meum cum illo: quod ſi audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. Porrò de angelo rubi, extat Philonis ſententia, quòd erat ibi plantula ſpinoſa, ac debiliſſima, quæ amoto igne, repentè tota accendi viſa eſt: in media verò flamma, forma præſtantiſſima viſa eſt, quæ nulli harum rerum, quæ videntur, eſſet ſimilis; diuiniſſimum vtique ſymulachrum oſtendens: natura enim diuinitatis igni ſolet in ſacris literis comparari. Lex Moyſi angelorum miniſterio lata: nã: quæ poſt multos annos, inquit Paulus Gal. 4. per angelos data eſt lex. Et ad Heb: 2. Si ſermo, qui per angelos factus eſt. Et in Actibus Apoſtolorum: Accepiſtis legem, in diſpoſitione angelorum omnis ergo illa Moyſis Eccleſia, angelorum præſidijs munita fuit: Angelus, ait, glorioſus Iuxta Stephanus, qui fuit cum Moyſe in Eccleſia. angelus Ioſue pauentem confortauit: Ego, inquit, ſum princeps exercitus domini, Ioſue 5. Cùm, inquit, eſſet Ioſue in agro vrbis Hiericho, leuauit oculos ſuos, & vidit virum ſtantem contra ſe, & euaginatum gladium tenentem, perrexitq; ad eum & ait: Noſter es, an aduerſariorum? Qui ait: Nequaquam, ſed ſum princeps exercitus domini. Moyſi apparuit in flamma ignis; hic autem vt vir præliator. Vidi afflictionem populi mei, & deſcendi, vt liberarẽ eum: ſed Ioſue cruenta bella facturo, euaginatum gladium tenens, ſeſe oſtendit, atq; manifeſtauit. In libro iudicum 6. Gedeonem angelus alloquens, nobiliq; ſalutatione compellans, aduerſus hoſtes inſtruit, & corroborat: Salue, inquit, virorum fortiſſime. is accepto ſigno cœlitùs oſtenſo, nouo pugnandi genere hoſtem ſuperauit: deſcendit namque Gedeon noſter cum humani generis hoſte pugnaturus, qui fracto ſui corporis vaſculo, diuinæ ipſius lucis claritate micante, proſtratus eſt Madian vniuerſus. Sceptrũ: inquit, Eſaias 9. exactoris eius ſuperaſti, ſicut in die Madiã Samſonis parentibus angelus apparens, illis ſeriem pueri vitæq; gerendæ, ordine depromiſit, quemadmodum ſcilicet dicendus eſſet nazareus. Oblato poſtmodum ſacrificio ſuper petram, ſtante Manue, & vxore eius, flamma aſcendit, & angelus domini in flamma pariter aſcendit, veri nazarei typum geſſit, cuius ortus, vitæq; totius decurſus, angelorum fuit miniſterio oſtenſus & illuſtratus. In 2. Reg. 24. Dauid peccatum, angeli quoq; in populum, regemq; peccantem vindicta deſcribitur, cùmq; extendiſſet manum ſuam angelus domini ſuper Hieruſalem, vt diſperderet eam, miſertus eſt dominus ſuper afflictionem, & ait angelo percutienti populum: Sufficit nunc, contine manum tuã: erat autẽ angelus domini iuxta aream Iebuſæi. Ex occaſione cædis conſtructa eſt domus domini in area Areuna Iebuſæi: Dauid enim gloriabundus ob multitudinem exercitus, carnalis Iſraelis in operibus legis gloriantis effigiem præſetulit. ſeptuaginta millia moriuntur, illi videlicet, qui Chriſti gratiam contempſerunt: quibus defunctis, in area hominis gentilis Eccleſia ædificatur, quia nimirum neglectis deſtructiſq; iudæis, in fide gentium Eccleſia erat conſtruenda. Heliæ fugienti, mulieris impietatem, angelus viſus eſt, qui eum ad ſubeundos labores, fortiterq; pugnandum animauit: ſunt namq; beati angeli perpetui conſolatores, hortatoresq; eorum, qui laſciuientis ſeculi luxum, ſub vmbra iuniperi, cum cinere & lachrymis declinare, atque effugere intendunt. In 4. Reg: 6. non vnus, ſed plures

Angelus eo, ſe mirabatur Iſraelitas in deſerto.

Viſio rubi.

Angelus miniſter legis.

Ioſue angelus

Gedeonis angelus.

Angelus Samſonis.

Angelus Dauid.

Angelus Heliæ.

plures, Heliſæo auxiliaturi venerunt: Plures, inquit Heliſæus, ſunt nobiſcum, quàm cũ illis. Cùmq́ oraſſet Heliſæus; ait: Domine aperi oculos pueri huius, vt videat. & vidit, quia ecce plenus erat mons equorum, & curruum igneorum in circuitu Heliſæi. Rectè ergo Dauid dicit: Immittet ſe angelus domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Et Iacob vocat angelos caſtra dei: mira ergo ſunt, quæ à ſanctis angelis, priſcis illis hominibus obſequia exhibita fuiſſe videmus. Magnæ profectò illis curæ fuit diuinæ legis cuſtodia, atq; ij, qui inuiolabili quodam animi conflictu, eidem legi parere vellent. Iſaias vidit ſeraphin ſtantia, ſex alarum remigio ornata, ante ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, ſine fine clamantia, ſanctus, ſanctus, ſanctus dominus exercituum, de quibus non eſt modò dicendum per ſingula. Quàm plurima ſanctorum angelorum myſteria, ſancto Danieli, viro deſideriorũ reuelata fuiſſe legimus: Videbam, inquit cap: 7. in viſione mea nocte, & ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno, & quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari, diuerſæ inter ſe. Quatuor ventos cœli, quatuor arbitror angelicas poteſtates, ait diuus Hieron: quibus principalia regna cõmiſſa ſunt. Vnde in Deut. legitur 32. Conſtituit terminos populorũ, iuxta numerum angelorum Dei. Quatuor beſtiæ magnæ, quatuor regna conſurgent de terra: quatuor autem venti cœli, qui pugnabant in mari magno, id eſt in mundo, quatuor, vt dixi, angelorũ poteſtates; vnusquiſq; enim angelus pugnat pro eo regno, quod ſibi creditum eſt. Simile quiddam legitur 2. Paralip. 32. Et miſit dominus angelũ ſuum, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. Et cap: eiuſdem prophetæ 7. Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei. miniſtrorum dei numerus nequaquam diffinitur; ſed multitudinem profert, quæ maior intelligi nequeat. Iſta ſunt millia, & iſtæ myriades, de quibus in Pſal. 67. Currus dei decem millibus, multiplex millia. Et cap. 9. Et ecce vir Gabriel, quem videram in viſionis principio, citò volans tetigit me, in tempore ſacrificij veſpertini: & docuit me, & locutus eſt mihi. Daniel, nunc egreſſus ſum, vt docerem te, & intelligeres, quia vir deſideriorum es. In Zacharia quoque legimus, angelos prouinciarum, atque regnorum eſſe defenſores. Et ecce angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, & angelus alius egrediebatur in occurſum eius, & dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum iſtum, dicens: Abſq; muro habitabitur Hieruſalem, præ multitudine hominũ, & iumentorum in medio eius. Hebræi Michaelem eſſe putant; & alterum angelum, qui egrediebatur, & veniebat in occurſum eius: Gabrielem ſuſpicantur, qui loquitur ad Michaelem, vt loquatur prophetæ, quantam gloriam habitura eſſet Eccleſia gentium, quæ præ multitudine hominum & iumentorum, abſq; muro, ſiue vt ſeptuaginta dicunt, frugum abundantia, futura eſſet habitatio. Rurſus, angelus Zachariam quaſi de ſomno ſurgentem, interrogat 4, cap: quid viderit: Et vidi, inquit, & ecce candelabrum aureum totum, vbi diuinæ incarnationis myſterium oſtendit: Chriſtus enim dominus eſt candelabrum aureum, & lampas accenſa cum ſeptem lucernis ſemper ardentibus. Et cap: 9. angelos milites vocat: Et circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi, euntes & reuertentes, id eſt, Eccleſiam angelorum præſidio muniam: ſunt ergo angeli dei milites, qui inter nos & deum diſcurrunt, ſua officia explere cupientes. Quam ob cauſam, Iacob vidit ſcalam, & angelos aſcendentes & deſcendentes: vnde non temerè dominus de ipſo loquitur: Si videritis angelos aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis. Quod Iacob vocat ſcalam, dominus nominat filium hominis: eſt autem angelorum officium, ea, quæ pertinent ad ſacramentum filij hominis, implere, ſublimia petere, & ad ima deſcendere, nosq́ deo coniungere; miniſtratorij planè ſpiritus ſunt miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. Rectè ergo ab Iſaia cap: 14. paſtores nominantur: Nec paſtores requieſcent ibi, inquit, id eſt angeli, qui humano præſunt generi. Et ab Ezechiele, lapides igniti, 28. vocantur: Ambulaſti in paradiſo, in medio lapidum ignitorum: lapides, inquam, quorũ

De angelis.

Angelus Heliſæi.

Angeli currus ignei.

Angelus caſtra Dei.

Angelus Iſaiæ

Angelus Danielis.

Quatuor vẽti.

Quatuor angeli.

Conſtituit nũmerum populorum, iuxta numerum angelorum dei.

Centum octoginta quinq; millia.

Angelus Zachariæ 2.

Eccleſiæ augmentum.

Michael & Gabriel.

Angeli ſunt milites Dei.

Scala Iacob.

Angeli vocantur paſtores.

Lapides igniti

iactu Beemoth occiſus eſt, vt ita dicam, dum è paradiſo excluſus, præceps ruit in tartara, igniti perpetuo ſcilicet amore ferventes. Ad hunc etiam modum Dauid vocat flã-

Flammaignis

mam ignis: Qui facit, inquit, angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis: nã non ſolùm deus vocatur ignis; ſed etiam angeli diuino ſpiritu ferventes. Nubes quoque

Nubes.

tùm à prophetis, tùm etiam ab Euangelio appellantur: Et mandabo nubibus deſuper, ait Iſaias 5. id eſt, angelis. Et Daniel: Et vidi filium hominis venientem cum nubibus cœli. 7. Apocal. 1. Ecce venit cum nubibus, id eſt, cum angelis; nubes planè, quæ à terrenis remotiſſimæ, pluuias diuinæ in homines benedictionis effundunt, quæq́ pro vmbraculo nobis ſunt, ab incendio, & æſtu. Proinde Dauid de his nubibus loquitur; & quidem

Dauid pſ. 103.

abundantiſſimè: Qui ponis nubem aſcẽſum tuum domine, qui ambulas ſuper pennas ventorum: ſunt namq́ ſancti angeli vehicula, & quaſi currus diuinæ maieſtatis, quibus ad nos diuina citò defertur, atque innoteſcit voluntas. Et alibi ait: Et veritas tua vſq́ ad nubes: veritas namq́ diuina, eſt huiuſmodi nubium, & conditrix & nutrix pariter. Et iterum: Gloria eius & magnificentia eius in nubibus, id eſt, angelis. Idem quoque propheta angelos nominat montes: Montes in circuitu eius, id eſt angeli, teſte Hieron. Et in alio Pſal: Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſticiam. Montes, inquam, caſeati, montes pingues, ferentes paſcua, & herbas virentes, diuino lumine illuſtrati, in quibus dominus habitat, & conſpicitur.

Angeli dicuntur montes. C. 24. 71. 68.

Vigiles etiam à Daniele propheta angeli nominantur, cap: 4. Et ecce vigil, & ſanctus de cœlo deſcendit, clamauitq́ fortiter. vigiles planè dicuntur, quòd ſemper vigilent, & ad dei imperium ſint parati: vnde & nos crebris, inquit Hieronymus, pernoctationibus imitamur angelorum officia.

Angeli ſunt vigiles.

Daniel vocat angelos, regnorum prouinciarumq́ principes, cap: 10. Princeps regni perſarum reſtitit mihi, viginti & vno diebus. Et ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium mihi. Angelus erat, cui perſarum regnum creditum eſt: is enim enumerãs peccata populi iudæorum, quòd iuſtè tenerentur captiui, reſtitit, quia eos dimittendos non eſſe putabat. ſunt ergo angeli prouinciarum atq́ regnorum principes, & cuſtodes: ſicut etiam Iſaias loquitur 62. Super muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes, tota die & tota nocte, perpetuò non tacebunt laudare nomen domini. cuſtodes, inquam, id eſt angelos, qui non dormitant, neq́ dormiunt cuſtodientes ciuitatem dei.

Angeli ſunt principes prouinciarum.

Angeli ſunt cuſtodes.

Sunt itaq́ ſpiritus mentesq́ illæ celeſtes, angeli, id eſt, dei nuncij, dij, montes glorioſi, nubes lucidæ, venti cœlorum, milites domini, paſtores, lapidesq́ igniti, flamma ignis, vigiles, prouinciarum principes, eccleſiæ cuſtodes, miniſtratorij ſpiritus, ſedes dei. iuxta illud: Cùm venerit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, id eſt, angelorum ſtipatus agminibus: anima enim iuſti ſedes eſt ſapientiæ: Aſtra matutina, quum me laudarent, ait Iob, aſtra matutina, & iubilarent omnes filij dei. 38. Columnæ cœli, ſicut idem propheta 26. loquitur: Columnæ cœli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius. Columnæ cœli, inquam, id eſt angeli, quorum natura immobiliter perſeuerat in dei laudibus, diuina vtique gratia ſuffulta. Sodales ſponſi, ſicut in cantico canticorum legimus: Vade poſt gregem ſodalium tuorum. ſodales vtique angeli ſunt, quibus gentium greges cuſtodiendi commiſſi ſunt. Ex his ergo atque ſimilibus prophetarum oraculis, angelorum natura dignoſcitur, & officium.

Angelorũ nomina plurima

CAP. IIII.

Angelorum miniſteria, & officia, ex Apocalypſi variè oſtenduntur.

Sacratiſ-

 De angelis.

*SAcratiſſimæ Apocalypſis myſteria, angelorum panduntur officio, quorum
profectò intereſt, purgare, illuminare, atq; accendere eos, qui diuinæ ſunt
ignari virtutis: Et ſignificauit, inquit, mittens per angelum ſuum ſeruo ſuo
Ioanni: ſignificauit, inquam, id eſt, quibusdam ſignauit, ſiue obfirmauit fi-
guris, vt non cuilibet pateret legenti. Primum angelorum miniſterium ſub
nomine ſtellarum ſeptem oſtenditur, & habebat, inquit, in dextera ſua ſtellas ſeptem, id* Stellæ ſeptem
*eſt, angelos, in quibus pleniſſimè ſancti ſpiritus gratia conſpicitur. his commiſſa ſunt ec-
cleſiarum gubernacula, manentq; in dextera ſedentis. Ex quo patet, eccleſiarum regi-
men, angelis eſſe commiſſum, quibus curæ eſt, vt quælibet ſibi commiſſa eccleſia, bene,
ac optimè regatur. Septem autem candelabra aurea, ſeptem ſunt eccleſiæ, in medio au-
tem ſeptem eccleſiarum ambulat filius hominis, quia ecce vobiſcum ſum, vsq; ad conſum-* Septem locutiones.
*mationem ſeculi: ad huiusmodi autem angelos ſeptem, fiunt locutiones, ſingulæ, ſingu-
lis. Ad angelum Epheſinæ eccleſiæ, ſpiritus timoris loquitur: Memor eſto, inquit, vnde* 1.
*excideris, & pœnitentiam age, & prima opera tua fac; ſin autem, venio tibi, & mo-
uebo candelabrum tuum de loco ſuo. Ad angelum eccleſiæ ſmyrnenſis, mittitur ſpiri-* 2.
*tus pietatis: quippe, qui de tolleranda malorum perſecutione, humaniſſimè loquitur:
Scio, inquit, tribulationem, & paupertatem tuam; ſed diues es, cuius diuitiæ ignotæ
ſunt aduerſarijs tuis. Ad angelũ pergamenſis eccleſiæ, dirigitur ſpiritus ſcientiæ: Ha-* 3.
*beo, inquit, aduerſum te pauca, quòd habes ibi tenentes doctrinam balaam: ſapientis
enim eſt peſtiferam doctrinam abijcere. Ad angelum Thyatirenſis eccleſiæ loquitur* 4.
*ſpiritus fortitudinis, vtpotè pugnaturum contra zezabelem: Habeo aduerſus te, quòd
permittis mulierem zezabelem ſeducere ſeruos meos: tuæ ergo intereſt fortitudinis,
huiusmodi doctrinam, è medio auferre. Ad angelum eccleſiæ ſardenſis, deſtinatur ſpi-* 5.
*ritus concilij, multo ſanè illi opus eſt concilio, qui putat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit:
Qui, inquam, habes nomen quòd viuas, & mortuus es: eſto ergo vigilans, & confirma
cætera, quæ moritura ſunt: non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. Ad an-* 6.
*gelum autem eccleſiæ philadelphiæ mittitur ſpiritus intellectus, ad quem pertinet ſan-
ctarum aperire myſteria ſcripturarum: Ecce, inquit, dedi oſtium apertum coram te,
quod nemo poteſt claudere. ille autem dedit, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & ne-
mo claudit, claudit, & nemo aperit. Ad angelum laodiciæ eccleſiæ mittitur, ſiue loqui-* 7.
*tur ſpiritus ſapientiæ, quæ in ſui cognitione conſiſtit: Neſcis, inquit, quia miſer es, miſera-
bilis, & mendicus. itaq; ſingula ſingulis pro temporum, atq; rerum qualitate, myſteria
demonſtrantur. Propoſito eccleſiis aſcendendi ordine, per ſeptimarmè ſpiritus ſancti gra-* Septem deſcenſus.
*tiam, poſthac deſcenſus proponitur per eum, qui inclinauit cœlos, & deſcendit. Sedes in
cœlo oſtenditur, in qua rectè ſpiritus ſapientiæ cernitur, liber ſeptem ſygillis ſignatus ab* 1. 2.
agno aperitur, in cuius opere, ſpiritus intellectus apparet. Deinde, magni conſilij ange- 3.
*lus ſtat iuxta aram templi, cum myſticis ſeptem tubarum cantibus, quod pertinet ad ſpi-
ritum concilij. Draco poſt modum magnus, & rufus, habens capita ſeptem, mulierem* 4.
impugnat, Michaele prælidate, in quo profectò ſpiritus eſt fortitudinis Exeunt poſtea ſe- 5.
ptem angeli, ſeptem phialas habentes, quibus opus eſt ſpiritu ſcientiæ. Mulier præterea 6.
oſtenditur ebria ſanguine martyrum Ieſu, in qua oſtenditur ſpiritus pietatis. Poſtremò, 7.
*terra, mare, & infernus reddunt mortuos ſuos, quod planè ſpectat ad ſpiritum timoris.
itaq; ſepties aſcendendo; & totidem deſcendendo, tota impletur eccleſiæ plenitudo. In-
carnationis myſterium ſub ſimilitudine libri intus, & foris ſcripti, ſygillis ſeptem obſi-* Liber ſignatus ſeptē ſygillis.
*gnati, Ioanni oſtenditur. Sancta planè ſcriptura, quaſi intus, & foris ſcribitur, dum li-
terali, atq; ſpirituali intelligentiæ ſenſu adornatur, ſeptemq; ſygillorum nexibus, clauſa* Septē ſygilla.
videtur. Septem reuera ſunt Chriſti myſteria, in quibus tota Moyſi legis, ac prophetarũ Septem myſteria Chriſti.
*ſcriptura conſiſtit: incarnatio ſcilicet, paſſio, reſurrectio, aſcenſio, miſſio ſpiritus ſan-
cti, gentium vocatio, extremi iudicij executio. Quæritur idoneus quiſpiam, qui ſoluen-*

 dorum

lis.

dorum ſygillorum peritiam habeat, atq; virtutem. Angelis curæ eſt, huiuſmodi inuenire, propterea, inquit, Ioannes: Audiui angelum fortem prædicantem voce magna. cap. 4. Quis eſt dignus aperire librum, & ſoluere ſignacula eius. Inuenitur agnus, idoneus vtiq; ad ſoluendum, aperiendumq; ſignati libri abſconditum, ſanctumq; myſterium. Laudatur, approbaturq; ab vniuerſa angelorũ multitudine. Et audiui vocem angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & ſeniorum: & erat numerus eorum millia millium voce magna dicentium: dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Approbant angeli, atq; commendant incarnationis myſterium, agni dignitatem confitentes, ſeptem numero inſignia teſtificantes, ſpectant, & admirantur magnum redemptionis ſacramentum: Erant, inquit, millia millium, hoc eſt, propemodum infiniti, & omnes prorſus laudantes agni virtutem, & diuinitatem. Agni deinde beneficia, humano generi exhibita, manifeſtantur. ſiquidem, cùm quatuor orbis terrarum diuiſus extiterit

Angelus ab ortu Solis. *regnorum limitibus, ab angelis, illis præſidentibus, magnum imminebat ſupplicium: ſed aſcendente angelo ab ortu Solis, Chriſto, ſcilicet diuinitatis ſignum præſeferente, atq; angelis, illorum regnorum præſulibus præcipiente; ne quid mali ſubditis ſibi regnis inferrent, quòaduſq; ſerui Dei in frontibus, ſignum crucis acciperent, pax terræ reddita eſt, hominibus bonæ voluntatis. Diſtinguuntur filij Dei, à filijs huius ſeculi, ſalutis charactere impreſſo in frontibus eorum: Et vidi quatuor angelos, inquit, ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, id eſt, Babylonicum, Perſicum, Macedonicum, & Romanum regnum: tenentes quatuor ventos; ne flarent ſuper terram, ſcilicet, ſalutis, & prædicationis gratiam. Et vidi alterum angelum aſcendentem ab ortu ſolis, quia nimirum venit illuminaturus eos, qui in tenebris erant, & vmbra mortis. & clamauit voce magna quatuor angelis, quibus datum erat nocere terræ, & mari, dicens. Nolite nocere terræ, & mari; quòaduſq; ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum. Et audiuit numerum ſignatorum centum quadraginta quatuor millia, ex quo electorum numerus oſtenditur, in quibus ſignatũ eſt lumen vultus domini. Et omnes angeli ſtabant in circuitu throni, & in facies*

Quatuor angeli.

Quatuor regna.

Adorant angeli agnum. *ſuas ceciderunt in conſpectu throni, & adorauerunt Deum, dicentes. amen: ſuſpicientes enim diuinæ incarnationis myſterium, illiuſq; beneficium recognoſcentes, adorant agnum redemptorem, coronas ſuas, id eſt, naturæ, gratiæq; dignitates, agni pedibus ſubmittentes. vnde propheta canit: Et adorent eum omnes angeli eius: etenim, & quæ in cœlis, & quæ in terris habentur, Chriſti beneficio reſtaurata ſunt, ſecundùm Apoſtoli ſententiam.*

Angelorum coronæ.

Septem angeli cum ſeptem tubis. *Deinde mittuntur ſeptem angeli, ſeptem tubis canituri, eccleſiæq; annuntiaturi, quæ foret paſſura; quòaduſq; tempus ſui incolatus perſiſteret, atq; duraret: Et vidi, inquit, ſeptem angelos ſtantes in conſpectu Dei, & datæ ſunt illis ſeptem tubæ. Et ecce alius angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum in manu ſua, id eſt, Chriſtus, qui ſuper aram crucis, ſuum aureum, & immaculatum corpus obtulit, cuius virtute, accepta ſunt alia incenſa, & ſanctorum orationes, impletumq; eſt thuribulum de igne altaris, id eſt, eccleſia, Chriſti corpus, ob beneficium crucis, diuino igne accenſa eſt, atq; impleta: quam ob cauſam, tonitrua emiſit, & voces, fulguraq;, & terræ motus magnos. Sanè, dedit vocem ſuam, & mota eſt terra, apparueruntq; fulgura, atq; tonitrua*

Angelus ante altare Chriſt⁹

Prima tuba. *prædicantium, voces credentium, terræ motus peccantium. Primus angelus tuba cecinit, & facta eſt grando, & ignis, mixta in ſanguine, & miſſum eſt in terram, & tertia pars terræ combuſta eſt. Eccleſiæ ſtatus poſt Chriſti aduentum, vſq; ad finem mundi oſtenduntur, quibus angeli tuba prædicationis annuntiant, quæ illis euentura ſunt: ex quibus certè, quædam contigerunt, quædam verò reſtant complenda. primus, itaq;, angelus tuba canens, primus ſtatus eſt naſcentis eccleſiæ, in quo planè tertia pars creaturarum,*

Secunda tuba *idolorum ſcilicet, ſuperſtitione combuſta, ad Chriſtum conuerſa eſt. Et ſecundus angelus tuba cecinit, & mons magnus igne ardens miſſus eſt in mare. Magnus profectò mõs,*

hæretica-

De angelis.

hæreticorum ſynagoga, liuoris, & inuidiæ igne perpetuo ardens, quæ primordia eccleſiæ extinguere tentauit: Mortua, inquit, eſt tertia pars creaturæ, nequiſsimæ vtiq; hæreticorum ſynagogæ igne combuſta. Et tertius angelus tuba cecinit, & cecidit de cœlo ſtella magna, quæ dicitur abſinthium, hæreſis vtiq; peſsima; vtpotè arrij, & ſimilium, cuius malitia, & fraude, cùm ſtella quædam eſſe putaretur, aquæ ſcripturarum dulces, conuerſæ ſunt in abſinthiũ. Et quartus angelus tuba cecinit, & percuſſa eſt tertia pars Solis, & Lunæ, & ſtellarum, eorum planè, qui videbantur, clariſsima lumina eſſe, interitum, atq; corruptionem annuntiat. Et quintus angelus tuba cecinit, & vidi de cœlo, id eſt, de eccleſia ſtellam cecidiſſe, ſublimem aliquem, in hæreſim, atq; Tyrannidem incidiſſe, cui data eſt clauis putei abyſſi, & apperuit puteum abyſſi, id eſt, errorem putentem contra eccleſiæ dogmata, quemadmodum eſt Turcarum, ac maurorũ, cæterorumq; barbarorum gens, cuius fumo, obſcuratus eſt quodam modo Sol iuſtitiæ, id eſt, eccleſiæ ſplendor. vnde inſtar locuſtarum populus ille creuit, atq; multitudine auctus eſt. Et ſextus angelus tuba cecinit, & audiui vocem vnam ex cornibus altaris, dicentem ſexto angelo, qui habebat tubam: Solue quatuor angelos, qui ſunt alligati in flumine magno euphrate. Et hæc quidem venerunt, aut proximè futura ſunt; quando regnũ inſurget aduerſus regnum, & gens in gentem: quando refrigeſcet charitas, & abundabit iniquitas quando ſoluetur ſathanas de loco ſuo. Quatuor tunc regna, iniquitate dominãte, remotiſq; rationis legibus, bellorum igne ardebunt: Numerus, inquit, equeſtris exercitus vicies millies, dena millia. Septima tuba in fine cantura erit, quando erit dies tubæ, & clangoris, dies nebulæ, & turbinis, dies amara, & terribilis. Poſt tubarum cantum, impiorum pœna oſtenditur, orbis interitus, malorum finis: Et vidi, inquit, alium angelum fortem, deſcendentem de cœlo, amictum nube, & iris erat in capite eius, & leuauit manũ ſuam in cœlum, & iurauit per viuentem in ſecula ſeculorum, quod tempus ampliùs non erit; ſed in diebus vocis ſeptimi angeli, cũ cæperit tuba canere, conſummabitur myſterium Dei; ſicut euangelizauit per ſeruos ſuos prophetas: non erit ampliùs tempus pœnitentiæ, quia conſummatum eſt myſterium regni. Angelũ huiuſmodi, Chriſtum eſſe puto, ſua amictum humanitate mundiſsima, cui cætera congruunt, quæ ibi ſcribuntur, & iris, & pedes, & ſimilia, nempe libellus apertus, id eſt, omnia ſcripturarum completa myſteria, dixitq; Ioanni, quòd iterum eſſet, Euangelij myſterium annuntiaturus. Et ſeptimus angelus tuba cecinit, & factæ ſunt voces in cœlo dicentes: Factum eſt regnum huius mundi domini noſtri, & Chriſti eius, & regnabit in ſecula ſeculorum. Laudat omnis ſanctorum chorus, adueniſſe tempus retributionis, & finis omnium; quod profectò in extremo iudicio complebitur.

Tertia tuba.

Quarta tuba.

Quinta tuba.

Sexta tuba.

Angelus amictus nube.

Angelus. Chriſtus amictus nube.

Septima tuba

CAP. V.

Michaẽlis, & draconis bellum, cap. 12.

ET factum eſt prælium magnum in cœlo: Michaẽl, & angeli eius præliabantur cum dracone: & draco pugnabat, & angeli eius, & non valuerunt, neq; locus inuentus eſt eorum amplius in cœlo. Si prælium huiuſmodi, poſt partum mulieris commiſſum eſt; planum eſt, quod de prima angelorum pugna, quæ in empyreo cœlo facta eſt, non poteſt intelligi; ſed de ea potiùs, quæ in extremis temporibus futura eſt, quando accuſator fratrum prorſus eliminabitur, atq; foras mittetur. Interim prouinciarum, regnorumq; protectores, animarum cuſtodes: angeli præliantur cum dracone, & angelis eius. Et proiectus eſt ille draco in terram, quia nimirum princeps huius mundi eiectus eſt foras: excluſus vtiq; à cordibus fidelium, qui ipſum vicerunt propter ſanguinem agni, & propter verbum teſtimonij, & non dilexerut animas ſuas vſq; ad mortem, quod profectò angelis conuenire non poteſt:

Bellum angelorum.

ſunt enim

Angelus deſcendens de cœlo.

lium angelum deſcendentem de cœlo, poſtquam viderat alium oſtendentem ſibi damnationem meretricis magnæ, qui extiterat vnus de ſeptem habentibus ſeptem plagas, cap. 17. habentem poteſtatem magnam, & terra illuminata eſt à gloria eius: & clamauit in forti voce dicens: Cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio dæmoniorum. Babylon, inquam, id eſt, confuſa, & inordinata impiorum ſocietas, corruet planè in fine ſeculi, quæ modò glorioſa apparet, palamq́; fiet, quòd immunda ſit dæmoniorum habitatio. Væ væ ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis: quoniam vna hora venit iudicium tuum & ſuſtulit vnus angelus fortis, lapidem quaſi molarem magnum, & miſit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon magna illa ciuitas, & vltra non inuenietur. Ex quo, peccatorum incendium æternum clarè conſpicimus, angelorum deſiderium, flagitantium, vt finem accipiat iniquitas, vt ſocietas compleatur ſanctorum. deniq; vt Deus ſit omnia in omnibus: Et fumus, inquit, illius aſcendet in ſecula ſeculorum. vnde vox auditur tubarum multarum in cœlo dicentium, alleluia. Laus, & gloria, & virtus Deo noſtro, quia vera, & iuſta iudicia eius ſunt; quia iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in proſtitutione ſua, & vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum de manibus eius. Et vox de throno exiuit, dicens: Laudem dicite Deo noſtro omnes ſerui eius: & qui timetis eum, puſilli & magni. Canitur alleluia, poſt Babylonis euerſionem, quia reuera, quamdiù durat Babylonis imperium, nemo noſtrûm tutus eſt, atq; ſecurus: neq; canere poteſt verum alleluia. Itaq; deſtructis debellatisq́; hoſtibus, & in carcere teterrimo concluſis, vxor agni præparauit ſe, & datum eſt illi, vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti, & candido, hoc eſt, fide vera, & viua, quæ ſplendet, & fulget. Et dictum eſt mihi, cap. 19. Scribe, beati qui ad cænam nuptiarum agni vocati ſunt. Et cecidi ego Ioannes, vt adorarem angelum, & dixit mihi: Vide ne feceris, conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu. Deum adora. Angelus, Ieſu diuinitatem confitetur, cuius ſeruum ſe eſſe proteſtatur, atq; fidelium collegam, & conſeruum: Deum (inquit) adora, cui ſoli debetur ille latriæ cultus, quem omnes adorantes colimus, & colentes adoramus & veneramur. poſthæc (inquit) cap. 19. Vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur fidelis & verax: & exercitus qui ſunt in cœlo, angelorum vtiq; atq; hominum ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo mundo. equus albus, immaculatum chriſti corpus, cui inſidet diuinitas verbi dei, quem ſequuntur in cœlo ſpiritus cœleſtes, & animæ ſanctorum in equis albis, animæ quidem cum corporibus mundiſſimis; ſpiritus verò, qui carent corpore, cum intellectus voluntatisq; munditia. tale aliquid in Platone annotauimus. Et vidi angelum qui ſtabat in ſole, illum (inquam) qui poſuit in ſole tabernaculum ſuum, clamantem voce magna omnibus auibus, quæ volabant per medium cœlum: Venite ad cœnam magni Dei, vt manducetis carnes regum, & tribunorum, & fortium. inuitat ad vindictam malorum, laudem verò bonorum; & omnes aues ſaturatæ ſunt carnibus eorum. Et poſthæc vidi angelum deſcendentem de cœlo, habentem clauem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua. Et apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, & miſit in carcerem, ſiue in abyſſum, & clauſit, & ſignauit, ſuper illum, vt non ſeducat ampliùs gentes. Et dominus Deus omnipotens ſpiritus prophetarum miſit angelum ſuum oſtendere ſeruis ſuis, quæ oportet fieri citò. Et ego Ioannes poſtquam audiſſem, & vidiſſem, cecidi vt adorarem ante pedes angeli, qui mihi hæc oſtendebat: & dixit mihi: Vide ne feceris, conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorũ prophetarum, & eorum qui ſeruant verba libri huius. Deũ adora. et dixit mihi: Ne ſignaueris verba prophetiæ libri huius: tempus enim prope eſt. Ecce venio citò, & merces mea mecũ eſt, reddere vnicuiq; ſecundùm opera ſua. Ego Ieſus miſi angelum meum, teſtificari vobis in eccleſiis. Ego ſum radix, & genus Dauid, ſtella ſplendida, & matutina. Et ſpiritus, & ſponſa dicit: Veni. Et qui audit, dicat, veni. Veni domine Ieſu, veni. Itaq́; tota Apocalypſis, angelicorum myſteriorum plena eſſe conſpicitur: angeli enim, incar-

Societas hæreticorum immunda dæmonum habitatio.

Alleluia.

Vxor agni.

Beati qui vocati ſunt ad cænam agni.

Angelorum exercitus.

Angelus ſtans in Sole.

Angelus habens claues putei abyſſi.

Angelus Ieſu.

nuntij, quo planè nomine omnes illi beati ſpiritus propter mutuam illuminandi diligentiam, & exercitum ſunt appellati. Siquidem, inquit, vt theologia, ſiue ſermo diuinus diuinæ reuelationes per angelos nobis exhibitæ ſunt. Geneſ: 6. & 7. Angelus inſtruxit Noe de arca erigenda, in qua ſaluaretur genus humanũ: Abraham admonuit de incendio Sodomorum 21. de vxoris ſuæ partu præter ſpem ſenilis ætatis, 22. de immolatione Iſaac, 26. Iſaias docuit, vt ad Abimelech regem ſe conferret. 28. Iacob vidit ſcalam, & angelos per eam deſcendentes. 32. Iacob abijt in itinere, quod cæperat, fueruntq́ ei obuiam angeli, quos cùm vidiſſet, ait: Caſtra Dei ſunt hæc. Exo: 3. Apparuit Moyſi angelus in flamma ignis. Ioſue. 1. Inſtruitur magnus ille de populi regimine. Et ca. 5. viſus eſt cultros lapideos facere, ac ſecundò circumcidere filios Iſrael. Iudicum 6. Hortatur angelus fortiſſimum Gedeonem ad bellum. Iudicum 7. Per angelum oſtenditur ei modus pugnæ. Similiter & diuinum Chriſti humanitatis myſterium angeli primùm locuti ſunt. Lucæ 1. & 2. Sic diuiniſſimus Gabriel Zachariam quidem ſummum ſacerdotem edocuit myſteria: alius angelorum Ioſeph erudiuit, Matth. 1. alius verò paſtores, Lucæ 2. Ipſe dominus Ieſus per angelos nunciatur, & appellatur angelus magni conſilij: poſt victoriam angeli illi adminiſtrabant. Hæc Dionyſius, ex quibus ſatis clarè conſpicitur angelorum exiſtentia, & officia. Deinde animaduertendum quomodo angeli participent illo ſummo bono: Sancti, inquit, ordines cœleſtium hierarchiarum, quia familiarius Deo coniunguntur, multiplicius, & copioſius eo participant, quia cæteris præeminent creaturis: ipſi enim intelligentias ſuas purè in Deum extendentes, ad ipſius imitationem ſe transformant, & diuinam ſpeciem, cui aſſimilantur, contemplantes, illi deſiderant conformem ſuam intellectualem ſpeciem habere; & per hoc copioſiores habent communiones præ cæteris. manent autem in tali exercitio infatigabiles, & attenti, ſemper extenti ad ſuperna æternæ ſapientiæ ſpectacula, iuxta cuiuslibet capacitatem: & hoc per fortitudinem diuini amoris, à quo nulla occaſione poſſunt deflecti, aut retardari. Et ipſi à Deo intus ſuſcipientes immaterialiter & purè principales illuminationes, ſecundum eaſdem ordinantur, habentes plenam & integram vitam in nullo intellectuali ſenſu deficientem, aut diminutam. Itaq́ illæ cœleſtes ſubſtantiæ primò & multiplicius ſunt manifeſtatiuæ diuini ſecreti. vnde præ cæteris creaturis excellenter dignæ habentur angelica denominatione, eò quòd diuina illuminatio primò ingignitur illis, & manifeſtationes diuini luminis, quæ ſunt ſuper nos, per ipſos autem ad nos deferuntur. vnde dicit ſcriptura, quòd lex eſt ordinata per angelos: Gal: 3. Deinde cap. 3. ſcrutatur, quare omnes illæ cœleſtes virtutes angeli nominentur: Dicimus, inquit, omnes angelos appellari, quia per omnem ſanctam diſpoſitionem, excellentes quidem ordinem habent inferiorum diſpoſitionum illuminationes & virtutes, non autem participantium excellentium ſe, ſunt vltimi: igitur ſanctiſſimos excellentiſſimarum ordines angelos vocãt theologi: etenim ſunt manifeſtatores & ipſi diuinæ illuminationis, ordinem verò extremum animorum cœleſtium, non habent rationem archos, aut thronos, aut ſeraphim nominandi: neq́ enim eſt in participatione excellentiſſimarum virtutum. hæc ille. Et reuera, illi cœleſtes ſpiritus differunt ab inuicem illuminatione, & ſtatione ſecundùm eminentiam ordinis, aut naturæ; ideo vltimus ordo cùm non pertingat ad excellentem participationem donorum, & perfectionum, quæ ſunt in ſuperioribus ordinibus, illorum nominibus non gaudet. Deinde Dion: quærit: Cùm, inquit, inter nouem ordines angelorum cœleſtium, vltimus ſpecialiter dicatur ordo angelorũ; quæritur, qua ratione in ſcripturis, cuiuslibet ordinis perſonæ dicantur angeli. Reſpondetur, quòd omnium ordinum inferiorum illuminationes & virtutes plenius illis habent ordines ſuperiores; inferiores verò non habent illuminationes & virtutes in ea plenitudine, in qua habent ſuperiores: cùm nomina ordinum ſingulorum, deſignẽt ſpeciales ipſorum gratias; meritò ſuperioribus poſſunt inferiorum nomina attribui, tanquam ipſorum illuminationes, à quibus nomina imponuntur, plenius

Reuelationes diuinæ per angelos.

Angeli quomodo participant diuina diſtributione.

Amoris diuini fortitudo.

Angeli nobiliores aliis creaturis.

Angeli quare appellentur.

Angelorum ordines õnes, quare dicuntur angeli.

habentibus

De ordine ſeraphico

do tribuunt, illam poſſident, & cuſtodiunt ſine amiſſione. Iſte amor Seraphicus, eſt oculus ſponſæ, vt legitur in cantico ſponſæ: Vulneraſti me, inquit, in vno oculorum tuorum. Planè, rationalis animæ duo oculi deſcribuntur, cognitio ſcilicet, & amor: cognitio verò cognitiuam potentiam, amor verò affectiuam intuetur. Amor autem eſt oculus ſponſæ, qui vtique tantò purior; quantò intimior. ſiquidem mellis dulcedo, & ignis caliditas, & odorum ſuauitas, guſtu, olfactu, tactuq́ melius, quàm viſu dignoſcũtur. Ita ſanè anima ſuo guſtu, ac tactu, id eſt, amore, Deum clarius, ac fortius, quàm cognitione percipit & amplectitur. Virtus præterea fortior eſt vnita, quàm diſperſa: amoris autem eſt vnire: ex forti etiam calefactione ignis lucens erumpit; ſic ex amore cognitio generatur. quantò ergo magis Deus diligitur; eò magis cognoſcitur. creatura ſiquidem rationalis, quadruplici deum dilectione proſequitur: naturali, qua in ſummũ bonum naturaliter fertur: arbitraria, ſiue electiua, ſanè volũtas nõ fertur, naturali & libero amore, niſi ab obiecto præmoneatur. vnde ſibi complacet, & ita actũ diligendi eligit: omnes namq; homines beatitudinẽ eligunt; ſed eam, quã Chriſtiani intendunt, aſpernãtur quàm plurimi. Primæ igitur beatitudinis amor eſt naturalis: ſecundus verò electiuus, qui in beatis in diligendo figitur; à damnatis abeſt, quia in odio veritatis perpetuò viuunt; in viatoribus, ad vtramq; partem flectitur; odio enim interdum deum proſequuntur, quòd eorum peccata puniat: tertius amor, vocatur gratuitus ſupernaturalis, alio nomine charitas creata, huic coniungitur amor diuinus increatus, qui illabitur animæ illapſu viuifico, nobis certè inexplicabili: iſte enim amor animam purificat, illuminat, perficit, atque acceptam reddit. Charitas creata luminis influentiæ ſimilis eſt: increata verò ſoli lucidiſſimo, charitate increata effectiuè, & exemplariter deum, & proximum diligimus: effectiuè quidem, quia ab ipſa dilectionem accepimus, exemplariter verò, vt quemadmodum charitas increata, id eſt, ſpiritus ſanctus eſt nexus patris & filij; ita eadem charitate ſimus vnum cum deo: qui enim adhæret deo, vnus ſpiritus fit cum eo. charitate autem creata, deum & proximum formaliter diligimus. quartus amor vocatur fruitiuus, ſiue Seraphicus: in intima enim conſiſtit experimentali ſuauitatis perceptione, ex optimo obiecto, nempe ex deo proueniens, ob eam, quam cum anima facit coniunctionem. iſte amor eſt nobiliſſimus, quippe qui in actu beatifico ſemper conſiſtit. Sed deinceps de alis Seraphim loquamur.

Oculus ſponſæ

Dilectio quadruplex creaturæ rationalis.

CAP. III.

De alis Seraphim.

Dionyſius cap: 13. eiuſdem lib. Alarum, inquit, expanſa ſacra formatione, in diuinum, in primis, in medijs, in vltimis, abſolutam, & altiſſimam extenſionem. Senſus eſt, Propheta Iſaias cap: 6. per myſticam illam extenſionem alarum ipſorum Seraphim, didicit in diuinum, bonum ſcilicet, abſolutam, atque liberam extenſionem, ſiue cognitionem & amorem exiſtere in primis, medijs, & vltimis, in Seraphim, Cherubim, & Thronis. Et cap: 15. Pennæ, inquit, ſignificant anagogicam velocitatem, & cœleſtis ſurſum verſus itineris actiuum. ipſa verò pennarum leuitas, nihil terrenum, ſed totum mundè, & ſine grauitate in excelſum aſcendens. hæc ille. Itaq́ alarum ſexcupla ſancta formatio ſic intelligitur, in primis, in medijs, & in poſtremis. primis ſiquidem, quæ caput velant ſedentis in throno excelſo, & eleuato, dei maieſtas, quæ noſtrarum ſuperat mentium intelligentiam, pronũciatur; ideoq́ ad illam immenſam dei maieſtatem aſpicere non audent: extremis alis, ſedentis pedes conteguntur, quia inſcrutabilia ſunt nobis dei iudicia. medijs autem alis volare contendebant, quia per ea quæ facta ſunt, inuiſibilia dei cognoſcuntur: ſempiterna quoq; eius virtus & diuinitas, vt dicit Apoſtolus 1. ad Rom: 1. Hæc dixit Iſaias, inquit,

Pennæ quid ſignent.

Alarum myſterium.

De ordine ſeraphico

Alarum numerus ſenarius.

Ioan. quando vidit gloriam Chriſti. Porrò, alarum numerus ſenarius perfectus eſt, vt potè qui ſuis partibus conſtat: habet enim mediam, tria ſcilicet, ſecundam, nempè duo, & ſextam partem, id eſt vnum, quæ ſimul efficiunt numerum ſenarium. ſenario præterea dierum numero completum eſt opus huius machinæ mundi.

Prima ala.

Prima ala Seraphim, profunda ſuſpiria mentis: nam rei amatæ memoria mentem agit, ſuſpiria, quaſi nuncios emittens. Sanè, ad inſpirationem fulgoris intimi, ſuſpirijs vegetata conualeſcit anima, quia eam veritatis amor afficit, & refectio contemplationis paſcit: hæc autem inſunt non tepido, ſed ſeraphico amori.

Secunda ala.

Secunda ala, alta deſideria. Sanè, omnia ponderibus ſuis aguntur: amor meus, pondus meum, dicit diuus Auguſtinus 13. confeſſionum libri: Eo feror, quocunque feror. Dono tuo ferimur, & ſurſum ferimur: inardeſcimus, & imus, & aſcendimus aſcenſiones in corde in Hieruſalem.

Tertia ala.

Tertia ala, cogitationes languidæ: nam neceſſe eſt, vt quò præceſſit dilectionis theſaurus, eò ſequatur cogitationis affectus: amant enim incipientes, ardent proficientes, languent verò perfecti: Spes ſuſtentat; ſed abſentia dilecti affligit.

Quarta ala.

Quarta ala, defectio: ex languore namque tum ſuperiorum, tum inferiorum virium, defectum incurrimus: inde ſequitur defectio: Defecit cor meum, & caro mea, deus cordis mei, dicebat Dauid. Hæc alio nomine vocatur mors ſpiritualis, percepta ſiquidem diuina dulcedine, anima terrenis rebus moritur, vt deo viuat: Viuo iam non ego, viuit verò in me Chriſtus Galat. 2. Hæc eſt pretioſa mors iuſtorum; quam aſſequi cupiebat Balaam: Moriatur, inquit, anima mea morte iuſtorum. lib. Numer. Hæc mors non aufert vitam, ſed in meliorem cõmutat, hanc efficit fortis, vt mors dilectio.

Quinta ala.

Quinta ala, eſt transformatio: amor ſiquidem amantem transformat in amatum: anima enim veriùs eſt, vbi amat, quàm vbi animat: nam ſecundùm vires ſuperiores amat, animat verò ſecundùm inferiores. dum igitur anima per amorem in amatum transformatur, ſecundùm mentem agit amati, ſui prorſus oblita. Quapropter anima hac quinta ala, ita volat in amatum; vt maneat quidem in ſuo actu primo ſubſtantiali, actũ verò ſecundum in amato ſolùmmodò poſſideat: Transformamur, inquit, Apoſt. 2. Cor: 4. à claritate in claritatem, à claritate fidei in claritatem viſionis: ſic aer transformatur in lumẽ, ferrum in ignem, perfectibile in perfectum.

Sexta ala.

Sexta ala vocatur extaſis, ſeu mentis exceſſus, quæ in contemplatione conſiſtit: rapitur enim anima ſupra ſenſibilia, ſupra rationalia, denique ſupra omne creatũ, eleuans ſe ſupra ſe.

Extaſis & raptus diſcrimẽ

Differt autem extaſis à raptu: nam raptus in omni quaſi potentia ſuperiori, reſpectu inferioris, poteſt contingere; extaſis verò, non niſi in ſola mente fieri poteſt, quæ durãte extaſi ſuorum actuum inferiorum potentiam amittit. De mentis quoque raptibus, puta eſſe ſine ſpiritu, diuiſio animæ & ſpiritus, introduci in diuinam caliginem, qui ſolo nomine ab extaſi diſſentiunt, idem iudicium poteſt haberi.

Ignatius.

Porrò, amor, authore eodem Dionyſio, extaſim facit, non ſinens ſuiipſius eſſe amatores, ſed amandorum. vnde de diuo Ignatio ſcribitur: Amor meus crucifixus.

extaſis quid ſit.

Eſt autem extaſis, deſerto exteriori homine, ſuiipſius ſupra ſe voluptuoſa quadam eleuatio, ad ſuperintellectualem diuini amoris fontem, mediantibus ſurſum actiuis virtutibus, pro viribus ſe extendens. Sunt autem virtutes ſurſum actiuæ, humilitas & puritas: humilitate enim exterior homo reformatur; puritate verò interior homo, de die in deum renouatur.

Extaſis duplex.

Eſt autem extaſis duplex: vna quidem ſecũdùm intellectum, altera verò ſecundùm voluntatem, ſiue affectum. & reuera animus contemplantis, ſenſibus ſpiritualibus ſuſpenſus, cùm ſynderesim in ſpecula æterna extenderit, apex intelligentiæ, & principalis affectio pariter feruntur, in diuina ſe mutuò promouentes, & æqualiter aſcendentes, illa ſpeculando, hæc deſiderando: præcurrente autem intelligentia, & ingredi non valente, quippè, quæ per ſpeculum videt, in ianuis commoratur; affectio verò ſpeculi ignara, ingrediens, vnitur cum Deo, efficiturque vnus ſpiritus cum eo: deinde ingrediens intelligentia, à deifica bonitate hilariter excipitur:

Nectar & ambroſia.

hoc ergo modo affectus feruorem, intellectus verò ſplendorem, nectar & am-

brosiam

broſiam recipiũt, quibus ſeſe immittit diuina bonitas, huic ſummam veritatem, illi verò ſummam bonitatem communicans. Amor ſanè intrat vbi cognitio foris ſtat: neque hæc dixerim, quaſi fieri poſſit, vt diligatur incognitum; ſed potiùs ipſum amorem, cognitionem quandam appello, illi planè ſimilem, quæ experimento comparatur: nam diuina experimento cognoſcuntur, quæ ſi non deguſtentur, in faſtidium veniunt.

Diuina ſine guſtu veniunt in faſtidium.

CAP. IIII.

Quomodo fiat amor ſeraphicus.

POſtquàm ex diuo Dionyſio didicimus, ex amore Seraphico extaſim procreari; deinceps lubet animum attollere, ad huius ſeraphici amoris indaginem, quonam pacto fiat huiuſmodi extaticus amor, in ſpiritu, an extra ſpiritum, vel ſine ſpiritu. Pro cuius rei notitia habenda, non ignorare oportet, ſpiritum humanum duplicem vitam habere: alteram, qua formaliter vita eſt: alterã verò, quæ ex ſe producit actus vitales, quæ vocatur ſecunda vita. Etenim ſpiritus, id eſt, portio animæ ſuperior, ab inferiori ita aliquando ſeparatur; vt ſpiritus in ſpiritu, & ſpiritus ſupra ſpiritum, & ſine ſpiritu nominetur. Ioan: in Apoc. 1. Fui, inquit, in ſpiritu, ſpiritum eſſe in ſpiritu, nempè ſemetipſum intra ſeipſum colligere totum, & quæ foris ſunt penitus ignorare. Acto: 2. & 12. Et Petrus ad ſe reuerſus, ait, &c. amore ſiquidem extatico anima ſupra ſe attollitur, & à ſe egreditur, nec ſe cogitat, atque ita fit ſpiritus ſupra ſpiritum. Fit interdum ſpiritus ſine ſpiritu, 3. Reg: cap. 4. Regina Sabba videns ſapientiam Salomonis, & gloriam domus eius, non habet vltra ſpiritum. rectè ergo dicitur ſpiritus ſeipſum non habere, quando incipit à ſeipſo omnino deficere, et à ſeipſo, ſiue à ſuo eſſe in ſupermundanum quendam, & verè plusquàm humanum ſtatum tranſire, ita, vt ipſe, iam non ipſe ſit. Itaq; homo extatico amore correptus, nunc in ſpiritu eſſe dicitur, iam ſub ſpiritu, modò ſupra ſpiritum, deniq; ſine ſpiritu: in ſpiritu quidem, quando Dei magnificentiam, ſuis in operibus contemplatur: ſic ſanctus Ioan: in apoc. 1. vidit ſtatum naſcentis eccleſiæ in ſpiritu. ſupra ſpiritum, quando ea contemplatur, quæ proprijs viribus nequeunt poſſideri, veluti quid ſit deus, quidúe beata vita: Oculus non vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit deus diligentibus ſe. ſine ſpiritu, id eſt cognitione, quando altiſſima dei ſecreta penetrare non valet: ſicut Regina Sabba, quæ non poterat penetrare gloriam Salomonis. ſub ſpiritu, quando agitur ſpiritu dei: Ego, inquit, alligatus ſpiritu, in act. Apoſt. tunc planè homo reformationis ſatagit ſuæ; cùm ſecundùm ſancti ſpiritus inſtructionem, ſuos mores temperat. Itaq; dum ſpiritus hominis, id eſt, in ſuo actu portio ſuperior conſiſtit, anima, id eſt, portione inferiore nihil agente, deum extaticè intelligit, & diligit: & hæc extaſis vocatur diuiſio animæ & ſpiritus. Exemplo nobis eſſe poteſt mõs aliquis, cuius vertex blanda, atque tranquilla, ſolis luce illuſtratur, ſine omni prorſus nubium, aut ventorum turbine, ima verò tenebroſa nubium obſcuritate, ventorumq; turbine occupante. Quidam præterea ignis lucet cum fumo, alius verò in carbone viuo ſerenus. Felix diuiſio, in qua animale in imis iacet, ſpirituale verò in vertice ſummo. Alia extaſis vocatur, introductio in diuinam caliginem: Vocauit deus poſt ſex dies Moyſen de medio caliginis, Exod: 24. Excellentiſſimus ſanè modus contemplandi deum in raptu, eſt ignotè aſcendere, ait Areopagita in lib: de myſtica theologia: nam nec ipſe Moyſes valuit deum videre, & ideò introductus dicitur in caliginem: licet enim oculus contemplantis in deo ſeſe ſiſtat, nihilq; aliud aſpiciat; non videbit tamen ipſius lucis claritatem: imò in caliginem potiùs eleuabitur. ad cuius quidem cognitionem, per omnium remotionem pertinget, quæ à Dionyſio vocatur docta ignorantia: ignorat enim anima contem-

Regina Sabba

In ſpiritu, ſine ſpiritu, ſupra ſpiritum, ſub ſpiritu.

Diuiſio animæ & ſpiritus.

Introductio in diuinã calliginem.

Docta ignorãtia.

plantis

plantû, cuiuſcunq; rei creatæ cognitionem, quæ intellectum, ſeu affectum, ab ipſorum officiorum executione quoquo modo deturbare poſſet: rectè ergo docta vocata eſt ignorantia, quæ creata omnia neſcit, vt deum tantùm ſciat. Porrò, illa cognitio dei, quæ

Modus cognoſcendi per raptum.

in raptu fit, ablatione, & eminentia completur: ablatione quidem, omnia creata à deo remouendo; eminentia verò, omnes perfectiones creaturarum eminenter ei tribuendo, ſed primus modus, abſq; ſecundo, perfectam cognitionẽ nõ reddit. Ad maiorem autem huius rei clarioremq; notitiam habendam, Dionyſius 2. de myſtica theologia, aptiſſimo vtitur exemplo: Quemadmodum, inquit, imaginem ex ligno vel lapide facientes, auferunt ea, quæ ſuperiecta ſunt, ipſaq; ablatione, occultam manifeſtant formam; ita, dum creata à deo remouemus, creatoris maieſtas elucet; hæc tamen cognitio caligine terminatur,

Cognitio cũ caligine.

alia priùs relicta caligine, creatura ſcilicet. Sanè, natura humana quædam caligo eſt, ſed à deo illuſtratur, in quantum intellectus, qui eſt quædam animæ potentia, lux fit à diuina luce deriuata. Si lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt? In raptu igitur deſeritur hæc caligo, & diuinæ maieſtatis caliginem, mens contemplantis ingreditur: deſeritur vtique operatio ſenſitiua, non negatiua, quæ raptui non faceſſit negotium. Dum igitur deum contemplari nititur, qui poſuit tenebras latibulum ſuum,

Duæ tenebræ.

duæ occurrunt tenebræ contemplanti; creaturæ ſcilicet, & creatoris: quæ autem eſt creatoris, defectus comprehenſionis diuinæ maieſtatis nuncupatur, à qua quidem comprehenſione, non autem ab apprehenſione, beatiſſimæ illæ mentes deficiunt, ſicut poſtea dicetur, cùm de cognitione & illuminatione angelorum erit diſputandum. Apprehendunt ſiquidem deum, nudè, clarè, & immediatè, ſine aliqua caligine, vt quodam modo comprehenſores dici queant; ab illa tamen magnifica comprehenſione, qua aliquid totaliter cognoſcitur, quàm maximè diſtant; ſunt nihilominus beati ſemper in lumine. Sed de his fuſiùs atq; vberiùs paulò poſt diſſerendum: nunc hæc ſufficiant, quæ de Seraphico ordine dicta ſunt.

CAP. V

De ordine Cherubim.

Proprietates Cherubim.

THeologus noſter Areopagita cap: 7. angelicæ hierarchiæ Cherubim proprietates mirificè deſcripſit: Ipſa, inquit, Cherubim, cognoſcibile eorum & deiudum, & altiſſimæ luminũ dationis acceptiuũ, & contemplatiuũ in prima operatrice virtute, diuinæ pulchritudinis, & ſapientificæ traditionis repletum, & communicatiuum copiosè ad ſecunda fuſioni donatæ ſapientiæ.

Cognoſcẽtes

Senſus eſt, angeli iſtius ordinis dicuntur cognoſcentes, eò, quòd dono ſapientiæ cæteris præſtent.

Deifici.

Deifici, quia Dei maieſtatem, cæteris clariùs contemplantur. Dicuntur

Altiſſimæ cõtemplationis.

altiſſimæ dationis luminum acceptiui, quia altiùs præ cæteris diuinam illuminationẽ recipiunt.

Diuinæ pulchritudinis cõtemplatiui

Diuinæ pulchritudinis contemplatiui; quoniam clariſſimè Deum intuentur, in virtute prima operatrice, id eſt, immediatè in deo, qui eſt prima & ſumma poteſtas, omnium creaturarum operatrix. Pleni traditionis ſapientificæ, id eſt illuminationis diuinæ, quæ eos ſapientes reddit. Communicatiui ſapientiæ, quam acceperunt: ex ipſo enim ſapientiæ fonte hauriunt, & refundunt fluenta ſcientiæ vniuerſis ciuibus ſuis. Sapientiæ donatæ effuſione ad ſecunda, id eſt, ſuper angelos inferiores effundunt. Dicuntur etiam contemplationis puræ & ſimplicis, atque immediati fulgoris ſuſceptiui: fulgor enim eſt illuminatio, qua peruenitur ad meram & puram contemplationem veritatis: vbi virtus diuina non in imagine aut figura, vel aliqua mediante creatura; ſed per ſemetipſam, &

Domeſtici.

in ſemetipſa conſpicitur. Dicuntur etiam diuina alimonia nutriti, & vt domeſtici diuinæ refectionis repleti. Iſta ſunt ſublimiora agmina angelorum, exceptis duntaxat ſpiri-

De ordine cherubim

tibus Seraphicis, qui ampliori ſapientiæ dono repleti, Cherubim, id eſt ſcientes, & ſapientes ſunt appellati: in quibus principaliter relucet radius diuini luminis, quantùm ad præcellentem participatiuuem cognitionis diuinæ. Poſt donum charitatis, excellit donum diuinæ ſcientiæ & cognitionis: & ideò poſt Seraphicos ſpiritus Cherubim collocantur. Idem author in eodem cap: Cherubim, inquit, per interpretationem ſignificat multitudinem cognitionis, aut effuſionem ſapientiæ. Congruum autem eſt, vt talibus ſupremis ſubſtantijs ordinetur prima hierarchia, quæ ſuper cæteras exaltatur, & circa deum immediatè collocatur, & ad quam, tanquam deo proximam, principaliùs deferuntur primæ dei influxiones, & perfectiones. Cherubim ergo, id eſt, effundentes ſapientiam dici poſſunt: habent enim virtutem excellenter cognitiuam, & diuinorum myſteriorum inſpectiuam, & ſupremæ influxionis luminum diuinorum poſt ſeraphim ſuſceptiuam, & contemplatiuam, principaliter diuinæ pulchritudinis, & repletam ſapientificæ ſapientiæ diuinæ diſtributione, & valentem copiosè communicare inferioribus ſuæ donatam ſibi ſapientiam. Prima igitur cœleſtium animorum hierarchia, caſtiſſima purgatione purgatur, multo lumine illuminatur, perfecta operatione perficitur, munda exiſtens ab angelicæ puritatis minoratione: purgatio enim, illuminatio, & perfectio eſt diuinæ ſcientiæ aſſumptio, perfectiuarum doctrinarum cognitione, ſecundùm gradus ordinum indita, mundans ab ignorantia, id eſt, ab altioris cognitionis minoritate, & illuminans ipſa diuina cognitione, per quam & purgat mentem, per altiorem cognitionem, ad conſpiciendum ea, quæ priùs non inſpexerat, & ipſo lumine perficiens mẽtem plena & habitudinaria ſcientia luculentarum doctrinarum. Hæc eſt prima angelorum laudanda hierarchia, ſtans per inflexibilem erectionem in circuitu dei, ſolam dei æternam cognitionem ſemper ambiens. cuius laudes Ezechiel. 13. quaſi per ſignum ſenſibile ſonitus aquarum, expreſſit dicens: Benedicta gloria domini de loco ſuo; vt loci nomine prima hierarchia intelligatur. Iſaias quoq; cap: 6. eiuſdem hierarchiæ, laudibus venerandam, dei laudem commemorat: Sanctus, ſanctus, ſanctus dominus Deus ſabbaoth: plena eſt omnis terra gloria eius. illæ ergo beatæ ſubſtantiæ laudant deum vnum, in trinitate perſonarum, dicendo tèr ſanctus, & ſemel dominus, quæ à ſummis intelligentijs cœleſtibus, vſque ad omnia extrema mundi ſenſibilia extendit dei prouidentia. hæc Dionyſ. In oraculo quod erexit Moyſes Exod: 25. Et in templo Salomonis 3. Reg. 6 fit mentio de ipſis cherubim: Fecit, inquit, in oraculo duo cherubim de lignis oliuarũ, decem cubitorum altitudinis. In tabernaculo Moyſi duo cherubim obumbrantia propitiatorium, quæ ſeſe contingebant cum alis ſuis, & propitiatorium operiebant, & mutuis vultibus ſe proſpiciebant. Hæc erant duo teſtamenta, vel verba vtriuſq; teſtamenti, quorum alterum eſt verbum legis, alterum verbũ gratiæ, quæ inter ſeſe aduerſa videntur, dum lex peccatum auget, gratia tollit; tamen in Chriſto conueniunt, quia quod erat impoſſibile legi, deus mittens filium ſuum, damnauit peccatum de peccato, vt iuſtitia legis impleretur in nobis. Cherubim ergo dicti ſunt quaſi alatæ aues: hebraicè enim cherubim, dicuntur aues vel venti: ſic enim loquitur Pſal: 17. Et aſcendit ſuper cherubim, & volauit ſuper pennas ventorum. Auguſt: Exaltatus eſt Chriſtus ſuper plenitudinem ſcientiæ, vt nemo ad eum perueniret, niſi per charitatem: Et volauit ſuper pennas ventorum, ſuper virtutes angelorum, qui quaſi quibuſdam pennis à caducis rebus ſe attollunt. Pſal: 79. Qui ſedes ſuper cherubim. Auguſtinus: Licet, inquit, intelligamus cherubim, ſublimes eſſe angelorum poteſtates; tamen ſi vis, eris cherubim. ſi enim cherubim ſedes eſt dei, & anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ: igitur anima iuſti eſt cherubim, & plenitudo ſcientiæ, quia plenitudo legis eſt charitas. Sit in te charitas, & neceſſe eſt, vt plenitudo ſcientiæ conſequatur. Quid enim neſcit, qui charitatem ſcit? Et quid fructuosè ſcit, qui charitatem neſcit? ſicut ille teterrimus ſpiritus, qui à Propheta Ezech. cap: 28.

Cherubim, id eſt, effundẽtes ſapientiam

Purgatio, illuminatio, perfectio.

Sanctus, S. S.

Duo Cherubim in oraculo.

Alatæ aues.

Pennæ ventorum.

Qui ſedes ſuper Cherubim

De ordine thronorū.

Cherub extenſus.

cap: 28. vocatur Cherub extentus; quia tamen charitatem neſciuit, proiectus eſt cum ſuis, de loco illo feliciſſimo, & beatiſſimo ſanctorum.

CAP. VI.

De ordine Thronornm.

Proprietates Thronorum.

MAgnus ille Areopagita in eodem capite de Thronis, ſiue ſpiritibus, qui ſunt vltimi in prima hierarchia, ita loquitur: Ipſa autem, inquit, altiſſimarum & compactarum ſedium, omni diligenter exaltari ignominia ſubiectionis, & ad ſummum ſupermundanæ ſurſum ferens, & omni extremitate ineffabiliter in ſublimiſſimum, & circa verè excelſum totis virtutibus incommutabiliter, & ſtabiliter collocatum, & diuini ſuper aduentus, in omni impaſſibilitate, & immaterialitate acceptiuum, & deiferum, & familiariter in diuinas ſuſceptiones apertum. hæc ille.

Sedes altiſſimæ.

Senſus eſt, Throni ſunt ſedes altiſſimæ, propter diuinam authoritatem iudicandi, & iuſticiæ regulam, quam in iudicio imitantur.

Sedes compactæ.

Sedes compactæ, quia aptè & conuenienter iunctæ, quòad iuncturam, & conuenientiam diuinorum iudiciorum: etenim rationi conueniens eſt, vt ex culpa, pœnam, & ex iuſticia, gloriã, & ex qualitate operis, qualitatem retributionis quilibet ſortiatur. ſiquidem pœna conuenienter & aptè cohæret culpæ, & gloria iuſticiæ: alioqui, ſi culpa, & gloria, pœna & iuſticia non conuenirent; coaptatam ſedem inuicem non haberent. itaq; compactio ſedium, æquitas iudiciorum eſt. Ab omni ignominia ſubiectionis liberæ: qui quantò ſibi præſidenti deo ſunt ſubiecti, tantò cæteris exaltantur, atq; ſublimiores effecti.

Sedes deiferæ.

Dicuntur ſedes deiferæ, eò quòd deum ſibi præſidentem ferant, & deificam poteſtatem per diuina iudicia alijs inferioribus ordinibus indicent, & oſtendant, quàm vera ſint, quàm iuſta, quàm ſancta in omnibus vijs ſuis:

Sedes diuini aduentus.

illorum enim officium eſt, dei contemplari & imitari iudicia, eaq; ſibi ſubditis nota facere & oſtendere: in primis eſt charitas, in ſecundis ſapientia, in vltimis iuſticia; ideoq; poſt ſeraphim & cherubim throni collocantur. Iſti immaterialiter, ſine ſtudio & fatigatione, diuina iudicia percipiunt, & alijs ſollicitè communicare ſtudent.

Sedes ab omni extremitate remotæ.

Sedes etiam ab omni extremitate remotæ, quia ei, qui ſine extremis eſt, principio & fine immediatiſſimè coniunctæ ſunt. Deo obedientes ſe ſubijciunt, & eam, quam ab eo acceperunt virtutem, in alios libenter transfundunt. Dicti ergo ſunt throni, quòd deus in eis ſedeat, & iudicia ſua diſcernat. Pſal. 92. Sedes ſuper thronum, qui iudicas æquitatem. Daniel propheta cap: 7. Aſpiciebam, inquit, donec throni poſiti ſunt.

Thronus eius in flãma ignis

Tronus eius flamma ignis: nam deus, vt dicit Pſal: 103. miniſtros ſuos facit flammam ignis. Sanè, anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ. In Euangelio Ioan: 14. Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.

Sedes regnantium.

Itaq; throni ſedes regnantium, atq; iudicantium eſſe dicuntur; ad regnantem autem ſublimitas, ad iudicantem verò veritas pertinet. Propterea throni ſedes dei altiſſimi nuncupantur, quoniam regnans in eis ſuperiorem non habet: & compactæ ſunt huiuſmodi ſedes, quia in eis iudicans à veritate non diſcedit. Tenendum eſt ergo, thronos ab inferioribus choris alto euolaſſe receſſu, qui ex eo quòd ſedent, throni dicũtur; & ex eo ſedent, quòd deus ſedet in eis: illa ergo ſedes,

Sedes trãquillitas.

ſumma eſt tranquillitas, ſerenitas placidiſſima, pax quæ exuperat omnem intellectum. Talis eſt, qui ſedet in thronis dominus ſabbaoth, iudicans omnia cum trãquillitate, placidiſſimus, ſereniſſimus, pacatiſſimus; & tales ſibi fecit atq; conſtituit thronos, ſimillimos ſibi.

Solium excelſum.

Iſaias vidit dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum: ſi enim ſedes dei eſt anima iuſti, multò dignior ſedes ſunt angeli ſancti. propterea hoc ſolium gloriæ excelſum eſt per naturam, multò autem magis eleuatum per gratiam: excelſos enim fecit eos natura conditionis, eleuatos gratia confirmationis. nominatio igitur al-

tiſſimorum

De Thronis & Dominationibus.

tiſſimorum & eleuatorum thronorum, inquit Dionyſius Areopagita, ipſos docet per eleuationem præcipuam longè remoueri ab omni indigna ſubiectione, & inuiſibiliter ſurſum ferri ſuper hierarchiam ſecundam.

CAP. VII.

De ordine Dominationum.

Magnus Areopagita de media hierarchia ita loquitur cap: 8. eiuſdem lib: Tranſeundum autem, inquit, nunc nobis eſt in mediam cœleſtium intellectuum diſpoſitionem, dominationes illas ſupermundanis oculis, quantùm poſsibile, explorantibus, & verè potentia ſpeculatiua diuinarum poteſtatum & virtutum: etenim, vnaquæque ſuper nos eſſentiarum cognominatio,

Dominationum cognominatio.

Dei imitatorias earum ſignat deiformes proprietates: igitur ſanctarum dominationum manifeſtatiuam denominationem, æſtimo declarare abſolutam quandam, & omni pedeſtri minoratione liberam anagogen, nullaque tyrannicarum diſsimilitudinum, vllo modo eam vniuerſaliter inclinatam, liberaliter ſeueram dominationem, omni minutiua ſeruituti ſuperpoſitam, ſuperiorem ſubiectione omni, & remotam ab vniuerſa diſsimilitudine, & dominationis inceſſanter appetentem, & ad illius naturaliter ſubſiſtentis virtutis ſimilitudinem, quantùm poſsibile eſt, & ſeipſam, & quæ poſt eam ſunt, optimè & ſpecioſè conformantem, ad nullum vanè videntium, ſed ad propriè ON vniuerſale conuerſam,

ON, eſt Deus qui verè, & propriè exiſtit

& dominicæ ſemper deiformitatis in participatione, ſecundùm quod poſsibile eſt, ipſi factam. hæc ille. Senſus: dominationes illas oculis noſtris intellectualibus contemplari cupimus: ſunt enim ſubſtantiæ ſupra nos exiſtentes, nobiſque præſidentes, habentes proprietates deiformes, per quas deo aſsimilantur. Eædem ſunt imitatoriæ, nempè gubernationis & dominationis diuinæ. Significant ergo dominationes vim eleuatiuam ad ſummum omnium dominatorem, immunem ab omni vili ſubiectione, nullamque habẽtes abuſiuam præſidentiam, quæ vtuntur tyranni: ſunt enim liberæ ab omni ſeruitute, quæ earum libertati derogare poſſet: inferiorum angelorum ſubiectione non indigent,

Proprietates.

ſicut domini huius ſeculi: ab omni inordinata dominandi libidine, & abuſiua præeminẽtia, quàm longiſsimè abſunt. Denominatio illorum ſpirituum oſtendit eſſe deo optimè, & decenter perſimiles, dum ſibi ipſis rectè dominantur, & inferiores, ad huiuſmodi rectam præſidentiam, ac dominationem regalem inſtruant, ac adhortentur: cupiunt namque, vt omnes inferiores ſpiritus, congruam aſsimilationem diuinæ dominationis gerant. etenim dominationes, vt illorum nomen indicat, non ſunt conuerſæ, neque adhæſerunt ſpiritibus malis ſuperbiam appetentibus; ſed ad ON vniuerſalem, ad deum vtique qui verè & propriè eſt: On enim interpretatur, qui eſt, vel exiſtens. Ad ὤν, id eſt,

Similes Deo.

ad principaliter ens, conuerſæ ſunt; ideoque à principio earum conuerſionis ad deum hierarchicæ deiformitatis participes factæ ſunt: nam ſicut deus omnibus dominatur; ita & ipſe inferioribus ordinibus: dominari enim eſt, ſubiectos quoſque poſsidere: propterea

Dominatio quid ſit.

illa agmina angelorum, quæ mira potentia præeminent, pro eo, quòd eis cætera ad obediendum ſubiecta ſunt, dominationes vocantur: putare igitur debemus, dominationes adeò cunctis ſupereminere ordinibus eas ſequentibus; vt reſpectu ipſorum, cæteri videantur omnes adminiſtratorij ſpiritus, & ad ipſos, tanquam ad dominos referri regimina principatuũ, tutamina poteſtatum, operationes virtutũ, reuelationes archangelorũ: nomen igitur dominationum, vniuerſale quoddam importat iuſsionis principium.

Dominationum officiũ.

Dominationum officium eſt, in bello ſpirituali inſtruere, qualiter oporteat homines præliationis officium exercere; docent etiam prælatos, qualiter ſine tyrannide, & ſubditorum oppreſsione, in regimine ſe habere debeant: ſecundùm enim diſsimilitudinem ty-

rannidis, dominium exercent, ſeueritatem habentes in poteſtate, & cum poteſtate liberalitatem in benignitate; ita, vt dum poteſtatem exercent, liberalitatem circa inferiores non auferant. per liberalitatem ſiquidem, eorum poteſtas nullo modo minoratur, imò deo magis conformatur, qui ſuam poteſtatem à ſua benignitate, & liberalitate non remouet. Sunt iſti angeli ab omni ſeruili timore liberi, continuè ad ſummum bonum tẽdentes, à quo mentis aciem nunquam auertunt, ſubiectiſq́; ſibi ordinibus, hæc omnia oſtendentes. In Seraphim ergo charitas dei, in Cherubim ſapientia dei, in Thronis æquitas iudiciorum dei, in Dominationibus, rectiſſima dominatio dei reſplendet.

Dominationum poteſtas liberalitas, & benignitas.

CAP. VIII.

De ordine Virtutum.

Dionyſius.

INſignis ille theologus, ſupernarum mentium contemplator, cap: 8. eiuſdem libri, de medijs ſpiritibus, qui ſunt in ſecunda hierarchia, ita locutus eſt: Ipſam, inquit, ſanctarum virtutum fortem quandam, & inconmutabilem virilitatem, in omnes ſecundùm earum deiformitatem operationes, ad nullam ſuſceptionem inditarum ei diuinarum illuminationum, imbecilliter infirmatam. potenter in imitationem dei reductam, non relinquentem ſuimet imbecillitate deiformem motum, ſed firmiter ferentem in ſupereſſentialem & potentificam virtutem, & ipſius imaginem virtuti ſimilem, iuxta quod factam, & ad ipſam quidem, vt ad principalem virtutem potenter conuerſam, ad ſecunda verò virtutem dans, & deiformiter prouenientem. hæc ille. Senſus eſt, agmina angelorum, quæ vocantur virtutes, efficaciam habent robuſtam, incorruptibilem, perpetuò fixam, ad expeditè atq; promptè exequendum omnem actum ad eos pertinentem, iuxta perfectionem excellentiamq́; earum, in dignitate ſpecifica, per quam deo ſimiles redduntur: hæc autem eorum efficacia, non exilis, aut debilis, ad illuminationes, & influentias ſibi datas, recipiendas, vtpotè, ad Deum fontem omnis gratiæ conuerſa, per vigoroſam dilectionem, & perfectam aſſimilationem: non enim propria infirmitate præpeditur, quò minùs indefeſſè exequatur vniformem dei motum; ſed fortiter aſcendit, ſeſeq́; erigit in diuinam & in increatam dei potentiã, & in imaginem ipſius increatæ potentiæ. Spiritus ergo iſti felices, non ſolùm ſummo amoris ardore feruntur in deum; verùm etiam in ſpiritus inferiores, quibus illuminationes ſibi præſtitas, communicare officioſè geſtiunt. Virtutum ergo nomen deſignat ſpiritus cœleſtes vigoroſè conuerſos ad increatam dei virtutem principalem, & finalem, ad quam vltimatè omnia tendunt, & feruntur: ſecundis autem, ſiue inferioribus ordinibus, efficaciam largiuntur, & ſolamen, vt ſtrenuè exequantur, quod in mandatis ab eiſdem virtutibus acceperant. Porrò, angeli iſtius ordinis, peculiarem habent virilitatem, & fortitudinem ad agendum, ad recipiendum, ad communicandum, ideoq́; inde ſortiti ſunt nomen, gradum, & ſpeciem quandam: ſunt enim angelorum agmina, quæ miniſteria habent ad virtutes, & miracula facienda, in quibus potiſſimè diuina virtus reſplendet, propterea virtutes nominantur. In hoc autem deo perſimiles ſunt, quòd ad omnia agenda incommutabilem virtutis vigorem acceperunt: nam quemadmodum diuina virtus adeò fortis eſt ad agendum, vt non frangatur alicuius operis difficultate, & adeò incommutabilis ad perſeuerandum, vt non langueat, ſeu infirmetur alicuius ſpacij, ſeu temporis diuturnitate; ſic angeli iſtius ordinis, ad omnia agenda ſunt robuſti, & incommutabiles: habent namq; deiformem motum, firmiter ſe ferentem, vtpotè qui propria virtute in deiformem virtutem mouentur, eamq́;, quam acceperunt deiformitatem, ad inferiores angelos transfundunt. Iſtorum angelorum officium eſt, docere, qualiter imaginem dei in ſe vnuſquiſq; reparet, & reformet; & ſic reformatam viriliter cuſto-

Virtutum nomina.

Proprietates virtutum.

Virtutes viriliter agunt.

Virtutum miniſteria.

Virtutum officium.

De ordine virtutũ & poteſtatũ

ter cuſtodiat, & conſeruet. Angeli iſtius ordinis diuinam virtutem continuè aſpiciunt: & in ipſa contemplatione contremiſcunt, qui planè timor non affert pœnam, ſed admirationem. Itaq́ in ſeraphim relucet diuinus amor, in cherubim ſapientia, in Thronis iuſtitia, in dominationibus dominium Dei, in virtutibus, virtus diuina.

CAP. IX.

De ordine poteſtatum.

Dionyſius.

IDem egregius autor in eodem capitulo de poteſtatibus talia dixit: Ipſam, inquit, ſanctarum poteſtatum æquipotentem dominationum & virtutum benè ornatam & inconfuſam circa diuinas ſuſceptiones ordinationem, & ordinatum ſupermundanæ & intellectualis poteſtatis, non tyrannicè in ea quæ inferiora ſunt, poteſtatiuis virtutibus præcipitatæ; ſed potenter in diuina poſt benè ordinatas reductæ, & poſtea deiformiter reducentis, & ad potentificam cauſalem potentiam, quantùm fas eſt, aſſimilatæ, & eam vt poſſibile angelis reuelantis in benè ordinatis per ipſam ordinibus poteſtatiua virtute. hæc ille. Senſus eſt, angeli qui appellantur poteſtates, habent æqualem cum dominationibus, & virtutibus poteſtatem: eadem enim diuina munera in ſuo ordine & gradu recipiunt, & ſine confuſione cuſtodiunt: ſiquidem nihil tyrannicè præcipitant contra inferiores, nihilq́ violenta fortitudine attemptant; ſed potiùs deiformiter agunt, ad diuinam vtiq́ ſimilitudinem inferiores angelos reuocantes, & ad potentificam cauſalem potentiam, nempe ad Deum qui omnia poteſt, & eſt omnis poteſtatis radix, & cauſa efficaciſſima, quantùm fas eſt, conformare inferiores angelorum ordines poteſtati diuinæ, eamq́ æternam Dei poteſtatem, aliis angelis reuelare ſtudent, choris ſcilicet inferioribus, qui bene per ipſas poteſtates, optimum ordinem, atq́ ornatum acceperunt, poteſtatiua virtute, vi ſine dubio illa potenti hierarchica, per quam poteſtates agunt, & influunt in angelos inferiores. Poteſtates autem dictæ ſunt, quòd eis virtutes aduerſæ ſubditæ ſint: maligni enim ſpiritus eorum poteſtate coërcentur, ne tantùm noceant, quantùm cupiunt, & optant. Horum officium eſt, eos qui in bello ſpirituali deſudant, confortare: & ne ab aduerſariis violenter ſuperentur, defendere: & vt boni victoriam obtineant, adiuuare. Iſtæ autem poteſtates in ſuo ordine potentias perceperunt, vt eorum diſpoſitioni aduerſæ poteſtates ſubiiciantur: & ne noceant hominibus, quantùm cupiunt, potentia iſtorum refrenantur.

Poteſtatũ potentia.

Poteſtates nõ agunt tyrannicè in inferiores.

Poteſtates vnde dicantur.

Poteſtatũ officium.

CAP. X.

De ordine principatuum.

Dionyſ.

SAnctus Dionyſius doctor planè cœleſtis cap: 9. angelicæ hierarchiæ, de principatibus ſic orſus eſt loqui: Reliquus, inquit, eſt nobis in contemplationem ornatus angelicas concludens hierarchias, à deiformibus principibus, archangelis, & angelis diſpoſitus: & primas quidem dicere neceſſarium eſt, ſanctarum earum cognominationum manifeſtationes. Manifeſtat quidem ipſa cœleſtium principium, illud deiformiter principale eductiuum, cum ordine ſacro & principalibus decentiſſimis virtutibus, & ad ſuperprincipium ea vniuerſaliter conuerti, & alias hierarchicè ducere ad illud ipſum, quantùm poſſibile eſt formari principificum principium, manifeſtareq́ ſupereſſentialem eius ordinationem, ornatumq́ principalium virtutum. hæc ille. Senſus eſt, ad principatus ſpectat vniuerſalis ducatus, & regimen directiuum ad Dei ſimilitudinem: iſtis namq́ angelis incumbit ex officio, vt

Principatuũ nomen.

Principatuũ proprietates.

De ordine principatuũ, & Archangelorum.

cio, vt alios inferiores reducant ad Deum, & doceant ipſum in honore, & reuerentia habendum, in ſeipſo, in proximo, potiſsimùm in prælato. Hac certè de cauſa principatus dicti ſunt, quòd ad eos maximè pertineat ad Deum alios reducere, veluti ad primum, & ſummum principem, quem ipſi, quantùm eis licet, imitantur, et in officio præſidendi ſimiles eſſe ſtudent. itaq; principatus angelorum agminibus præſunt, qui ob eam cauſam, quòd ſubditos angelos ad explendum diuinum myſterium ordinant, & diſponunt, principatus ſunt appellati. iſti ſunt, qui docent alios angelos, atq; homines, ſuperioribus, atq; maioribus ſuis omnem exhibendam fore obedientiam, atq; reuerentiæ ſubiectionem, cum

Principatuũ prudentia.

principalibus, & decentiſsimis virtutibus, nempe cum vera & præcipua prudentia, per quam agnoſcunt modum, & formam regendi, atq; præſidendi, non ſolùm Archangelis, & angelis; verùm etiam hominibus, regnis, & prouincijs, cum ſancta ordinatione, à Deo diſpoſita, abſq; omni faſtu ſuperbiæ, & abuſione, ac curua reflexione ad ſemetipſos: ſed ſummæ illis curæ ſunt profectus ſubditorum ordinum. Quæ planè conditiones ad opti-

Principatuũ officium.

mos principes ſpectare cenſentur, & ad ſuperprincipale principium vniuerſaliter eas conuerti, in omni actu hierarchali, non habitualiter, ſed actualiter, non per aliquam extrinſecam operationem, ab interiori contemplatione impediri poſsunt. Inferiorũ mentes hierarchicè, id eſt, ordinatè, quantùm illis fas eſt, ad fontale principium, formari, & actuari cupiunt; ideoq; ſatagunt illam ordinationem ſupereſſentialem, per effectus operum diuinorum, & operationes hierarchicas, inferioribus oſtendere: reſplendet enim in ſuis ordinibus, rebusq; optimè diſpoſitis, ſummi principis Dei hierarchica, & ordina-

Principandi diſpoſitio.

tiſsima regendi diſpoſitio, quam ipſi beati ſpiritus in ſeipſa aſpiciunt, quantùm ad principalem & eſſentialem ipſorum ſpectat felicitatem, ornatumq; principalium virtutum: nempe infinitum illum decorem æternæ ſapientiæ, idealiſque & exemplaris prudentiæ, cæteraſque regales, & imperiales virtutes, quæ in ſummo omnium principe clariſsimè conſpiciuntur.

CAP. XI.

De ordine Archangelorum.

Dionyſius.

ADmirabilis ille Areopagita in eodem capite eiuſdem libri, de Archangelis mira quædam deſcripſit: Ipſa, inquit, Archangelorum ſanctorum, æquipotens quidem eſt cœleſtibus principatibus: communicatiuè enim hierarchicæ medietati eorum ordo recipitur: etenim ſanctiſsimis principatibus communicat, & ſanctis angelis. ipſis quidem, quia ad ſuperſubſtantiale principium conuertitur, & ad ipſum, vt poſsibile eſt, reformatur, & angelos vnificat ſecundùm bene ornatos eius, & ordinatos, & inuiſibiles ducatus: iſtis verò, quia & eis prophetico eſt ordini diuinas illuminationes hierarchicè per primas virtutes ſuſcipiens, & angelis eas deiformiter annuncians, & per angelos nobis manifeſtans, ſecundùm ſacram vniuſcuiusq; diuinitus illuminatorum analogiam. hæc ille. Senſus eſt, Ar-

Archangelorum virtus. Hierarchia cõſtat ex tribus.

changeli pares ſunt principatibus in potentia, in qua tres chori inferiores conueniunt: quorum conuenientia eandem conſtituunt hierarchiam; quatenus per illam ad certas, & particulares executiones deputantur, quas à dominationibus, virtutibus, & poteſtatibus in mandatis acceperunt. iſta ergo æquipotentia non ſimpliciter eſt intelligenda; ſed in quodam communi munere ſibi præſcripto: eſt enim principatuum, archangelorum, atq; angelorum vnus principatus hierarchicus in genere, diſtinctus verò in ſuas ſpecies: non enim vocari poteſt hierarchia, niſi habuerit primas, medias, & vltimas virtutes,

Archangelorũ conatus.

nempe purgatiuas, illuminatiuas, & perfectiuas: chorus autem archangelorum in medio vltimæ hierarchiæ ponitur, communicans principatibus & angelis. cum principatibus qui-

De ordine archangelorum, & angelorũ.

bus quidem, quia in omni opere ſuo hierarchico, ad Deum actualiter & finaliter ſe conuertit, ſicut & principatus. Sanè, per actus ſacros in dies Deo ſimilior fieri intendit, nempe purgatior, illuminatior, atq; perfectior. non quidem per charitatis profectum, ſed per diuinorum effectuum notionem ampliorem. Angelos verò ad illud vnum ſimpliciſsimum principium recolligit, & vnificat, per bene ornatos, & ordinatos, & inuiſibiles ducatus, nempe per directiones, & exemplares actus ſuos ſapienter editos; ſcilicet per virtutum decorem, ſplendorem ſapientiæ, & feruorem diuini amoris. Archangelorũ præterea chorus, illuminationes diuinas hierarchicas, quas accipit ab angelis ſuperioribus, angelis inferioribus tradendas, hypoprophetico, nempe proceſsu ſubprophetali, inſinuat, futurorum cognitiones deiformiter annuncians, eo quidem modo, ſicut ſuperiores ei nunciauerunt. Iſtæ autem illuminationes, manifeſtationes, communicationes, prænunciationes, pro captu vniuſcuiuſq;, & naturæ dignitate fiunt, & exhibentur.

Archangelorũ prophetia.

Sunt ergo archangeli ſummi nuncij, vel nunciorum principes, & duces, ſub quorum ordine vniuſcuiuſq; angelorum officia deputata ſunt: nam angelis archangeli præſunt, vt patet in Zacharia propheta cap: 1. vbi angelus maior dixit minori: Vade, inquit, & doce puerum iſtum. Archangelorum officium eſt, de his quæ ad promotionem fidei pertinent, vtpotè de auditu filij Dei, de geſtis eiuſdem, & donis, fideles admonere: prophetias prophetis reuelare: dæmones ab hominibus extrudere, ne ampliùs lædant, & pernicioſiùs agant in Chriſtum credentes, ſicut poteſtatum eſt, eoſdem coercere, ne dominium ſibi vſurpent, & accipiant. Archangeli proprijs nominibus nominantur; vt Gabriel, deiformis, Raphael, medicina Dei, Michael, quis vt Deus, interpretantur, ſicut ex diuinis ſcripturis, ſatis copioſè colligere, licet,

Archangeli unde vocentur.

Archangelorum officium.

Archangelorum nomina.

CAP. XII.

De ordine Angelorum.

Diuus Dionyſius in eodem loco, de ſanctis angelis, qui ſunt vltimi in vltima hierarchia, talia nobis reliquit doctrinæ monimenta: Ipſi angeli, inquit, cõpletiuè conſummant omnes cœleſtium animorum diſpoſitiones, ſecundùm quod conſummandum eſt: quippe, in cœleſtibus eſſentijs habentem angelicam proprietatem, & magis apud nos angeli; quàm priores, aptiùs nominati, quantùm circa quid manifeſtius eſt ipſis hierarchia, & magis circumornatus. hæc ille. Senſus, angeli terminant cunctos ſupernorum ſpirituum ordines, intra quos etiam ipſi continentur; ideoq; quaſi finis intrinſecus & incluſus, complens & conſummans eſſe dicuntur, ſecundùm quod conſummandum eſt, nempe, prout licet dicere ordines illos conſummari: mentes enim illæ ſupernæ, quæ habent proprietatem angelicam, puta officium annunciandi hominibus minora, magis apud nos angeli ſunt præcones & nuntij dei, quàm ordines ſuperiores; quoniam immediatiùs apparent, nuntiant, & loquuntur; frequentiùs quoq; & communiùs, quàm angeli ſuperiores. Quam ob cauſam aptiùs, atq; cõuenientiùs dicti ſunt angeli; quàm alij ordines ſuperiores, reſpectu noſtri, reſpectu verò diuinæ illuminationis, illi, qui immediatiùs huiuſmodi illuminationes recipiunt, tantò ſanè aptiùs dicti ſunt angeli; quantò eorum ſacer ordo circa ea verſatur, quæ nobis ſunt familiaria, puta circa hæc humana, & inferiora. Adde, quòd eorum ſpecies ſint intellectui noſtro proportionatæ: ſunt enim determinatæ & particulares. Et magis, inquit, circumornatus. Senſus eſt, angelis competunt circumornatus rerum, quibus induti, ſplẽdidi, & pulchri interdum videntur; idcirco illorum ordo nobis valde congruit, & familiariter arcana cœleſtia pandit. Itaq; angelus nomen eſt officij, non naturæ: nam angelus ſemper eſt ſpiritus: ſed quando mittitur, tunc angelus nuncupatur. Angelis pictorum

Angeli ſunt vltimi in ordinibus.

Angeli noſtri præcones.

Angeli vnde vocentur.

Angelus eſt nomen officij non naturæ.

licentia,

licentia pennas aſcribunt, vt eorum diſcurſum celerem ſignificent, ſicut & venti pennas habere dicuntur.

Angelorum pennæ.

Angeli ſuperiores primi nuntij vocantur, alij autem poſteriores & vltimi; ita quòd non participant cum ipſis illuminationes illius ordinis, ſed ex ipſis.

Angelorum officium.

angeli homines ad diuinam cognitionem adducunt, & ſubleuant, & vt iuſtè viuant, inſtruunt, & informant. vnde etſi angeli non habeant inferiores ordines, quibus præſint; habent tamen ſub ſe inferiores hominum ordines, quibus præſunt, quosq; ordinant, & diſponunt: ſurſum extenduntur per dilectionẽ Dei: in ſemetipſis formantur, per cuſtodiã ſui: ſub ſe progrediuntur, per eorum tutelam, quorum miniſterio deputantur: angeli ſine velamine, Deum vident, Math: 18. Angeli eorum ſemper vident faciem patris. à diuina laude non retardantur. Iſaiæ 6. Seraphim clamant continuè Sanctus, ſanctus, ſanctus. Et 62 Super muros tuos Hieruſalẽ conſtitui cuſtodes, tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt. Apocal: 5. Illa quatuor animalia non habebant requiem: nullius corpulentiæ mole, in ſua ſubſtantia, vel virtute grauantur. Lucæ vlt: Spiritus carnem, & oſſa non habet. Item, ſupra tempus exiſtentes, in tempore operantur: quando placet, apparent, & quando non, ab humanis aſpectibus occultantur: corpus pro eorum beneplacito, operationi eorum congruum, vt appareant, aſſumunt; peracto autem ſuo officio, idem corpus aſſumptum deponunt.

Angelorum proprietates & effectus.

Angelorum corpora aſſũpta.

Iudicum 13. Angelus apparens parentibus Samſonis euanuit: in corpore aſſumpto pro aliqua neceſſitate non vegetant, neq; viuificant, ſed ſolùm mouent. vnde aliquando videntur comedere & bibere, vt homines; non tamen comedunt, vel bibunt, ſed conſumunt potiùs. Thobiæ 12. angelus videbatur comedere. radius conſumit aquam poteſtate, terra verò abſorbet aquam neceſſitate: fuit ergo in angelo Thobiæ comeſtio poteſtatiua ad maſticandum, & cibum conſumendum, non autem neceſſaria ad incorporandum. Item, angeli boni inſtruunt in rebus dubijs, & ambiguis. Thobiæ 8. angelus inſtruxit Thobiam iuniorem de omnibus agendis. Danielem quoq; cupientem intelligere prophetiam Ieremiæ de reditu captiuitatis Babylonicæ: Cùm orarem, inquit, ecce vir Gabriel, quem videram in viſione, citò volans tetigit me, & docuit me: cap. 9: Dan. Et cap. 10. Ecce vir vnus veſtitus lineis &c. Item, angeli ſunt cuſtodes, & comites noſtri itineris. Thobiæ 5. Ego ducam & reducam filium tuum ad te. In Exodo, cap. 32. Angelus meus præcedet te. angeli conſulantur mærentes, & flentes: Geneſ: 16. Angelus conſolatus eſt flentem Agar. Lucæ 22. Ecce angelus confortans eũ. Iudicum 2. Angelus domini aſcendit ad locum flentium. Dan. 13. Angelus domini confortauit, & liberauit Zuzannam. Angelus domini liberauit illos pueros de camino ignis: vertit enim flammam in rorem, Daniel 3. Angelus confortatus eſt Danielem in medio leonum commorantem: Miſit, inquit, dominus angelum ſuum, & obſtruxit ora leonum: Daniel 6. Eundem quoque Danielem conſolatus eſt per Abacuc, qui detulit ei prandium: Angelus domini, inquit, apprehendit Abacuc in uertice capilli ſui &c. cap. 14. Item, defendunt nos ab hoſtibus, Gen: 32. Occurrerunt angeli Iacob, in defenſionem, quos caſtra Dei vocauit. 4 Regum 19. Angelus domini percuſsit in caſtris Aſſyriorũ centum octoginta quinq; millia militum. Heliſæus 4. Regum 6. vidit montes plenos equitibus igneis, id eſt, angelis, qui venerant in auxilium Heliſæi prophetæ. Iſaiæ 18. Ite angeli veloces ad gentem conuulſam, & dilaceratam, ad populum terribilem. Macchabæorum 2. cap. vlt. ad orationem Machabæi, deletus eſt exercitus Nicanoris, ipſo Nicanore interfecto. Tertio autem capite eiuſdem libri egregium illud opus ponitur, de Heliodoro ærarium pecunijs ſpoliare cupiente, quomodo flagellis cæſus, & ſemiuiuus relictus, Dei iuſtitiam didicerit: Apparuit, inquit, illi quidam equus terribilem habens ſeſſorem, optimis operimentis adornatus: alij etiam apparuerunt duo iuuenes virtute decori, qui circumſteterunt eum, & ex vtraq; parte flagellabant ſine intermiſſione, multis plagis verberantes. Subitò Heliodorus concidit in terram, eumq; multa caligine circumfuſum rapuerunt, & ſella geſtatoria poſitum, eiecerunt.

Angelus Thobiam & Danielem docuit.

Angelus conſolatur flentes

Angeli pugnant contra noſtros hoſtes.

Epilogus.

itaq; in ſeraphim relucet Dei amor, in cherubim, ſapientia,

Angelorũ creatio.

ſapientia: in thronis, æquitas iudiciorum Dei: in dominationibus, rectiſſimus dominandi modus: in virtutibus, virtus & potentia diuina in miraculis edendis: in poteſtatibus, poteſtas diuina aduerſus dæmones: in principatibus, præſidentia prælatorum, prouinciarum, & regnorum cuſtodia: in archangelis interpretatio prophetiæ: in angelis cuſtodia, viſitatio, correctio, conſolatio, tutela, hominumq́; præſidium.

QVAESTIONIS TERTIAE CAP. I.

Angeli effectiuè ſunt à Deo.

Vanquam in primo Pymandri, de intelligentiarum creatione locuti ſimus: quia tamen noſter Mercurius hortatur, vt de hac materia loquamur; aliquid certè addere, non erit inutile. Deinceps, *inquit*, fabricauit ſeptem gubernatores, *id eſt, angelos vt paulò ante diximus. Cæterùm, de hoc negotio diſputandi, magna extitit apud philoſophantes contentio. etenim, ſi vera eſt illa famoſa ſententia, ab vno agente, in quantum vnum, immediatè non prouenire niſi vnum, conſtat ſatis, ab vna ſuprema, & prima intelligentia, non niſi vnam produci: nam ſi, omnes immediatè à prima producerentur, cùm illa ſit vna ſimpliciter, inquit Auicenna; in eis planè, nulla diſtinctionis ratio inueniretur: ſed reuera fallitur: ex ſuis enim intrinſecis rationibus diſtinguuntur. Nam quemadmodum vnus numerus, ſecundùm propriam formam, non eſt pars, aut cauſa alterius; ſed ab vnitate omnis numerus proficiſcitur, quam ſanè imitatur ſecundùm acceſſum ſcilicet, atq; receſſum; ita reuera res ſeſe habet in entibus. Sanè, entia non æqualiter diuinum eſſe participant. vnde philoſophus primo cœli com: 100. A primo, inquit, & eſſe, & viuere omnibus communicatur, ijs quidem clariùs, ijs verò obſcuriùs. Itaq́; à primo ente, intelligentiæ dependent omnes, tum ſecundùm cauſæ efficientis rationem, tum etiam ſecundùm rationem cauſæ exemplaris, atq; finalis; proceſſione tamen non æquali: vna namq; altera proximior eſt naturæ nobilitate, primæ intelligentiæ, vnde illius eſt naturæ capacior, magiſque participat, quemadmodum in numeris fieri videmus, in quibus, vnus ad vnitatem tendit magis, quàm alter. Intelligentiæ ergo, ex vna cauſa effectiua exemplari atq; finali productæ, intrinſecis, atq; formalibus rationibus diſtinguuntur. Suffragatur huic ſententiæ Auerroës lib: deſtruct: diſput: 3. in ſolut. dubij 18. Dictæ, inquit, intelligentiæ inter ſe differunt in nobilitate, ſecundùm ſtatum, quem habent de primo principio, in propinquitate, & longitudine. Ex quo patet, quòd ſicut numerus prior, in propria forma non eſt cauſa poſterioris; ſic etiam, neque intelligentia prima producta eſt cauſa ſequentis, vt dicebat Auicenna. Proinde 12. met: com: 44. & aliud eſt quod intelligit de primo motore, motor Saturni, aliud verò motor Iouis &c. Et in ſolutione dubij 25. eiuſdẽ diſputationis: Si ab vno ait non prouenit niſi vnum; etiam verum eſt dicere ab vno pluralitatem procedere, ſicuti patet 12. met: com: 44. cauſa enim multitudinis inuentæ in intelligentijs, ex proprijs atque intrinſecis illarum rationibus proficiſcitur. quoniam ergo Saturni intelligentia eſt talis, & Iouis eſt talis, ideo hæc non eſt illa; licet omnium vna, atque eadem ſit cauſa effectiua. Quamuis igitur, Deus, ſecundùm ſe conſideratus ſit maximè ſimplex & vnus; virtute tamen eſt plures, quia poteſt plura producere: plures enim habet ideas, quibus vniuerſa condidit: Alia, inquit, Aug: 83. quæſt: 46. ratione conditus eſt homo, & alia equus. Itaq́; ratio illa, cui nitebatur Auicenna, friuola eſt, & nullius planè momenti. Colligitur autem ex 2. de gen: & corr: tex: com: 56. & inuenitur in commento 44. 12. met: & diſput: 3. deſtruct: in ſolu: dubij: 25 Porrò, Auicenna 9. met: cap. 4. hanc ſuam ſtatuat de intelligentiarum productione, ſententiam: Quia, inquit, prima intelligentia, cùm ſit maximè vna, immediatè vnum*

Ab vno vnũ prouenire.

Auicennæ opinio.

Quomodo intelligentię diſtinguuntur ab Ariſtot:

Auerroes.

Auicenna corrigitur.

Ratio Auicennę friuola.

Ab vno, non niſi vnum.

creatio.

*vnum tantùm producit: & erat eſſentia ſecundæ intelligentiæ, quæ eſt primum cauſa-
tum primæ, & eſt deficiens ſimplicitate primæ: vnde in natura eius reperitur multitu-
do: nam ſi ab vno ſimplici immediatè producerentur, in eis planè nulla eſſet diſtinctio-
nis ratio. diſtinctio ſiquidem, quæ in cauſatis inuenitur ad aliquam cauſæ diſtinctionem
eſt reuocanda: ſed in prima cauſa, quoniam in fine vnitatis eſt & ſimplicitatis, nulla
prorſus inuenitur diſtinctio: igitur, ab vno, in quantum vnum, non producitur, niſi v-*

Solutio rationis Auicennæ

*num. Ceterùm, ſi in ſecunda intelligentia, quæ eſt primum cauſatum, aliqua, ſecundùm
ipſummet Auicennam, pluralitas reperitur: igitur ſibiipſi aduerſatur: dicit enim ab v-
no non niſi vnum prouenire; & in ipſo tamen vno pluralitatem conſtituit. illa ergo pro-
poſitio de agente naturali eſt intelligenda, cuius actio per ſe tantùm vna eſt; per ac-
cidens verò plures, vt calor, frigus, & huiuſmodi. Porrò, entia à Deo proueniunt, al-
tiori atque ſublimiori modo, quàm ab agente naturali, vel ab voluntate creata profici-
ſcantur: quapropter ex ea non licet arguere: quandoquidem diuinæ nequeat conuenire
naturæ: nam quamuis ſit ſimpliciſſimus; virtute tamen eſt multiplex: inde rerum mul-*

Deus cauſat eſſentias intelligentiarum.

*titudo emanat: Deus namq; cauſat diuerſas intellectiones in diuerſis, quæ ſunt planè i-
pſæ intelligentiarum eſſentiæ, quemadmodum commentator comm: 44. 12. met: dicere
videtur. Præterea, in productione, quæ fit per intellectum, vnum certè, plurium cau-
ſa eſſe poteſt, ſecundùm plures modos, qui de illo intelligi poſſunt: ſic enim docet A-
uerroes diſput: 3. in ſolu: dubij 18. In talibus, inquit, ab vno, poteſt prouenire pluralitas.
ſimile quiddam licet conſpicere in vno animali, à cuius anima, quamuis ſit vna, variæ
tamen ſpecies motus proficiſcuntur: motus quidem localis, qui reuera motui cœli com-
paratur, alij verò motus, cæterorum orbium motibus. Exploſa eſt igitur iam pridem, &
explodenda hæc Auicennæ ſententia. Cæterùm, angelos à Deo conditos eſſe, habereq;*

Mercurius.

cauſam effectiuam, Mercurius clariſſimè oſtendit: Fabricauit deinceps, *inquit,* ſe-
ptẽ gubernatores, *ſcilicet angelos: idemq; alijs in locis, quos paulò antè adduximus,*

Ratiões quòd Angeli facti ſint.

*confirmat. Plato quoque in Timæo, & philoſophus in primo cœli, alijq; philoſophiæ du-
ces, idipſum proteſtantur. Sanè, omne, quod eſt præter Deum, factum ſit, neceſſe eſt:
ſolus enim Deus eſt ſuum eſſe; ideo principium habere non poteſt. at, quia cætera non*

1. *ita ſe habent, quippe, cùm in illis differt eſſe, & eſſentia, vt in primo dictum eſt; ic-
circo entia per participationem eſſe dicuntur. quicquid autem huiuſmodi eſt, ab eo pla-*
2. *nè cauſatur, quod eſt ens per eſſentiam, ſicut omne ignitum, cauſatur ab igne. Am-
plius, entia, quæ à primo ente condita non ſunt, aut certè eiuſdem ſunt naturæ cum ipſo,
aut ſuperioris, aut reuera inferioris. ſi eiuſdem, à Deo vtiq; non differrent: ſi verò ſupe-
rioris; Deo aliquid eſſet maius, quod eſt abſurdũ: ſi verò inferioris; à primo igitur en-*

Quando angeli cõditi ſunt.

*te habet cauſam ſui eſſe. ſed in angelis neque primus inuenitur modus, neque ſecundus,
Deo enim æquales, aut maiores nequaquam ſunt: igitur, tertius illis inſit modus, neceſſe
eſt. Sunt ergo à primo ente effectiuè, quemadmodũ, & reliquæ creaturæ. Quam ob cau-
ſam, cùm ſint quædam pars vniuerſi, cùm reliqua ſimul creatura corporea, creati ſunt;
ex ſeipſis enim tantùm vniuerſum conſtituere nequeunt, ſed cum alijs hoc bonum pro-
curant, atque complent; id autem ex vnius, ad aliam creaturam, ordine apparet: ordo
namq; eſt bonum vniuerſi, authore philoſopho 12. met: de ordine ad ducem: nulla au-
tem pars à toto ſeparata, perfecta eſſe poteſt. quare, naturam angelicam ſimul cum a-*

Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul.

*lia, conditam fuiſſe, & rationi, & ſcripturarum authoritati congruere videtur. vnde
Eccleſ: 18. Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul, id eſt, ſpiritualem, & corporalem
naturam. Et Auguſt: lib: de gen: ad lit: 1. cap. 1. In principio creauit Deus cœlum, &
terram, id eſt, corporalem, & ſpiritualem creaturam. hæc autem creata ſunt in princi-
pio, quia primò facta ſunt: ante enim ea, nihil factum eſt, nec materia confuſa, nec
tempus, nec quicquam rerum conditarum: illa enim ſimul cum tempore creata ſunt, nec
ex tempore, nec in tempore, ſicut nec tempus, in tempore creatum eſt, quia non fuit tẽ-*

pus, an-

piis, antequàm eſſet cœlum, & terra. Et lib. 5. de Geneſi ad lit: cap. 19. Nulla creatura, Locus in quo
creata eſt ante ſecula; ſed à ſeculis cum quibus cæpit: Locus autem creationis angelorum angeli ſunt
eſt cœlum empyreum, quod dicitur, cœlum, & cœlum cœli. Congruum autem erat, vt creati.
quemadmodum creatura corporalis in loco infimo creata eſt; ita etiam creatura ſpiritu- Deutr. 8.
alis in ſupremo, atque nobiliſſimo loco crearetur: pro qualitate enim perſonarum, lo-
corum dignitates diſponuntur. In principio, inquit, creauit Deus cœlum, & terram: cœ- Cœlum em-
lum vtique empyreum, quod à ſplendore nomen accepit, quodq́ mox, ſeu ſtatim factum; pyreum.
impletum eſt angelis. Damaſcius vocat firmamentorum catenam: empyreum enim, eſt Damaſcius.
firmamentum, eſt æthereum, eſt materiale: quæ reuera ex Chaldaicis Zoroaſtri ora-
culis ſumpta ſunt, authore Pſello: Septem, inquit, corporeos aſſerunt mundos, empyre- Pſellus.
um vnum, & primum, id eſt, igneum: & tres poſt ipſum, æthereos: deinde tres alios
materiales, quorum extremus cœleſtis, & ſemilucidus vocatus eſt, qui ſublunaris locus
eſt. In principio, inquit, hebraicè eſt, reſcith, quod temporis inchoationem ſignificare In principio. Hebr.
videtur: quod certè patet ex æditione Chaldaica, quæ loco, reſcith, habet cadmin: quod Chal.
apud Chaldæos, temporis exordiũ ſonat, atq; ſignificat. Mercurius, in principio, *id eſt,* Mercurius.
in filio, intellexit. Benedictus es, *inquit,* qui verbo vniuerſa condidiſti: *Ver-*
bum enim Dei eſt operatiuum, atq; opifex, teſte Athanaſio contra arianos. æditio quoq;
ſecunda, quæ apud Chaldæos habetur, in principio, vertit, quod planè in Dauide legi- Dauid.
mus: Omnia domine in ſapientia feciſti. Origenes teſte Theod: In principio inquit, id eſt, Origenes.
in ſapientia, hoc eſt, in filio. Aliqui putant in principio, hoc eſt in capite, id eſt, ſimul,
vt omnia ſimul condita eſſe dicerent, quos citat Baſilius in examerον. ſed de his hacte-
nus: multa enim in primo de intelligentiarum productione diximus. Reſtat ergo firmi-
ter aſſerere, atq; apertè confiteri, & angelos conditos eſſe à Deo, & ſimul cum alijs re-
bus creatos fuiſſe, idq́ in ſupremo cælo, empyreo ſcilicet.

CAP. II.

Angelos non habere cauſam ſui eſſe.

SVbſtantiis, teſte philoſopho 8. met: quæ eſt forma ſine materia, per ſeipſam 1.
ſtatim eſt ens, & vnum, nullamq́ cauſam habet, quæ eam faciat ens, & v-
num. ſed angeli ſunt huiuſmodi, quippe, cùm ſint formæ immateriales: igi-
tur, non habent principium ſui eſſe. Sanè, omne quod fit ab aliquo agente,
eo ipſo, quod fit, ab eo planè formam recipit: ſed angeli ſunt formæ: non
ergo ab aliquo fieri poſſunt. Adde, quòd in principio Geneſeos, vbi ſcriptura de rerum
productione abundè, ordinateq; loquitur, angelorum productionis non meminit: igitur,
angeli à Deo creati non ſunt, alioqui ſcriptura, de illorum productione locuta fuiſſet. 2.
Amplius, omne agens aliquid, illud certè per motum agit, authore philoſopho primo
de gen: tex: c. 45. & 12. met: t: c. 12. Omnis productio exigit tria: à quo, ex quo, &
ad quod. ſed nulla immaterialium ſubſtantiarum cauſa, per motum agere poteſt, deſunt
enim ei illa tria: igitur, ſubſtantiæ immateriales, quales ſunt angeli, non habent ſui eſſe
cauſam agentẽ, ſiue effectiuam. Sanè, ex nihilo, nihil fieri, communis propemodum omni-
um eſt philoſophorum ſententia. authore philoſo: primo phy: t. c. 33. ſed ſi intelligentiæ
ſunt effectiuè à Deo; tunc planè, ex nihilo, aliquid fieret, ſunt enim immateriales: igi-
tur, quod prius. Adhuc, nullum æternum, teſte commentatore 4. cœli, comm: 1. ha- 3.
bet efficiens verè, niſi per modum formæ, & finis, quod etiam ab eodem confirmatur:
12. comm: 44. arguente modernos, atque dicente: In ſeparatis à materia, verè agere nõ
inueniri: ſed intelligentiæ ſunt æternæ, Nec illis, inquit philoſophus 2. met: com: 4. cauſa
aliqua eſt, vt ſint, ſed illa alijs. Porrò, quod non habet cauſam ſui eſſe, vtique eſt æter-
num: igitur intelligentiæ non habent cauſam effectiuam. Profectò, nullum poſſibile ex

ſe, eſt neceſſarium ex alio, teſte commentatore 12. comm: 41. niſi motus. ſed ſi intelli-
gentiæ ſunt à Deo effectiuè; erunt vtique poſſibiles ex ſe: igitur, ex alio non erunt ne-
4. ceſſariæ, atque ita corruptibiles erunt. Amplius, quod eſt cauſa alicuius per ſuum eſſe,
ſi eſſe cauſantis, eſt æternum; & ipſum quoque erit æternum. ſed Deus eſt cauſa angeli
per ſuum eſſe, non enim agit per aliquod ſuæ eſſentiæ additum: eſſe autem eius eſt æter-
num: igitur, & natura angelica eſt æterna: omne enim quod quandoq; eſt, quandoque
non eſt, tempori ſubditur: ſed angelus eſt ſupra tempus, vt dicitur in lib: de cauſis: igi-
tur angeli ſunt æterni, & ex conſequenti non creati. Profectò, ſi anima ideo eſt incor-
ruptibilis, quia per intellectum capax eſt veritatis, authore Auguſt: veritas autem ſi-
cut incorruptibilis, ita eſt æterna: igitur, angeli natura, cùm ſit intellectualis, non ſo-
lùm eſt incorruptibilis, ſed etiam æterna. Angeli ergo ſunt æterni. Quòd ſi velis omnino
creatos eſſe; antè tamen corporalis creaturæ productionem creatos fuiſſe, neceſſarium
5. eſt. Medium certè, naturam, atque ordinem ſapit extremorum. ſed natura angelica in-
ter diuinam, & corpoream, media eſt: igitur medium habet productionis ordinem. ſed
natura diuina eſt ab æterno: natura autem corporea ex tempore: igitur, facta eſt an-
te temporis creationem, & poſt æternitatem. Suffragantur huic opinioni, non paucorum
& quidem clariſſimorum ſententiæ: ſic enim loquitur Hieronymus in ep: ad Titum: Sex
millia nondum noſtri temporis complentur annorum: & quanta tempora, quantasq́; ſe-
culorum origines fuiſſe, arbitrandum eſt, in quibus angeli, throni, dominationes, cæte-
riq́; ordines, Deo ſeruierunt. Sic etiam Damaſcenus lib: 2. Quidam dicunt, inquit, quòd
ante omnem creationem geniti ſint angeli, vt theologus Gregorius. reuera, plus diſtat
natura ſpiritualis, à natura corporali; quàm vna corporalis ab alia: ſed vna corporalis,
ante aliam condita fuit. vnde in Geneſi, ſex productionis rerum dies deſcribuntur. Mul-
6. tò ergo conuenientiùs fuit, vt natura angelica, ante corporalem conderetur. Ampli-
us, angeli authore Auguſtino ſuper 3. Gen: creati fuerunt in ſuperiori parte aëris: igitur,
non in cœlo empyreo: nam ſi ibi creati fuiſſent, quò erat lucifer aſcenſurus, cùm illud ſit
ſupremum? Sic enim loquitur Iſaias in eius vice cap. 14. Aſcendam in cœlum. natura
præterea incorporea, non dependet à corpore ſecundùm eſſe, & ex conſequenti, neque
ſecundùm fieri. ſed angeli ſunt naturæ incorporeæ: igitur, ſecundùm fieri non dependet
à corpore: non ergo creati ſunt in cœlo empyreo.

CAP. III.

Soluuntur argumenta.

AD primum, verum quidem eſt, formas ſubſiſtentes, per transmutationem
1. materiæ de potentia ad actum, ſui eſſe, ſuaq́; vnitatis cauſam formalem,
ſiue agentem non habere: producentem verò totam ſubſtantiam, habere,
veriſſimum eſt: Deus enim benedictus, angelos creauit, non quidem per
transmutationem de potentia in actum; ſed ſimul ex nihilo totam ange-
lorum ſubſtantiam produxit. ex hoc autem patet ſolutio primæ confirmationis. Ad ſe-
cundam autem confirmationem dico, conſultò angelorum creationem, Moyſen, aut omi-
ſiſſe, aut ſub alijs nominibus explanaſſe; ne populus, idolatriæ deditus, quibuſdam
auditis ſpiritibus cœleſtibus, eos, veluti Deos veneraretur. fatetur tamen D. Auguſt:
lib: 11. de ciuitat: cap. 9. Si prætermiſſi non ſunt angeli, inquit; vel cœli nomine, vel po-
tiùs lucis, deſcribuntur. prætermiſſos autem eos non puto, quia ſcriptum eſt: Geneſ: 2.
Requieuit Deus die ſeptimo, ab omnibus operibus ſuis, quæ fecit. opus autem Dei, ange-
los eſſe, dubium non eſt. Ad 2. illud, & ſimilia de productione phyſica, ſcilicet, per
2. motum, & mutationem eſſe intelligenda affirmo: modò autẽ angeli non ita à Deo produ-
cti ſunt, vt dixi. Ad authoritates autem Auerrois dico, illas vel pugnare contra Aui-
cennæ opi-

Angelorum creationem Moyſes tacuit

centiæ opinionem, vel de phyſica productione intelligendas eſſe. Reuera, quod eſt maximè ens, & verum; id planè teſte philoſopho 2. met. textu 4. eſt in cæteris entitatis cauſa: neque id de cauſa finali tantummodò, non autẽ effectiua erit intelligendum: nam 12. met. textu 36. & 44. quælibet res ſeparata à materia, cuiuſcunq; eſt principium finale, eſt etiam principium efficiens. quare, ſi principium finale intelligentiarum deus eſt, eſt etiam earundem efficiens: ex immaterialitate namq; rei, effectiuam cauſalitatem, reſpectu eiuſdem effectus, finalem concomitari, arbitratur Commentator. quare, vbicunq; immaterialitas cum finali cauſalitate inuenitur; ibidem certè & efficientem inueniri neceſſe eſt. hoc idem ſentire videtur Commentator, lib. de ſubſtantia orbis, cap: 2. Cœlum, inquit, eget intelligentia, non ſolùm mouente, ſed etiam largiẽte, in ſua ſubſtantia permanentiam æternam. De intelligentijs autem par ratio haberi poteſt, neque alicui tergiuerſari licebit, quaſi de formali, exemplari, atq; finali cauſa Auerroes ibi loquatur; cùm apertiſſimè dicat, quòd finis ſignificet agens ſignificatione neceſſaria. 12 Præterea met. com. 44. diſputanſ contra Auicennam, non ſolùm dicit eas produci, ſed modum quoq;, quo à prima intelligentia producantur, aſſignat. intelligẽtias ergo, ſecundùm Auerroem, à deo effectiuè eſſe, ſatis patet.

Auerroes dicit angelos effectiuè eſſe à deo.

Deus eſt cauſa finalis & efficiens angelorum.

3. *Ad 3. patet ſolutio, & ad primam confirmationem idem dico, quod dixi in primo libro, ibi plurale intelligi pro ſingulari, vt pro principijs, principiũ intelligatur: primũ autem principiũ à nullo pendet, ſed omnium eſt cauſa. Ad 3. confirmationem, conceſſa maiore, minor negatur: poteſt namq; aliquid effectiuè eſſe ab alio, & neceſſarium tamen: intelligentiæ namq;, quoniam ſunt formæ ſimplices, non habent potentiam ad non eſſe, ideoq; ſunt neceſſariæ.*

4. *Ad 4. quamuis deus produxerit alias creaturas per ſuum eſſe; non ita tamen intelligendũ eſt, quin eas non produxerit per ſuum velle: eſſe enim dei, eſt ipſum eius velle. Porrò, voluntas dei in productione creaturarum, ſe habet contingenter, & non neceſſariò; atq; ideo produxit & quæ voluit, & quando voluit. Ad primam confirmationem, verum quidem eſt, angelum eſſe ſupra tempus, quod eſt numerus motus cœli, quia nimirum eſt ſupra omnem corporalis naturæ motum; non tamen eſt ſupra tempus, quod eſt numerus ſucceſſionis eius eſſe, poſt non eſſe; aut ſupra numerum ſucceſſionis, quæ in eius operationibus inuenitur. Ad aliam confirmationem, licet angeli ob naturam, quam habent, ſint veritatis capaces, atque incorruptibiles; illam tamen ab æterno non habuerunt naturam, ideo æterni dici non poſſunt.*

Angelus eſt ſupra tempus

5. *Ad 5. Deus non eſt aliqua pars vniuerſi, ſed eſt ſupra totum vniuerſum, eminentiori modo, in ſe continens omnem prorſus vniuerſi perfectionem: angelus autem eſt pars vniuerſi, ideo non eſt ſimilis ratio. Ad primam confirmationem dico, Hieronymum loqui ſecundùm Græcos theologos, qui huiuſmodi ſententiæ fuerunt. Ad 2. confirmationem, negatur minor: omnia enim ſimul fuerunt creata, quamuis in ſex dierum ſpatio, in proprijs formis fuerint diſtincta: qui enim viuit in æternum, creauit omnia ſimul.*

6. *Ad 6. Per ſupremam aëris partem, ſupremam vtiq; cœli partem Auguſtinus intellexit, cum quo aër ob ſuam diaphanitatem, ſubtilitatemq;, quandam cognationem habet. Ad primam confirmationem dico, prophetam loqui de cœlo, id eſt, de dei ſimilitudine, non de cœlo corporeo. Ad 2. angeli creati ſunt in cœlo empyreo, vt illorum naturæ dignitas oſtenderetur, non quia à loco naturæ dependentiam habeant.*

Aſcendam in cœlum.

CAP. IIII.

Deum eſſe cauſam effectiuam omnium entium.

QVoniam de angelorum creatione locuti ſumus, locus mihi aptus eſſe videtur, & ad diſputandum, & ad ſupplendũ ea, quæ de creatione dicenda ſunt, propterea de creatione primùm loquamur, deinde angelorum conditiones ac proprietates proſequemur: excuſſa primùm hac quæſtionis difficultate,

Deus eſt cauſa effectiua omniū entiū.
nempè, deum omnium eſſe cauſam effectiuam. Quoniã ante omnem multitudinem, iux-
ta Platonis ſententiam, neceſſe eſt ponere vnitatem; & teſte philoſopho 11. met. id, quod
eſt maximè ens, & maximè verum, eſt cauſa omnis entis, & omnis veri; ideo, Deus cùm
Plato. ſit ſummum, atq; verum ens, vnum, & ſimpliciſsimum eſt profectò omnis entis ac veri
Ariſtoteles. cauſa effectiua. omne ſanè ens per participationem, ab eo cauſari, quod ens per eſſen-
Rationes. tiam, omnibus modis neceſſarium eſt; omnia ſiquidem alia à deo non ſunt ſuum eſſe, ſed
1. participant eſſe; quam ob cauſam ſecundùm diuerſam participationem eſſendi, diuer-
ſum etiam obtinent gradum participandi: ab vno ergo ente perfectiſsimo procedunt,
2. quod eſt ſuum eſſe, & ſua eſſentia, æternum, vnum, & ſemper ſubſiſtens. Amplius, v-
nicuiq; naturaliſsimum eſt, agere ſibi ſimile; aliquod verò aliud perfectius, ſuam ef-
ficere ſimilitudinem, eſt impoſsibile. cùm igitur deus ſit primum ens, per ſuam vtique
eſſentiam ſubſiſtit: igitur omnia, & dependentiam, & eſſe habent ab illo, alioqui non
vnum, ſed plura planè eſſent prima, quod nulli philoſophorum probatur. omnia igitur
3. entia effectiuè ſunt à primo ente. Amplius, omnia entia naturalia, aliquas planè for-
mas determinatas ſequuntur: quæ profectò formarum determinatio, ad aliquod primũ
exemplar reducenda eſt, nempè, in ſapientiam diuinam, quæ ordinem vniuerſi excogi-
tauit, quæq; in rerum diſtinctione conſiſtit. Hanc ob cauſam, in diuina ſapientia, ratio-
nes omniũ rerum haberi, veriſsimum eſt. Ex hoc igitur deum primum eſſe rerum om-
Deus cauſa exemplaris, & effectiua. nium exemplar, clariſsimè patet. Si deus ergo eſt rerum omnium cauſa exemplaris; pa-
riter quoq; cauſa effectiua appellari poteſt: nõ enim inſtar mortui, ſiue inanimati cuiuſ-
dã exẽplaris, deus ſic nominatur; ſed viui potiùs atq; operatiui, vt efficiat vtiq; id, cu-
ius rationem atque exemplum continet. hoc planè dicere videtur Plato in Thimæo de
cauſa exemplari: & Dauid in Pſal: Omnia in ſapientia feciſti. Deus igitur eſt omnium
4. entium cauſa effectiua. Amplius, Deus eſt omnium entium cauſa finalis: ergo & effe-
ctiua, ſicut ſupra citauimus illud Commentatoris de ſubſtantia orbis: Finis, inquit, ſigni-
Deus cauſa finalis & effectiua. ficat agens ſignificatione neceſſaria. Deum autem eſſe omnium entium cauſam finalem,
latiſsimè patet: cùm enim ſit primum agens, non agit certè gratia alicuius finis acqui-
rendi; ſed ſuæ potiùs communicandæ bonitatis, quod in agentibus imperfectis nequaquã
inuenitur agunt namq; cum intentione alicuius rei acquirendæ. Itaq;, quoniam innatum
eſt vnicuiq; rei deſiderium conſequendi perfectionem, quæ eſt diuinæ bonitatis ſimilitu-
do: igitur naturaliter ad illam habendam feruntur entia omnia: id autem, quod om-
nia appetunt eſſe omnium finem, ſatis patere arbitror. deus ergo eſt omnium cauſa effe-
ctiua. Reuera, quicquid eſt propter aliud, veluti propter finem, eſt etiam ab alio, ſicut
à cauſa efficiẽte: cauſa enim finalis, alicuius cauſa dicitur, quia ſcilicet methaphiſicè mo
uet agẽs ad agendũ: non quia ex nõ eſſe, aliquid reducit ad eſſe. Præterea, quod eſt pro-
Amor finis eſt cauſa efficiẽs. pter finẽ, eſt etiã propter amorẽ finis, ſicut propter cauſã efficientẽ; amor nãq; finis, eſt
cauſa efficiens, eius ſcilicet, quod eſt ad finem: alioqui ſi ſit finis tantùm; erit in finibus
proceſſus in infinitum, quod eſt abſurdum. ſed quicquid non eſt deus, eſt propter finem:
igitur eſt ab alio, ſicut à cauſa efficiente. Adde, quòd deus eſt primum agens, primumq;
efficiens, authore philoſopho 8. phyſ. & 12. met. ſed in ordine eſſentiali agentium, pri-
mum agens eſt per ſe vnum; omnium quidem cæterorum agentium principium effecti-
uum, finiũq; vltimus in ordine eſſentiali, qui in finibus habetur: deus ergo eſt omniũ en-
5. tium cauſa effectiua. Adhuc, omne ens, ſi à deo relinquatur, cadit in non eſſe: igitur
eſt à deo effectiuè: nam ſicut non eſſe, eſt cauſa non eſſendi; ita planè eſſe, eſt cauſa eſ-
ſe ſiue eſſendi. Deſtructo ſanè primo in ordine eſſentiali, naturaliter deſtruũtur poſteri-
ora omnia; aliter aliquid poſſet mouere in eſſe, deo nõ exiſtente, quod certè nemo aſſe-
rere audebit. Profectò, ſicut 7. phyſ. philo: prudẽter oſtendit, omne quod mouetur, ab
alio moueri, quia ſcilicet omne tale ceſſat, priore ceſſante, atque quieſcente; ita certè, o-
mne quod deſinet eſſe, ſi ab alio deſeratur, eſt vtique ab illo cauſaliter atque effectiuè.

Deus eſt cauſa effectiua omniũ entiũ.

Praeterea, ſi aliquid eſt in rerum natura, quod à deo mediatè, ſiuè immediatè non procedat; erunt vtique plura neceſſe eſſe, quod eſt impoßibile. Sanè, quod ita ſe habet, aliquam vtique cauſam efficientem habeat, neceſſe eſt: at illud, quod nõ habet cauſam efficientem, eſt per ſe neceſſarium, & ex conſequenti, finem non habet, aut cauſam aliquam, ex qua dependeat, atque ita per ſe erit neceßarium. Quòd ſi plura dentur per ſe neceſſaria; connexionem, ordinemq́ ad inuicem habere non poßent, quippè, cùm ad vnius deſtructionem, ſequeretur deſtructio alterius, ac ſi ambo ad eſſe, & non eſſe eſſent diſpoſita. Porrò, quæ huiuſmodi ſunt, ordinem naturalem habere non poßunt. Quare, qui aliqua entia eſſe dicunt ſine cauſa efficiente; ij planè pulcherrimum naturæ ordinem funditus euertunt. Item, ſi omnia entia non ſunt effectiuè à deo; in cauſa eſt, Aut quia deus nullius entis in nullo cauſæ genere cauſa eſſe poteſt, quod eſt abſurdum, entia enim conſiſterent deo per impoßibile non exiſtente. Aut quia entiũ eſt cauſa finalis tantùm, & hoc quoque eſt abſurdum: quod enim habet finem, habet etiam efficiens; alioqui, ſi caret efficiente; carebit etiam fine: namq; quod eſt propter finem; eſt etiam propter amorem finis, ſicut propter cauſam efficientem. Aut, quia eſt cauſa finalis omnium quidem entium, motus tantùm cœli effectiua immediatè, deinde aliorum corruptibiliũ, mediante primi orbis motu. ſed hæc dicere atque aßerere, non eſt ſanæ mentis: quæ enim ſpectarent ad cauſam effectiuam; inter ſe planè ordinem non haberent, aut connexionem, ſed per accidens tantùm: ordo enim per ſe vnus cauſæ effectiuæ, hoc exigit, vt ab vno, & eße, & dependentiam habeant omnia: quod planè, ſi ita, vt dictum eſt, res ſe haberet, fieri non poſſet. Aut, quia intelligentiarum, & orbium, non eſt cauſa effectiua. pluribus certè modis imaginari non licet, quibus, deum non eſſe omnium entiũ cauſam effectiuam, aliquis probare vellet. Sed neque iſte quartus modus veritati conſonat, quemadmodum ſuperiùs latè diſputando oſtendimus, nempè intelligentias à Deo eſſe effectiuè. Sanè ſubſtantia, cuius accidens ab alio eße effectiuè, & ipſa quoq; ſimiliter ab alio erit effectiuè: ſed accidens intelligentiæ, vtpotè eius intellectio, eſt ab alio, nempè ab obiecto: ſiquidem cuiusuis intellectionem, excepta diuina, & ipſum obiectũ, per ſe neceſſaria eſſe, eſt impoßibile: alterum enim neceſſariò cauſatur ab alio: per ſe namq; neceſſe eſt, nihil minùs erit, quolibet alio exiſtente, aut non exiſtente. ſed intellectio cuiuſcunq; intelligentiæ, remoto primo ente, nulla penitus eſſet, vt communis eſt omnium ſapientum ſententia: igitur ſicut intellectio angelorum eſt à deo effectiuè, ita planè, & eorum ſubſtantia. Deum ergo eße omnium entium cauſam effectiuã patet.

7.

Ordo cauſæ effectiuæ.

Intelligentiæ effectiuè ſunt à deo.

CAP. V.

Deum non eße omnium entium cauſam effectiuam.

Omne, quod ex ſe formaliter neceſſe eſt eſſe; illud profectò impoßibile eſt non eſſe: ſed intelligentiæ ſunt huiuſmodi, authore philoſopho 12. met. vbi dicit, ſubſtantias ſeparatas eſſe æternas: igitur intelligentiæ, vt ſint, omnibus modis neceſſe eſt eße. quodſi ita res ſe habeat: igitur non ſunt ab alio effectiuè: quicquid enim tale eſt, poteſt eſſe, & non eſſe: impoßibile autẽ non eße, & poßibile eſſe, vel non eſſe, ſibi inuicem aduerſantur. Patet hoc etiam ex Cõmentatore 8. met. vbi apertè oſtendit, nullum poßibile eſſe, excepto motu alio, eße neceßarium habere poſſe: permanentia namq; ſubſtantiæ æternæ, non eſt ab alio, ſed ex ſe: motus verò ſeu duratio, eſt à mouente. Item 5. met. cap: neceß: Si fuerint, inquit, entia ſimplicia, & æterna, nullum eorum accipit eſſe ab alio: entia autem ſimplicia, ſecundũ ipſius doctrinam, ſunt intelligentiæ, cœlum, & materia prima: hæc igitur non ſunt à deo effectiuè. Amplius, quæ non habent ſuum eße, niſi cauſam formalem; illa ſanè non habent

1.

Ariſtoteles.

Auerroes.

Deus eſt cauſa effectiua omnium entium realium.

habent cauſam effectiuam, vt ſint; ſed intelligentiæ ſunt huiuſmodi, ſunt enim æternæ, vt dictum eſt: res verò æternæ, authore Commentatore, 4. cœli, comment. 1. formalem tantùmmodò cauſam habent: igitur non habent cauſam efficientem. Amplius, materia prima eſt aliquod ens, aliud à primo, eſt enim alicuius entis per ſe cauſa intrinſeca: igi-
3. tur aliquod ens, non habet ſui eſſe cauſam efficientem. Tenet conſequentia: nam ſi fieret, de nihilo fieret, non autem de alia materia: quod enim fit de materia, compoſitum eſt; ſed de nihilo nihil fieri, communis eſt omnium propemodum philoſophorum ſententia: igitur aliquod, vtpotè materia prima, non eſt à deo effectiuè. Præterea, actio, & paſſio ab inuicem diſtinguuntur. at, primum principium actiuum deus eſt, paſſiuum verò, eſt materia: ſunt ergo ab inuicem diuiſa: neutrum ergo eſt alio. Reuera, ſicut agens in agendo, eſt in actu: ergo & quod fit ab agente, eſt in actu, ſaltẽ aliquo modo. ſed ma-
4. teria prima eſt tantùm in potentia: ab aliquo ergo effectiuè eſſe non poteſt. Amplius, quod non pertinet ad rei rationem; res vtique ſine illo intelligi poteſt: ſed habitudo cauſati ad cauſam, ad entium rationem non ſpectat: igitur, quemadmodum entia ſine illa intelligi poſſunt; ſic etiam & eſſe: aliqua ergo entia à deo creata non eſſe, nihil prohibet. Nullum præterea neceſſarium poteſt non eſſe: ſed in rebus ſunt multa huiuſmodi: igitur non indigent cauſa efficiente, vt ſint.

CAP. VI.

Soluuntur Argumenta.

Neceſſaria habent cauſam ſuæ neceſsitatis.

AD primum, de hac materia paulò ſuperiùs, & in primo Pymandri etiam locuti ſumus, vbi oſtendimus quid ſit dicendum, quam ob cauſam breuiter mè expediam. & in primis, quæ ſupra dicta ſunt, confirmabo, nempe Ariſtotelis mentem hanc extitiſſe, ſcilicet nonnulla inueniri formaliter neceſſaria, illaque ab alio eſſe effectiuè: Sunt, inquit 5. met. quædam neceſſaria, quæ habent cauſam ſuæ neceſſitatis. Et in 8. phyſ. reprehendit antiquos, qui eorum, quæ neceſſaria ſunt, cauſam negabant: Habent, inquit, aliqua neceſſaria cauſam ſuæ neceſſitatis ab alio. Secun-

Ariſtoteles.

do etiam met. dicit ſemper exiſtentium, vel æternorum principia eſſe veriſſima, & maxima entia. Porrò, quod eſt maximè tale, eſt cauſa aliorum, quæ ſunt poſt ipſum: ſicut enim res ſe habet in veritate; ita planè in entitate ſe habebit: vnde commentator hoc idem confirmat: Si eſt aliqua, inquit, prima cauſa omnium, quemadmodum in ſcientia naturali determinatum eſt; illa reuera eſt magis digna, & in eſſe, & in veritate, quàm

Auerroes. Quòd omnia habeant eſſe à Deo.

entia omnia: omnia enim entia, ab huiuſmodi cauſa, & eſſe, & veritatem acquirũt. Eſt ergo tantùm ens per ſe, atque per ſe verum; alia verò entia omnia, per illius eſſe, & veritatem, & eſſe habent. Et de ſubſtantia orbis, vt paulò ſuperiùs diximus: Debemus, inquit, ſcire, quòd corpus cœleſte non indiget virtute mouente tantùm; ſed etiam largiente in ſe, & in ſua ſubſtantia permanentiam æternam: hoc autem ignorauerunt quidam, inquit Auerroes, fuiſſe Ariſtotelis mentem, valde enim obſcurum hoc extitit illis. Itaque, non ſolùm motus cœli, ſed eius etiam ſubſtantia, atque permanentia æterna, ab alio

Duo motores orbis.

effectiuè dependet. Præterea, motus ex appropiata intelligentia, eſt in tempore; ex prima verò, eſt æternus; ex ſe autem, eſt ſucceſſiuus: nam ſi prima intelligentia ex ſe immediatè moueret, cùm ſit infinitæ virtutis, & neceſſariò moueat, ſecundùm philoſophum, moueret vtique in inſtanti. Ad motum ergo orbium, duo cõcurrere mouentia; quorum alterum finitæ, alterum verò infinitæ virtutis ſit, neceſſe eſt. Quòd ſi ita res ſe habet, planum eſt, ſecundùm mouens, ſiue intelligentiã, recipere eſſe à prima, aut virtutem, vel aliquam ad motum applicationem. ſi eſſe: igitur ſunt effectiuè à deo. ſi virtutem; etiam ſimiliter: idem enim eſt eſſe, & virtus angeli, ſecundùm philoſophum. ſi verò appli-

Deus eſt cauſa effectiua omnium entium realiũ

verò applicationem, cùm illa in angelo non ſit accidens, iuxta philoſophi ſententiam, eiusq́ Commentatoris, à deo effectiuè eſſe, clariſſimum eſt. Ea igitur Ariſtotelis ſententia fuiſſe videtur, incorruptibilia ſcilicet, à deo eſſe effectiuè, atq; per illa, cætera corruptibilia, quemadmodum perſpicuè videre licet 2. 9. & 12. met. Reüera, quemadmodum deum eſſe primũ finem, 12. met. oſtendit; ſic etiam primũ eſſe efficientem: Vnus, inquit, ergo princeps, & vnum amatum, & deſideratum: igitur vnus primus mouens, efficiens, atq; agens, vt dicitur 8. phyſ.

Ariſt. intentio de cauſa effectiua entium.

Commentator eſt varius.

Commentator autem in hac materia, varius eſſe conſpicitur: nam de ſubſtantia orbis, cœlum, atq; incorruptibilia à deo eſſe dicit, non ſolùm mouente, ſed etiam eſſe largiente. deniq;, finem ſignificare agentem, ſignificatione vtiq; neceſſaria, vel naturæ, ſicuti motum mouens. Sed ipſemet deum fatetur eſſe finem omnium; igitur eſt omnium entium cauſa effectiua. At 2. met. & 12. hoc ipſum oppugnare videtur: ſubſtantiam namq; ex ſeipſa poſſibilem eſſe, ab alio verò neceſſariam, putat eſſe impoſſibile. vnde ſecundùm ipſius mentem, ſubſtantia æterna nòn eſt ab alio effectiuè, quòd ſcilicet ab alio habeat entitatem, vel permanentiam, niſi in motu tantùm. Verùm huiuſmodi ratio nihil habet virium: pari enim facilitate diceretur, quòd ſubſtantia habeat eſſe ab alio; & ita ſuam permanentiam ab alio. Et 12. met. diſputans cõtra Auicennam, aſſerit in ſubſtantijs ſeparatis non eſſe actionem, vbi creationem excludere videtur. Confirmat hoc idem 5. met. cap: de neceſſario. & 4. cœli com. 1. vnde ſibi ipſi conſtare non videtur. Illa autem, quam de ſubſtantia orbis adducit reconciliatio, non ipſum ab inſtabilitatis crimine immunem reddit: Quamuis, inquit, incorruptibilia non habeant cauſam duratione præcedentem; habent tamen cauſam agentem, quæ ſanè ſine motu & mutatione agit, & eſt ſimul cum eis. & è contra. ratio ſiquidem eius, ſi alicuius eſt valoris, 12. met. de agente, nõ autem de præcedente cauſa concludit.

Poſsibile cum neceſſario.

Cæterùm, non omne poſſibile repugnare neceſſitati eſſendi, niſi poſſibile contingens, quod eſt ad vtrumlibet, tùm ex ſupradictis, tùm etiam ex ipſamet ratione, ſatis patere arbitror: abſolutè ergo loquendo, poſſibile obiectum, cum neceſſitate ab alio conſiſtere poteſt: in his certè, in quibus poſſibile eſſe, non duratione, ſed natura, vel intelligentia, ipſum eſſe præcedit. nec obſtat illud, quod dicitur in perpetuis, eſſe, & poſſe non differre: quandoquidem ſic eſt intelligendum, in eis potentiam ab actu non differre, quaſi ipſum ſecundùm aliquam durationem expectantem.

Ordo vniuerſi

Præterea, plura infinita ſimpliciter, cuiuſmodi eſt prima intelligentia, ad ordinem vniuerſi eſſentialem pertinere non poſſunt, neutra enim eſſet imperfectior altera, atq; ita inter eas ordo eſſẽtialis haberi non poſſet, quod philoſopho non probatur. Quamobrem, ſi conſtat ſibi, incorruptibilia cauſam habeant effectiuam, neceſſe eſt.

Obiectio.

Dices, omne generabile, vel factum, eſt corruptibile, vt dicitur primo cœli: ſed intelligentiæ nõ ſunt corruptibiles: igitur non ſunt ab aliquo effectiuè.

Solutio.

Reſpondeo, hoc procedere ex falſo intellectu Platonicæ ſentẽtiæ: non enim Plato voluit mundum per motum, & mutationem eſſe conditum, vt Ariſtot. dicit; ſed per ſimplicem emanationem, ideo ratio illius non militat aduerſus Platonem. Ad authoritates Commentatoris dixi, quid ſit reſpondendum.

2.

Ad 2. quamuis natura illis largiatur, vt formaliter ſint incorruptibilia; illam tamen naturæ incorruptibilitatem ab alio accipiunt: vnde in idem recidit, quod ſupra diximus, nempe à deo eſſe effectiuè.

3.

De nihilo nihil fieri, quomodo intelligitur.

Ad 3. materia à deo creata eſt de nihilo, quia non de aliquo. de nihilo, nihil fieri, verum quidem eſt, quaſi de materia, vel ſubiecto; ſed bene fit aliquid non de aliquo præcedẽte per motum, vel mutationem. ad illud autem philoſophi 1. phyſ: omne, quod fit ex aliquo eſt compoſitum: veritatem habet in his, quæ particulariter fiunt, non autem in his, quæ per ſimplicem emanationem condita ſunt, in quorum numero ipſa quoq; habetur materia. Ad aliam confirmationem dico, quòd paſſio ſit effectus actionis. proinde, primum principium paſſiuum emanet, neceſſe eſt à perfectiſſimo principio effectiuo: omne enim imperfectum cauſatur à perfecto. Ad aliam confirmationem reſpondeo, rati-

Deus eſt cauſa effectiua omnium entium realiũ.

onem illam id tantùm velle, nempe, materiam ſine forma creatam non eſſe: licet enim omne creatum ſit in actu; non tamen eſt purus actus omnino: id ergo quod ex parte potentiæ ſe habet, ſi totum, quod ad ipſius eſſe pertinet, creatum ſit, ſimiliter ſe habebit.

4. *Ad 4. Quamuis habitudo ad cauſam entis, quod eſt cauſatum, diffinitionem nõ intret; ad ea tamen ſequitur, quæ ſunt de eius ratione: ex hoc enim, quia aliquid per participationem eſt; neceſſariò ſequitur, vt ab alio cauſatum ſit. vnde, quemadmodum homo nõ poteſt eſſe ſine riſibili; ſic etiam, nec huiuſmodi ens abſq; ſui cauſa eſſe: verùm, quia eſſe cauſatum, ad entis ſimpliciter rationem non attinet; idcirco aliquod eſt ens, quod à nullo cauſatur.*

Neceſsitatis permanentia à deo.

Ad confirmationem, iam quidẽ paulò ante reſponſum eſt: nam licet neceſſaria, poſtquàm ſunt, neceſſariò ſint; illam tamen neceſſitatis permanentiam, à perfectiſſimo ente acceperunt.

QVAESTIONIS QVARTAE. CAP. I.

Creationem, ſiue creare, Deo conuenire.

Poſtquàm audiuimus omnia eſſe creata à deo, de creatione aliquid dicere non inutile eſſe iudico. Apud Hebræos, antiquitatis ſtudioſiſſimos, verbum creare, quod ipſi Bara vocant, omnem ferè actionem, formationemq; ſignificat. vnde ſeptuaginta εποίσεν *verterunt, quod verbum, facere apud nos ſonat. Quapropter aduertendum eſt, vtrumné illa differentia, quam aliqui aſſignant, nempe creare, actionem eſſe diuinam, qua ex nihilo vniuerſa cõdidit; facere verò, materiam exigere, amplectenda, tenendaq; ſit necne? Sanè, inter creare, & facere, hoc intereſſe videtur, quod facere ſcilicet, & animatis, & inanimatis tribui poſſit; creare verò his tantùm, quæ per propagationem gignuntur; vnde ſit etiam procreare, quod ad prolem tantùm refertur: creatur ergo ab homine homo, domus autem fit. Quia verò, tùm à noſtris, tùm ab alijs ſapientiæ cultoribus, pater mundi deus appellatur, vt patet apud Platonem in Thimæo: Dij Deorum, inquit, quorum pater ego ſum; propterea ab eo mundum genitum, atq; creatum dicimus. ſic etiam Mercurius, Marcus Cicero, alijque Platonici nobiliſſimi. hos imitatur Auguſtinus libro 1. contra aduerſarium legis, & prophetarum capit: 23. Ex conſuetudine, inquit, locutionis humanæ, creari, non ſolùm filijs, quos de ſemetipſo quiſq; generat, congruit; verùm etiam magiſtratus creari dicuntur, atq; vrbes: quod enim Græci appellant, epÿſen, hoc noſtri aliquando creare, aliquando conſtituere, aliquando condere interpretantur, quod ſæpiſſimè idẽ ſignificat in illis, quod eſt facere. ſic legimus deum creaſſe cæte grandia, creaſſe hominem: Et cor mundum crea in me deus. Et contra eoſdem: Facere, inquit, eſt aliquid producere, quod omnino non erat; creare verò, eſt aliquid facere ex eo, quod erat, vel ex eo quod iam erat, aliquid conſtituere. Damaſcenus in Logica ſua cap: 36. inter agere, facere, atq; creare diſtinguit: Agere, inquit, eſt, cùm illud quod agitur, & poſtquàm agens quieuerit, non manet, ſicut fiſtula canere, & ſimilia; facere verò, cùm illud quod agitur, manet poſt actionem agentis; creare autem, vt communis eſt theologorum ſententia, de nihilo aliquid producere, quod planè tripliciter intelligi poteſt. vno quidem modo, de nihilo, hoc eſt, non de aliquo materialiter, nec ſubiectiuè quidem, nec etiam conuerſiuè: eo certè modo, quo aliquem de nihilo, id eſt, ſine cauſa contriſtari dicere ſolemus. alio modo, de nihilo, quod omnino non ſit, ſicut tacentem nihil loqui dicimus. poſtremò, de nihilo, ſicut de materia, vel ſubiecto. primus autem in creatione locum habet: ſecundus verò in actionis ceſſatione: tertius autem illi congruit famoſiſſimæ ſententiæ, qua dicitur, ex nihilo nihil fieri. Porrò, adhuc primus modus bifariam intelligendus eſt: primo quidem ſic, de nihilo nihil ſit, vt nihil ſit priùs natura non ens, quàm ens; quia ſcilicet, quantùm eſt ex ſe, & ſibi derelictum, eſſet non ens, niſi à cauſa ſibi*

Creare quid ſignificet.

Differentia inter creare & facere.

Facere.

Plato.

Auguſt.

Damaſcenus.

De nihilo aliquid fieri tripliciter.

Quomodo ſecundùm philoſophos ex nihilo aliquid fiat.

 Creare ſoli deo conuenit.

ſa ſibi eſſe largiente, præueniretur. alio verò modo, quando non ſolùm natura, ſed etiam duratione, priùs non ens, quàm ens extitiſſe pronunciamus. Ex quo, aliquibus viſum fuit, primo modo, Ariſt. Auicen. conceſſiſſe, de nihilo nihil fieri, ſecundo autem modo, negaſſe. Cæterùm, creatio duobus modis accipitur: vno quidem, ſecundùm communem rationem, cuiuſmodi eſt productio non de aliquo, eamq́ admiſiſſe philoſophos puto, qui entia incorruptibilia à deo effectiuè eſſe dixerunt; non tamen de aliquo, veluti de materia, aut ſubiecto, aut aliqua præiacente natura, quippè, qui omne, quod eſt extra deum, ab ipſo cauſatum eſſe voluerunt: alio autem modo, ſecundùm particularem, ſeu ſpecialem rationem, qualis habetur in ſanctis ſcripturis, & per fidei doctrinã in nos venit. hæc autem in his habetur entibus, quæ non ſolùm natura, ſed etiam duratione aliquando fuerunt non entia, & penitus nihil. Hanc autem Ariſtoteles, Commentator, Auicenna, cæteriq́ huiuſmodi viri, conſtanter negauerunt: quanquam non deſint, qui velint aſſerere, Ariſtotelem etiam hoc modo creationem conceſſiſſe, ſicuti in primo Pymandri diſputauimus, vbi creationem, ſecundùm Ariſtotelis mentem tutati ſumus. Porrò, creatio non eſt actio propriè loquendo: nam actio eſt reſpectus extrinſecus adueniens, creatio autem non eſt huiuſmodi: poſito namq́ creatore & creatura, neceſſariò ſequitur creatio. nec eſt paſſio: eſt enim accidens limitatum, quia genus videlicet prædicamentale; ſed creatio eſt tranſcendens, vtpotè omnia præcedens genera. neq́ eſt motus, quia creatio fit in inſtanti; motus autem ſucceſſiuè: reuera, eſt acquiſitio partis poſt partem. neq́ eſt mutatio: vbi enim eſt mutatio; ibi etiam eſt ordo durationis, qui eſt inter tempus & inſtans. ſanè, in mutatione, ſubiectum in vltimo inſtanti, eſt ſub formali termino, ad quem, & in priori tempore, eſt in termino à quo. Itaq́ creatio, eſt productio, quia ſcilicet effectiuè, eſt productio ad extra. His autem ita dilucidatis, ad præpoſitam nobis quæſtionem accedamus, dicamusq́, creationem ſoli deo competere. Sanè, ſicut generatio hominis, ex non ente, quod eſt non homo, fit; ita planè emanatio totius, quæ à cauſa vniuerſali fit, quæq́ appellatur creatio, ex non ente fiat, neceſſe eſt: hoc eſt, ex nihilo, idem certè eſt nihil, quod nullum ens. Etenim, ſi totius entis vniuerſalis emanatio à primo principio ſpectetur, aliquod huic emanationi ens præſupponere, eſt impoſſibile: homo enim fit ex non homine, & album ex non albo: ſic & vniuerſi emanatio ex nihilo. Quam ob cauſam, non ſolùm non eſt impoſſibile aliquid à deo creari, ſed omnia à deo eſſe creata, eſt neceſſarium omnino. faber ſiquidem lignarius, operatur ex ligno, & ærarius ex ære, quæ natura, non autem artis actione producũtur: ipſa verò natura, quamuis res naturales, quoad formam cauſet, materiam præſupponit tamen. Quare, ſi deus non ageret, niſi ex aliquo præſuppoſito, ſiue præiacente materia; procul dubio illud ſic præſuppoſitũ, à deo non eſſet effectiuè, quod prorſus falſum eſſe hactenus oſtenſum eſt. Deus ergo ex nihilo omnia creauit. Amplius, agens infinitæ, atq́ illimitata virtutis, non vnam, vel alteram effectus partem, ſed totum planè producit effectum; ſua enim virtute totaliter continet omnia, ideo totum ſimul producere poteſt, quod reuera perinde eſt, ac ex nihilo aliquid facere, ſiue creare: ſed deus eſt huiuſmodi agens, vt potè agens primum, & vniuerſale: igitur ex nihilo omnia creauit. Adhuc, In effectibus non eſt proceſſus in infinitum: igitur deus poteſt aliquid immediatè creare, alioqui nec mediatè ab eo aliquid creari poſſet: ſed id, quod à deo immediatè fit, nihil præſupponit, niſi deum, eius, quod fit, per ſe cauſam pleniſſimam: igitur deo ſoli conuenit creare. Sed dicet aliquis, cauſatum quidem, materiam, ſeu ſubiectum præſupponere, non quaſi priorem effectum, ſed ſicut concauſam potiùs, in genere videlicet cauſæ materialis. verùm hoc friuolum eſt: imperfecta enim cauſalitas, ad perfectam reducatur, neceſſum eſt, illudq́ cui conuenit, in cauſa perfecta contineri. ſed materiæ cauſalitas, eſt imperfecta: ad perfectam ergo, id eſt, ad cauſam efficientem eſt reducẽda: huiuſmodi autem deus eſt, in quo materia, ſicut effectus virtualiter continetur. Ita-

Creatio dupliciter intelligitur.

Quid ſit creatio.

Creatio eſt tranſcendens.

Soli deo conuenit creatio.

1.

2.

3.

Materię cauſalitas imperfecta.

Creare ſoli deo conuenit.

quę deus, ſiue alicuius cauſæ, ſeu effectus medio, omnia condidit: nam ſi alicui dei effe-
ctui aliquid præſupponeretur; illud reuera in effectibus diuinis eſſet connumerandum,
4. vnde in idem recideret. Præterea, agens, cuius agere eſt ſuum velle, poteſt totum ſimul
producere quod vult: non enim differt illius agere, à ſuo velle; ſed tantùm agit, quantùm
vult, nec aliquid vult, quod agere nequeat. ſed deus eſt huiuſmodi agens, quippe, qui o-
mnia quæ voluit fecit, in cœlo & in terra, & in omnibus abyſſis: totum ergo vniuerſum
produxit, quando voluit, & quomodo voluit. Reuera, id quod à deo cauſatur, ſiue pro-
ducitur, aut eſt ſimplex, atq; ita non de aliquo, & ex conſequenti creatur: aut compo-
ſitum eſt, & tunc quæro, aut qualibet pars cauſatur, & ſic habetur intentum, aut al-
tera, ſicq́; erit ſine cauſa efficiente: ſed quidquid huiuſmodi eſt, neq; pars, neq; compo-
nibile alteri, neq; in potentia ad aliud eſſe poteſt: qualibet ergo pars creata eſt, proin-
de & totum quoq;, in quo partes continentur, creatum eſſe dicere poſſumus. Amplius,
5. quantò agens eſt nobilius atq; perfectius; tantò paucioribus in agendo indiget: ſed de-
us eſt agens perfectiſſimum: in mundi ergo opificio, materia non indiguit, alioqui, na-
tura, aut arte, ex aliqua re praexiſtente, operantibus, ſuperior, atq; maior dicendus nō
eſſet. Itaque, deum creare vniuerſa, illiusq́; munus proprium eſſe, ſatis patet. Sed con-
tra prædicta ſunt nonnulla argumenta examinanda capite ſequenti.

CAP. II.

Creare, ſiue creationem Deo non competere.

An deus agat ex neceſſitate

1. AGens æternum, quod de neceſſitate creat, nihil noui producere aut creare
poteſt; in æternis enim nihil eſt noui: ſed deus eſt huiuſmodi agens, ſiqui-
dem immutabiliter agit: ergo ex neceſſitate agit. nam ſi deus naturali-
ter ageret, neceſſariò vtiq; ageret, illiusq́; effectus ſine alicuius nouitate,
neceſſariò ſequeretur: ſed modus agendi voluntariè, cùm non ſit minùs
perfectus ab effectu, ſiue ab actione, entis nobiliorem conditionem non remouet, nem-
pè neceſſitatem agendi. licet ergo deus voluntariè agat ad extra; de neceſſitate tamen
2. agit. Amplius, cauſa prima poteſt in omnem entis differentiam, alioqui, ſi aliqua en-
tis differentia illius vires effugeret, prima nequaquam dicenda eſſet: ſed vna entis dif-
ferentia eſt neceſſarium, alia verò contingens: igitur, ſicuti poteſt in contingens me-
diatè, ita etiam in ens neceſſarium immediatè, quod nihil eſt aliud, quàm neceſſitate o-
perari. Sanè, ſi aliqua ſecunda cauſa, puta, ignis, neceſſariò agit, quia neceſſariò cale-
facit lignum, vel ſimilia: igitur, prima cauſa neceſſariò agit, ſecunda enim non agit, niſi
mota à prima, ſiue in virtute primæ, deus enim eſt neceſſe, & ſua actio eſt ſuum eſſe:
3. igitur neceſſariò agit. quòd ſi neceſſariò agit, nullius vtiq; eſt rei creator. Item, illud
deo eſt impoſſibile, quod implicat contradictionem: hoc enim tantùm priuatur deus, vt
quæ ſunt facta efficere, vt ſint infecta: ſed creare implicat contradictionem, eſt enim
de nihilo aliquid facere. aut ergo de nihilo, ſicut de ſubiecto, aut de nihilo, ſicut de ter-
mino: ſed vtrumq; contradictionem implicat; ſiquidem in nihilo, ſubiectiua, aut obie-
ctiua potentia aliqua non inuenitur. Præterea, quòd nihil fiat aliquid, & quòd nihil
ſit aliquid, par eſt contradictio: igitur, cùm hæc omnia contradictionem implicent,
4. deo ſunt impoſſibilia. Creare ergo, ſiue creatio, deo minimè conuenit. Amplius, nobi-
liſſimo agenti, actio nobiliſſima competit; actio namq; deificatur, vt ita dicam, ſecun-
dùm nobilitatem agentis: ſed deus eſt agens nobiliſſimum: igitur actio illi congruit no-
biliſſima. nobilior autem actio ea dicenda eſt, quæ ex terminis proficiſcitur nobiliſſi-
mis: nobilius autem eſt ens, quàm non ens, quia præſtantius eſt eſſe, quàm non eſſe. i-
gitur creatio, quæ inter diuinas actiones ad extra eſt nobiliſſima, eſt de aliquo, & non

de nihilo

Creare ſoli deo conuenit.

*de nihilo, alioqui Deo non eſſet tribuenda. Iſta præterea præpoſitio ex, alicuius cauſæ,
præſertim materialis, habitudinem importat. ſed nihil, non eſt materia entis, nec aliquo
modo ipſius cauſa: creare ergo non eſt ex nihilo aliquid facere; imò facere, eſt aliquid
ex nihilo facere, authore Auguſt: vt paulò antè diximus. Adde, quòd Dei potentia nõ
ſe extendit ad ea, quæ primis principijs aduerſantur, vtpotè, reddere totum non eſſe
maius ſua parte, vel affirmationem, negationemq́ ſimul de eodem eſſe veras, & ſimilia:
ſed ex nihilo aliquid fieri, communi aduerſatur omnium propemodum ſapientum ſen-
tentiæ: igitur, quod prius. Amplius, ſi creare eſt aliquid ex nihilo facere: ergo, cre- 5.
ari eſt aliquid fieri. ſed omne fieri, eſt mutari: creatio ergo eſt mutatio. at omnis muta-
tio, eſt ex ſubiecto aliquo; nam motus eſt actus entis in potentia, in Deum autem nulla
cadit mutatio: igitur, aliquid à Deo fieri ex nihilo, eſt impoſſibile. Sanè, quod factum
eſt, neceſſe eſt aliquando fieri: illud autem quod creatur, ſimul fieri, & factum eſſe, di-
ci non poteſt; in permanentibus ſiquidem, quod fit, non eſt, quod autem factum eſt, iam
eſt. ſimul ergo aliquid eſſet, & non eſſet. Quamob cauſam, ſi aliquid fit, fieri eius, fa-
ctum eſſe, præcedit: quod planè ſine præexiſtenti ſubiecto, in quo ipſum fieri ſuſtentetur,
eſſe non poteſt. Adde, infinitam diſtantiam non eſſe pertranſibilem: ſed inter ens, &
nihil, eſt infinita diſtantia: igitur, de nihilo aliquid fieri, eſt impoſſibile. Deo ergo non
conuenit creare. Præterea, ſi Deus crearet aliquid, vel id, æterna, vel noua actione con- 6.
deret, ſeu condidiſſet: non quidem æterna, alioqui creatura eſſet æterna; etenim actio,
ſine re acta, ſiue producta, eſſe non poteſt: nec actione noua, quippe, cùm in Deum nihil
noui cadat, aut cadere poſſit. Reuera, quia agens dat eſſe; ideo productum accipit eſſe,
& non è contra. Præcedit ergo aliqua noua habitudo in producente. ſed nulla nouitas eſt
in Deo: nihil ergo poteſt de nouo producere. nam ſi aliquid de nouo produceret, ſiue
crearet, quod idem ſonat; aut id, quod creatur aliquo modo præfuit, aut non. ſi præfuit:
ergo non producitur ex nihilo, atq́ ita non creatur, nec dici poteſt, nullo modo præfuiſ-
ſe; quod enim de nouo fit, priùs profectò erat in eſſe poſſibili cognito, & volito: non ergo
de nihilo. Amplius, ſi aliquid producitur, quod prius certè non producebatur; ideo 7.
hoc contingit, quia nimirum producens, aut productum, alio modo ſe habet, quàm pri-
ùs ſe habebat. id autem in productum non cadit, quia ſcilicet nondum erat: ergo in De-
um producentem cadat, neceſſe eſt. ſed Deus, cùm ſit primum agens, non poteſt ſe aliter
habere, quia mutatione caret: nihil ergo creauit, ſiue de nouo produxit. Iterum, idem 8.
manens idem, authore philoſopho 2. de generatione, ſemper natum eſt facere idem: nul-
la ergo eſt variatio in effectu, quin priùs ſit in cauſa: ſed Deus ſemper eſt idem, æquali
determinatione, ſiue diſpoſitione ſe habens ad agendum: nihil ergo de nouo producere
poteſt: alioqui, maiorem nunc haberet determinationem quàm priùs, quod abſq́ mu-
tatione fieri non poſſet. Reuera, ſi nulla ex parte cauſæ agentis mutatio ſit, vtpotè maior,
aut minor illius vicinitas, ſiue approximatio ad effectum producendum, nec aliquid ſit
illi impedimento, quo minùs agere poſſit; irrationabile prorſus apparet, nunc quidem
agere, priùs verò quieuiſſe, & quaſi in otio latitaſſe. Ex his ergo, atq́ ſimilibus apparet,
Deum nihil noui feciſſe, ſiue creaſſe.*

CAP. III.
Soluuntur Argumenta.

*AD primum, negatur minor, tanquam falſa, & erronea: ad cuius proba- 1.
tionem dico: contingentiam volendi, producendiq́ alia à ſe, cum diuinæ
maieſtatis im̃utabilitate, conſiſtere poſſe: contingentia enim, Deũ mutabilẽ
non facit: mutabilitas planè, ad producendũ & non producendũ pro diuer-
ſis inſtantibus, poſſibilitatẽ indicat, vel adidẽ volendum, nolendumq́, quod*

Quomodo cõtingentia ſit in Deo.

certè

Creare ſoli deo conuenit. *certè Deo minimè competit. at, contingentia, non quidem pro diuerſis inſtantibus in*
Deo, ſed pro eodem, & in eodem diuiſim, dicit Deum poſſe velle hoc, vel nolle, ſeu pro-
Deũ velle hoc & non velle, quomodo intelligitur. *ducere, & non producere. Ad aliam confirmationem dico: veram eſſe, ſi abſolutè intel-*
ligatur: nam ſpiritus ſanctus, qui voluntate producitur, neceſſitate quoque productus
dicitur, eſt enim ens ſummè neceſſarium: at, creaturæ repugnat, & ex conſequenti velle
diuino, quatenus ſuper ipſam tranſit. quare modus nobiliſſimus producendi, volendiq́;
creaturam, eſt ipſam contingenter velle: quemadmodum & creatura eſt in ſeipſa con-
tingens, non autem neceſſaria ſimpliciter. Pro vniuſcuiuſq; ergo rei dignitate, determi-
2. *nandus eſt modus producendi. Ad 2. neceſſe eſſe, aut neceſſitas eſſendi, Deo tantum-*
modò conuenit, creatis verò rebus, minimè: quam ob cauſa: utis cauſabilis differentia
adæquata eſſe non poteſt, ſed contingentia potiùs; ideoq́; D.us circa illam contingenter
ſe habet. Ad primam confirmationem dico: quamlibet ſecundam cauſam contingenter
agere, non autem neceſſariò ſimpliciter, & abſolutè, vnde à ſua naturali neceſſitate im-
pediri poteſt, virtute ſuperioris agentis: ſtat ergo illius neceſſitas cum contingentia ſim-
pliciter. Voluntas præterea creata, authore philoſopho, agit contingenter: vnde, cùm ſit
cauſa ſecunda, mouetur à prima cauſa: igitur, & prima cauſa, contingenter agit, ſi ve-
Deus ad extra agit contingenter. *ra ſit philoſophorum ratio. Ad aliam confirmationem reſpondeo: verum eſſe, quòd di-*
uina actio ſit ſuum neceſſe eſſe; ſuper autem creaturam, quæ non eſt neceſſaria, ſed con-
3. *tingens, contingenter etiam agit, & operatur. Ad 3. creare non implicat contradictio-*
nem, nam nihil habet, potentiam ſaltem obiectiuam, quæ ſimul cum ipſo conſiſtere po-
Obiectiones. *teſt. Quando ergo dicis, nihil fieri aliquid, eſt impoſſibile: ex nihilo ergo ſimiliter, ve-*
1. *rum eſt, ſi nihil maneat; ſed bene fit aliquid poſt nihil. Dicis, creatio eſt actio de gene-*
2. *re actionis: reſpicit ergo ſubiectum, cuius eſt accidens. Præterea, oppoſitum fieri ex op-*
poſito per ſe eſt impoſſibile: per accidens ergo fit, ob rationem ſubiecti, vel materiæ;
Solutiones. *non ergo fit aliquid ex nihilo. Reſpondeo ad primam obiectionem, cuius maiorem in cre-*
1. *atione falſam eſſe pronuntio: creatio enim non eſt actio, de genere actionis, ſicut di-*
2. *ctum eſt. Ad ſecundam, fieri non de aliquo, non eſt fieri ex oppoſito: nam, non de ali-*
quo fieri, & factum eſſe, ſe inuicem compatiuntur; eſt enim negatio non quidem ſim-
pliciter, ſed omnis prorſus poſitiui. vnde poſtquàm res creata dicitur eſſe non de aliquo,
4. *creatio ſiquidem non habet terminum poſitiuum à quo. Ad 4. à termino ad quem, mu-*
Mutationis nobilitas pendet à termino à quo. *tationes ſpeciem, dignitatemq́; recipiunt, non autem à termino, à quo: eò namq; nobili-*
or aliqua mutatio eſſe dignoſcitur, quò illius terminus ad quem, nobilior reputatur: cre-
atio ergo ex nobilitate termini ad quem, quæ eſt tota creaturarum ſubſtantia, non autē
ex termino à quo, id eſt, non ex aliquo, ſuam nobilitatem ſortitur. Non ergo illi opus eſt,
ad hoc, vt ſit nobilior, ex ente fieri: generatio enim, alteratione, ob gratiam termini ad
quem, formæ ſcilicet ſubſtantialis, nobilior eſt; tametſi, ipſius terminus à quo, alteratio-
nis termino à quo, imperfectior ſit. Ad confirmationem dico, præpoſitionem, ex, ordi-
nem tantùm, non autem cauſam materialem oſtendere: quemadmodum, ex mane, id eſt,
poſt mane, fieri meridiem, dicere ſolemus. hæc autem præpoſitio ita intelligenda eſt, ſi-
cut ſæpè ſuperiùs annotauimus. Ad illud Auguſtini dico, Auguſtinum æquiuocè loqui,
5. *ſecundùm quem planè modum, quæ in melius commutantur, creari dicuntur. Ad 5. ſæ-*
Creatio nõ eſt mutatio. *pè diximus, creationem, mutationem non eſſe: ad mutationem enim pertinet, vt aliquid*
aliter ſe habeat nunc, quàm prius. at, in creationem, in qua producitur tota ſubſtantia
ſimul, non cadunt temporis differentiæ huiuſmodi. Ad confirmationem dico, in his, quæ
fiunt ſine motu, factum eſſe, & fieri, ſimul inueniri, ſiue huiuſmodi factio, vt ita dicam,
ſit terminus motus, ſicuti eſt illuminatio, in qua aliquid ſimul, & illuminatur, & illu-
minatum eſt. ſiue non ſit terminus motus, ſicut ſimul formatur verbum in corde, & for-
matum eſt. Reuera, in his, quod fit, eſt, licet ſignificetur ab alio eſſe, & priùs non fuiſ-
ſe. Ad aliam confirmationem reſpondeo, quòd ex falſa imaginatione proficiſcatur, quaſi
inter ni-

Creare ſoli deo conuenit.

inter nihil, & ens, ſit aliquod medium infinitum, quod eſt falſum: quamuis creatio, duos inter terminos quædam videatur eſſe mutatio, reuera tamen non eſt. Ad aliam confirmationem præcedentis argumenti, dico non valere in prima emanatione, quæ ex vniuerſali rerum principio procedit; ſed in ſingularium effectuum emanatione, quæ ex cauſis particularibus, neceſſariò præcedentibus proficiſcitur, quas tantùm illi philoſophi intuiti ſunt, qui creationem negauerunt. Ad 6. quamuis creatura non ſit æterna, actio tamen Dei, qua creaturam produxit, eſt æterna; licet non pro æterno, ſed pro certo nunc temporis. Quare autem magis in hoc inſtanti temporis, quàm in alio, creaturam produxerit, cùm à voluntate Dei dependeat, quæ eſt prima regula, cauſa quærenda non eſt. 6.

Actio dei æterna, ſed nõ pro æterno.

Ad primam confirmationem dico: reſpectum illius cauſæ ad effectum eſſe vltimum, & aliquando nullum. ſiquidem abſolutum in cauſa, idem in effectu immediatè ſequitur, & in effectu primo reſpectus ad cauſam conſequitur. Quando ergo dicis, quia cauſa dat eſſe, ideo effectum recipere eſſe, non autem è cõtra: verum quidem eſt, reſpectu actus primi ipſius abſoluti; abſolutum enim in cauſa, cauſatum naturaliter præcedit: non autem reſpectu alicuius nouæ realitatis, ſiue abſolutæ, ſiue relatiuæ. Dicis, non tantùm eſt dicendum abſolutum, quia cauſat; verùm etiam ipſo adhuc non cauſante. Reſpondeo, in ipſo quidem inſtanti, in quo cauſat, ipſam cauſationem naturaliter præcedere, atque tunc non niſi abſolutum, à quo ponitur cauſatum in eſſe, intelligitur; ideo cauſati nihil accipi poteſt, nec reſpectus iſtius, vel alterius inſtantis, niſi illud abſolutum præceſſerit. Porrò, hæc deceptio ex falſa imaginatione proficiſcitur, dum putamus cauſam ſemper indeterminatam eſſe, quàmdiu non peruenit ad actum, ſiue inſtans cauſandi; proinde aliquam neceſſariam eſſe relationem, quæ cauſam ad effectum producendum determinet, quod reuera falſum eſt: nam illud idem abſolutum, quod in cauſa præceſſit, tam natura, quàm duratione, effectum productum præceſſit. vnde quatenus fuit priùs cauſatiuum, eſt nũc etiam cauſans, idque non ex aliquo addito abſoluto, aut reſpectiuo.

Falſa imaginatio eorum qui negant creationem.

Ad aliam confirmationem dico, id, quod creatur, non præfuiſſe in eſſe ſimplici, ſiue reali, ſed ſolummodò in eſſe ſecundùm quid; aliquid enim produci de nihilo, vt dixi, poteſt intelligi dupliciter: vno quidẽ modo, de nihilo omnino, & ſimpliciter, & ſecundùm quid, atque ita nihil crearetur: nam quod creatur in eſſe cognito, & volito, & per conſequens in eſſe poſſibili præceſſiſſe, ſiue præfuiſſe, neceſſarium eſt; fuit ſiquidem ex tunc omnipotentiæ proximum obiectum. Hoc modo creatura producitur ex nihilo, quia ſcilicet non ex aliqua præexiſtente materia, ex eſſe tamen intelligibili procedit.

Quomodo creatio eſt de nihilo.

Ad 7. agens liberum, primum, & vniuerſale, cuiuſmodi eſt Deus benedictus, poteſt producere aliquem effectum nouum, & de facto produxit, nulla planè in ipſo, ſed in effectu potiùs, nouitate exiſtente: non enim neceſſe eſt, ſi ſempiternaliter voluit, & nõ poteſt de nouo aliquid velle, effectũ quoque ſempiternum fuiſſe; ſed pro tunc, quando, & quomodo voluit: eadem ergo æterna voluntate manente, ſine illius mutatione, effectum nouum, nempe mundum produxit. 7.

Ad 8. patet ſolutio ex ſupradictis: cauſa namque determinata ad aliquod producendum æquè producere, quandoque poteſt, & non poteſt; liberè enim agit ex parte ſui: nam quẽadmodum in naturalibus cauſam determinari ex parte ſui perinde eſt, ac ipſam habere formam, qua cauſare valeat; ita profectò in cauſis liberis, eſt ipſam habere volitionem reſpectu volibilis. Quare, ſicut ibi, ſi impedimentum externum extiterit, aut abſentia paſſi, antequam effectus cauſetur, forma haberi poſſit; ita planè antequam volibile habeatur, volitio, & natura, & duratione priùs poteſt haberi. Quam ob cauſam, illud philoſophi de agente naturali eſt intelligendum. Ad aliam confirmationem dico, indiſciplinati eſſe, omnium quærere demonſtrationem: Principiorum (inquit philoſophus 4. met:) demonſtrationis, non eſt demonſtratio: nec etiam diuinæ voluntatis, cùm ſit prima, & immediata cauſa; ideo illius non eſt aliqua cauſa quærenda. Creare igitur, Deo conuenire dixi. 8.

Diuinæ volũtatis non eſt demonſtratio.

CAP.

Creare ſoli deo conuenit.

CAP. IIII.

Creare, ſoli Deo conuenire ſecundùm Diuum Auguſtinum.

Auguſtini doctrina.
Vnus tantùm creator Deus.

PRæclara extat Auguſtini doctrina 3. de trinitate cap. 8. ex qua clariſſimè docemur, creationem, ſiue creare, opus eſſe diuinum, nulliq́; creaturæ competere: Sicut, inquit, nec parentes dicimus creatores hominũ, nec agricolas creatores frugum, quamuis eorum extrinſecus adhibitis motibus, iſta creanda Dei virtus interiùs operetur; ita non ſolùm malos, ſed nec bonos angelos, fas eſt putare creatores, ſi pro ſubtilitate ſui ſenſus, & corporũ, ſemina rerum iſtarum nobis occultiora nouerint, & ea per congruas temperationes elementorum latenter ſpargant, atque ita gignendarum rerum, & accelerandorum incrementorum præbeant occaſiones. omnium quippe rerum, quæ corporaliter, viſibiliterq́; naſcuntur, occulta quædam ſemina in iſtis corporeis mundi huius elemẽtis latent: alia ſunt enim hæc iã conſpicua oculis noſtris ex fructibus, & animantibus; alia verò occulta iſtorum ſeminũ ſemina. vnde iubente creatore, produxit aqua prima natatilia, & volatilia: terra autem prima ſui generis germina. Et lib. de ciuit: Dei 12. cap. 25. Quælibet, inquit, corporales, vel ſeminales cauſæ gignendis rebus adhibeantur, ſiue operationibus angelorum, ſiue hominum, ipſas omnino naturas non facit, niſi vnus Deus.

Semina rerũ latent in elementis.

Rationes creationis.

Sanè, primus terminus creatio-
1. *nis eſt eſſe, qui certè effectus vniuerſaliſſimus eſt: in omni enim effectu inuenitur: à ſola ergo cauſa vniuerſali manat: igitur, creare eſt ſolius cauſæ vniuerſalis, primiq́; agen-*
2. *tis. Etenim, ſi hoc munus creandi, creaturæ competeret, vel vt principali agenti, vel, vt inſtrumento ſolùmmodò agendi. non quidem primo modo, quia ſolius Dei eſt, qui in creando, cooperante non eget agente. nec etiam ſecundo modo: inſtrumentum namque, effectum principalis agentis attingere nequit, niſi diſpoſitiuè tantùm ad cauſandum aliquem effectum ſibi proprium, naturaliter præuium ad effectum principaliter agentis, alioqui pro diuerſis effectibus principalibus producendis, varijs inſtrumentis artifices non indigerent. At, ad creationis effectum, qui planè eſt rei eſſe totale, creatura vim diſpoſitiuam non habet: partim quia eſt prior effectus; & ideo eſt prioris agentis: partim verò, quia creatio, & eius effectus, ex nihilo manarunt, ſiue eſſe habent: diſpoſitio autem ſine materia, ſiue ſubiectò eſſe non poteſt. Itaque, ſi cauſa ſecunda inſtrumentalis, cauſæ ſuperioris actionem non participat, niſi quatenus ad effectum principalis agentis, per aliquod ſibi proprium diſpoſitiuè operatur, ſi ſecundùm illud ſibi proprium nihil agat; fruſtra profectò adhiberetur ad agendum: cùm autem proprius effectus Dei creantis, ſit producere, eſſe abſolutum, & ad illum aliqua diſpoſitio inſtrumentalis attingere nequeat; creatio ſiquidem non eſt ex aliquo præſuppoſito, quod poſſit diſponi per actionem inſtrumentalis agentis: fit, vt creaturæ; authoritas creandi etiam quocunq; mo-*
3. *do, prorſus competere nequeat. Amplius, agens virtutis finitæ, in diſtantiam aliquorum infinitam, actionem non habet: ſed inter ens, & non ens, ſeu nihil, qui ſunt creationis termini, diſtantia habetur infinita, quia nimirum nihil, non ſolùm negat ens finitum creatum, verùmetiam infinitum, qui eſt Deus: igitur, creatura, quæ eſt agens finitum, in o-*
4. *pus creandi, actionem non habet. Adhuc, quemadmodum ſe habet ars ad naturam; ita vtiq; ſuo modo, creatura ad Deum. ſed ars, eo modo, quo eſt poſterior in ordine agentium, præſupponit effectum naturæ: igitur, creatura, effectum primi præſupponit agentis, cui reuera prima actio debetur. ſed quod præſupponit aliquid ex parte effectus, creandi potentiam non habet: creaturæ ergo creatio non conuenit. Præterea, ſi creaturæ cõ-*
5. *petat creatio; id certè per modum inſtrumenti fieri neceſſe eſt, & ſecundarij agentis: ſed inſtrumentum non agit niſi per motum, creatio autem non eſt motus, ſiue mutatio; imò*

Creationis effectus eſt prioris agentis.

creationi,

Creare ſoli deo conuenit.

creationi, hæc aduerſantur: ergo quod prius. Amplius, quod ſecundùm ſe totum non eſt purus actus, ſed permixtus potentiæ; ad producendum totale penitus eſſe rei, virtutem non habet; ſed primum actum rei, quod eſt eſſe ſimpliciter, præſupponat, neceſſe 6.
eſt: quamuis ſit cauſa huiuſmodi eſſe, hominis ſcilicet, vel alterius cuiusq; rei. ſed creatura eſt actus potentiæ permixtus, non autem purus: partem ergo, non totale eſſe rei, producere poteſt, quod ad creationem attinet. hoc ergo creationis munus, ſoli Deo conuenit, qui eſt actus puriſſimus. Amplius, in quocunque eſt determinatus modus agen- 7.
di; id quoque, ex quo huiuſmodi determinatio conſurgit, determinatæ conditionis ſit, neceſſum eſt: ſed quodlibet agens creatum, à primo quidem agente, determinatum habet modum agendi: igitur, & id, ex quo talis vis agendi conſurgit, nempe materia, quam creaturæ actio præſupponit: alioqui ſi actio creaturæ eſſet ſine ſubiecto; per ſe vtiq; ſubſiſteret, atq; ita, infinita eſſet dicenda, quod eſt falſum. Iterum, omne agens creatum 8.
habet eſſe participatiuè: igitur, participatiuè illud communicare poteſt tantùm, & non præſtantiori aliquo alio modo: ſed quod communicatur per participationem, non dicitur creari: ergo quod prius. nulla ſiquidem operatio, præſupponens eſſe, creatio dici poteſt: nam creatio ex nihilo fit, operatio verò inſtrumenti, aliquid præſupponit: igitur, non eſt creatio. Item, operatio, quæ ſolo voluntatis imperio fit, creaturæ non eſt communicabi- 9.
lis: eadem enim ratione, qua iuberet ex nihilo aliquid fieri; eadem poſſet de omni creabili præcipere, atq; ita nullum haberet in operando determinatum, perſcriptumq; modum; ſed ad quemlibet effectum producendum, indifferenter ſe haberet, quod reuera creatæ naturæ conuenire non poteſt: vnaquæq; enim creatura determinati eſt modi, & actionis, tum quidem in eſſendo, tum etiam in agendo, & operando. Quamobrem, ſicut forma non poteſt aliquid cauſare ſine materia; ita etiam nec agens limitatum abſq; ſubiecto. Præterea, cuiuslibet creaturæ actio, eſt accidens, & de genere actionis. ſed cre- 10.
atio non eſt accidens, aut actio de genere actionis, vt dixi; accidens inſuper reſpectiuum, neceſſariò ſubiectum requirit, & terminum; actio verò de genere actionis, quoniam mutationi ſubiacet, materiam reſpicit, & pro termino ſubiectum præſupponit naturaliter, quæ reuera omnia, creationi conuenire nullo modo poſſunt: igitur creatio ad Deum tantùmmodò attinet. Amplius, ſi angelus aliquid crearet; aut intellectu, aut voluntate, 11.
id efficere poſſet: ſed qualibet illarum in angelo eſt accidens: ſibi enim angeli ſuccedere poſſunt in huiuſmodi modo intelligendi, cùm omnia poſſint diſtinctè intelligere, & non ſimul, alioqui in actu infinitas intellectiones haberent, quæ etiam in numero haberentur accidentium; aut vnam, actu infinitam, quod eſt impoſſibile: intelligere enim cuiuslibet creaturæ, non eſt ſua ſubſtantia, ſed accidens potiùs: nulla ergo intelligentia, ſeu creatura, alicuius rei creandæ virtutem habere poteſt. Amplius, alicuius ſubſtan- 12.
tiæ principium totale effectiuum, accidens eſſe non poteſt: neceſſariò enim præſupponit ſubiectum, quia accidens eſt, cuius eſſe, eſt ineſſe, eiusq; effectus à materia ſemotus non eſt: cauſa præterea totalis æquiuoca, ſuo quidem effectu perfectior eſſe debet. ſed ſubſtantia ſimpliciter perfectior eſt accidente: ergo ſubſtantiæ inſuper perfectæ pro ratione productiui principij, accidente opus non eſt, niſi ob gratiam diſponendæ materiæ, vel ſubiecti. ſed angelus ſemper requirit intelligere, vel velle: igitur, ob diſponendam materiam: non ergo agit, niſi diſponendo, atq; ita creator dicendus non eſt. Deniq;, omne creatum, à creante abſq; ſubiecto conſeruari poteſt, quod planè creaturæ alicui conuenire nequit: creatum namq; priùs naturaliter eſt in ſeipſo, quàm in ſubiecto, atq; ex cõſequenti, creator priùs ponit ipſum in effectu, quatenus eſt in ſeipſo, quàm vt eſt in ſubiecto, vel compoſitum ex ipſo, & ſubiecto. Itaq; ex his atq; ſimilibus conſtat, creationem, ſeu creare ſoli Deo conuenire. Sed contra prædicta ſunt nonnulla excutienda capite ſequenti.

Quòd angel⁹ non poteſt creare.

Creare nō ſoli Deo conuenit.

CAP. V.

Creare non ſoli Deo conuenire.

1\. Quod angelꝰ poſsit producere.

1\. *IN cauſis eſsentialiter ordinatis, quemadmodum ſecunda eſt à prima; ſic
etiam tertia eſt à ſecunda; & ſic deinceps, valet hoc de ordinatis eodem
efficaciæ ordine: ſed intelligentiæ in vniuerſo ſunt cauſæ eſsentialiter ordi-
natæ: igitur, ſicut ſecunda eſt à prima; ita etiam tertia eſt à ſecunda, &
ſic deinceps. ſed id tantùm eſſe poteſt per creationem: creaturæ ergo, &
non ſoli Deo conuenit creare. Reuera, ſi omnes intelligentiæ immediatè à prima profici-
ſcuntur; ſimiliter etiam & entia omnia, quod pro impoſsibili reputat commentator 9.
met: cætera enim agentia ſuperfluerent, quippe, quæ ſuis virtutibus, actionibusq; fru-
ſtrarentur: multa ſanè à Deo mediantibus cauſis ſecundis producuntur. Deniq; quod
eſt perfectionis in natura inferiori non eſt remouendum à natura ſuperiori. ſed poſſe
producere ſibi ſimile in natura corruptibili, maximæ eſt dignitatis: igitur, beatiſsimis
2\. ſpiritibus eſt attribuendum, quod certè ſine creatione fieri non poſſet. Amplius, virtus
facientis conſideratur ſecundum rei faciendæ menſuram: ſed omne ens creatum, eſt fini-
tæ menſuræ: igitur, illius productioni, ſiue vt producatur, ſufficit virtus finita, quæ pla-
nè creaturæ tribuitur. Sanè, ſi creatura potens eſt ad producendum aliquid ex contra-
rio; multò magis ex nihilo, maior enim ibi reſiſtentia eſt ex parte facti: igitur, maior
3\. quoq; erit virtus facientis: creatura ergo aliquid creare poteſt. Amplius, agens eſt
maioris virtutis in agendo, ob virtutem principalis agentis, quàm propriam. ſed creatu-
ra formam de ſubiecto, propria virtute producere poteſt: igitur, virtute primi, poteſt
4\. aliquid producere ſine ſubiecto, atque ita aliquid creare. Iterum, agens naturale, ex
ſpeciebus panis, & vini in euchariſtia exiſtentibus, vermis formam producere valet: i-
gitur, creare poteſt: productio enim illa, non eſt ex materia: nam in euchariſtia eſt
tantùm Chriſti corpus, nulli vtiq; corruptioni obnoxium. Reuera, ſi agens naturale pote-
ſtatem, atq; virtutem habet rei annihilandæ: ergo & creandæ: par ſiquidem in vtroq;
reputatur poteſtas. Porrò, illud annihilari dicimus, quod ita deſtruitur; vt ex illo re-
maneat nihil: ſed agens naturale dum formam corrumpit totam funditus eam deſtruit:
annihilat ergo. ſi minimum præterea frigus in ignem magnum conijceretur, ab eo pe-
5\. nitus deſtrueretur: agens ergo naturale ſi poteſt annihilare; poteſt etiam creare. Ad-
huc, effectus virtuti primæ cauſæ non æqualis, ſiue æquatus, à minori quidem virtute pro-
duci poteſt: ſed nulla creatura par eſt diuinæ virtuti, cùm illa infinita, hæc autem fini-
6\. ta ſit: produci ergo poteſt à virtute finita. Iterum, ſacramenta nouæ legis, vt communis
propemodum eſt omnium theologorum ſententia, gratiam inſtrumentaliter cauſant: i-
gitur creant. Tenet conſequentia: gratia enim, creatione tantùm haberi poteſt. Sanè, o-
mne prius, à ſuo poſteriori liberari poteſt: ſed formæ dependentia ad agens, prior eſt,
quàm ad ſubiectum: poterit ergo cum agentis tantùm dependentia conſiſtere, ſine de-
pendentia ſubiecti. Reuera poſtquàm accidens ab agente naturali productum eſt, diui-
na virtute à ſubiecto ſeparari poteſt, quemadmodum videre licet in ſacramento altaris:
igitur, & quando producitur, atque ita erit productio ſine ſubiecto, quæ abſq; dubio
creatio dicenda eſſet. Ex his ergo, atq; ſimilibus apparet, creare, creaturæ quoq; com-
petere poſſe. Porrò, aduerſus nonnullas rationes, quæ aliam tuentur ſententiam, ſic ar-
guere poſſumus, reſpondendo quidem, & arguendo. effectus vniuerſaliſsimus, ad cau-
1\. ſam pertinet vniuerſalem: ſed eſſe eſt huiuſmodi: ergo ad primam tantùmmodò cau-
ſam ſpectat. hoc certè omnibus modis non eſt admittendum: nam eſſe actualis exiſten-
tiæ, eſt à generante naturali: hac enim ratione generare dicitur, quia nimirum dat eſ-
ſe, efficitq;, vt forma ſit in materia: ergo non eſt tantùm à Deo. Quare, ſi vera eſt illius*

Vermis genitus ex euchariſtiæ ſpeciebus.

Sacramentorum gratia creatur.

Contra aliquas rationes

ratio; non ſolùm Deus, ſed etiam aliquod agens naturale habet virtutem creandi. Amplius, vbi ſunt termini alicuius productionis; ibi planè vtriq; termino ſubiectum erit commune: & terminus à quo, natura præcedit terminum ad quem. ſed in creatione non eſt ſubiectum, neq; nihil eſt prius ente naturali, cùm nullam habeat naturam: fallitur ergo illa ratio de diſtantia infinita, quam aliqui ſuperiùs pro confirmanda ipſorum ſententia adduxerunt. Præterea, nihil, & ens, non diſtant infinitè: inter extrema enim immediata, diſtantiæ magnitudo, ex alterius ad alterum extremi exceſſu menſuratur; huiusmodi namq; diſtantia non ſuperat alterius extremi exceſſum: ſed ens, & nihil, ſunt immediata, cùm ſint contradictoria, exceſſus autem entis ad nihil eſt finitus: inter ea igitur non eſt diſtantia infinita. Profectò, quando extrema ſunt immediata, tanta eſt quantitas exceſſus, quanta, & quantitas excedentis. ſed ens creatum eſt finitum: ergo exceſſus eius eſt finitus, negatio ſiquidem menſuratur affirmatione. quamuis ergo inter contradictoria immediata diſtantia ſit, non tamen æqualis, nec infinita, ſed interdum maior, nonnunquam autem minor: inter ens ergo, & nihil, non eſt diſtantia infinita.

Creare ſoli deo conuenit. 2. 3.

CAP. VI.

Soluuntur argumenta.

AD primum, intelligentias eſſe cauſas eſſentialiter ordinatas, duobus modis intelligi poteſt: vno quidem modo, ſecundùm eſſe ſuum quidditatiuum; ſecundùm quem profectò modum, vna eſt altera perfectior, atq; ita approbo argumentum, ſunt enim hæ ordinis dignitate diſtinctæ. alio verò modo, ſecundùm ordinem eſſendi, atq; cauſandi, & ita nego argumentum, ſolius ſiquidem Dei eſt, producere intelligentias. Ad confirmationem dico, quæ per creationem producuntur, à Deo immediatè eſſe, vtpotè intelligentias, cœlum, primam materiam, animas hominum; alia verò, quæ de potentia materiæ producuntur, & immediatè quidem à Deo, quatenus ipſe eſt verus creator, & principale agens; & mediatè, quia nimirum per medium agentis naturalis. vnde agentia naturalia non ſuperfluunt, ſiue ſuperflua reputanda ſunt: nam cooperando ipſi Deo, idem agunt, vel agere poſſunt. Dicis, tunc idem bis produceretur: nam vtrumq; agens, eſt totale agens. idem præterea immediatè, & mediatè produci, implicat contradictionem. Dico, idem bis non produci, quaſi ſit bis productum: vnicum enim tantùm eſt productum, licet ſit à duobus totalibus agentibus ordinatis: nihil enim ſecundùm agens operari valet, ſine virtute primi agentis: Deum ſiquidem agere immediatè, perinde eſt, ac ſi diceremus, in agendo non habere alicuius creaturæ cooperationem; mediatè verò, quando ſecundis cauſis vtitur. in qua certè actione, eandem cauſationem actiuam cum creatura effectiuè producit: non quidem mediante alia actione; ſed ſua propria, & æterna, ſicut & creatura virtute ſua, non mediante actione de genere actionis, quia actionis non eſt actio: effectus igitur productus, ſecundùm reſpectum refertur immediatè ad ipsum Deum; ſecundùm alium verò ad ipſum agens; primò tamen ad ipſum Deum. Quam ob cauſam, nulla eſſe poteſt contradictio, ſi creatura vtitur cooperante: eſſet reuera contradictio, quandò non cooperante creatura, & mediatè, & immediatè eundem effectum produceret. Ad aliam confirmationem dico, in natura corporali, quæ ob illius corruptionem in vno perpetuo indiuiduo conſeruari non poteſt, poſſe ſibi ſimile gignere, ſupplementum eſſe corruptionis: in angelis autem, qui incorruptibiles ſunt, id locum habere non poteſt. Ad 2. in actione alicuius agentis, non ſolùm obſeruanda eſt ſubſtantia facti, verùm etiam & modus faciendi: producere ſiquidem aliquem effectum finitum, potentiæ planè eſt finitæ; de nihilo verò eundem cauſare, ſiue producere, infinitæ. quoniam autem omnis

1. Intelligentiæ immediatè ſunt à Deo. Quæ ſint à deo mediatè. Obiectio. 1. 2. Solutio 4. Deum agere immediatè quid ſignificet. Gignere ſibi ſimile in angelis locum non habet. 2.

Creare ſoli deo conuenit.

creatura, ſicut eſſe finitum habet, ita & potentiam; iccirco nulli conuenit creaturæ vir-
tus creandi. Ad confirmationem negatur conſequentia: maioris enim virtutis eſt ex ni-
hilo, quàm ex contrario aliquid facere: nam ex contrariis per accidens aliquid fit, per
ſe verò ex ſubiecto, quod eſt in potentia. contrarium autem aduerſatur agenti, vt potè
potentiam ab actu impediens, in quem agens, materiam reducere ſatagit. at, vbi nulla
prorſus præexiſtit potentia reſpectu rei faciendæ, quia ſcilicet, eius, quod omnino non
eſt, nulla eſſe poteſt: maior ergo eſt potentia agentis, qui ex nihilo omnia produxit. itaq;

Creare aliquid ex nihilo maioris eſt potentiæ, quàm facere aliquid ex contrario.

3. maioris eſt potentiæ ex nihilo, quàm ex contrario aliquid facere. Ad 3. maior eſt fal-
ſa, de eo præſertim, quod eſt propriè inſtrumentum: nam in agendo, agitur potiùs, quàm
4. agat. Ad 4. quod in euchariſtiæ ſacramento fieri videmus, non virtute naturæ, ſed mi-
raculo fieri dicimus: ibi enim quantitas dimenſiua, omnium ſubiectum eſt ſequenti-
um formarũ, quod eſt proprium materiæ. hac de cauſa, quicquid ex materia panis pro-
ducendum, ſeu generandum eſſet, ob prædictæ quantitatis rationem, ex re certè gignitur:
vnde ex rebus miraculo factis, non licet ad res naturales tranſire. Ad confirmatio-
nem reſpondendo, nego antecedens: forma enim, etſi non in actu, remanet tamen in po-
Obiectio. tentia materiæ. non ergo deſtruitur omnino, & ex conſequenti non annihilatur. Dicis,
quod eſt in potentia materiæ, in actum educitur virtute agentis naturalis: ſed forma cor-
Solutio. rupta, per agens naturale in actum non adducitur, ergo. Dico, maiorem vniuerſaliter
falſam eſſe: nam Deus poſt reſolutionem compoſiti, animam rationalem in actum de-
ducit: ſed de hoc alibi latiùs diſputandum erit. Ad aliam probationem reſpondeo, fri-
gus deſtrui, quia deficit illi materia; non quia materia agit, ſed quia nullum agens cre-
atum eſt actus purus: iccirco illius effectus eſt compoſitus ex potentia, & actu. Sicut
ergo non agit ex parte ſui potentialis; ita etiam nec producit effectum, quòad eius po-
5. tentiale: præſupponitur enim ex parte effectus, in quod agens agere queat. Ad 5. ne-
gatur maior: omnium enim creaturarum vniuerſitas, diuinæ virtuti non æquatur; illarũ
6. tamen productio, ſoli diuinæ virtuti conuenire poteſt. Ad 6. ſacramenta creant grati-
am inſtrumentaliter: de quo planè diſputationis genere, atq; negotio, non eſt modò dif-
fusè diſputandum. Ad primam confirmationem dico, falſam eſſe minorem. forma ſi-
quidem, quæ eſt ab agente creato, & ad agens, & ad ſubiectum ſimul dependet. vnde

Sacramenta creant gratiã inſtrumentaliter.

in fieri, vnius ſine altero dependentiam non habet; in eſſendo verò, ſubiecti habet de-
pendentiam, à quo ipſa dependet, non autem agentis creati. Ad ſecundam confirma-
tionem, negatur conſequentia: etenim accidens, à ſubiecto ſeparari, in primo inſtan-
ti, in quo producitur, contradictionem implicat; ex eo namq; eſt in ſubiecto, ex quo à
ſubiecto ſeparatur: poteſt tamen Deus efficere accidens ſine ſubiecto. Ad primum,
1. contra rationes ſuperiùs poſitas. quamuis eſſe ſit ab agente creato; non tamen creare di-
citur, quia nimirum ab agente creato, eſſe primò, & per ſe non eſt, niſi à Deo tantùm:
nulla enim creatura dat eſſe primò, quia ſcilicet non omnium eſt cauſa, quæ ad eſſe pri-
mæ cauſæ attinent. Solus ergo Deus dat eſſe primò, non per aliud: cætera verò agentia,
2. licet dent eſſe; non tamen primò, quia non per ſe, ſine primo agente. Ad 2. in creatio-
ne non eſt neceſſe idem ſubiectum ſecundùm rem eſſe commune, ſed ſufficit eſſe idem
tempus imaginarium; imaginamur enim creaturam priùs fuiſſe nihil in aliquo tempore
imaginato, deinde ens apparuiſſe, ſiue migraſſe. ipsum præterea nihil, non eſt per ſe
terminus; ſed per accidens tantùm. hac de cauſa, à producente attingi, non eſt neceſſe.
Natura quoq; ens præcedere dicitur, non quòd ſit in ſe aliqua natura; ſed quia creaturæ,
3. cùm ſint ab alio, priùs vtiq; illis non eſſe, quàm eſſe conuenit. Ad 3. inter nihil & ens, non
eſt diſtantia infinita ſimpliciter, ſed infinitate proportionabilitatis, quia nulli determi-
natæ ſubſtantiæ entis ad ens eſt proportionabilis, ſicut teſtatur phil: 4. phy: cõ: 72. vbi
dicit motum factum in vacuo, ad motum factum in pleno, nullam proportionem habere.
ſic potentia producens ex nihilo, ad potentiam producentem ex aliquo, proportionem
non habet:

Creatio quid ſit in creatura.

non habet: alioqui æquari poſſent, quod eſt falſum. Itaque, ſoli Deo creationem conuenire, non autem alicui creaturæ, me dixiſſe puto.

QVAESTIONIS QVINTAE. CAP. I.

Creatio eſt aliquid in creatura, ac propriè compoſitorum, non admixta naturæ, vel artis operibus.

*SI generatio ſubſtantialis, vel accidentalis, aliquid eſt in generato; multò
ergo magis creatio erit in creato: qua planè creatione, tota producitur ſub-
ſtantia creati. Cæterùm, quia ſine motu, aut mutatione res conditæ ſunt per
potentiam primi agentis, qui in rerum productione materia non indiguit
præexiſtenti, ſicuti agentia particularia: ab actione autem, atq; paſſione, ſubtracto mo-
tu, relatio remanet tantùm: relinquitur, creationem in creatura, quandam eſſe relatio-*

Creatio in creatura eſt relatio ad creatorem.

*nem ad creatorem, veluti ad ſui eſſe principium & authorem. Sanè, ſi creari ſit quod-
dam produci, ſeu fieri, fieri autem ad eſſe rei ordinatur: illis ergo conuenit creari, qui-
bus conuenit eſſe, quorum aliqua ſunt ſubſiſtentia ſimplicia, veluti ſubſtantiæ ſeparatæ.
aliqua verò compoſita, vt ſunt materiales ſubſtantiæ: accidentia autem, quia non ſunt
vera entia, ſed entis potiùs, vnde & coexiſtentia magis quàm entia vocantur; ideoque
concreata potiùs, quàm creata dicenda ſunt. Itaq; ſubſiſtentibus tùm ſeparatis, tùm e-*

Quibus conuenit creatio.

*tiam corporeis & materialibus, propriè conuenit creatio. Reuera, forma naturalis cor-
poris, non eſt aliquod ſubſiſtens, ſed quò aliquid eſt; idcirco fieri formarum non eſt, ne-
que creari, ſed concreata eſſe potiùs. hac de cauſa creatio non eſt admixta, ſiue non*

Creatio non eſt admixta operib. naturæ.

*ſubeſt operibus naturæ: quandoquidem agens naturale, ex præexiſtenti materia pro-
ducit compoſitum; creatio autem non præſupponit materiam: irrationabiliter ergo ali-
qui locuti ſunt, formas per modum creationis dari, vel cauſari ab agente ſeparato, cui-
libet naturæ operationi creationem adiungentes. Quoniam autem creatio, ipſius rei in*

Res creatæ nõ habuerunt eſſe eſſentiæ ante creationem.

*eſſe reali, eſt omnimoda atq; totalis productio, qua à mutatione motuq; diſtinguitur;
propterea creata prorſus omnia, ante creationem, eſſe eſſentiæ habuiſſe verum, eſt im-
poſſibile: alioqui creatio, productio totalis dicenda non eſſet: ſiquidem, non minùs cre-* 1.
*ationi, quàm generationi aliquid ſupponeretur, atq; ita creatio eſſet generatio, quod eſt
falſũ. Amplius, ſi eſſentia, creationi præſupponeretur, mãſura vtiq; foret etiã poſt anni-* 2.
*hilationẽ compoſiti, quod eſt impoſſibile, & annihilationis naturæ, ſeu conditioni contra-
rium: cuius enim eſſentia relinquitur in eſſe; illud certè annihilari non dicimus. Am-* 3.
*plius, cauſa exemplaris coincidit cum cauſa efficiente; alioqui daretur neceſſariò quin-
tum genus cauſarum: finali enim cauſæ non conuenit, neque materiali, ſeu formali, ſunt
enim intrinſecæ cauſato: cauſa igitur exemplaris eſt quoddam genus cauſæ efficientis, ſi-
ue agentis per intellectum, & artem exemplarem. Porrò, efficiens cauſa in cauſando,
cauſato eſſe largitur actualis exiſtentiæ. ſi ergo res conditæ ab æterno, non ſint ſecundũ
eſſe actualis exiſtentiæ: nec igitur ſunt cauſatæ ab aliquo exemplante, vt quidam di-
cunt, quod conditarum rerum cauſam realem appellant. Adhuc, ſi rei eſſentia creati-* 4.
*oni præſupponitur, nihilq; aliud per creationem habetur, quàm eius exiſtentia, ſiue res
ipſa, in quantum exiſtit: igitur creationis terminus non eſt aliquod abſolutum, veluti
terminus formalis; exiſtentia enim ad quam volunt creationem terminari, reſpectum
ad efficiens indicat tantùm. ſed aliarum productionum minùs perfectarum terminus,
eſt aliquod abſolutum: multò ergo magis ipſi creationi erit tribuendus: per creationem
igitur, non ſolùm eſſe exiſtentiæ; ſed etiam exiſtentiæ, res conditæ conſequuntur. Præ-* 5.

tere,

Creatio quid ſit in creatura.

terea, quælibet creatura, quidditatiuè eſt de nihilo formata: igitur illius non eſſe, duratione præceſſit eſſe. nullum autem tale eſt æternum, alioqui duratione ſimul exiſteret & non exiſteret, quod eſt impoſsibile. Æternitas præterea eſt menſura durationis, vel exiſtentiæ: quod autem ſemper realiter non exiſtit, æternum eſſe non poteſt: ergo quod
6. prius. Item, ſi creatæ rei eſſentia eſt ab æterno: igitur pro quocunq; ſigno, verum eſt dicere ipſam eſſe: ſed hoc eſt dei ſolius: non ergo creaturæ eſſentia creationem præceſsit. Itaq;, res antequam fierent erant, & non erant, inquit Auguſtinus ſuper Geneſim: erant quidem in Dei ſcientia; ſed non erant in natura propria: cognitum autem nihil po-
7. nit reale extra naturam cognoſcentis, aut ipſam cognitionem. Amplius, ſi eſſentia rei creatæ eſt æterna, aut certè res ſecundùm eſſe eſſentiæ, eſt diuinæ cognitionis terminus, aut profectò ſecundùm eſſe cognitum. ſi primo modo res ſe habeat; tunc planè ſummum & primum ens, neceſſariò indigeret minùs neceſſario, quod eſt impoſsibile, alioqui nō eſſet perfectiſsimum ens: ſi verò ſecundo modo; fruſtra profectò ponerentur eſſentiæ in eſſe reali. creaturas ergo ante illarum creationem, nullum habuiſſe eſſe reale in actu, neque eſſentiæ, neq; exiſtentiæ, ſed eſſe tantùm in diuina ſcientia; & ſacræ ſcripturæ, & rationi conſentaneum eſſe iudico. vnde potentiale obiectum, vel etiam potentia obiectiua, quam præſupponit creatio, reale aliquod extrinſecum in actu non habet: aut enim eſſet potentia ante actum eſſendi, oppoſita vtiq; actui, atq; contraria, quæ neceſſariò ita in compoſitum veniret, ſed adueniente actu euaneſceret, atq; ita exiſteret ante actum exiſtendi, quod falſum eſt: aut eſt potentia actus ſuſceptiua & ſubiectiua; ſed tunc de nouo ſuſcipiendo actum exiſtendi, neceſſariò de priuatione ad formam mutaretur, atq; ita creatio eſſet mutatio, quæ ſubiectum præſupponeret. Potentiale ergo obiectiuum non eſt aliquod extrinſecum in actu reali: quamobrem rerum eſſentia non eſt æterna, nec in aliquo actu reali ante creationem extra eſſe diuinum aliquando fuit. Ex quo patet, creationem non habere ſubiectum, ſed eſſe productionem totius entitatis: ſi illius enim eſſet aliquod ſubiectum; idem & annihilationis eſſet; ſicq; annihilatum exiſteret. Sed contra prædicta arguitur multis modis capite ſequenti.

Potentiale obiectiuum non eſt aliquid reale extrinſecum in actu reali.

CAP. II.

Creationem nihil eſſe in natura, neq. compoſitorum deniq; ſubeſſe, naturæ, atque artis operibus.

Sicut ſe habet creatio actiua ad creatorem, ita abſq; dubio paſsiua ad creaturam: ſed creatio actiua, non eſt aliquid in creatore; pari quoq; ratione paſsiua etiam non erit aliquid in creatura: ſi enim aliquid eſſet in creatore; in deo aliquod temporale inueniretur, quod eſt impoſsibile. Reuera, creatio non eſt creator, quia non eſt æterna, neq; creatura, alioqui, aliam ſtatueret creationem, qua ipſa crearetur, atq; ita proceſſus fieret in infinitum: igitur tam in creatore, quàm in creatura, creatio nullum eſſe habere videtur. nam ſi creatio præter ſubſtantiam creatam aliquid eſſet; illud quidem ſubſtantiæ accidens diceretur: omne autem accidens eſt in ſubiecto: res ergo creata, ſubiectum eſſet creationis, quod eſt impoſsibile, aliter idem eſſet ſubiectum creationis & terminus, quod eſt abſurdum: ſubiectum enim prius eſt accidente, ipſumq; conſeruat: terminus autem, cuius eſt terminus, paſsione actioneq; poſterior eſt: eo ſiquidem præſente, actio ceſſat, & paſsio ſimiliter. itaq; creatio nihil eſt in creatura. Quòd autem creatio non ſit compoſitorum, ſic probo: quod creatur, eſt ex nihilo; ſed compoſita non ſunt ex nihilo, ſed ex ſuis compo-

Creatio nihil eſt in creatura

nentibus

Creatio quid ſit in creatura.

Creatio non eſt compoſitorum.

mentibus: compoſitis ergo non conuenit creari. Sanè, per primam emanationem illud
propriè producitur, quod ſupponitur in ſecunda; ſicut per generationem naturalem res
naturalis, quæ ſupponitur in operatione artis. Porrò, quod in naturali generatione ſup-
ponitur, materia eſt: materia ergo & non compoſitum creatur. Reuera, ſicut dicitur in
libro de cauſis, prima rerum creatarum eſt eſſe, quod certè cùm ſit rei creatæ, non eſt
ſubſiſtens: igitur creatio non eſt ſubſiſtentis & compoſiti, vt priores rationes probare
conatæ ſunt. Cæterùm, creationem naturæ atq; artis operibus ſubeſſe, ſic oſtendi poteſt.

Quod creatio ſubſit operib. naturæ & artis.

In qualibet naturali, ſeu artificiali operatione, aliqua forma producitur: igitur creatur.
valet conſequentia: non enim ex aliquo producitur: nam non habet materiam, tanquam
partem ſui: ex nihilo ergo producitur. In qualibet ergo natura atq; artis operatione, in- 3.
uenitur creatio Profectò in rebus naturalib. forma accidẽtalis, eſt forma actiua vel paſ-
ſiua: nec enim in illis aliquod aliud agens inuenitur: igitur forma ſubſtantialis, per naturæ
operationẽ nõ producitur: effectus namq; ſuã cauſam præcedere nequit: forma ergo ſub-
ſtantialis, non generatione, ſed creatione producitur. Profectò, quod non creatur, nõ eſt
creatura: his ergo quæ ſunt à natura, creatio neceſſaria eſt, alioqui creaturæ nequaquam
dicerentur: ſi enim natura generat ſibi ſimile; & animalia per putrefactionem hac ſi-
militudine priuantur: eorum ergo forma, non à natura, ſed à creatione procedit. Crea-
tio ergo naturæ atq; artis operibus ſubditur. Quod autem creaturæ habeant eſſe verum

Quod creaturæ habeant eſſe verum ante creationem

ante illarum creationem, ſic demonſtrari poteſt. Res antequam creentur, habent eſſe
diffinibile, & diffinitum in actu: igitur habent verum eſſe. Tenet conſequentia: rem e-
nim ſiue ſit, ſiue non ſit, diffinito indifferenter reſpicit: dicit namq; verum eſſe rei quid- 4.
ditatiuum, & in actu, ſi eſt diffinitum, & deffinitio in actu, vt dicitur primo Topico-
rum, & 7, met. res ergo ante creationem habent eſſe verum. Profectò, quod in genere,
vel prædicamento verè eſt, antequam creetur; illud vtiq; habet eſſe verum in actu, an-
te ſui creationem; vnumquodq; enim per id, quod eſt, & per ſuam quidditatem, in ge-
nere vel prædicamento per ſe reponitur: ſed res antequam creetur verè; & actu in ge-
nere eſt vel prædicamento, quippè cùm non per eſſe actualis exiſtentiæ ſit in genere;
genus nãq; totaq; generis coordinatio, ab eſſe rei, & nõ eſſe abſtrahit, in quid certè præ-
dicatur; non ſic autem eſſe: nam prædicatio generis de inferiori, non eſt contingens,
ſicut prædicatio exiſtentiæ: ergo quod prius. Amplius, quod ad aliud realiter & in a- 5.
ctu refertur antequam creetur; illud planè eſſe habet reale & in actu: quod enim eſt
in actu, realiter refertur in actu. ſed creatura ante ſuam creationem, realiter, & a-
ctu refertur ad deum, ſicuti menſuratum ad menſuram; & ſicut extrinſecum actu in-
tellectum, ad diuinam intellectionem; & ſicut habens proportionem, & conformita-
tem ad actum intelligendi diuinum, quæ requiritur inter intelligibile & intellectum: re-
aliter ergo creatura ad creatorem, ante ſui creationem refertur, atq; ita habet eſſe ve-
rum quidditatiuum reale actu exiſtens. Reuera, ſcientia realis æterna, obiectum habet

Deus non aliter nouit facienda quam facta.

reale æternum: entis enim non realis, non eſt ſcientia realis. ſed deus habet ſcientiã re-
alem de creaturis, antequam fuerint ab illo creatæ, ſecundùm quidditates quidem illa-
rum ab ipſo diſtinctas, ſicuti & modò, alioqui aliter nouit facienda quàm facta, quod
non probatur Auguſtino 15. de Trinit. cap: 13. ergo quod prius. Amplius, quod eſt poſ- 6.
ſibile fieri aliquid, eſt quidditatiuè aliquod ens, patet: nam nihil non poteſt quiddita-
tiuè fieri aliquid: ſed quod quidditatiuè eſt aliquid, veram atq; realem habet quiddita-
tem, quæ eſt aliquid. Cùm autem creaturæ antequam creentur, ſint poſſibiles fieri: ve-
ram ergo atq; realem entitatem habuerunt, antequam eſſent conditæ. vnde Auguſtinus
de natura boni: Nonnullum bonum, inquit, eſt poſſibilitas ad formam, & ad eſſe: ergo

Poſſibilitas ad formam eſt aliquod bonũ.

creatura antequam creetur, eſt aliquod bonum, & ens reale. Et hom: 18. in Ioan. Eaſdẽ
literas, ait, format cor, & manus, ſed aliter & aliter. Quare ſi eædẽ literæ, & in manu, &
in corde deſcriptæ; vtræq; igitur habent eſſe reale. Creatura igitur intellecta, in ſuo actu
reali,

Creatio quid ſit in creatura.

reali, & diſtincto inuenitur, ante ſuam ipſius creationem: conuenit namque creaturæ exemplatam, vt ita dicam, eſſe ab æterno, quod quidem ſecundùm creaturæ quidditatem, atq; eſſentiam eſt intelligendum: fuit ergo ante creationem vera quidditas creaturarum.

7. *Item, ſicut ſe habet ens ad non ens; ita poſsibile ad impoſsibile: vtrobiq; enim eſt contradictio: ergo per locum à tranſmutata proportione, ſicut ens ad poſsibile; ita non ens ad impoſsibile: ſed ens eſt poſsibile: igitur non ens eſt impoſsibile. ſi igitur creatura antequam creetur, eſt non ens, nec habet aliquod verum eſſe reale; eſt ergo impoſsibilis creatu, ſiue factu, quod eſt falſum: nam creatura antequam creetur, eſt poſsibilis, alioqui impoſsibile crearetur. Porrò, vt diximus, omne poſsibile eſt verum ens, quia potentia & actus diuidunt ens verum reale.*

8 *Amplius, ſi creatura ante creationem non haberet aliquod verum eſſe reale; eſſet igitur figmentũ, rebusq; impoſsibilibus ſimilis: ſed quicquid huiuſmodi habetur, non ſolùm non eſt; ſed nec etiam poteſt eſſe, quod creaturæ non conuenit: creaturæ ergo ante creationem ipſarum, habuerunt eſſe reale diſtinctum, ab eſſe primæ cauſæ, ſiue diuino.*

CAP. III.

Soluuntur Argumenta.

AD primum, negatur ſimilitudo: creatio enim diuinam ſignificat actionem, quæ vtiq; eſt diuina eſſentia, cum relatione ad creaturam. huiuſmodi autẽ relatio non eſt realis, vt dixi, cùm paulò ante de relationibus agerem: relatio verò creaturæ ad deum, eſt realis: igitur non eſt ſimile. Ad primam confirmationem dico, creationem paſſiuè acceptam, & in creatura eſſe, & eſſe creaturam, nec alia creatione creari; nam & relationes, non per aliquas alias, ſed per ſeipſas ad aliud referuntur. Ad 2. confirmationem reſpondeo; creationis terminum creaturã eſſe, quatenus creatio, velut mutatio accipitur: quatenus autem eſt relatio, creatura eſt illius ſubiectum, & priùs quidem in eſſe, ſicut ſubiectum, accidente; quandam enim habet prioritatis rationem ex parte obiecti ad quod dicitur, quod eſt creaturæ principiũ. Cæterum, quia creatio creaturæ habitudinem ad creatorem, cum quadam nouitate, ſiue inceptione aliqua oſtendit; iccirco non opus eſt, quòd quàmdiu creatura ſit, tamdiu creari dicatur. Itaq; , creatura vel eſſentia creaturæ, per creationem producitur: ergo

Creaturæ eſſentia eſt primus terminus creationis.

eſt terminus eius: qualem namq; ordinem habet res in eſſendo; talẽ profectò & in producendo conſeruat: ſed eſſentia eſt prior natura ipſa exiſtentia: primo ergo producitur.

2 *Ad 2. verum quidem eſt, creationem non dicere conſtitutionem rei compoſitæ, ex principijs præexiſtentibus, neq; ex hoc ſequitur, creationem compoſito non conuenire; nam*

Creatio eſt poſitorum.

hac ratione compoſitum creari dicitur, quia ſcilicet, cum omnibus ſuis principijs in eſſe producitur. Ad primam confirmationem dico, rationem illam non probare, quòd materia ſola creetur; ſed hoc potiùs, materiam per creationem eſſe productam; creatio ſiquidem, non ſolùm materiæ, ſed totius prorſus eſſe productio eſt. Ad aliam confirmationem dico, modum illum loquendi ſimilem eſſe huic, quo ſolemus dicere, primum viſibile eſſe colorem, quamuis id, quod propriè videtur, ſit coloratum. cùm ergo dicitur, quòd primum rerum creatarum ſit eſſe; illud quidem eſſe, ſubſtantiam creatam nequaquam indicat; ſed propriam obiecti creationis rationem. hac planè de cauſa, aliquid creatum dicitur, quia eſt ens, non quia eſt hoc ens: nam creatio ab ente vniuerſali, totius eſſe emanatio appellatur.

3 *Ad 3. negatur conſequentia: & ad probationem dico, compoſitis factis, formas incipere eſſe in actu; ipſas tamen non per ſe fieri, ſed per accidens tantùm. Ad primam probationem ſic puto eſſe dicendum, qualitates actiuas in natura, ſubſtantialium formarum virtute agere, atq; ideo agens naturale, non ſolùm ſe-*

Creatio quid ſit in creatura.

ſolùm ſecundùm qualitatẽ ſibi ſimile; verùm etiam ſecundùm ſpeciem producere. Ad 2.
confirmationem dico, naturæ operationem, ex creatorum principiorum præſuppoſitio-
ne proficiſci: quam ob cauſam, quæ per naturam ſiunt, creaturæ nominantur. Ad 3. cõ-
firmationem, generationi animalium imperfectorum ſufficit agens vniuerſale, id eſt,
virtus cœleſtis, cui, ſecundùm quandã analogiam, non autem ſecundùm ſpeciem, genita
aſsimilantur ex hoc autem non licet aſſerere, formas ſic productorum ab agente ſepa-
rato creari: creatio ergo non ſubeſt naturæ, & artis operibus. Ad 4. ſi diffinitio acti- 4.
uè ſumatur pro actu diffiniendi, eſt actus intrinſecus, authore philo: 2. poſt: 3. de ani-
ma. & 7. met. proinde eſſe diffinitum ſic acceptum, non eſt eſſe intrinſecum. vnde cre-
aturæ antequam crearentur quidem, eſſe denominatum ab actu diffiniendi, non autem
eſſe verum & reale, nec in potentia, nec in eſſe eſſentiæ vel exiſtentiæ habuerunt. Ex
quo apparet, diffinitionem ſecundùm actum diffiniendi exiſtentiam concernere: at ſe-
cundùm rem diffinitam: ſic profectò res diffinita eſſentiam habet; vt abſq; exiſtentia
nequeat eſſe, quia ſunt certè eſſentialiter idem. Ad probationem dico, ſi prædicamen-
tum eſt coordinatio rerum actualis in actu reali, & vero; tunc ſanè in potentia tantùm,
non autem in actu reali res in prædicamento extitiſſent. at, ſi prædicamentum coor-
dinationem dicat rerum potentialium, per intrinſecum actum conquiſitam; tunc abſq;
dubio, quemadmodum ab æterno cõordinatæ fuerunt; ita etiam & in prædicamento in-
tellectæ; ob hoc tamen non ſequitur in actu, veram entitatem habuiſſe. Ad 5. creatu- 5.
ra ante ipſius creationem, non refertur ad deum realiter, quia non erat menſurata rea-
liter, ſed ratione tantùm: ſic etiam intellige de obiecto & proportione: non enim neceſ-
ſe eſt, quòd ſit ens reale, aut proportio realis ad intelligentem intrinſecum, cùm ſuffici-
at eſſe per ſe repræſentabile ab obiecto primario, nempe à diuina eſſentia. Ad confir-
mationem dico, deum ab æterno ſciuiſſe res habituras eſſe reale. vnde licet nouerit quid-
ditates illarum; non tamen nouit eas eſſe realiter ab æterno: ſcientia enim dei ideo rea-
lis dicitur, quia illius obiectum primarium eſt reale & æternum, nempè diuina eſſentia:
obiectum autem ſecundariũ, id eſt, creaturã, non opus eſt æternũ eſſe realiter, ſed ſufficit
ſubeſſe diuinæ potentiæ. Ad 6. potentia obiectiua, & actus ſibi oppoſitus, authore cõ- 6.
mentatore primo de anima, ſunt differentiæ valde oppoſitæ, atq; ens diuidunt, ſicut
mortuum & viuum diuidunt hominem. Quare, ſicut homo mortuus, non eſt ſimpliciter
homo; ita ètiam, nec homo in potentia obiectiua. Ideo etſi creaturæ ab æterno poſſibi-
les extiterint; non tamen vera entia realia extitiſſe oportet; imò neceſſe eſt illas vera
entia realia non fuiſſe. itaq; verum eſt nihil, quidditatiuè non fieri aliquid per mutati-
onem, ſicut de nihilo nihil fit; bene tamen per creationem. vnde creatura dicitur nihil
ante ipſius creationem; non quidem quidditatiuè intrinſecè, ſed denominatiuè: nam hu-
manitas ante & poſt ſui creationem, non eſt quidditatiuè non humanitas: ſic & cre-
atura, non eſt dicenda quidditatiuè illa negatio, quæ illius creationem præcedit; ſed de-
nominatiuè tantùm, ſicut affirmatio denominatur negata, ab ipſa negatione. Ad au-
thoritatem Auguſtini dico, illum loqui de potentia, ſeu poſſibilitate ſubiectiua, vel rece-
ptiua, cuius materia, vel ſubiectum eſt in actu exiſtens; non autem de poſſibilitate ob-
iectiua, quam totali eſſe rei poſſibilis concomitatur negatio, ſicuti in creatione appa-
ret. Ad aliam authoritatem dico, creaturam non eandem ante, & poſt ſui creationem
extitiſſe, licet non ſit realiter alia à ſeipſa: nam ante creationem non erat aliquid reali-
ter, ſed nihil. inter nihil autem & aliquid, non eſt identitas realis, nec alietas. itaq;, e-
rat idem ſecundùm rationem, non tamen realiter. Authoritas ergo non eſt ad propoſi-
tum. Ad aliam probationem reſpondeo, non opus eſſe illud, quod obiectiuæ creaturæ
conuenit, eſſe in actu reali æterno; ita, quod eſſentia creaturæ ſit æterna realiter, ſed
tantùm cognita, ſicut nec eius exiſtentia. Quamuis ergo ab æterno creatura fuerit obie-
ctiuè exemplata; non fuit tamen ab æterno in eſſe reali exemplata, ſicut etiam ab æter-

Quod creatio non ſubſit operibus naturæ.

Quod creatura non habet eſſe reale ante creationem.

Dei ſcientia vnde realis.

Creatura dicitur nihil ante ipſius creationem.

Poſſibilitas ſubiectiua, & obiectiua.

Creatio & conſeruatio.

no non fuit effecta atque creata. Ad 7. proportio illa non valet, quia nimirum non eſt legitimè ordinata: vt autem ſit bona proportio, primum comparandum eſt ad terti-
7. um, & quartum ad ſecundum, faciendo de quarto ſubiectum, & de ſecundo prædica-
Proportio nō entis ad poſsibile.
tum Quando ergo dicitur, quòd ſicut ens ad non ens, ita poßibile ad impoßibile; conceditur quidem. ſed quando poſtea ſequitur vltra, ſicut ens ad poſſibile, ita non ens ad impoßibile; non admittitur; ſed è conuerſo, impoßibile ad non ens. Quam ob cauſam dicendum eſt, quòd ſicut ens eſt poßibile; ita impoßibile eſt non ens, non tamen è con-
8. uerſo; ſtant enim ſimul non ens, & poſſibile eſſe, vt dixi. Ad 8. verum quidem eſt, creaturam ante ipſius creationem, non plus entis realis habere, quàm figmenta; hoc tamen inter creaturam & figmenta intereſt, quòd creaturæ non repugnet eſſe, ſicuti figmentis, quæ reuera ita ſunt nihil, vt nunquam aliquid eſſe valeant. Creaturā ergo ante ipſius creationem, non habuiſſe eſſe reale, patet. Sed poſthac perſcrutemur diſcrimen creationis & conſeruationis in capite ſequenti.

CAP. IIII.

Creationis & conſeruationis diſcrimen.

Creatio duplex, Actiua.

Bifariam creatio intelligi poteſt, ſimiliter & cōſeruatio: creatio ſiquidē actiua, ſiue actio, & creatio paßiua. Creatio autem actio, quòad ſuum principale ſignificatum ſpectat, eſt volitio diuina, qua voluit creaturam fore, & ex nihilo, ſiue non de aliquo produci: quòad verò ad ſuum connotatum, eſt reſpectus rationis in deo, ad effectum creatum, ideoq́ noua dicitur, ob nouum planè effectum productum. Itaq́ creatio actiua, habitudinē rationis connotat, ad non eſſe præcedens durationem. vnde tùm ſecundùm principale ſignificatum, tùm etiam ſecundùm connotatum, creatio actiua, eſt diuina volitio, qua vult creaturam eſſe, vt dixi. Porrò,

Paßiua.

creatio paßiua, ſiue paſſio, negationem præcedentis eſſe, vel habitudinem ad non eſſe, in ipſo creatore denotat atq; concernit. proinde eſt acceptio totalis eſſe ab alio de nihilo, excludens non eſſe, quod alias ſtatim ineſſet, negansq́ue priùs eſſe, quàm res creetur.

Conſeruatio duplex. Actiua.

Conſeruatio quoq; bifariam intelligitur, actiua ſcilicet & paßiua. Eſt autem conſeruatio actiua, diuina volitio efficax & æterna, qua deus vult creaturam eſſe, & in illo conſeruari, ne labatur in nihil, connotans etiam reſpectum rationis ad creaturam ad

Paßiua.

non eſſe: quod niſi conſeruaretur, ſibi ineſſet. Paßiua verò conſeruatio, eſt acceptio totalis eſſe ab ab alio de nihilo, vel non de aliquo, excludens non eſſe poſterius, quod ſtatim aliâs ineßet, & negans interrumptionem conſeruati in eſſe Ex his ergo, creationem

Creatio & cōſeruatio non ſunt mutationes.

atq; conſeruationem, mutationes non eſſe, latißimè patet: ſunt enim ex parte termini ex nihilo, vel non de aliquo: omnis autem mutatio eſt in ſubiecto, vt dixi. ſimiliter non ſunt actio, vel paßio de genere actionis, vel paßionis, de ipſis actiuè dictis: ſunt enim idem quod diuina eſſentia. nec etiam ſunt accidentia, quia non ſunt paßiones propriè dictæ, ad paßionis prædicamentum ſpectantes: nam omnis talis paſſio eſt motus, vel

Quomodò cōſeruatio & creatio ſint idem

mutatio, vel præſupponit ſubiectum paſſum, ſicut accidens ſubiectum, quod certè creationi atque conſeruationi non conuenit. Denique creatio & conſeruatio actiuæ, quòad illud poſitiuum reale, quod ſignificant, æternæ ſunt, ſicut & volitio dei eſt æterna: paſ-
1. ſiuæ verò nouæ dicuntur, ſicuti rei veritas docet, & fides noſtra proteſtatur. Cæterùm, creatio & conſeruatio, quòad illud poſitiuum reale, quod ſignificant, ſunt realiter idē: quæcunq; enim ſunt idē realiter, & totaliter alicui vni illimitato, vel limitato, ſunt idem inter ſe, vt dicitur 7. phyſ. ſed creatio paſſio, & conſeruatio, ſunt idē realiter & totali-
2. ter creaturæ vni, & eidem: igitur ſunt idem inter ſe. Amplius, ſuper idem fundamentum, reſpectu eiuſdem termini, plures totaliter ſimul fundari relationes eiuſdem modi, vel

 Creatio & conſeruatio.

di vel rationis , eſt omnino impoſsibile : ſi ergo creatio paſsio & conſeruatio ab inuicem
differrent; tunc planè eſſent relationes diuerſæ, quod eſt impoſsibile: nam idem eſt illa-
rum fundamentum totaliter, eiuſdem profectò termini totaliter. Iterum, creatio paſ- 3.
ſiua, eſt acceptio eſſe totalis ab alio, de non aliquo, vel de nihilo : ſed hoc idem conſerua-
tioni conuenit : quamdiu enim creatura eſt , & conſeruatur, accipit eſſe tòtale ab alio,
non de aliquo, vel de nihilo: ſunt ergo ambæ idem reale poſitiuum: differunt autem ra-
tione penes habitudines rationis , quas connotant ; nam creatio habitudinem connotat Quomodo creatio & conſeruatio ſint idẽ creaturæ.
rationis ad non eſſe præcedens, quod immediatè excludit ; conſeruatio verò ad non eſſe
poſterius , quod ſtatim adeſſet , ſi cõſeruatio recederet. Creatio igitur paſsio, & conſer-
uatio ſunt idem inter ſe. creaturæ quoq; idem eſſe, ſic probatur. Si creatio non eſt idẽ rea- 1.
liter cum creatura, aut eſt deus quod eſt falſum, aut creatura: ſed omnis creatura aliqua
productione ſeu creatiõe producitur: igitur creatio creatione fieret, quod eſt falſũ. Cre-
atio ergo & cõſeruatio nõ differũt realiter à creatura. Amplius, ſi creatio eſt aliquid a- 2.
liud à creatura, aut illud certè eſt abſolutũ, aut reſpectiuũ. non quidem abſolutũ, alioqui
dempta creatione poſſet creari, præſertim, ſi eſſentialiter diſtingueretur: quòd ſi eſſen-
tialiter non diſtingueretur; eſſet profectò motus abſolutus, præſupponeretq́; creaturam
quod eſt falſum. neq; reſpectiuũ: non enim eſt creatura poſterior: nam creatio paſsio, eſt
via, vel quaſi via ad ipſam; ideo creatura non ſequitur, nec etiã ipſam, tanquam ens ali-
quod realiter differens præcedit : igitur creatio paſsio, & conſeruatio , ſunt idem peni- Creatio & cõſeruatio diſtinguũtur penes modum ſignificandi.
tus cum creatura exiſtente. vnde non diſtinguuntur in aliquo ab ipſa , penes aliquod
poſitiuum reale , niſi penes rationem modumq; ſignificandi : creatio namq; quaſi via ſi-
gnificatur, & medium inter deum & creaturam , & veluti mutatio media inter agens ,
& terminum; licet realiter non ſit via, neq; medium, ſed hoc ipſum quod creatura. ſigni-
ficatur etiam in fieri & nomine verbali, creatura verò in eſſe permanenti. Eodem quoq;
modo conſeruatio à creatura conſeruata differt, ſecundùm rationem ſcilicet , veluti via,
& in fieri. Conſtat ergo hæc à creatura realiter non diſtingui. Itaq́; creatio & conſerua- Creatio & cõſeruatio diſtinguuntur ex natura rei.
tio , in creaturis diſtinguuntur ex natura rei : in primo namq; inſtanti creatur , deinde
conſeruatur & non creatur, non autem diſtinguuntur formaliter : eiuſdem enim funda-
menti, ad eundem terminum, eiuſdem rationis relatio conſurgit. ſed relatio & conſerua-
tio ſunt eiuſdem termini & fundamenti : ergo eiuſdem relationis. neque diſtinguuntur
realiter : creatio ſiquidem à creatura realiter non diſtinguitur , nec etiam conſeruatio .
Quomodo ergo creatio & conſeruatio ſint inter ſe idem, & cum creatura ſimiliter , dixi.
Sed non deſunt argumenta contra prædicta, vt patebit in capite ſequenti.

CAP. V.

Creationem & conſeruationem realiter diſtingui ab inuicem , & à creatura, argumentis oſtenditur.

ILLA non idem ſunt realiter, quorũ vnum manet, altero nõ manente, autho- 1.
re philoſopho 7. Topicorum. ſed manente creatura conſeruatione , non ma-
net creatio : quamdiu enim creatura manet, tamdiu conſeruatio illius perſe-
uerat , non autem creatio , ſemel certè creata eſt , perpetuò verò conſerua-
tur : igitur, quia vna ſine altera conſiſtit, ab inuicem realiter diſtinguuntur. Reuera, i-
dem non præſupponit ſeipſum , ſicut etiam non eſt prius & poſterius ſeipſo : ſed conſer-
uatio præſupponit creationem , vt patet : ergo non ſunt idem : illa enim , quorum vnum
menſuratur inſtanti , & aliud tempore , non ſunt idem. profectò non eſt maior in men-
ſuratis, quàm in menſuris vnitas : ſed creatio menſuratur inſtanti, conſeruatio autem tẽ-

 pore. nam

Creatio & conſeruatio.

pore; nam quod per totum tempus conſeruatur, in inſtanti creatur: igitur creatio & conſeruatio idem realiter eſſe non poſſunt. Amplius, ſi creatio & conſeruatio rei eſſent
2. idem realiter, cuius certè eſſet conſeruare; eiuſdem planè & creare: ſed vna creatura poteſt aliam conſeruare: ergo illam creare poteſt, quod eſt falſum. Præterea, quorum opera ſunt diſtincta, illa realiter ſeparantur: ſed opus creationis diſtinguitur ab opere conſeruationis, nam de illo dicitur: Et requieuit Deus die ſeptimo ab omni opere quod patrarat: de hoc autem pater meus vſq; modo operatur, Ioan. 5. quemadmodum docet
3. Auguſtinus 4. ſuper Geneſ. igitur hæc ab inuicem realiter diſtinguuntur. Iterum, deus poteſt aliquid creare, & non conſeruare; nam poteſt creare aliquid, quod in inſtanti euaneſcat: igitur creatio realiter diſtinguitur à conſeruatione; vna enim ſine altera eſſe poteſt. antecedens autem ſic probatur & confirmatur. ſicut toti tempori correſpondet motus; ita inſtanti temporis mutatum eſſe: ſed mutatum eſſe per inſtans ſolummodò durat: ergo quod priùs. Sanè, ſicut deus contingenter creat; ita etiam & cõſeruat: producta ergo poteſt non conſeruare, atq; ita per inſtans durarent. nam ſi neceſſariò conſeruat: per totum ergo tempus conſeruabit; eiuſdem enim rationis eſt pars temporis, cum toto tempore. Quod autem diſtinguantur realiter à creatura, ſic quoq; oſtendi poteſt: via & terminus, non ſunt idem realiter: ſed creatio paſſio, & creatura, ſe habent vt via, & vt terminus; ſicut enim generatio eſt via in naturã, vt dicitur 2. phyſ.

Quod diſtinguantur à creatura.

4. ſic etiam creatio eſt via in creaturam: igitur à creatura diſtinguitur. Profectò, illa nõ ſunt idem realiter, quorum vnum manet, altero non manente: ſed creatura manet, poſtquã creata eſt; creatio verò paſſio non manet, alioqui creatura ſemper crearetur, quod
5. eſt abſurdum & falſum: igitur creatio diſtinguitur à creatura realiter. Item, mutatio eadem non eſt cum ſuo termino, quemadmodum patet de generatione & corruptione, alioqui mutationis eſſet mutatio: ſed creatio paſſio, eſt mutatio, quia ſcilicet eſt tranſitus à non eſſe. ergo. Deniq; ſicut in omni genere datur aliquod primum; ita etiam & in mutationibus: prima autem mutatio, eſt creatio, alia enim eſſe non poteſt: igitur quod priùs. Reuera, non eſt tranſitus de contradictorio in contradictorium, ſine mutatione: ſed in creatione eſt huiuſmodi tranſitus, quia eſt tranſitus de non eſſe ad eſſe: creatio ergo eſt mutatio: nam teſte Auguſtino 12. de ciuit. dei. omnia creata ſunt mutabilia, ex eo, quòd ex nihilo facta ſunt. Creabile ergo eſt mutabile, & creabilitas eſt mutabilitas, &
6. creatio eſt mutatio. Amplius, quod eſt accidens creaturæ, non eſt idem realiter cum ipſa: ſed creatio paſſio, eſt accidens creaturæ, ad cauſam ſcilicet creantem; relatio enim creaturæ accidens eſt, quia eſt in puncto relationis, quod eſt accidens. hoc ipſum confirmat Auguſtinus lib: 5. de Triuitate, cap: 4. In rebus, inquit, creatis, & mutabilibus, quod non ſecundùm ſubſtantiam dicitur, reſtat, vt ſecundùm accidens dicatur. ſed creatio paſſio, non dicitur ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm relationem: igitur eſt accidens creaturæ. Et cap: vltimo eiuſdem libri, quòd creatura, inquit, de nouo refertur ad deum; non eſt hoc per aliquod, quod accidat deo, ſed per aliquod, quod accidit creaturæ. Itaq; creatio paſſiua, quòad illud reale poſitiuum, quod importat, realiter diſtinguitur ab ipſa creatura.

CAP. VI.

Soluuntur argumenta.

1. AD primum, quamuis tam diu creatura, & creetur, & conſeruetur, quamdiu ſit; dicitur tamen de nouo creari, propter habitudinem rationis ad non eſſe immediatè præcedens, & propter non eſſe immediatè præcedentis: conſeruari autem, ob habitudinem, & negationem ſupra dictas, quæ profectò nullam differentiam ponunt in poſitiuo reali. Ad primam confirma-

 Creatio & conſeruatio.

ſirmationem dico, creationem non præſupponi à conſeruatione; ſed ſecundùm rationem
tantùm, modumq́; intelligendi. Ad 2. creatio, & conſeruatio ſunt indiuiſibiles in re pro
quocunque ſigno naturæ, vel durationis: proinde, vtraq; menſuratur inſtanti. Ad 2. 2.
quicquid Deus creat, immediatè conſeruat ſine aliqua creatura: vnde creatura per ſe, Conſeruare
& propriè nihil conſeruat, ſicuti in propoſito loquimur de conſeruatione: nam, quemad- propriè ſoli
modum creatura non eſt neceſſaria, ad creationem; ſic etiam nec ad huiuſmodi conſer- Deo cõpetit.
uationem. ſicut enim creatio immediatè eſt a Deo; ita etiam & conſeruatio. Ad con-
firmationem dico, quòd quamuis Deus non ceſſet, quòad ſuum reale poſitiuum, ab ope-
re creationis, & conſeruationis; ceſſare tamen dicitur à creatione, quia nimirum non Creatio à Deo
ampliùs creat nouas ſpecies, quandoquidem à principio ſimul omnes creauerit. verùm- perpetuò de-
tamen ſecundùm rei veritatem, condita quamdiu ſunt, non ſolùm conſeruat, ſed etiam pendet.
creat, perpetuò ſcilicet eſſe illis largiendo. Ad 3. aut Deus in inſtanti crearet aliquid, 3.
& annihilaret, quod eſt impoſſibile; quia ſcilicet in inſtautaneis, ſimul eſt fieri, & fa- Si per inſtans
ctum eſſe, & annihilari, & annihilatum eſſe, atq; ita in eodem idem eſſet, & non eſſet. poteſt durare
aut in vno crearet, & in alio annihilaret: ſed hoc quoq; eſt impoſſibile: nam inſtans non creatura.
ſequitur immediatè inſtans, ſed eſt tempus medium. aut crearet in tempore, & annihi-
laret in tempore: ſed tunc, ſi creatura eſſet producta in tempore, eſſet vtiq; in tempore,
& non in inſtauti. aut crearet in tempore, & annihilaret in inſtanti: ſed hoc etiam re-
putatur abſurdum, ne dicam impoſſibile; haberet enim creatura eſſe in tempore, &
non in inſtanti: nam quod eſt in inſtanti, non eſt in toto tempore ſequenti, niſi per inſtans
tantùm. Sed dices, eadem eſt menſura generationis, & corruptionis: ergo eadem eſt Obiectiones.
menſura creationis, & annihalationis. ſed creatio eſt in inſtanti: ergo & annihilatio. 1.
Præterea, eodem modo videtur poſſe fieri creationem eſſe in tempore præcedenti, & an- 2.
nihilationem in tempore ſequenti. Dico, illa poſſe intelligi, ſeu ſumi, vel quantùm ad Solutiones.
dependentias, quas dicunt, vel pro ſimultate, quam habet creatio ad primum inſtans 1.
ſcilicet. primo quidem modo, creatio bene eſt in tempore: annihilatio præterea, ſi con-
ſideretur, vt habens coexiſtentiam, ad primum inſtans, eſt in inſtanti: ſi verò, ſimpli-
citer, eſt iu tempore, quòd ſi admittatur primum argumentum. Adhuc ſic reſpondeo, 2.
in illo ſcilicet inſtauti, & creari, & conſeruari, vtpotè, quia præſeruatur, & à non eſ-
ſe præcedenti, & à non eſſe etiam: quod tunc ineſſet, ſi pro illo inſtanti in eſſe non con-
ſeruaretur. vulgares verò dicunt, non conſeruari, quia minima eſt conſeruatio. vnde, Vulgarium i-
creatura dicitur eſſe in continuo fieri, quatenus accipit eſſe à creatore, idq́; ſemper; non gnorantia.
autem in continuo fieri, ſicut motus, vel tempus; non enim hoc modo eſt in continuo fie-
ri, & corrumpi; ſucceſſiua ſiquidem ſic dicenda non eſt. Ad 4. negatur ſimilitudo, 4.
tum quia creatio paſſio non eſt via creaturarum, rei veritate, ſed imaginatione ſola:
tum quia generatio eſt mutatio. Ad confirmationem dico, quòd manente creatura, ſem- Quomodo
per maneat illud poſitiuum reale, quod eſt creatio paſſio. Quando ergo dicis, creatura creatura ſem-
ſemper crearetur, verum quidem eſt, quantùm ad illud poſitiuum reale, quod eſt cre- per creatur.
atio: quamdiu enim manet, ſemper accipit creatura eſſe totalo ab alio, nou de aliquo, vel
de nihilo: & hoc quidem vocatur reale creationis poſitiuum, de nouo tamen creari dici-
tur, ob rationis habitudinem ad non eſſe immediatè præcedens: vel ob negationem pri-
oris eſſe, quod creatio paſſio denotat: hoc autem modo creatura non ſemper creatur.
Ad 5, mutationem, realiter, atq; eſſentialiter à termino differre, verum eſt: creatio ta- 5.
men non eſt mutatio, ſed ſimplex productio: ſimiliter conſeruatio, non eſt mutatio. Ad Mutatio mul-
primã confirmationem dico, illam non eſſe creationem, ſed generationẽ, quæ eſt mutatio tiplex.
ad ſubſtantiam, & prior motu, vel mutatione, quæ eſt ad accidens: ſicut, & ſubſtantia,
prior eſt accidente, vt habetur 7. met: Ad 2. & tertiam confirmationem dico, illas
veras eſſe, pro mutatione generali, hoc eſt, pro noua acquiſitione. mutatio ſiquidem
ſic generaliter dicta, eſt noua acquiſitio cuiuſcunq; eſſe, ſubſtantialis ſcilicet, vel acci-

Si creatura fuit ab æterno,

dentalis, ſiue ibi inueniatur aliquod potentiale, formæ receptiuum, ſicut in compoſitis, ſiue non, ſicut in ſimplicibus. hoc ſanè modo, cuiuſcunque rei creatæ productio, mutatio vocatur acquiſitiua, & cuiuſcunque eſſe deperditio, mutatio deperditiua. Interdum autem mutatio, eſt noua actuatio alicuius potentialis, ſiue illud potentiale duratione, ſiue natura, præceſſerit. hoc autem modo, in omni rei compoſitæ productione, mutatio habetur. Poſtremò, mutatio accipitur propriè pro mutatione vnius formæ in aliam eiuſdem ſubiecti. Itaq́, in omni creatione, eſt mutatio primo modo dicta; eſt enim ibi noua alicuius eſſe acquiſitio. increatione autem compoſitorum, inuenitur creatio ſecundi modi, non autem in creatione ſimplicium; in compoſitis namq; eſt aliquod potentiale, quod eſt prius natura, actu, ſiue forma. Qua de cauſa, cùm aliquod compoſitum creatur illius potentialis, noua fit actuatio. in ſimplicibus autem, quia carent partium diuerſitate, quarum vna ſicut actus habeatur, alia verò ſicut potentia, non inuenitur alicuius potentialis noua actuatio. Porrò, mutatio tertij modi, in nulla creatione inueniri poteſt: creatio enim, aliquod non præſupponit ſubiectum, quod de formæ mutatione in formam ſit migraturum. Quòmodo ergo creatio ſit mutatio, dixi.

Quomodo mutatio fit in creatione.

6. *Ad 6. creatio paſſio, ſi eſſet relatio realis creaturæ ad Deum; non ob id tamen accidens creaturæ diceretur, nec eſſentialiter à creatura diſtincta eſſet; non enim eſſet reſpectus de quarto genere, ſed in eodem prorſus genere cum creatura. Ad Auguſtini authoritates dico: quòd ipſe vocet accidens creaturæ, quicquid non ſpectat ad quidditatiuum creaturæ conceptum. creatio præterea, & conſeruatio cùm ſint priores, vel ſaltem non poſteriores creatura, non dicuntur ſecundùm relationem realem; licet enim aliquis reſpectus realis ad Deum, creaturam comitetur, vel conſequatur; talis tamen reſpectus, creatio, ſeu conſeruatio dici non poteſt. Creationem ergo, atq; conſeruationem à creatura realiter non diſtingui, neq; etiam à ſe inuicem, ſatis patet.*

CAP. VII.

Creaturam fuiſſe ab æterno, fuit poſſibile.

QVanquam de hac materia in primo Pymandri diſputaui, vbi de mundi æternitate, ſeu creatione locutus ſum; quia tamen locus huiuſmodi exigit, vt hæc in medium quæſtio adducatur; non pigebit, quæ dicta ſunt, repetere, tum propter loci congruitatem, tum etiam propter materiæ dignitatem. Ariſtotelis, Commentatoris, Auicennæ, Algazelis, ſententia fuit, mundum, quòad ſuas partes principales, nempe intellectiuas, cœlum, materiam primam, ac vniuerſi ſpecies, æternum eſſe: quorum rationes in primo libro excuſſæ ſunt, atq; correptæ; iccirco pauca ſubdenda ſunt, lectorem ſtudioſum remittendo ad priorem librum, in quo ex profeſſo de hac re loqui placuit, quemadmodum à principio illius libri, licet conſpicere. Creatio vt dixi, interdum eſt productio alicuius non de aliquo, interdum verò, alicuius de nihilo, id eſt, poſtquam fuit nihil. primo quidem modo, vt dixi ante, philoſophis placuit, creationem admittere: ſic enim creatio, nullam in creatis nouitatem oſtendit: huic enim productioni ſufficere putarunt, ſi aliquid ab alio totaliter producatur, non de aliquo, nec de alio, nec de ſeipſo. ſecundo autem modo, creatio, nouitatem includit, atq; ita ſecundùm fidem, creationem tenemus. Porrò, ſecundùm primum modum creaturam, ſiue mundum, ab æterno potuiſſe habere eſſe, ſic probo.

Philoſophorũ rationes de æternitate creaturarum.

Creatura potuit eſſe æterna.

Rationes.

1. *Agens omnipotens, cuius velle, eſt infinitum, prout ipſi libuerit effectum ſuum producere, atq; efficere poteſt, alioqui, omnipotens non diceretur: ſed Deus eſt huiuſmodi agens: igitur potuiſſet, ſi voluiſſet, ab æterno creaturam produxiſſe, præſertim, cùm primus modus producendi non implicet contradictionem ex parte creaturæ. Secus autem eſt, ſi res intelligatur ſecundùm poſteriorem modum, in quo, aperta eſt contradictio: fuiſſe enim aliquando nihil,*

Si creatura fuit ab æterno.

do nihil, & eſſe æternum, eſt prorſus impoſſibile. Amplius, ſi Deus ex neceſſitate naturæ mundum produxiſſet; ab æterno vtiq; illam produxiſſet: igitur, producendo liberè; idipſum præſtare potuiſſet: eiuſdem planè potentiæ eſt voluntas, & natura diui- 2.
na. Reuera, effectus potentiæ paſſiuæ, diuinæ productrici poteſt eſſe voluntati coæuus; ſicut patet in toto compoſito ex materia, & forma, quod materiæ poteſt eſſe coæuum. poteſt ſiquidem Deus, materiam cum forma producere, ſimul duratione; atq; per conſequens, compoſitum totum omnino; nec materiam priùs fuiſſe informem, neceſſe eſt. Quoniam ergo diuinæ voluntatis effectus creatura eſt: igitur, illa potuit diuinæ voluntati eſſe coæua, atq; coæterna. Adhuc, ſi Deus, quoad ſe attinet, mundũ ab æterno produ- 3.
cere nõ potuit; in cauſa fortaſſis fuiſſet illius electio, reſpectu futuri, quæ præſupponeret oppoſitum eius, quod eligitur in volito. ſed hoc impedimento eſſe non poterat diuinæ voluntati, niſi humanæ tantùm, quæ ſequitur diſcurſum, & conſilij deliberationem per tempus conquiſitam: ergo. Præterea, ex parte creaturæ nullum eſſe potuit impedimen- 4.
tum, quò minùs potuerit eſſe ab æterno; illud enim eſſe æternum, vel produci ab æterno, modò ſit creabile, non implicat contradictionem, cuius non eſſe, neceſſario ordine, non præcedit ſuum eſſe. ſed non eſſe creaturæ, neceſſario ordine non præcedit, nec præceſſit ordine naturæ eſſe eiuſdem, voco autem ordinem naturæ in propoſito eum planè, qui eſt in re, extra intellectum: ergo potuit eſſe ab æterno: non enim opus eſt, quòd creatura naturaliter ſit priùs non ens, in effectu, & in re, quàm ens; ſed acidentaliter à primo agente, quodlibet iſtorum, creaturæ communicari atq; largiri poteſt. Sanè, in nullo Quòd creatura potuerit eſſe æterna.
ordine eſſentiali, & per ſe neceſſariò, primum poteſt eſſe ſecundum, vel prius poteſt eſſe poſterius, nec è conuerſo. hoc in omnibus latiſſimè patet. ſed non eſſe creaturæ, po- 1.
teſt eſſe prius, & poſterius ipſo eſſe; nam creatura poſt non eſſe, poteſt creari, & eſſe, & poſtquam creata eſt, poteſt annihilari, & non eſſe, vnde eſt idem non eſſe, quod prius, negat enim idem eſſe: inter ergo eſſe, & non eſſe creaturæ, non habetur aliquis ordo neceſſarius eſſentialis; ideo indifferens eſt ad eſſe, & non eſſe. Reuera, inter duo 2.
oppoſita, non eſt ordo neceſſarius, atq; eſſentialis, quæ indifferenter à primo agente eidem rei cõmunicari poſſunt, ad quæ illius rei quidditas indifferenter ſe habet, vtpotè non exiſtens de conceptu ipſius quidditatiuo aliquod illorum, nec per conſequens aliquod ex illis creaturam ſibi approprians, atq; determinans. ſed eſſe in actu, & non eſſe in actu, reſpectu creaturæ, & quidditatis eiuſdem, indifferenter ſe habent: igitur, non ens, neceſſario ordine, non præceſſit ens, ſiue eſſe creaturæ. Amplius, ſi creatura neceſſa- Non eſſe, non præceſſit eſſe creaturæ. 3.
riò priùs fuit non ens, quàm ens, idq; ordine naturæ; in cauſa vtiq; fuit, quòd condita ſit ex nihilo. ſed creaturam produci ex nihilo, non fuit neceſſe, ſat enim eſt, non fuiſſe de alioquo: igitur, non opus fuit priùs fuiſſe non ens, alioqui non eſſe per ſe, creaturæ cõpeteret, quod eſt falſum: nam indifferens eſt ad vtrumq; præſentia, atq; abſentia primi agentis. Iterum, creatura non fit de ſubiecto, alioqui genita potiùs, quàm creata di- 4.
ceretur. neq; de oppoſito, oppoſitum ſiquidem non fit de oppoſito, niſi per accidens, ratione ſubiecti, cui oppoſitum conuenit, quod propoſito non conuenit: igitur, quod prius: ſiquidem, quod corrumpit, & deſtruit alicuius naturam, non eſt priùs natura ordine eſſentiali, quàm aliud. ſed non eſſe creaturæ naturam deſtruit penitus, atque perdit: non eſſe ergo creaturæ, non præcedit illius eſſe ordine neceſſariò, atq; eſſentiali. Igitur, potuit creatura eſſe ab æterno. Dicis, Auguſtinum ad Felicianum ſcribentem, ſic Quid ſit creatura.
creaturam diffiniuiſſe: Creatura eſt facta ſubſtantia Dei voluntate, ex eo, quod non eſt, 5.
vel aliquando fuit, creatura ergo priùs eſt non ens. Dico, deſcriptionem huiuſmodi non eſſe vniuerſalem, ſecundùm ea, quæ creaturæ conuenire poſſunt; ſed particularem ſcilicet, quatenus conuenit creaturæ iam conditæ. Præterea, quod indifferenter ſe habet ad eſſe, & non eſſe, creari ab æterno non eſt impoſſibile. ſed creatura (quantùm ad ſe ſpectat) non determinat ſibi eſſe, & non eſſe, indifferenter ſe habens ad illa: potuit er-

go ab æ-

Creaturarũ productio præſupponit perſonarũ trinitatẽ.

go ab æterno creari. Sanè, quòd effectus non ſit ſuæ cauſæ coæuus, in cauſa eſt; aut quia
illius productio ſit mutatiua; aut quia effectus ſit ſucceſsiuus. ſed creatio non eſt mu-
tatiua productio, neq; creatura eſt effectus ſucceſsiuus: igitur, nullum videtur incon-
ueniens, ſi ſit coæterna, & coæua ſuo producenti. Amplius, tempus poteſt eſſe æternum:
ergo, & creatura. Tenet conſequentia: nam eiusdem rationis ſunt totum, & partes. ſed
tempus inter res creatas numeratur: igitur, ſi tempus poteſt eſſe æternum, creatura

6. Quòd tempus potuit eſſe æternum.

quoq; potuit eſſe ab æterno. Antecedens ſic probo: cuilibet inſtanti temporis, & indi-
uiſibili, non repugnat eſſe initium futuri, & finem præteriti: quodlibet enim inſtans
temporis, eſt eiusdem rationis cum alio. ſed patet ſatis, hoc, alicui inſtanti non repugna-
1. re, eſſe nimirum initium futuri, & finem præteriti: nulli ergo inſtanti repugnat. Sed
2. hoc conceſſo, tempus poteſt eſſe æternum; nam quodlibet inſtans erit copulatiuum, vel
continuatiuum, nullum autem initiatiuum: igitur tempus potuit eſſe æternum. Præte-
3. rea, ſi alicui parti non repugnat, habere partem temporis; ita etiam nulli parti tempo-
ris: eiusdem enim ſunt rationis. ſed tunc ante quamlibet partem potuit alia præceſsiſſe,
& ſic in infinitum: igitur tempus poteſt eſſe ab æterno. Item, ſicut tempus poteſt per-
petuari à parte poſt; ita etiam à parte ante: nam ſicut poſt quamlibet pártem, poteſt
eſſe alia pars; ita etiam ante quamlibet partem, potuit & alia præcedere: nullum enim

Candor lucis eſſet æternus ſi lux eſſet æterna.

videtur eſſe inconueniens, cùm omnes temporis partes eiusdem rationis habeantur. De
animalium autem generatione ſimile haberi poteſt iudicium. Huic verò ſententiæ, faue-
re videtur Auguſtinus 6. de trinit: cap. 1. Candor, inquit, qui gignitur ab igne, atq; diſ-
funditur, eſt illi coæuus, & eſſet coæternus, ſi ignis eſſet æternus. hoc idem dicit de i-
magine virgulti in aqua. & 10. de ciuit: Dei cap. 30. Si pes, inquit, eſſet ab æterno in
puluere, ſemper ei ſubeſſet veſtigium; quod tamen à calcante factum eſſe, nulli dubi-
um eſſe poteſt. & 11. de ciuitat: cap. 4. dicit philoſophos modo quodam vix intelligibi-
li, & per conſequens modo poſsibili, contradictionem non implicante, mundum poſuiſſe
æternum. Itaq;, ex his, alijsq; rationibus, atq; authoritatibus, nonnullis viſum eſt, mundũ
ab æterno potuiſſe fieri, ſiue creari. Rationes verò his oppoſitas videre poteris in primo
libro, fol. 51. & ſequentibus.

CAP. VIII.

Creaturarum productio præſupponit perſonarum trinitatem.

Creatio præſupponit perſonarum diſtinctionem.

QVoniam omne agens, agit ſibi ſimile, actionis autem principium, ex ipſi-
us effectu conſideratur; inde eſt, quòd creare, Deo conueniat ſecundum
ſuum eſſe, quod eſt eius eſſentia, quæ eſt tribus perſonis communis: nam
creare propriè ſignificat cauſare, ſiue producere eſſe rerum, quod certè
commune eſt toti trinitati. Verùm, quia diuinæ perſonæ, reſpectu crea-
tionis rerum, ſecundùm rationem ſuæ proceſsionis, vim habent cauſandi; Deus enim per
ſuum intellectum, & voluntatem, rerum cauſa dicitur, ſicut artifex, rerum artificiata-
rum; artifex autem, per verbum in intellectu conceptum, & per amorem ſuæ volunta-
tis, ad aliquid relatum operatur; hac de cauſa, creaturarum productio præſupponit o-

Productio perſonarum non ſunt rationes producendi creaturam.

mnino diuinarum diſtinctionem perſonarum. Pater ſiquidem verbo ſuo cœlos firmauit,
ſiue creauit, & ſpiritu oris eius ornauit cœlos, omnemq; illorum virtutem ſtabiliuit.
Vtrum autem perſonæ productæ ſint rationes producendi creaturam, quibusdam mini-
mè probatur: aiunt enim creaturarum productionem, neceſſariò præſupponere produ-
1. ctionem perſonarum in eſſe producto. Reuera, productio contingentium, neceſſariorum
productionem præſupponit: nam ſi idem eſt ambarum productionum principium, &
neceſſaria productio; non cogitur præſupponere contingentem, ſed potiùs contingens, ne-
ceſſariam: igitur, productio creaturæ, quæ à primo agente contingenter proficiſcitur,

neceſſariam

Creaturarũ productio præſupponit perſonarũ trinitatẽ.

neceſſariam eiuſdem præſupponit productionem agentis, quam nos vocamus, diuinarum perſonarum productionem. Amplius, alicuius potentiæ prior eſt circa primarium, quàm ſecundarium obiectum productio: igitur, diuinarum productio perſonarum, cùm ſit circa primum obiectum, hoc eſt, diuinam eſſentiam, prior eſt, quàm productio creaturæ, quæ eſt diuini intellectus, atq; voluntatis, ſecundarium obiectum; prior namq; eſt naturæ diuinæ habitudo ad propria ſuppoſita, habitudine, quæ ad alia extrinſeca refertur: etenim, naturæ habitudo ad ſuppoſita, ad eſſe ſpectat; eſſe verò prius eſt quàm operari, & actus ſecundus. habitudo præterea huiuſmodi, eſt neceſſaria, intima, proxima, atq; eſſentialis: extrinſeca verò contingens, & remota. ſed diuinarum perſonarum 2.
productio eſt talis; creaturarum verò eſt contingens: ergo quod prius. Iterum, creatio, patris præſupponit ſuppoſitum, quod quidem relatione, quæ eſt ſimul natura cum paſſiua verbi productione, in eſſe conſtituitur; idem enim eſt actiua generatio, & paternitas, & paſſiua, & filiatio: productio ergo creaturarum, verbi diuini productionem præſupponit, ſicut effectus poſterior, priorem præſupponit ab eodem principio, non quidem ſicut ſuam cauſam. ſic calefacere præſupponit illuminare. vnde quamuis vtrumq; ab eadem cauſa emanet; neutrum tamen eſt cauſa alterius. Itaq;, productio perſonarũ, reſpectu creationis creaturarum, cauſalis dici non poteſt, niſi fortaſſis eo modo, quo effectus, vel quaſi effectus prior, reſpectu poſterioris cauſæ habet rationem. Pater ergo, 3.
Pater prius origine creat.
priùs origine creat, quia eſt à ſe: filius verò, ſecundò, quia eſt à patre: at, ſpiritus ſanctus tertiò, quia eſt ab vtroq;, ſimul tamen natura, atq; eadem creatione. huiuſmodi autem ordo, ex parte creaturæ non ſumitur; ſed ex parte potiùs ſuppoſitorum creantium, ex quibus ſecundum eſt à primo, tertium verò ab vtroq;: igitur, perſonæ productæ non ſunt rationes, quibus pater aliquid producat extrinſecum. nam ſi per impoſſibile non eſſent in diuinis productæ; adhuc creaturarum productio non eſſet neganda;
Omnis quippe ratio operandi, conuenit operanti vt quo: ſed ſuppoſitum, vt quod alicui 4.
conuenire non poteſt, eſt enim incommunicabile, & vt quo, & vt quod, quemadmodum in primo libro demonſtraui. Suppoſita ergo diuina producta, non ſunt cauſa, ſiue ratio, aut principium operandi, ſeu producendi. ſiquidem omnis ratio operandi, dat aliquod eſſe ipſi operanti: ſicut calor, dat eſſe calidum, ſe calefacienti. ſed verbum in diuinis, aut ſpiritus ſanctus, non præſtant patri virtutem eſſendi; nam pater non eſt ſapiens, ſapientia genita, vt dixi: ergo quod prius.
Vt quo & quod.
Amplius, omnis notitia, quæ eſt in filio, à patre 5.
illi communicatur, cui filius addit reſpectum originis, filiationis ad patrem, qui certè non eſt aliqua notitia formaliter: ſed pater, ſecundùm reſpectum originis, præhabet, quicquid filio communicat, & ſpiritui ſancto, nempe perfectam notitiam, perfectumq; amorem: non poſſunt ergo perſonæ diuinæ productæ patri eſſe cauſa producendi; id quippe, patri non poteſt eſſe principium productiuum, quod pater habet, vt productũ. ſed pater habet filium, & ſpiritum, vt perſonas à ſe productas: non ſunt ergo patri principium producendi. Quare, ſi per impoſſibile, in diuinis vnum tantùm eſſet ſuppoſitum; neganda non eſſet productio creaturarum: verum tamen eſt, vt dixi, creaturam, quantùm ad ſuum eſſe poſſibile, neceſſariò præſupponere diuinarum productionem perſonarum:
vnaquaq; enim potentia operatiua, vel productiua, priùs habet actum operandi, 6.
circa obiectum primarium, quàm ſecundarium: igitur, intellectus diuinus, priùs operationem habet intelligendi ſuam diuinam eſſentiam, primarium ipſius obiectum, actũque verbi producendi, quàm circa obiectum ſecundarium creabile. ſed in illo priori, natura diuina filio communicatur à patre, & ſpiritui ſancto ab vtroq;: ſecundùm ergo eſſe intellectum, & poſſibile, creaturæ productionem, diuinarum præcedit productio perſonarum.
Adhuc, quod eſt ens ſimpliciter neceſſarium, atq; independens, natura prius 7.
eſt ente diminuto, ſiue ente ſecundùm quid. ſed quodlibet diuinum ſuppoſitum eſt ens neceſſarium ſimpliciter; creatura verò eſt ens ſecundùm quid, atq; diminutum: ſe-

Creaturarũ productio præſupponit perſonarũ trinitatẽ.

In ſecundo ſigno intelligũtur creaturæ.

cundùm ergo eſſe intelligibile, creaturæ productio, diuinarum præſupponit productionem perſonarum; Deus ſiquidem in priori naturæ, diuinas producit perſonas, atq; pro illo priori, nondum aliquod extrinſecum intelligit. verùm, diuinis productis perſonis, in ſecundo ſigno, creaturæ intelliguntur ab ipſo, habentq; primò eſſe poſſibile, atq; per diuinam eſſentiam, perſonis iam productis repræſentantur. id autẽ fieri non dicimus, quia perſonæ productæ, rationes ſint cauſales, vel formales intelligendi, vt dictum eſt; ſed potiùs, ob cauſas iam proximè dictas. Quomodo ergo creaturæ productio, diuinarum præſupponat productionem perſonarum, dixi: ſed reſtant aliqua argumenta examinanda.

CAP. IX.

Creaturæ productio, non præſupponit diuinarum perſonarum productionem.

QVod eſt eſſentiale in diuinis, prius vtiq; eſt notiali: abſolutum enim, prius eſt reſpectiuo. ſed producere creaturam, eſt aliquid eſſentiale, & commune tribus, vtpotè commune velle diuinum; perſonam verò producere, eſt notiale, & reſpectiuum: productio ergo creaturarum non præſupponit neceſſariò productionem diuinarum perſonarum. Reuera, ſicut principium ad principium ſe habet; ita planè, operatio ad operationem. ſed principium creaturæ productiuum, prius eſt principio perſonæ productiuo; nam illud eſt eſſentiale, & perfectio ſimpliciter, illud verò eſt notiale, & reſpectiuum: ergo quod prius. Amplius, ſi creaturæ productio, diuinorum productionem ſuppoſitorum, neceſſariò præſupponeret: actio ergo, qua creatura producta eſt, non vna quidem, ſed triplex reputabitur. Tenet conſequentia. nam actiones ſunt ſuppoſitorum. ſed ſuppoſita tria ſunt: in creaturæ ergo creatione, non vna erit, ſed triplex actio producendi, quod eſt falſum. Profectò, ſi vna tantùm in diuinis perſona inueniretur; in ea vtiq; eſſet plenitudo ſapientiæ, atq; potentiæ, & ex conſequenti poteſtas creandi omnia: productio ergo creaturæ non præſupponit neceſſariò diuinarum perſonarum diſtinctionem. Amplius, ſi productio creaturarum, diſtinctionem diuinorum ſuppoſitorum neceſſariò præſupponit: igitur, productio creaturarum, perſonarum oſtenderet productionem; atq; ita philoſophi, qui ſecundùm rationem naturalem, creationem rerum perſcrutati ſunt, ad diuinarum diſtinctionem perſonarum, facile pertingere potuiſſent, quod eſt falſum: ergo quod prius. Item, contra illud, quòd pater origine priùs creat, ſic arguo. Eo pater creat, quo dicit: ipſe enim dixit, & facta ſunt: ſed pater dicit verbo, authore Auguſtino 10. de ciuitat: Dei: ergo creat verbo. Planè, illo creat pater, per quod omnia facta ſunt: ſed per verbum omnia facta ſunt: Omnia, inquit Ioannes, per ipſum facta ſunt: ergo per verbum creat, & non ante verbum. Adhuc, artificiatum ab artifice, ſua arte, ſeu principio quo, producitur: ſed verbum diuinum, eſt ars omnipotentis Dei, teſte Auguſtino 6. de trinitate, quemadmodum etiam in primo libro latiùs diſputaui: ergo quod prius. Creaturæ ergo productionem, non præſupponere diuinarum diſtinctionem perſonarum, nec patrem priùs origine creare, dixi.

CAP. X.

Soluuntur Argumenta.

Quamuis

Creaturarũ productio præſupponit perſonarũ trinitaté.

QVamuis eſſentialia ad intra, notialibus priora ſint; ad extra tamen, ſicut eſt creare, neceſſariò præſupponunt notialia. Quamobrem, licet, intelligere, & velle, abſolutè accepta, priora ſint notialibus; non tamen intelligere, aut velle creaturam. Ad confirmationem dico, principium vtriuſque productionis, idem eſſe, ſaltem aliquid eſſentiale, atque abſolutum: illud autem principium prius natura, circa obiectum primarium, nempe diuinam eſ- 1.
ſentiam, ſuam habet operationem, ſeu productionem, quàm circa ſecundarium, hoc eſt,
creaturam. Ad 2. quamuis creatio ſit trium ſuppoſitorum, ſicut vltimò denominatorũ; 2.
non tamen ſecundùm iſta numerantur ſuppoſita; ſed magis, ſecundùm principium eſſentiale, quod eſt idem tribus. proinde, creatio eſt eadem in tribus: eſſentialius enim, atq; immediatius, principium reſpicit, quàm ſuppoſitum, quia ſcilicet, ſuppoſitum non eſt, niſi per principium. Ad confirmationem dico, quòd licet ſecundùm rei veritatem, creaturæ productio, productionem præſupponat intrinſecam, quæ ponitur in natura diuina; nihilominùs, ſi per impoſſibile vnum poneretur ſuppoſitum abſolutum; vtiq; eſſet omnipotens ad producendam creaturam. Ad 3. ſi creaturæ productio, inſtar diſgrega- 3.
tionis, albedinem præſupponentis, ſic diuinas præſupponeret perſonas; abſq; dubio, philoſophi per naturalem rationem ad trinitatis cognitionem attigiſſent: ſed non ita, vt dixi, creaturæ productio, intrinſecam in diuinis, productionem præſupponit. id autem, propter humani intellectus imbecillitatem, dicimus accidiſſe: trinitatis enim myſterium, captum ſuperat humanæ mentis. Ad 4. dixi in primo, dicere, ibi non accipi pro 4.
creare, vel producere, ſed pro manifeſtare potiùs effectiuè: perinde enim eſt, patrem, verbo dicere, ac patrem, verbo à ſe producto, creaturam manifeſtare: declarat ſiquidẽ effectiuè, & declarando, facit creaturam: ipſum autem declarare, non eſt facere, ſed concomitatur tantùm.

Quomodo per verbũ deus facit õnia.

Ad confirmationem dico, per verbum omnia facta eſſe: non quidem ſicut per rationem agendi ipſi patri; ſed ſicut per ſuppoſitum creans cum patre. Ad 5. ars eſt nomen commune tribus perſonis diuinis; verbo tamen diuino propriè at- 5.
tribuitur, ob ſimilitudinem ſui modi procedendi per modum intellectus. Quando ergo arguitur, per ſuam artem artificem operari; verum quidem, per artem formaliter ſibi exiſtentem; quomodo etiam pater operatur, per ſapientiam, qua formaliter ſapit: verbum autem non eſt ſic ſapientia patris, vt dixi paulò ante; ſed eſt ars ſubſiſtens producta, & à patre ſuppoſitaliter diſtincta: tali autem arte, nullus artifex, ſicut principio quo, agit, aut agere poteſt. Quomodo ergo productio creaturæ, diuinarum præſupponat productionem perſonarum, atq; quomodo pater omnia fecerit per verbum ſuum, dixi. Laus tibi ſit ſemper ſancte Pymander, qui cum tuo verbo lucido, & ſpiritus numine, omnia condidiſti, diſponis, atq; ſuſtentas, diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Anno 1 5 7 2. 22. Nouembris, hora noctis ſecunda. Tuderti in monte ſancto, ipſo die ſanctæ Ceciliæ virginis, & martyris, die ſabbathi.

DE ANGELORVM NVMERO.

MERCVRIVS.

Fabricauit ſeptem gubernatores.

Commentum V.

QVAESTIONIS PRIMAE. CAP. I.

 Angelos

De numero ſeptenario.

ANGELOS, *ſpiritusq́; cœleſtes, qui ſuis circulis mundum cõplectuntur, & regunt, tum ex philoſophorum libris, tum etiam ex diuinis literis, in rerum natura inueniri, atque à Deo conditos eſſe, qui eſt omnium rerum cauſa effectiua, in hoc quarto Commento oſtendere, atque propalare curaui. inſuper nonnullas de creatione quæſtiones, & dubia, quæ huic negotio deſeruire videbantur, adduxi, & ſoluere ſategi. reliquum ergo nobis eſt, alia ſanctorum ſecreta, atque miniſteria angelorum ſpeculari, & primum ipſorum numerum, ad quod agendum, nos hortatur ſapientiſſimus Mercurius.* Deinceps, *inquit*, ſeptem fabricauit gubernatores, qui circulis ſuis mũdum ſenſibilem complectũtur. *Ex hoc autẽ non licet arguere ſecundùm Triſmegiſti ſententiam, ſeptem tantùmmodò angelos eſſe, quemadmodum antea dixi; ſed planetarum numerum, virtutemq́; oſtendit: numeri quoque ſeptenarij, ab omnibus propemodum celebratiſſimi antiquitatem, & excellentiam manifeſtat. Hoc planè numero, vniuerſa ferme reguntur: quamobrem non temerè, ſeptem numerantur gubernatores, quorum oblationibus mundus quaſi vniuerſus agitur, & diſponitur. ſiquidem, vt primũ, de natura humana loquar, ſeptenarius numerus, ad homines gignendos, & conformandos pertinet: primis enim ſeptem diebus, ſemen coagulatur & idoneum redditur, ad capiendam figuram. ſeptima hora poſt egreſſum ab vtero decernit, an ſit infans victurus. à ſeptimo die nomen illi imponitur, tanquam ſaluti eius tunc primùm confidendum ſit: autho: philoſopho 7. de animalibus. poſt ſeptimum menſem fiunt dentitiones, & incipiunt dentes emergere è mandibulis. poſt annum ſeptimum, primis dentibus cadentibus, alij ſubnaſcuntur, ad ſolidum cibum apti. ſeptimo anno etiam abſoluitur planè integritas loquendi, vnde ſeptem vocales ſunt apud Græcos in vſu: Annis bis ſeptem, pueri pubeſcunt, & fit initium generationis: Annis ter ſeptenis, fit robuſta genitura. ſeptimo ſeptenario annorum, prudentia, & lingua conſumatur 7. Polit: & ſeptem ſepties reduplicati, faciunt ætatem, quæ propriè perfecta eſt. Cùm verò decas illi ſeptenario iungitur, id eſt, decies ſeptem anni computantur, id eſt, 70. hæc eſt meta viuendi ſecundum phyſicos: & hîc terminatur ſpacium vitæ humanæ perfectum, quod, quiſquis exceſſerit, vacat ſoli exercitio ſapientiæ, ab omni officio vacuus, vt dicit Macrobius. Medici quoque aiunt, arterias, numero ſeptenario includi. Item, in morbis, ſeptimus dies, maiora continet vitæ diſcrimina; ideo illi hunc maximè obſeruant, & ſeptimos dies, iudiciales appellant, quoniam, vt ait Cornelius Celſus, tunc de illis iudicatur. Et Hippocrates, ſeptimum diem efficaciſſimum exiſtimat. Et liber Galeni de diebus criticis, in quo tradit ſeptimum diem omnibus iudicialibus antecellere potentia, & nobilitate. Et ſicut ſeptimus eſt decretorius in morbis; ita per omnem vitam ſeptimus quiſque annus, eſt periculoſus, & inter hos ann: 49. quem complent anni ſepties ſeptem. & ann: 63. quem hebdomadæ 9. complent. huiuſmodi autem annus ab Ægyptijs Androclas appellatur, eò quòd frangat omnem viri ſubſtantiam. Summus modus adoleſcendi, eſt ſeptem pedum: & quibus decretum eſt mori inedia, ſeptimo die moriuntur. Septem ſunt intra hominem, quæ à Græcis nigra membra vocantur: lingua, cor, pulmo, iecur, lien, renes duo. ſeptem item alia cum venis, & meatibus, quæ ſingulis adiacent, ad cibum, & ſpiritus reciprocationem deſtinata: guttur, ſtomachus, aluus, veſica, & inteſtina principalia tria, diſcipium, meſenterion, hira. Septem ſunt quoq; gradus in corpore, qui dimenſionem altitudinis ab imo in ſuperficiem complent: medulla, os, neruus, vena, arteria, caro, cutis. in aperto item ſeptem ſunt corporis partes: caput, pectus, manus, pedesq́;, & pudendum. Item, quæ diuiduntur, non niſi ſeptem compagibus iuncta ſunt, vt in manibus eſt, humerus, brachium, cubitus, vola, & digitorum nodi terni. in pedibus verò femur, genu, tibia, pes ipſe, ſub quo vola eſt, & digitorum ſimiliter nodi terni. Et quia ſenſus, e-*

Septenarij numeri dignitas.

Septenarius in natura humana.

Ariſtoteles.

Macrobius.

Medici.

Cornelius. Celſus.

Hippocrates.

Galenus.

Androclas.

Nigra membra.

Septenarius numerus in ſenſibus.

orumq;

De numero ſeptenario.

orumq́; miniſteria in capite natura, velut in arce conſtituit; ſeptem foraminibus ſenſuum celebrantur oris officia, deinde oculorum, narium, & aurium. Quare, numerus hic totius fabricæ diſpenſator eſt, ac dominus. Facit itaq; hic numerus humani corporis ſtructuram nobiliorem: facit & cœleſtia vagantium planetarum ſeptenario venuſtiora, quibus hæc ſtructura regitur & temperatur; vnde illorum ſeptem gubernatorum effigiem præſeferens, eorundem ſeruitutem proteſtatur.

Alexander.

Cùm ergo quærit Alexander, vnde fiat, quòd ſeptimeſtres infantes ſint vitales, & octimeſtres moriantur, reſpondet: ſeptenarij perfectione id euenire, vt Pythagoræ probatur teſtimonio, & conſentiunt arithmetici.

Pythagoras. Arithmetici. Cicero.

Eſſe verò ſeptenarium perfectum, & (vt ait Cicero) omnium rerum nodum, inde cenſemus, quippè geminam vim obtinet vinciendo, quia ambæ partes eius vincula prima ſortitæ ſunt, ternarius, cum vna medietate, quaternarius cum duabus. Porrò, is eſt perfectus numerus, qui ex pari conſurgit atq; impari, fœmina ſcilicet, & mare.

ſeptenarius eſt omniũ rerum nodus.

Quòd ſi hæc virtus alijs minoribus numeris ineſt, ex ſeptenarij numeri partibus ineſt: totus etiam impar numerus primus, ternarius eſt: totus par, quaternarius, ex quibus duobus conſurgit ſeptenarius.

Septenarius numerus apud ſacras ſcripturas celeber eſt.

Apud ſanctas ſcripturas celeberrimis laudibus hic numerus veneratur, atq; non paucorum myſteria diuinorum obtinet. Inprimis, ſeptimo die quieuit mundi artifex ab opere, quod in mundi fabrica patrarat, illiq́; ſeptem dies, ſeptem mũdi ætatibus reſpondent.

Septem ætates. Prima.

Prima namq; humani generis ætas, primo diei comparatur, quo fecit deus lucem. ſic homo cùm primò naſcitur, exit ad lucem, primamq́; agit ætatem, quæ infantia dicitur. hæc tẽditur ab Adam vſq; ad Noe generationibus decẽ, quaſi veſpera huius ſit diluuiũ; quia & infantia noſtra, tanquã obliuionis diluuio deletur, & incipit mane temporibus Noe.

Ætas ſecũda.

Secunda ætas, tanquã pueritia tenditur vſq; ad Abraham, generationibus decem: & hæc cõparatur ſecundæ diei, qua factũ eſt firmamentũ inter aquã, & aquam. hæc ætas diluuio non deletur, quia pueritia noſtra obliuione non tegitur. huius veſpera eſt confuſio linguarum in eis, qui turrim ædificabant, & fit mane ab Abraham.

Ætas tertia.

Tertia ætas eſt adoleſcentia, quæ comparatur tertiæ diei, qua ab aquis terra ſeparata eſt, & porrigitur vſq; ad Dauid. huius veſpera eſt in populi peccatis, quibus diuina mandata præteribant, vſq; ad malitiam peſſimi regis Saul, & inde fit mane regnum Dauid.

Ætas quarta.

Quarta ætas eſt iuuentus, quæ omnium eſt ætatum firmamentnm atq; ornamentum; ideo quartæ diei cõparatur, in qua facta ſunt ſydera in firmamẽto: hæc porrigitur vſq; ad captiuitatem Babylonis. huius veſpera fuit in peccatis regum, quibus illa gens meruit captiuari atq; ſeruire; & fit mane tranſmigratio in Babyloniam.

Ætas quinta.

Ætas quinta eſt, declinatio à iuuentute in ſenectutem, nondum ſenectus, necdum iuuentus, hanc græci vocant πρεσβύτην *Et reuera, ſic iſta ætas à regni robore inclinata eſt, & fracta eſt in populo Iudæorum, quemadmodum homo à iuuentute fit ſenior.*

Ætates ad mores comparantur.

hæc comparatur quintæ diei, in qua facta ſunt in aquis animalia & volatilia cœli, quia illi homines volare cœperunt in alias regiones, incertam ſedem habentes. ſic etiã homo, prima ætate habet lucem fidei: ſecunda firmamentum diſciplinæ, quia diſcernit inter aquas ſuperiores & inferiores: tertia fert fructum bonorum operum, arida, à perturbationibus maris liberata: quarta, in firmamento diſciplinæ, ſpirituales intelligentias, velut ſydera micãtia producit. veritas tanquam ſol fulget in anima, & luna, & ſtellæ, id eſt, aliæ intelligentiæ ſpirituales illuminant huius vitæ obſcuritatem: quinta verò ætate, in actionibus turbulentiſſimi ſeculi laborat, ac animalia viua, id eſt, actiones fortiſſimas parit. huius ætatis quaſi veſpera eſt multiplicatio peccatorũ in populo Iudæorum: mane autem fit prædicatio euangelij, & finitur ætas quinta, & incipit ætas ſexta, in qua ſenectus veteris hominis apparet.

Ætas ſexta.

hac enim ætate, illud carnale regnum vehementer attritum eſt, quando & templum deiectum eſt, & ipſa ſacrificia ceſſauerunt in iſta autem ætate, tanquã in ſenectute veteris hominis, homo nouus naſcitur; ideo rectè comparatur ſextæ diei, in qua homo creatur, & cæterorum animalium dominus declaratur. ſic ſexta ætate, pro-

De numero ſeptenario.

ducit terra animam viuam, id eſt, de ipſa ſtabilitate mentis ſuæ bonas cogitationes, maſculum & fœminam, id eſt, intellectum & actionem. huius ætatis veſpera, eſt defectus

Ætas ſeptima

fidei, ſicut ſcriptum Lucæ 18: Putas, veniens filius hominis, inueniet fidem in terra? Mane eſt aduentus domini in maieſtate, & comparatur diei ſeptimo, in quo deus requieuit ab operibus ſuis: ipſe enim requieſcere dicitur, quia poſthæc omnia opera, requiem nobis præſtabit. Septenario ergo numero mundi ſtructura compoſita eſt: humani generis ætas diſtributa, & regitur: hebdomada tanto dierum circulo clauditur, ſingulos dies ſingulis rectoribus diſtributos, atque dicatos gerens. De hoc quoque numero extant & alia

Septem peccata Cain.

ampliſſima ſcripturarum teſtimonia. In Geneſi, Cain ſeptem ſcelera commiſit, cap: 4. Primò, quia in ſacrificio domini non rectè diuiſit. Secundò, quia fratri rectè diuidenti inuidit. Tertiò, quia correptus à domino, non audiuit. Quartò, quia fratrem dolo circũuenit. Quintò, quia occidit. Sextò, quia deo quærenti procaciter reſpondit. Septimò,

Qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur.

quia conuictus deſperauit. Item: Qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur. Aquila ſeptemplicitur: Symmachus hebdomadæ, id eſt ſeptenarium numerum, ſeptuaginta ſeptẽ ſcelera exoluet. Septenarium itaque numerum, alij ad genera pœnarum, occiſori ipſius Cain inferenda referunt; alij ad generationem ſeptimam, qua natus eſt Lamech occiſor Cain, vſque ad ſeptem generationes: ſepties ergo ille vindicabitur qui occiderit Cain, id eſt, ſeptima ætate de eo ſumetur ſupplicium: vel ſeptuplum, id eſt, æternaliter: ſepte-

Septem ſignificat vniuerſitatem. Homerus. Maro.

narius enim numerus vniuerſitatem ſignificat. Vnde illud Salomonis: Septies in die cadit iuſtus. Et Dauid: Septies in die laudem dixi tibi. Et ſeptem vitia eiecta ſunt ex Magdalena. Vnde illud Homericum: Ter beati Graeci, & quater, qui tunc prodiêre. Vnde Maro: O terque quaterque beati: quod iuxta Thucididem idẽ ſonat, quod prorſus, & omnino. Reſtat domini ſententia in euangelio palàm loquentis Matth: 18 Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties. quod Auguſtinus in lib. de verbis domini, vniuerſitatem ſignificare oſtendit. Septem animæ fuerunt cum Noe in arca. Septem diebus veſcebantur azimis, Exod: 12. Septem lucernæ ſuper vnum candelabrum, Exod: 25. Se-

Septem plagæ filiorum Iſraël in deſerto.

ptẽ gentes eijciendæ de terra promiſſionis. Septẽ plagis flagellati ſunt filij Iſrael in deſerto. Prima, in ſepulchris cõcupiſcentiæ, Num: 1. Secunda, in Datan, & Abiron, Num: 16. Tertia, quando egreſſus eſt ignis. Quarta, in murmuratione. Quinta, in ſerpentibus igneis. Sexta, in Belphegor. Septima in Phinees. In Iſa: Septem mulieres apprehendunt virum vnum. Septem ſpiritus dona requieſcunt in Ieſu. Septem perſequutiones Da-

Septem in ſcripturis.

uid. Naman ſepties in Iordane lauit ſe. Septies puer oſcitauit Septem Eccleſiæ in Apocalypſi. Septem candelabra aurea. Septem ſtellæ in dextera filij hominis. Liber ſignatus ſeptem ſigillis. In vno lapide ſeptem oculi, ſecundùm Zachariam. Septem Græcorũ

Septem ſapiẽtes Græciæ.

ſapientes, Thales, Pyttbacus, Bias, Solon, Chilo, Periander, Cleobulus. Sapientia ædificauit ſibi domum, & excidit columnas ſeptem. Septem diebus luxerunt mortem Iacob. Septem hebdomades ſanctæ Pentecoſtes numerum complent: & iubileus, annus remiſſionis, tubarumque clangentium, hoc numero texitur. In ſeptimo quoque menſe figuntur tabernacula: & hebræus cùm ſex annis ſeruierit, ſeptimo liberabitur. Septem diebus febres ardentiſſimæ, iuxta Galenum, vires ſuas exerunt. Septimo anno libera erat humus ab agricolæ laboribus. Soluta eſt captiuitas anno ſeptuageſimo. Septimus ab Adam E-

ſeptuageſima

noch mortem non vidit, myſterium Eccleſiæ repræſentans. Septimus ab Abraham Moyſes legem accepit. Septuageſima ſeptima generatione ab Abraham Chriſtus mundo apparuit. Itaque numerum ſeptenarium magnæ religionis fuiſſe, tùm apud ſacros, tùm etiam gentiles, latiſſimè patet. Quam ob cauſam Aulus Gelius lib. 3. & Macrobius libr: 1. in ſomnium Scipionis, perſecuti ſunt, quantùm in cœlo, quantùm in mari, quantùm in homi-

Pythagoras laudabat hũc numerum.

nibus valeat. Pythagorici hunc numerum, vt Chalcidius inquit, laudabant, tanquam optimum & naturaliſſimum, & ſufficientiſſimum: ex pari namque & impari conſurgit. par autem numerus, teſte Euclide, eſt, qui biſariam diuiditur; impar, qui biſariam nõ diuiditur.

Angelorū numerus.

diuiditur. Ternarius non modò non bifariam, ſed nec in nullos poteſt numeros diuidi; vnitas enim numerus non eſt, qua ternarius in geminos diſtinguitur, & primus quaternarius duas vnitates nactus eſt, teſte Macrobio, & Auguſtino n de ciuit: dei. cap, 31. ideo ſæpè pro vniuerſitate ponitur. Quoniam igitur numerus ſeptenarius eſt optimus, naturaliſsimus, ſufficientiſsimus, ab omnibusq; celebratiſsimus; non temere Pymandrū, ſeptem fabricaſſe gubernatores, id eſt ſeptem planetas, Mercurius prudentiſsimè ſcribit. De quibus profectò in quarto libro diſputaui: nunc autem diſputabo de angelorum numero, an ſeptem ſint, plures, vel pauciores, necne; idq; diuinis illis ſpiritibus opem nobis piè ferentibus.

CAP. II.

Angelorum numerū, motuum atque mobilium numerum ſuperare.

Mercurius de numero angelorum.

QVemadmodum paulò ante recitauimus, ex ſententia Mercurij, angelorum numerus numero ſtellarum cōparatur: Dinumeratæ ſunt ſtellæ, *inquit,* ſecundùm eos, qui habitant illas, deos. *Itaq;, vt Mercurius ſentire videtur, magnus, & propemodum infinitus eſt angelorum numerus. hoc idem ex Platone colligere licet, ſicuti dixi adducendo Platonis teſtimonia, quæ conſtanter de angelis loquuntur. Ex Timæo, Dij deorum, inquit, &c. Et in Phædro, angelorum exercitus atq; agmina, Iouem ſequentia deſcribit. Et in quarto de Repub: dicit, angelos hominum eſſe cuſtodes, quos deorum nomine vocat. Clariſsima, firmiſsimaq; ergo eſt apud Platonem doctrina, magnam ferèq; innumerabilem angelorum eſſe multitudinem, qui cœlum habitant, atq; rerum gerendarum curam habent. Qui ergo volunt dicere angelos, rerum ſpecies, Platonem poſuiſſe; quàm maximè aberrant à Platonis theologia, qui planè, vt in primo dictum eſt tractatu de ideis, dei rationes in diuina mente æternaliter exiſtentes, ideas appellauit. Angelorum quoq; numerum, diuinæ ſcripturæ proteſtantur, Danielis 7. Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſsiſtebant ei. Et David 68. Currus dei decem millibus, multiplex millia Iob putat angelorum numerum propemodum eſſe ſine numero: Nunquid eſt, inquit, numerus militum eius? In euāgelio, duodecim angelorū legiones ſe poſſe habere, dominus Ieſus profitetur, & multa eiuſmodi in ſanctis inueniuntur ſcripturis. Magnum ergo eſſe angelorum numerum, tùm ex diuinis ſanctisq; ſcripturis, tùm etiam ex Mercurio, & ex Platone, philoſophiæ atq; philoſophorum ferme omnium principibus, clariſsimè conſtat. Quod etiam confirmat Dionyſ: cel: hierarch. cap: 9. Multi ſunt, inquit, exercitus ſupernarum mentium, infirmam, & conſtrictam excedentes noſtrarum materialium numerorum commenſurationem. Sanè, ſi in rerum creatione vniuerſi perfectionem deus benedictus intendebat, atq; quantò aliqua perfectiora, eò plura condidit; ſic corporum incorruptibilium multitudo, corruptibiliū multitudinem, numero quaſi incomparabili ſuperat: tota namq; ſphæra actiuorum atq; paſsiuorum cœleſtibus corporibus comparata, nihil, vel ſaltem modicum quid reputatur. Itaq; magnum eſſe angelorum numerum patet. Reuera ſicut pro conſeruando cauſandoq; motu primo, neceſſarium eſt omninò primum mouēs, omnibus modis immobile; ita etiam pro diuerſitate motuum, diuerſi ordinati ſunt angeli: quilibet enim motus planetarum diuerſimodè vagantium, à proprio agitur motore. Quot ſunt ergo aſtrorum lationes; tot quoq; motores numerantur. Verùm ex numero motorum, angelorum, ſiue intelligentiarum multitudinem metiri non licet: nam etſi tot motores habeantur, quot ſunt aſtrorum motus atq; lationes; tot quoq; eſſe intelligentias; non plures, aut minores, aſſerere confiteriq; non expedit: non enim angeli propter motū, aut mo-*

Plato de nūmero angelorum.

Scripturæ de numero angelorum.

Dionyſius de numero angelorum.

Angelorũ numerus.

Quòd angeli non ſint propter motum.

aut mobilia creati ſunt; ſed mobilia, & motus propter angelos, alioqui corpora cœleſtia angelis eſſent nobiliora, quod eſt falſum: nam finis nobilior eſt his, quæ ſunt ad finem. Præterea, ſubſtantiarum ſiue intelligentiarum vita, eſt intelligere & amare ſummum ens, vnde beatitudinem conſequuntur, non mouere orbes, quorum actio eſt extrinſeca: & beatitudini intrinſecæ conducit nihil, alioqui primi entis contemplatio, plenam perfectamq́; beatitudinem præſtare non poſſet, quod planè impium eſt dicere. Explodenda eſt ergo illorum ſententia, qui aiunt: ſi angeli non mouent orbes, ocioſos fore, illorumq́; finem motum orbium eſſe. Etenim, ſubſtantiæ ſeparatæ, cùm naturæ nobilitate omnibus prorſus corporibus præſtent; non video, quomodo ob illorum motus actiones quę beatæ dicendæ ſint; licèt intelligentiæ motrices, ſecundùm habitudinem cauſarum magis minùsq́; vniuerſalium, ad effectus huiuſmodi producendos diſpoſitæ ſint. Si præterea, ſupra vltimum cœlum ſunt entia, optimam & beatiſſimam vitam agentia, vbi nō eſt tempus, neq; motus, nec quicquam huiuſmodi; & inter illa, eſt vnum primũ & ſummum ens, à quo & cætera entia, vitam, beatitudinem, atq; perfectionem mutuant, idq́ue gradatim, ſecundùm diſtinctos naturæ gradus, quos ipſæ ſortitæ ſunt; profectò illa in mouendis orbibus non occupantur, neq; ea otio torpere putandum eſt, alioqui à vera beatitudine quàm longiſſimè aberrarent. Sunt ergo alia entia, præter motores orbium, atq; primum mouens, quæ quidem intelligentiæ appellantur. ſiquidem, non omnis ſubſtantia immaterialis, alicuius motus cœleſtiũ fons, neceſſariò dicitur: ſunt enim aliquæ ſubſtantiæ ſeparatæ, cœleſtibus motibus altiores atq; ſublimiores. Porrò, philoſophus 12. met, com. 47. ſic ait: Si nullam poſſibile eſt dicere lationem non ordinatam ad aſtri lationem, omnem autem ſubſtantiam impaſſibilem, ſecundùm ſe optimum finem ſortitam eſſe. ſed mouere orbes, eſt optimus finis: nulla ergo erit præter has altera natura. ſi enim eſſent aliæ; mouerent vtiq;, tanquam finis exiſtentes lationis: ſed alias quidem eſſe lationes, impoſſibile eſt, præter dictas. hoc autem exiſtimare ex latis, rationabile: nam ſi omne ferens, lati gratia natum eſt, & latio omnis, lati alicuius eſt; nulla vtiq; latio ſui gratia erit, nec alius vtiq; lationis, ſed aſtrorum gratia: nam ſi fuerit lationis gratia; & illam alterius oportebit eſſe. Quare, cùm non ſit poſſibile ire in infinitum, finis erit latorum aliquod diuinorum corporum. Hæc Ariſtotelis ratio, omnibus modis ſacræ aduerſatur ſcripturæ atq; veritati. Itaq́; magna, & penè infinita eſt intelligentiarũ multitudo, quod etiam à multis philoſophis non eſt alienum.

Finis angelorum non eſt mouere orbes

Intelligentiarũ beatitudo.

Ariſt. opinio.

CAP. III.

Angelorum numerum, motuum, atque corporalium rerum, non ſuperare multitudinem, argumentis oſtenditur.

QVantò aliquid vni vicinius eſt, tantò magis ſapit vnius naturam: & ex conſequenti, minore numero clauditur. ſed intelligentiæ inter alias creaturas, naturæ nobilitate deo proximiores ſunt, deus autem eſt maximè vnus: igitur intelligentiæ paruo in numero continentur. Sanè, numerus eſt ſpecies quantitatis, ſequiturq́; continui diuiſionem: ſed in angelis non eſt quantitas, ſunt enim ſubſtantiæ corporeæ: nullo ergo vel paruo numero gaudent. Amplius, intelligentiarum multiplicatio, radiorum multiplicationem æmulatur, authore Dionyſio, de diuinis nominibus, cap: 4. Propter radios, inquit, diuinæ bonitatis ſubſiſtunt intelligibiles, & intellectuales ſubſtantiæ: ſed radius ex diuerſitate multiplicatur recipientium, quæ profectò in angelis eſſe non poteſt, ob diuerſitatem materiæ, quia incorpo-

 Angelorū numerus.

*incorporei ſunt : contmget ergo illis , ob diuerſitatem motuum atq; mobilium. tot ergo
ſunt angeli, quot motus habentur in cœlis. Reuera, proprius intelligentiarum effectus, eſt
cœleſtium corporum motus , qui paruo numero continentur : angelorum ergo numerus
magnus cenſeri non poteſt, ſed minimus potiùs. Adhuc, multiplicatio indiuiduorum, ex* 3.
*materiæ qualitate proficiſcitur : ſed in angelis quidem, materiæ locus non datur : nec er
go indiuiduorum multitudo. Quòdſi dixeris, ſingulis quibusdam angelis, ſingulas ſpecies
aſsignatas eſſe , id quoq; dubitatione non caret ; nam ſpeciei ornatus , eſt indiuiduorum
multitudo, fruſtraq́; multiplicantur ſpecies, ſi indiuiduorum numero careāt. Item, ſi plu* 4.
*res ſint angeli, quàm orbium motores : igitur non omnes ſunt beati atq; perfecti: ange-
lorum enim beatitudo atq; perfectio , in hoc potiſsimùm verſatur , vt deo quàm ſimilli-
mi fiant quod certè per motum orbium illis contingit , in quibus mouendis , deo ſimillimi
ſiunt, Deus ſiquidem eſt primum mouens, primi mobilis , vt omnes propemodum teſtari
videntur. Non ſunt ergo plures angeli, quàm motores orbium.*

CAP. IIII.

Soluuntur argumenta.

AD primum, verum quidem eſt, intelligentias deo proximiores eſſe , idq́ue 1.
*ob naturæ nobilitatem, deiq́; naturam æmulari maximè , quatenus ſcilicet
ſimplicis ſint naturæ , abſq; multiplici compoſitione ; ob id tamen in mini-
mo numero contineri , nequaquam neceſſe eſt : nam & in natura diuina nō
vnum tantùm, ſed tria inueniuntur ſuppoſita. Itaq́;, dignitas vnitatis , non
perſonarum numerum, ſed ſimplicis reſpicit naturæ puritatem. Cùm ergo angeli naturæ
puritate, perſpicacia, intelligentiaq́;, deo quàm ſimillimi ſint ; ideo deo viciniores atque
proximiores eſſe dicuntur. Ad confirmationem dico, in angelis non inueniri numerum,
qui cauſatur ex diuiſione continui, quemadmodum eſt quantitas diſcreta ; ſed ex forma-
rum diſtinctione, quatenus multitudo eſt de tranſcendentibus. Ad 2. negatur ſimili-* 2.
*tudo: angelorum enim multitudo, ſiue multiplicatio, ſecundùm materiam accipienda nō
eſt ; ſed potiùs ſecundùm diuinam ſapientiam, diuerſos immaterialium ſubſtantiarū or-
dines ſtatuentem : ſapientiſsimi enim artificis eſt, varios rerum ordines prudenter exco
gitare, atq; ad eſſe perfectum poſſe deducere. Itaq́;, Deus benedictus inſtar ſapientiſsi-
mi architecti, domum ſuam, varijs formarum generibus ornare diſpoſuit; idq́; ſine ſub-
iecti aut materiæ alicuius adminiculo, quod profectò ad primum tantùmmodò ſpectat
opificem : nam cæteri artifices in operando, materia , ſiue ſubiecto indigent ; ſunt enim
imperfecti, atq; finitæ limitatæq́; naturæ. Ad probationem dico, rationem illam acce-
ptandam, atq; amplectendam non eſſe, ob eas certè rationes , quas paulò ante adduxi :
non enim immateriales ſubſtantiæ ſunt propter corporales , ſed è conuerſo potiùs : finis
ſiquidem nobilior eſt his, quæ ſunt ad finem. Quam ob cauſam ipſemet Ariſtoteles, hu-* Ratio Ariſto-
iuſmodi rationem probabilem magis quàm neceſſariam eſſe apertè profitetur : ex ſenſi- lis probabilis;
bilibus autem inductus fuit, vt tali ratione vteretur : per ſenſibilia enim, ad intelligibi- nō neceſſaria.
lium notitiam , cognitionemq́; inducimur. Ad 3. ad primam partem argumenti patet 3.
*ſolutio ex ſupradictis. Ad aliam verò dico , aut non fruſtra multiplicari ſpecies , ſine
indiuiduorum numero, imò ſummam artificis præſeferre ſapientiam ; aut multiplicatio-
nem illam, non ex materiæ conditione , ſed ex opificis ſapientia proficiſci. Ad 4. ange-* 4.
*lorum perfectio atq; beatitudo, nō in mouendo conſiſtit; ſed in intelligendo, atq; amando
ſummū bonum , quod quidem ob naturæ puritatē, gratiæq́; benignitatem aſſequuti ſunt.*

CAP. V.

 Sub vna

Angelorũ numerus.

Sub vna & eadem ſpecie intelligentiarum, plura indiuidua contineri, rationibus oſtenditur.

QVoniam plures eſſe intelligentias, quàm ſint orbium motores, hactenus oſtendere curaui; deinceps, ſi ſub eadem ſpecie plura habeantur indiuidua, dicere inſtitui; tum quia propoſitæ tam materiæ congruum eſſe reputaui, tum etiam, quia percelebris eſt, multùmq́ famoſa inquiſitio. Et quidem de hac quæſtione philoſophus 12. met. com. 49. partem negatiuam tueri videtur: volens enim probare vnum tantùmmodò cœlum, id eſt, mundum eſſe, hoc modo arguendo probauit: Si plures, inquit, mundi eſſent, quilibet profectò ſuum haberet primum, hoc eſt primum motorem. ſed plures eſſe primos motores eſt impoſsibile, alioqui eſſent ſpecie vnum, & diſtincti numero, quod certè ſolum continget materiam habentibus: ſed primus motor eſt puriſsimus actus: in abſtractis ergo à materia, ſub eadem ſpecie plura numero indiuidua contineri, impoſsibile eſſe arbitratur. Quòd autem in primo motore materiæ locus non ſit, ſic manifeſtum eſſe poteſt, quia vna ratio, ab vna ſumitur forma, pluralitas verò à materijs plurimis. Quòd autem quod quid erat eſſe, non habet materiam primum, hoc eſt, prima forma, vel primum principium, eſt purus actus: nam ſi prima forma haberet materiam; prima forma, teſte Commentatore, aliam haberet eſſentiam, hoc eſt, quidditatem ab indiuiduo diſtinctam. quòd ſi illa materiam aliam habuerit; proceſſus vtiq; fiet in infinitum; ſin verò, in prima ſtandum erat. Quoniam igitur in abſtractis non eſt materia, quæ eſt multitudinis cauſa; nec ergo eſt indiuiduorum multitudo. Indiuidua præterea ideo plura numero ſub eadem ſpecie continentur, quia ſcilicet diuerſis accidentibus ſubdita ſunt: ſed ſubſtantiæ abſtractæ non ſubduntur accidentibus diuerſis: igitur ſub eadem ſpecie indiuiduorum pluralitas non habetur. Verùm, ſi materia, authore Auicenna in met. ſpeciei principium ſit, vtpotè pars quidditatis; principium ergo, quo indiuiduum ſit vnum numero, eſſe non poteſt. Amplius, accidentia ſubſtantia poſteriora ſunt, & hæc quidem accidentia, hac ſubſtantia: in hac enim ſubſtantia, hoc accidens recipitur. Quare, præceſsit ſubſtantia vna numero, deinde indiuidua ſubſequuta ſunt accidentia. Ex illis ergo duabus rationibus, indiuiduorum carentiam aut multitudinem, non licet colligere. Indiuiduum propria hypoteſi eſt vnum numero: nam quemadmodum ſpecies vltima ſpecifica differentia, conſtituitur in eſſe; ita planè indiuiduum, propria differentia indiuiduali. hæc ab Auicenna paſsim hypoteſis appellatur, quæ nec accidens eſt, ſed accidentia præcedit, nec ſubſtantia, ſed modus ſubſtantiæ: ſic hominis differentia non eſt homo formaliter, ſed modus hominis. id autem aliqui vocant hæcceitatem, qua Mercurius eſt hic, & Plato ille. Verùm Auicennæ rationes ita ab aliquibus ſoluuntur: Illæ, inquiunt, diſpoſitiones qualitatiuæ & quantitatiuæ, indiuiduum quidem partim præcedunt, partim verò ſubſequuntur; præcedunt certè materiæ prioritate ad formam, & in genere cauſæ materialis; ſequuntur verò ordine effectus, ad formalem ſiue ad effectricem cauſam. hac de cauſa, ſubiecto priores ſunt, idq́ diuerſimodè: nam ſubiectum prioritate efficientis, ſiue formæ ad materiam, prius eſt illis: viciſsim, ſubiectum, illæ præcedunt ordine materiæ ad formam; diſpoſitiones ſiquidem ad materialis cauſæ genus reducuntur. Tunc ad primam Auicennæ rationem hoc modo reſpondent: Quamuis materia ad ſpeciei rationẽ pertineat; ea tamẽ, quæ indiuidualibus affecta eſt rationibus, ad indiuiduũ ſpectat: principium namq́, quo indiuiduum eſt vnum numero, ab alio eiuſdem ſpeciei diſcretum, eſt materia, diſpoſitionibus qualitatiuis atq́ quantitatiuis affecta: materia enim ſola, remotum quidem principium reputatur: at, huiuſmodi affectionibus contracta, principium

Primum mouens non habet materiam Ariſtoteles.

Auerroes.

Auicennæ opinio de indiuiduatione.

Soluuntur rationes Auicennæ.

Hæcceitas.

vtique

Angelorū numerus.

vtiq; eſt, quo indiuiduum vnum eſt in ſe, à quolibet eiuſdem ſpeciei numero diuiſum atque diſcretum. Ad 2. verum quidem eſt, quòd accidentia indiuiduum præſupponant, 2.
illa, inquam, quæ materiam ad formam introducendam diſponere nequeunt. at, quæ diſponunt, indiuiduum vtiq; præcedunt: indiuiduorum ergo multiplicatio, ex materiæ natura proficiſcitur. quam ob cauſam, quibus materia non ineſt; nec etiam indiuiduorum multitudo poterit ineſſe Reuera, aut plura ſub eadem ſpecie indiuidua continentur, ob
tranſcendentem numeroſitatē, aut certè prædicamentalem: ſed prima ad eſſentias pertinet; ideo ſpeciebus cõuenit, non autem indiuiduis, ſecunda verò ad quantitatem diſcretam. ſed numerus diſcretus, ex diuiſione continui cauſatur: igitur ob diuiſionem continui, indiuidua ſunt numero plura Amplius, quæcunq; differentijs, omnia propemo- 3.
dum accidentia præcedētibus, diſtinguũtur, accidentaliter differre non poſſunt: & clariſsimè patet. ſed indiuidua accidentaliter differunt: ergo proprijs differentijs non di- 4.
ſtinguuntur, quæ omnia accidentia præcedunt. Item, omnis differentia, aut finita di- 5.
cenda eſt, aut infinita: indiuiduorum ergo multiplicatio ex quantitatis conditione procedit. Tenet conſequentia: differentia enim, qua indiuiduum in eſſe conſtituitur, aut eſt finita, aut infinita. ſed finitum, & infinitum, 1. phyſ. authore philoſopho, quanto tantùmmodò congruunt: indiuiduorum ergo multitudo ex materia procedit. Amplius, 6.
ſi duæ intelligentiæ ſub eadem ſpecie contentæ, ab inuicem diſtinguantur; aut ſua quidem natura, aut accidentibus. ſed natura quidem conueniunt: eadem ergo non diſtinguuntur. neq; accidentibus; præſupponunt enim ſuppoſita diſtincta, quibus ipſa poſtmodum acceſſerunt: nullo ergo modo vnius ſpeciei intelligentiæ ab inuicem diſtinguuntur. Pluralitas præterea indiuiduorum, ſecundùm ſe eſt infinita atq; indeterminata: vt ex conſequenti, non intenta à natura. Sed in angelis nihil huiuſmodi inuenitur; non enim fas eſt dicere, aliquid à natura non intentum inueniri in beatiſsimis perfectiſsimiſq; ſpiritibus. ergo quod prius. Adhuc, ſi vnum cælum ſufficit vniuerſi totius ornatui atq; pul- 7.
chritudini; multò ergo magis vnus angelus, vnam ſpeciem implebit atq; perficiet: præſtantior enim eſt angelus qualibet natura corporea Itaq; quilibet angelus vnius propriè ſpeciei eſt, ſub qua nulla eſt indiuiduorum multiplicatio,

CAP. VI.

Soluuntur Argumenta.

AD primum, non puto Ariſtotelem ſenſiſſe aliquam naturam, quæ materia 1.
caret, ſub eadem ſpecie plura indiuidua habere non poſſe, quaſi ſi materiam non habeat, tanquam partem ſui, omni prorſus indiuiduorum numero priuari; ſed magis veriſimile eſt id dicere voluiſſe, ſi primũ mouens multiplicaretur, haberet vtiq; materiam, id eſt, naturam potentialem, atque per aliquam differentiam indiuidualem contrahibilem, ſicq; non eſſet purus actus: hoc autem modo approbo angelum poſſe materiam habere Itaq; materia dici non poteſt indiuiduationis, aut multiplicationis magis principium, quàm forma: non enim materia, aut quantitas ex ſe eſt, plus hoc, quàm aliquod aliud; imò illud, quod ex ſe, cũ re ipſa, & ſubſtantialiter eſt, hoc idem, atq; eſſentialiter, formale indiuiduationis principium dicendum eſt: huiuſmodi autem plura, pluriũ indiuiduorum eſſe poſſunt, nempè differentiæ indiuiduales, & ſimilia. Illud etiam, quod adducitur, diuidi in plures partes eiuſdem rationis ad quantitatem ſpectare, in partibus quidem quantitatiuis, atque integralibus veritatem habet, quæ aliquando ad vnius quanti numero compoſitionem concurrunt: ſed hæc diuiſio vniuerſalis non eſt, ideoq; contemnitur. alio ſiquidem modo, quàm quantitatiuo, angeli inter ſe diuiduntur. Sed dicet aliquis, qualibet ſubſtantia ſeparata à materia, totam ſuæ ſpeciei perfectionem habet: veluti, ſi albedo ſeparata ſubſiſte-

Materia non eſt principiũ indiuiduationis.

Obiectiones.

Angelorũ numerus. *ſubſiſteret, vna tantùmmodò eſſet. ſed angelus eſt ſubſtantia ſeparata à materia: in*
2. *vna ergo ſpecie, vnus tantùmmodò eſt angelus. Sanè, hac de cauſa ſpeciei pluralitas indiuiduorum neceſſaria eſt, quia vnico ſe indiuiduo tueri non poteſt, idq́ ob indiuiduorum corruptibilitatem: ſed angeli natura eſt incorruptibilis: fruſtra ergo ſub eadẽ*
3. *ſpecie indiuidua multiplicarentur. Profectò, in quibus quod quid eſt, & cuius eſt quod quid eſt, omnino idem eſt; plura indiuidua, ſine multiplicatione ipſius quod quid eſt, nequaquam multiplicantur. ſed in ſeparatis à materia, cuiuſmodi ſunt angeli, vt dicitur 7. met. idem eſt quod quid eſt, ſiue quidditas, & illud cuius eſt: in ipſis ergo nõ eſt plu-*
Solutiones. *ralitas indiuiduorum. Dico ad primam obiectionem, maiorem ſic eſſe intelligendam.*
1. *ſeparatum à materia, totam habet ſuæ naturæ perfectionem, idq́ quòad perfectionem quidditatiuam; in ſe enim conceptum ſuæ naturæ quidditatiuum includit. verùm maior eſt in pluribus, quàm in vno perfectionis latitudo, quam certè in vno indiuiduo creato contineri neceſſarium non eſt. Quare, ſi albedo ſeparata eſſet, adhuc etiam multiplica-*
2. *tione non careret. Ad 2. quamuis ſpecies angelica in vno indiuiduo incorruptibili ſaluari poſſit; alias tamen ob cauſas, quas mox dicemus, plura ſub eadem ſpecie ſint, vel eſſe*
3. *poſſunt indiuidua. Ad 3. veritatem habet in diuinis, non autem in angelis; illa enim diuina non habent naturam potentialem, per differentiam indiuidualem contrahibilem:*
3. *ideo quidditas, & cuius eſt quidditas ſunt idem. Ad principale argumentum 3. reſpondeo, intelligentias diſtingui ab inuicem numeroſitate prædicamentali, quæ ex for-*
4. *marum proprietate, non autem ex diuiſione continui proficiſcitur. Ad 4. negatur maior: nam etſi quælibet intelligentiarum in eſſe ſpecifico, propria conſtituatur natura; particulari quadam tamen ab inuicem proprietate ſeparantur, in quo mirabilis dei ſplẽdeſcit ſapientia, quæ ſingulis ſpiritibus, proprias diſtribuit actiones, naturæq́ proprie-*
5. *tates, quibus ab inuicem diſcernerẽtur. Ad 5. illud philoſophi in rebus quantitatiuis veritatem habet, alioqui deus nequaquã infinitus diceretur, quod eſt falſum: negatur ergo conſequentia, & ad probationem dico, intelligentias conſtitui in eſſe ex differentia quidem finita, quæ non ex quantitate, ſed ex formarum diſtinctione, naturæq́ proprietate*
6. *procedit. Ad 6. dico, intelligentias eiuſdem rationis indiuidualibus differentijs, quæ cum earum ſubſtantijs eædem ſunt eſſentialiter, ab inuicem diſtingui: conueniunt ergo ſecundùm ſpecificam rationem; differuut verò per indiuiduales proprietates, quæ ſe to-*
Obiectio. *tis primò diſtinguuntur. Sed dubitabit aliquis, huiuſmodi indiuiduales differentiæ an ſint formæ, vel formales: differentia autem formalis eſt ſpecifica: igitur differunt ſpe-*
Solutio. *cificè. Reſpondeo, differentiam formalem, quæ ad quidditatiuum rei conceptum per-*
Differentia formalis & indiuidualis. *tinet, eſſe ſpecificam, qua profectò angeli eiuſdem ſpeciei non diſtinguuntur; ſed illa potius, quæ licet eadem ſit cum earũ ſubſtantia; non ſpectat tamen ad quidditatiuum naturæ conceptum. Quam ob cauſam, huiuſmodi differentiæ indiuiduales, materialium differentiarum ſimilitudinem gerunt: contrahunt enim naturam ad indiuiduum, idcirco à philoſopho materia appellantur. Ad confirmationem dico, indiuidua eſſe infinita, potentia quidẽ non autẽ actu. Poſſunt ergo eſſe ſub eadẽ ſpecie plura indiuidua nec video, quare natura non intendat indiuidua, ſicut & ſpeciem, ſi ipſa circa indiuidua ma-*
7. *xime verſetur atq́ laboret. Ad 7. dico, ſi abſolutè loquamur, plures cœlos eiuſdem rationis eſſe, nullum eſt impoſſibile. vnde, quamuis cœlum ex tota materia ſua conſiſtat, vt dicitur primo cœli; in cœlo nihilominus propriè materia eſſe non poteſt. Quòd ſi materia pro differentia indiuiduali intelligatur; tunc vnum vtiq́ erit & non plures. verũtamen, ſi actu vnum ſit eiuſdem rationis, quod pro vniuerſi ornatu vtilitateq́ mundi faber ſic facere decreuit; plures tamen eſſe potentia, non eſt impoſſibile. Adde, quòd*
Quomodo vnum ſit cœlũ. *cœlum bifariam intelligi poteſt: vno quidem modo pro mundo, idq́ dupliciter. aut pro toto vniuerſo ſecundum ſe; atq́ ita, quemadmodum eſt vnus mundus; ita abſq́ dubio eſt vnum cœlum: ordo enim, qui rebus ineſt creatis, vnitatem maximè commendat: omnia*

ſiquidem

Angelorũ numerus.

Cœlum bifariè intelligitur.

ſiquidem tendunt ad vnum principium, à quo & ordinata ſunt. quamobrem Ariſtote: 12. met: ex vnitate ordinis, in rebus exiſtentiũ, & Plato in Timæo, ex vnitate exemplaris, vnum eſſe mundum proteſtantur. aut certè pro mundo ſuperiori, quatenus ab inferiori ſeparatur, de quibus in metheoris legitur, mundum hunc inferiorem, ſuperiori ſubditum eſſe; vt omnis eius virtus inde gubernetur, atq; ita iuxta mundorum numerum eſſet cœlorum multitudo. Quòd ſi cœlum, ſphæram cœleſtem intellexeris, quatenus vnum cœlum dicitur vnitate ſpecifica; ſic planè vnum nequaquam appellatur. at ſi ſub eadem ſpecie vnum cœlum contineri dixeris; philoſophi quidem mentem attigiſti, ipſe enim plures ſphæras, numero differentes ſub eadem ſpecie eſſe noluit; nam huiuſmodi pluralitas, ex materiæ imperfectione ſemper aliud appetentis, proficiſcitur, quam cœlo tribuere non condecet. Chryſoſtomus dicit eſſe vnum cœlum totum corpus, quod ſupra terram atq; aquam conſiſtit, cœlum appellans. Quoniam verò in tali corpore variæ diſtinctiones habentur; ideo Baſilius, atq; Damaſcenus plures cœlos vocant. Itaq; ſub vna ſpecie, plures angelos contineri, dixi, & dicam.

Doctores catholici.

CAP. VII.

Sub vna ſpecie ; plura eſſe angelorum indiuidua oſtenditur.

Prima ratio.

Omnis quidditas, quòad ſe pertinet, eſt communicabilis: alioqui, vel ob perfectionis quidditatiuæ rationem, illi communicabilitas conuenire non poſſet, quod planè falſum eſt: nam diuina natura licet ſit perfectiſſima; diuinis tamen communicatur ſuppoſitis. vel ob aliquam imperfectionẽ, quod ſanè abſurdiſſimum eſt; compoſitarum ſiquidem conuenit ſubſtantiarum qualitatibus, quæ imperfectæ quidem reputantur. ſed intelligentia eſt aliqua quidditas: igitur eſt communicabilis, atq; ex conſequenti. ſub vna eademq́; ſpecie, plura eſſe poſſunt indiuidua. 2. *Amplius, intelligibilis quidditas ſub vniuerſali ratione, abſq; contradictione, eſt plurificabilis numero; implicat enim ſub ratione vniuerſalis intelligi, & eſſe de ſe hoc; nam vniuerſalitas, hæcceitati, vt ita dicam, opponitur; ſic etiam, quia eſſentia diuina eſt de ſe hoc, implicat ſub ratione vniuerſalis intelligi. ſed quidditas ſeparata, ſub ratione vniuerſalis, abſq; contradictione, intelligibilis eſt: igitur, eſt plurificabilis numero. Sanè, omnis natura ſpecifica, ſiue abſtracta, ſiue materialis, eſt intelligibilis ſub ratione vniuerſali, de ratione autem naturæ ſpecificæ non eſt ſingularitas, alioqui ſpecies eſſet indiuiduum Porrò vniuerſale eſt, quod poteſt eſſe in multis, vel dici dè multis: ergo.* 3. *Adhuc, ſi in eadem ſpecie plures eſſe nequeunt intelligentiæ; in cauſa vtiq; eſt, quia cùm intelligentia ſit forma, hoc eſt, actus, erit vtiq; inter illas diſtinctio formalis, quæ ſpecifica appellatur. ſed hæc ratio non valet, quippe, cùm non omnis diſtinctio, quæ eſt inter formas, ſit formalis dicenda; poteſt enim eſſe formarum, quæ ſpecifica non dicitur. vnde inter albedinem niuis, & parietis non eſt formalis, ſed formarum diſtinctio, quia nimirum ſpecie non diſtinguuntur. hoc etiam modo intelligentiæ eiuſdem ſpeciei, nõ formali diſcretæ ſunt ab inuicem diſtinctione, ſed formarum tantùm.* 4. *Præterea, ſpecies ſic à Porphyrio diffinita eſt: Species eſt prædicabilis de multis: ergo eſt plurificabilis in multis. ſed omnis bona diffinitio conuenit omni diffinito: ſubſtantijs etiam conueniat ſeparatis, neceſſe eſſe videtur.* 5. *Item, Deus potentiam habet annihilandi vnum angelum, & aliquo eiuſdem ſpeciei indiuiduo, eandem reparandi: nam, quemadmodum ſpeciem iam non exiſtentem in vnico indiuiduo fundauit; ita certè eam prorſus euerſam, & deſtructam, aliquo alio indiuiduo erigere ac reſtituere poteſt, ac valet. ſed Deus, vt quidam aiunt, penitus corruptum, idem numero reparare non poteſt: hac ſiquidem de cau-*

Hæcceitas.

Formarum diſtinctio, ſed non formalis

numerus.

Homo idem numero reſtituetur.

ſa, homo, idem numero erit reparandus, quia nimirum remanent ipſius partes, nempe materia, & forma. vnde ſi aliqua hominis forma corrupta, in materiæ potentiam tranſiret, cum eadem forma reſtitui non poſſet; nec etiam homo, idem numero diceretur reſtitutus: igitur ſpecies illa, alio indiuiduo reſtauraretur. Non ergo repugnat ſpeciei, plura poſſe indiuidua habere, ſaltim ſucceſſiuè. Accedit ad hoc Damaſceni authoritas in ſuo elementario cap. 3. qua ſic loquitur, ſecundùm vnamquamq; angelicarum virtutum ſpeciem, Deum differentes hypoſtaſes condidiſſe: igitur cuiuslibet angelicæ ſpeciei, non ſolùm poſſunt eſſe, ſed etiam actu plures numerantur intelligentiæ.

Damaſcenus docet plures angelos eſſe ſub vna ſpecie.

6. Amplius, animæ ſeparatæ ſunt plures eiuſdem rationis, idq; non quantitate, aut aliqua materia, ſunt enim immateriales; nec enim habent materiam, partem ſui, & ex qua, nec materiam in qua, quia ſeparatæ ſunt: pari ergo ratione plures eſſe poſſunt eiuſdem rationis, ſiue ſpeciei intelligentiæ. Quòd ſi dixeris, animas plurificari, ob plures habitudines, quas habent ad corpora, quæ natæ ſunt informare. Dico, quòd ſicut hæc habitudo, quoniam relatio eſt, ſuo poſterior eſt fundamento; ita planè, hæc aptitudo, hoc fundamento: habitudo ergo hæc hanc præſupponit animam: non ergo per illam eſt hæc anima.

7. Adhuc, illa habitudo, nihil eſt extra intellectum, eſt enim ad nos ens in actu, vtpotè ad ens corruptum: ad non ens autem in actu, nulla actualis haberi poteſt relatio in actu: nec ergo per ipſam in actu reali eſſe aliquo modo poterit. Præterea, indecens eſſe videtur diuinæ bonitati, in tot angelis ruentibus, tot tantasq; ſpecies ad diuinam conditas beatitudinem, ſuæ beatitudinis expertes permittere omninò, ſuoq; fine priuari. quod quidem contigiſſet, ſi vnius ſpeciei, plures non eſſent intelligentiæ. Quam ob cauſam, diuus Auguſtinus in enchiridion, cap. 29. ait, quia tota natura, ſeu ſpecies humana ruerat; ideo miſertus eſt Deus illius, & ad eam ſaluandam venit, non autem venit ad ſaluandam naturam angelicam, quia tota non ruit. hoc autem verum non eſſet, ſi tot ſunt ſpecies, quot ſunt indiuidua: ſic enim multæ naturæ angelicæ funditus ſui fuiſſent euerſæ, quod certè bonitati piiſſimi, ſanctiſſimiq; opificis, nihil fruſtra in rebus agentis, minimè congruere videtur.

Auguſtinus docet quare deus miſertus eſt humanę & non angelicę naturæ.

8. Adhuc, quemadmodum generis naturæ aduerſatur omninò, ſub vnius tantùm indiuidui poſitione arctari, aliaq; indiuidua habere non poſſe; ita quoq; ſpeciei naturam deſtruere videtur, ſub vno indiuiduo redigi, nec poſſe actu, aut potentia indiuiduorum numero gaudere. Qui ergo aiunt, intelligentias eiuſdem ſpeciei plures eſſe non poſſe, deſtruit omnino angelicas ſpecies. Reuera, vniuerſale dicendum non eſt, cui repugnat eſſe in multis, vel dici de multis. ſed quælibet ſpecies angelica, eſt ſpecies ſpecialiſſima, & ex conſequenti vniuerſalis: illi ergo non repugnat habere plures intelligentias, ſiue indiuidua, alioqui, vniuerſali nomine priuaretur. Deniq; genus ordine eſſentiali, atq; prædicamentali, mediante ſpecie, in indiuiduum deſcendit. at ſi angelicæ ſpeciei repugnat indiuiduorum multitudo; tum ſimul, tum etiam ſucceſſiuè, æquè immediatè genus in indiuiduum, ac in ſpeciem deſcenderet, quod eſt impoſſibile: ſub vna ergo, atq; eadem ſpecie plures ſunt, aut eſſe poſſunt intelligentiæ. Hæc quidem opinio tum quidem rationi, tum etiam ſacris authoribus, & ſcripturæ conformis eſſe videtur: quanquam & altera ſit quoque egregia, quæ mirabilem Dei ſapientiam, tot angelorum naturas fabricantem, maximè cõmendat. Quiſq; igitur abundet in ſenſu ſuo. Qui ergo alterius ſunt ſententiæ, ita iã dicta argumenta ſoluere conantur.

CAP. VIII.

Soluuntur argumenta.

1. AD primum, maior apud methaphyſicos, falſa reputatur, quòd nimirum omnis quidditas vniuerſalis, ſiue ſpecifica, pluribus numero diſtinctis, in quæ illa diuiditur natura ſpecifica, ſit communicabilis; ita, vt in ſuis indiuiduis, realiter multiplicetur. vnde, ſi aliqua natura eſt in plura indiuidua incommunicabilis; ex illius certè emanat perfectione, quia ſcilicet ca-

 Angelorũ numerus.

cet caret materia, quæ eſt multiplicationis principium. Quod autem adducitur de quid-
ditate infinita, ſiue diuina, methaphyſico non probaretur, quippe, qui huiuſmodi com-
municabilitatem in plura ſuppoſita non concederet, nam apud eum diuina quidditas,
non eſt natura vniuerſalis, ſiue ſpecifica. itaq́, huiuſmodi rationes in methaphyſica ina-
nes ſunt, & minimè neruoſæ. Ad 2. maior quidem vera eſt ex parte noſtri intellectus, 2.
non autem rei intellectæ. ſic etiam minor veritatem habet ex parte intellectus noſtri, qui
modo materialium abſtracta intelligit. Vnde, quamuis; ſpecies, quatenus ſpecies eſt,
non ſit ſingularitas; quia tamen caret multiplicationis principio, nempe materia, nullũ
profectò reputatur abſurdum, ſi hanc certè naturam, ſingularitas conſequatur. Ad
probationem autem dico, implicare quidem, quidditatem eſſe de ſe hanc, & vniuerſa-
lem, ſeu prædicabilem de pluribus; verum profectò eſſe, quando tum ex parte rei, tum
etiam ex parte intellectus noſtri, quidditas eſſet vniuerſalis: cùm autem res ita non ſe
habeat; nihil, aut parui refert, quod pro confirmatione aſſumitur. Ad 3. dicunt ali- 3.
qui, in abſtractis non dari diſtinctionem, niſi formalem, & ex conſequenti ſpecificam, ſi-
cuti in materialibus non datur ſine materiæ aut ſubiecti ratione aliqua diſtinctio. ve-
rùm, hæc reſponſio non multùm virium habere videtur: nam, vt dixi, vna intelligentia,
proprietate aliqua perſonali, non autem ſpecifica, ab altera diſtinguitur. Ad 4. dicunt 4.
aliqui, diffinitionem Porphyrij, ſenſibilia tantùm, non autem ſeparata complecti: nam
in ſenſibilibus, eſt principium materiale, quo ſub vnitate ſpecifica, multiplicantur indi-
uidua. cùm autem huiuſmodi principium ſubſtantijs non inſit ſpiritualibus; rationi eſt
omninò conſentaneum, ſub Porphyrij diffinitione, illas non intelligi debere. ſed hoc ne-
quaquam placet, partim, quia Porphyrij diffinitio, vniuerſalis eſſe videtur, partim ve-
rò, quia ſpecifica dici non poteſt, quæ actu, vel potentia, pluribus communicari non poſ-
ſit. Ad 5. dico, idem numero poſſe reſtitui: eodem enim modo, ſicut priùs conditum eſt, 5.
reſtitui poteſt. Quod verò de reſurrectione noſtra aſſumitur, veritatem haberet, quan-
do non eadem numero anima redderetur. ſed hoc quoq; mihi non ſatis arridet: nam quod
in nihilum tranſit, vtpotè angelus, ſi annihilaretur; non video, quomodo idem numero re-
ſtitui poſſit. Ad authoritatem Damaſceni dicunt, largo modo ſpeciei nomen vſurpaſ-
ſe: quod vtrum ſic Damaſcenus intellexerit, dubito: & veriſimilie mihi videtur, proprio
nomine ſpeciem intellexiſſe. Ad 6. negant ſimilitudinem: nam animæ ſunt partes ſpe- 6.
ciei, corporibus vnibiles, non autem intelligentiæ. Et ad Augu: authoritatē reſpondent,
hoc intellexiſſe, ſecundùm modũ viæ, quatenus ſcilicet omnes intelligentiæ in vnũ tendunt
creatorē. ſed hoc puto Augu: non intellexiſſe, cùm ita clara ſit ipſius ſententia, vt gloſa
nulla penitus indigeat. Hac etiā reſponſione, ſeptimum quoq; putant eſſe ſolutum argumē- 7.
tum. Tu verò diligenter omnia perpende, an ita õnia ſe habeant; res enim obſcura eſt, & 8.
ex vtraque parte magnos habet fautores. Ad 8. ſimili facilitate reſpondent, ſub illa vi-
delicet diffinitione, corruptibilia, non autem incorruptibilia comprehendi, quod nobis
minimè placuit. Quomodo ergo ſub vna ſpecie multæ ſint intelligentiæ, dixi.

QVAESTIONIS SECVNDAE CAP. I.

Indiuiduationis principium eſt differentia indiuidualis.

Quomodo intelligentiæ ſub eadem ſpecie plures ſint, nec ne, hactenus dixi. Verùm, quia huic negotio ſatis mihi congruere viſum eſt, indiuiduationis principium ſcire; hac de cauſa, huiuſmodi quæſtionem, præcedenti annectere ſtudui, quò lucidiùs prior intelligi poſſit. Eſt autem indiuiduationis principium, differentia indiuidualis, quæ naturam ad hanc; vel ad illam

Differentia indiuidualis eſt principium indiuiduationis

contra-

Indiuiduationis principiũ.
Ratio prima

contrahit, indiuiduoq́ formaliter largitur, in plura eſſe prorſus indiuiſibile. Reuera, ſi-
cut differentia ſpecifica, ad ſpeciem athomam ſeu ſpecialiſsimam genus contrahit at-
que deducit; ita planè differentia indiuidualis, ipſum indiuiduum. Sanè, indiuidua-
tionis principium, illud, cuius eſt genus, non egreditur; ſed illi neceſſariò eſt intrinſecum,
atq; aliquod eſt poſitiuum reale: indiuiduatio enim, eſt realis entis conditio. Illa ergo, aut
eſt natura contrahibilis, aut aliquid de nouo additum. non ipſa quidem natura, quia ſci-
licet, non eſt materia, aut forma, vel compoſitum; ex ſe namq; plurificabilia ſunt hæc
omnia: nam quemadmodum philoſophus dicit 12. & 5. met: nec non 2. phyſ: tum mate-
ria, tum etiam forma, & in commune, & in particulari intelligi poſſunt. ipſum quoque
eſſe actualis exiſtentiæ, non poteſt eſſe indiuiduationis principium. Reliquum ergo eſt,
2. vt aliqua ſit proprij generis indiuidualis differentia. Amplius, quod eſt ad maiorem v-
nitatem contrahibile, caret profectò vnitate, ad quam contrahitur, habetq́ illam per
aliquod additum poſitiuum. ſed natura, quæ ad maiorem contrahitur vnitatem, illa o-
mninò vacat, per quam contrahitur: habet ergo, ſiue conſequitur illam per aliquod ad-
3. ditum poſitiuum reale, quam ego voco indiuidualem differentiam. Adhæc, vnitas ſub-
ſtantialis perfectiſsima, ab aliqua profectò entitate ſubſtantiali vltimata proficiſcitur.
hanc quidem ipſa conſequitur, quia vnitas eſt paſsio entis. ſed vnitas indiuidui ſubſtan-
tiæ, eſt illo in genere vltimata vnitas ſubſtantialis: igitur per illam, non autem per na-
turam, ſiue entitatem ſpecificam, natura contrahitur ad indiuidualem exiſtentiam. Re-
uera, ſicut genus eſt in potentia ad ſpeciem, veluti ad ſuum inferius; ita abſq; dubio,
ſpecies quoq; ad ſuum indiuiduum. ſed genus contrahit ad ſpeciem, per aliquod ſui ge-
neris, nempe per differentiam ſpecificam: ergo & ſpecies ad indiuiduum per differen-
4. tiam poſitiuam proprij generis realem, atq; indiuidualem. Præterea, omnium per ſe in
aliquo genere differentium, ad aliqua primò diuerſa illius generis, reducendæ differen-
tiæ ſunt, ne fiat proceſsus in infinitum, vel differentia ex ſe eſſent diuerſa, quod eſt
impoſsibile, vt decimus recitat methaphyſicæ. ſed in aliquo genere, ſunt indiuidua
ab inuicem diuerſa in eodem genere: reducendæ ergo ſunt huiuſmodi differentiæ ad
aliqua prima illius generis: quæ profectò indiuiduales differentiæ, ad illud genus per-
tinentes, dici non poſſunt: ergo quod prius. Itaq́, in qualibet natura contrahibili ad in-
diuiduum, ſiue materia, ſiue forma, aut compoſitum fuerit, indiuiduales differentiæ po-
nendæ ſunt omnino, quibus indiuidua conſtituuntur, ſiue ſingularia, quæ in aliqua, ve-

Quid ſit differentia indiuidualis.

luti in partes ſubiectiuas, minimè diuiduntur: Porrò, differentia indiuidualis, eſt qua-
dam realis formalitas, à natura ſpeciei formaliter non autem eſſentialiter diſtincta, cum
ipſa concurrens, & quaſi adueniens ad indiuidui conſtitutionem, tanquam indiuiduatio-
nis principium: ab ipſa enim natura eſſentialiter diſtingui, neceſſe non eſt, quemad-
modum, nec differentia quidem eſſentialiter diſtinguitur à genere, alioqui, quod eſt per
ſe in genere, ex diuerſis quidem eſſentijs eſſet compoſitum, omneq́ per ſe indiuiduum,

Quomodo differt differẽtia indiuidualis à ſpecifica.

quorum vtrumq; falſum eſt. Differt autem hæc, à differentia ſpecifica, qua contrahitur
genus: illa enim, genere nobilior eſt, vtpotè completior, ſeu perfectior realitas; hæc na-
tura, cui ineſt, ignobilior: non enim inſtar differentiæ formalis naturam contrahit, ſed

Differentia indiuidualis, nõ eſt materia, ſed materiæ ſimilis.

materialis potius: neq; ex hoc aliquis dicat velim, huiuſmodi differentiam, materiam eſ-
ſe, ſed materiæ ſimilitudinem gerere: dat namq; indiuiduo eſſe primum, omnibus ſui
generis prædicabilibus ſubijcibile, quod planè, materiæ proprietati, quæ omnibus ſubij-
citur, congruere videtur. contrahit præterea ad eſſe indiuiduum, quod ad conceptum
quidditatiuum non ſpectat. Reuera, omnis quidditas numeralis, eſt plurificabilis: illud au-

Differentia indiuidualis ſe habet vt actus reſpectu ſpeciei.

tem, ad quod differentia indiuidualis intrinſecè attinet, implurificabile eſt. Itaq́, diffe-
rentia indiuidualis, alterius rationis eſt ab ipſa, quam ad indiuiduum contrahit, quid-
ditate. Cæterùm, ſi hæc differentia indiuidualis, naturæ, quam contrahit, conferatur; ſe
habet ſicut actus ad potentiam, & determinans ad rem determinatam; quamuis ſim-
pliciter,

Indiuiduationis principiũ.

pliciter, ipſius realitas, natura, quam contrahit, nobilior non ſit. Quòd ſi indiuiduo, ab ipſa iam conſtituto comparetur, ſeſe habet vt immediatum & proximum fundamentum indiuidualis vnitatis, quæ in duplici negatione formaliter conſiſtit, nempe diuiſionis ab alio, & indiuiſionis in ſe, tum actu, tum etiam potentia. ſi autem alteri comparetur indiuiduali differentiæ, ſiue alicuius ſit indiuidui eiuſdem ſpeciei, ſiue alterius; ſe tota diſtinguitur ab illa, & è conuerſo, nec in aliquo reali intrinſeco conueniunt, alioqui non eſſent vltimæ differentiæ; ſed aliquibus alijs differrent, ſicq; proceſſus eſſet in infinitum. Itaq; differentia indiuidualis, aliquam ſui generis ſuperiorem differentiam, in ſuo conceptu nequaquã includit, ſed quòad ſuum conceptum, eſt ſimpliciter ſimplex: nam qua ratione vna illam includeret; eadem quoq; ratione, & alias, atq; ita diuerſæ non eſſent, ſed in aliquo conuenirent intrinſecè. Itaq;, indiuiduationis principium, eſſe differentiam indiuidualem, iam dixi. Verùm rationes alterius ſunt audiendæ & ſoluendæ in capitulis, quæ ſubſcribentur.

Differentia indiuidualis eſt ſimpliciter ſimplex.

CAP. II.

Indiuiduationis principium non eſſe differentiam indiuidualem, argumentis oſtenditur.

QVod alteri comparatur, veluti actus ſubſtantialis ipſi potentiæ, eſt forma ſubſtantialis: igitur, differentia indiuidualis non eſt principium indiuiduationis; forma enim ſubſtantialis non eſt indiuiduationis principium: nec ergo aliquid tale, vel talis differentia ſubſtantialis indiuidualis. Item, quod eſt ſecundùm ſe plurificabile, eiuſdem rationis exiſtens, non eſt indiuiduationis principium. ſed iſta indiuidualis differentia, eſt plurificabilis, eiuſdem rationis exiſtens, quia nimirum indiuidua plura eiuſdem ſpeciei, eiuſdem ſunt rationis indiuidua: differentiæ ergo illæ indiuiduales, eiuſdem ſunt rationis. Igitur differentia indiuidualis non eſt indiuiduationis principium. Amplius, quod præſupponit eſſe indiuiduatam naturam, atq; natura indiuiduum; nequit certè indiuiduationis principium eſſe, quod profectò clariſſimè patet. ſed huiuſmodi differentia indiuidualis, præſupponit naturam eſſe indiuiduatam, ſicut actus ſuam potentiam receptiuam, & ſicut forma præſupponit materiam, quæ planè omnia in aliquo ſingulari recipiuntur: igitur talis differentia non eſt principium indiuiduationis. Item, quæcunq; differentijs ſubſtantialibus ab inuicem ſeparantur; formaliter abſq; dubio differunt, & ex conſequenti, ſpecie diſtinguuntur. Quare, ſi indiuidua eiuſdem ſpeciei formaliter differunt; ſpecie quoq; differre videbuntur, quod eſt falſum, & aperta contradictio. Item, ſi indiuiduum, per aliquod reale poſitiuum, eſt indiuiduum in genere ſubſtantiæ; aut illud certè eſt materia, aut forma, vel compoſitum; in hæc enim tria ſufficienter, vt dicitur 2. de anima ſubſtantia diuiditur. ſed differentia indiuidualis, non eſt aliquod iſtorum: igitur non eſt aliquod ſubſtantiale poſitiuũ, quo natura contrahitur, ad indiuiduationis proprietatem, & eſſe. Amplius, ſi indiuiduum, propriam habet differentiam conſtitutiuam: igitur eſt per ſe diffinibile, & intelligibile, atq; ita de ipſo haberetur ſcientia, quod eſt planè falſum, vt dicitur 7. met: conſequentia namq; ſic probari poteſt: De quolibet ente per ſe vno poſitiuo, atq; per aliquod poſitiuum conſtituto, quæri poteſt quod quid eſt, pariterq; reſponderi: diffinitur ergo: nam diffinitio eſt oratio indicans quod quid eſſe. eſſet etiam pariter per ſe intelligibile, etenim per ſe eſt ens poſitiuum: omne autem huiuſmodi intellectus obiectum eſſe poteſt. Præterea, diuiſionis ſeu diuiſibilitatis negationem, indiuiduum dicit: non eſt ergo indiuiduum per aliquod poſitiuum: eſſe enim negatiuum, vel

1\. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Indiuiduationis principiũ

priuatiuum, alicui per aliquod poſitiuum conuenire non poteſt, quemadmodum nec eſſe poſitiuum, alicui per negationem conuenit. hoc idem philoſophus, atque commentator in 4. met: dicere videntur: Vnum, inquiunt, nihil addit ſuper ens. Quapropter, ſicut vnum genere, vel ſpecie, ſuper naturam vel ſpeciem, nihil poſitiuum dicit; ita certè vnum numero vel ſingulare, indiuidui naturæ addit nihil: Igitur differentia indiuidualis, cùm ſit vna, indiuiduationis nequit eſſe principium.

CAP. III.

Soluuntur argumenta.

1. AD primum dico, non quemlibet actum ſubſtantialem, formam eſſe ſubſtantialem, quæ ſit compoſiti pars altera: datur enim actus ſubſtantialis, vel actus, qui eſt ſubſtantia, quiq́ue non ſit huiuſmodi forma, ſicut differentia ſubſtantialis, ad quam, teſte Porphyrio, genus ſe habet in potentia: Genus, inquit, habet omnes differentias ſuas in potentia, actu verò nullam. hoc etiam modo ſe habet differentia indiuidualis in genere ſubſtantiæ: ſiquidem reſpectu naturæ ſpecificæ, quam in hoc indiuiduum contrahit, eſt actus ſubſtantialis: natura verò ad huiuſmodi actum, vt potentia ſubſtantialis ſe habet; quatenus ex ambobus conſtituatur per

Quomodo fiat vnum aliquid.

ſe aliquod vnum, cuius conſtituentium, quamuis ſimpliciter, vnum non ſit materia, alterum verò forma; materiæ tamen, atque formæ modo, proprietateq́ funguntur. vnum autem aliquid, per compoſitionem quodammodo fieri videtur, vtpote ex actu, & potentia. huiuſmodi autem compoſitio, non eſt aliqua relatio realis, ab vtroque eſſentialiter diſtincta; veluti inter materiam inuenitur & formam accidens abſolutum & ſubiectum, alioqui ſimul exiſtentibus, compoſitio eſſe non poſſet, quod eſt falſum: nequeunt enim ab inuicem ſeparari. Sed dicet aliquis, compoſitio eſt reſpectus realis inter compo-

Obiectio.

nentia. ſed inter naturam, & differentiam indiuidualem, huiuſmodi reſpectus haberi non poteſt: ergo, ex his duobus non ſit vnum indiuiduum. Dico, huiuſmodi compoſitio-

Solutio

nem vtrique conſubſtantialem eſſe; ſunt enim ab inuicem inſeparabilia: faciunt ergo vnum, non accidentali, ſed conſubſtantiali potiùs compoſitione, quæ ſe ipſa, non per aliquam aliam ſit compoſitio. Ad 2. minor eſt falſa: indiuidualis enim differentia, non eſt

2. multiplicabilis eiuſdem rationis: quælibet enim differentia indiuidualis, ab alia eſt ſimpliciter diuerſa, & alterius rationis ab ipſa. indiuidua ſiquidem, quatenus ſingularia ſunt, atq; differentias habent indiuiduales, ab inuicem diſtinguuntur; conueniunt tamen in eadem ſpecifica natura, cuius gratia, eiuſdem rationis eſſe dicuntur. Ad 3. negatur

3. minor: etenim ſi differentia indiuidualis, indiuiduũ naturæ, vt iam conſtitutum, præſupponeret, nõ vtiq; illud conſtitueret. quando ergo dicitur, actus receptus, potentiã receptiuã

Differentia indiuidualis nõ eſt propriè actus receptus in natura.

indiuiduatã præſupponit, dico: differentiam indiuiduatẽ, non eſſe propriè actum receptũ in natura, quaſi in receptiua potentia; non enim eſt forma aliqua, à materia eſſentialiter diſtincta, inſtar formæ ſubſtãtialis à materia, & accidẽtis à ſubiecto. vnde, quemadmodũ, differentiam ſpecificam, præſupponere naturam generis in eſſe ſpecifico, neceſſarium non

4. eſt; ita quoque differentiam indiuidualem, naturam in eſſe indiuiduali. Ad 4. verum quidem eſt, quæcunque differentijs ſubſtantialibus, atque ſpecificis differunt formaliter; & ſpecificè differre, non autem, quæ differentijs tantùmmodò indiuidualibus diſtinguuntur: nam quamuis ad naturam, velut actus ad potentiam comparentur; ſunt tamen materiales, quia ſcilicet ad quidditatiuum ſpeciei conceptum non ſpectant; alterius tamen ſpeciei non ſunt. naturæ profectò, quaſi poſt eſſe ſpecificum completum, aduenire videntur; ipſum tamen eſſe ſpecificum, minimè variant. Ad 5. indiuidua-

Differentia indiuidualis nõ ſpectat ad quidditatiuũ ſpeciei conceptum.

5. tionis materiæ principium, eſt differentia indiuidualis, formaliter quidem, non autem eſſentialiter à natura materiæ diſtincta. Quare, materia formaliter accepta, non eſt principi-

principium indiuiduationis ſuæ, ſimiliter forma & compoſitum; ſed differentia indiui- Indiuiduationis principiũ.
dualis, naturæ compoſiti totali ſuperaddita: quamuis enim hoc compoſitum, hanc qui-
dem materiam, atque hanc formam, velut cauſas intrinſecas, propriam ſingularitatem
quamlibet illarum habentem contineat; ipſius tamen natura, eſt alia tertia à materia, Compoſitum eſt tertia alia natura.
& forma. Quamobrem, compoſitum propriam habet ſingularitatem, propriumq́ indi-
uiduationis principium, quod eſt naturæ compoſiti eſſentialiter idem. vnde ad indiui-
duationem compoſiti, materiæ, formæq́ indiuiduationes, nihil conferunt, niſi quatenus
ſunt compoſiti intrinſecarum indiuiduationes cauſarum. Quando ergo dicitur, indiuidu-
ationis principium, aut eſt materia, aut forma, aut compoſitum; addendum fuerat, aut
aliquid cum iſtis eſſentialiter idem; etenim, in hæc ſubſtantia diuiditur, veluti in ſubſtan-
tias eſſentialiter diſtinctas, ad rei quidditatem ſpectantes. Porrò, indiuiduationis prin-
cipium, nec ad quidditatem ſpectat, neque eſt ſubſtantia eſſentialiter diſtincta; ſed
ſemper idem eſt cum materia, aut forma, vel compoſito; proinde, formaliter ſub hu-
iuſmodi diuiſionem non cadit, nec formaliter in genere continetur, ſed lateraliter potiùs.
Ad 6. quando id, quod eſt indiuidui conſtitutiuum, ad illius quidditatem pertineret; 6.
tunc rectè diffinibile diceretur: modò autem conſtat, vt iam dictum, differentiam in-
diuidualem, ad illius quidditatiuum conceptum non attinere: propriè ergo indiuiduum
non eſt diffinibile. Ad 7. iam dictum eſt: vnum, duas præſeferre negationes, idq́ ſi 7.
formaliter intelligatur præter opus intellectus negotiantis. ſicut ergo vnum genere, aut
ſpecie, ſecundùm quod vnum, formaliter acceptum, dicit negationes tantùm, ita quoq́
vnum numero, ſiue indiuiduum. At, ſi fundamentaliter intelligatur; tunc ſine dubio,
differentiam dicit indiuidualem, quæ fundamentaliter, alicui conuenit huiuſmodi nega- Differentia indiuidualis addit negationes.
tio. Itaq́, vnum formaliter acceptum, non addit aliquod poſitiuum ſuper ens, vt vult
philoſophus 4. met: ſic etiam, vnum numero, ſuper iſtud totum poſitiuum, quod eſt na-
tura ipſa, cum indiuiduationis principio, nihil aliud addit, niſi negationes, ſuper huiuſ-
modi principium poſitiuum, non autem ſuper naturam, immediatè fundatas. Sed dubi- Obiectiones.
tabit aliquis, atque dicet, in aliquo manet indiuidualis differentia, non manente indi- 1.
uiduo, ſeu indiuiduatione eius: nam aqua priùs diſtincta, ſi aquæ addatur, aqua quidẽ
non corrumpitur: nec ergo ipſius indiuidualis differentia, quæ eſt illi eadem eſſentiali-
ter. manente igitur differentia, non manet indiuiduatio; modò enim non eſt ſicut priùs
diſtincta, ſed commixta potiùs. Differentia ergo indiuidualis, non eſt principium indi-
uiduationis. Præterea, ſi cuilibet generi, neceſſaria eſt propria indiuidualis differentia, 2.
quæ ſit indiuiduationis principium; relationis quoque generi neceſſaria erit: cùm autem
illa abſoluta eſſe nequeat; reſpectiuum namque, abſoluto non indiuiduatur, & è diuerſo,
alioqui proceſſus fieret in infinitum; relationis ſiquidem natura, quæ eſt quidam reſpe-
ctus, differentiæ vtique indiuidualis, quæ eſſet etiam reſpectus, erit fundamentum, & Solutiones.
ſic deinceps in infinitum. Dico, ad primam, indiuidua eiuſdem rationis, ad alicuius to- 1.
tius homogeni conſtitutionem ſimul concurrere poſſe, atque quodlibet illorum, propri-
am retinere indiuidualem differentiam; numeraliter enim hæc aqua, non eſt illa. vel ſi
non manet vtriuſque vnitas numeralis formaliter; fundamentaliter tamen manet, vtpo-
tè tota aqua, ex ambabus, vna numero conſtituta. Sed prior reſponſio placet magis.
Ad 2. dico, naturam reſpectiuam, ſiue relationem indiuiduari ad aliud, ſicuti naturam 2.
abſolutam à ſe, ſiue ab abſoluto. nullum autem ſequitur abſurdum, reſpectum à reſpectu
fundari, quando reſpectus fundatus, cum reſpectu altero eſt eſſentialiter idem: neq́ ob
hoc proceſſus ſequitur in infinitum; ſiquidem terminus quo paternitatis, eſt filius, ſiue
filiatio; & terminus quod indiuidualis differentiæ ipſius paternitatis, eſt hic filius, vel
hæc filiatio. Differentiam ergo indiuidualem eſſe indiuiduationis principium, ex his, quæ
iam dicta ſunt, patere puto.

Indiuidu-ationis principiū.

CAP. IIII.

Indiuiduationis principium eſſe materiam, argumentis oſtenditur.

1. *ILla ſunt vnum numero, inquit philoſophus, 5. met: quorum materia eſt v-*
na : igitur materia eſt indiuiduationis principium. Tenet conſequentia : v-
nitas enim numeralis, & indiuidualis ſunt idem. Reuera, qui dicit hoc cœ-
lum, dicit materiam, vt dicitur primo cœli, vnde cœlum: non eſt plurifica-
bile, quia nimirum ex tota materia ſua conſtat. id autem fieri non poſſet,
ſi materia non eſſet indiuiduationis principium. hoc idem philoſophus confirmat 12. met:
quemadmodum paulò ante diximus, vbi negat plures eſſe primos motores, quia nimi-
rum materia carent, quæ eſt indiuiduationis principium. Non ergo differentia indiuidu-
2. *alis, ſed materia eſt principium indiuiduationis. Amplius, In ſeparatis à materia, in-*
quit philoſophus 7. met: idem eſt, quod quid eſt cum eo, cuius eſt : igitur materia eſt
indiuiduationis principium. Tenet conſequentia: in huiuſmodi enim, plura eſſe indiuidua,
eſt impoſſibile, quia nimirum plura quod quid eſt, eſſe nequeunt. Materia ergo eſt prin-
cipium indiuiduationis. Sanè, id certè eſt indiuiduationis principium, quo vnum prin-
cipium ab alio diſtinguitur. materia autem eſt tale quid, authore philoſopho 7. met:
Generans, inquit, aliud non generaret, niſi propter materiam : ergo. Adde, per quod,
indiuiduo conuenit, omnibus, quæ ſui generis ſunt, ſubijci, eſt ſanè indiuiduationis princi-
pium; omnia enim prædicari de indiuiduo, indiuidui proprium eſt. ſed hoc conuenit in-
diuiduo per materiam; nam omnibus ſubijci, ab ipſiſq́; actuari, materiæ conuenit, quip-
pe, quæ eſt in genere ſubſtantiæ primum ſubiectum : ipſa ergo eſt primum indiuiduatio-
3. *nis principium. Adhuc, id abſque dubio eſt indiuiduationis principium, cuius gratia*
indiuiduum non eſt diffinibile, nec etiam intelligibile. ſed hoc contingit indiuiduo, ob
gratiam materiæ, vt 7. met: dicitur, quia ſcilicet partes materiales, ad diffinitionem nō
attinent : ergo quod prius. Reuera, quod eſt primum potentiale ad vnitatem, pluralita-
temq́; eſt planè indiuiduationis principium. ſed materia eſt primum receptiuum, atque
ſubiectum, cuius gratia receptum, hoc eſt, forma eſt vna, ſi materia fuerit vna, & plu-
res, ſi materia ſimiliter ſe habebit, vnde hac de cauſa ſub vna ſpecie, in ſubſtantijs ſepa-
4. *ratis, plura eſſe nequeunt indiuidua, quia materia carent: ergo. Præterea, Callias, & Sor-*
tes, inquit philoſo: 7. met: ſunt diuerſa propter materiam, idem autem ſpecie : materia
ergo eſt cauſa diuerſitatis indiuiduorum, & ex conſequenti, ſufficiens indiuiduationis
principium. duo ſiquidem ſpectant ad indiuidui rationem, incommunicabilitas videlicet,
& diſtinctio. vnde primo cœli docet, plures cœlos non eſſe, quia plures in eo materiæ
5. *non ſunt. Materia ergo eſt cauſa pluralitatis indiuiduorum. Item, duo ſunt indiuidui*
principia intrinſeca, nempe materia, & forma ſubſtantialis : hæc ergo ad indiuiduatio-
nis principium ſtatuendum, ſufficientiſſima ſunt. non opus eſt ergo aliquo alio princi-
pio, vtpotè differentia indiuiduali : nam ſi præter materiam, aliud principium eſſet,
quo natura contrahibilis indiuiduaretur; illud vtique eſſet quantitas, quod planè impoſ-
ſibile reputatur; poſterius enim non eſt cauſa diſtinguendi prioris, niſi accidentali-
ter tantum: ſed quantitas eſt poſterior qualibet ſubſtantia : non ergo eſſe poteſt indiui-
6. *duationis principium. Amplius, dum forma ſubſtantialis materiæ vnitur ad indiui-*
duum conſtituendum; eadem numero quæ priùs erat, non remanet quantitas, alioqui idē
numero accidens exiſtens, de ſubiecto in ſubiectum migraret, quod eſt impoſſibile. re-
manet ergo materia, in qua forma recipitur, quæ profectò ex ſeipſa indiuiduari non po-
teſt. Materia ergo eſt illius indiuiduationis cauſa : etenim, à Mercurio, & Platone, om-

nibus

Indiuiduationis principium.

nibus fermè accidentibus ſecluſis, atq; remotis, duo adhuc remanent indiuidua, materias
realiter diſtinctas, formasque habentia. Materia ergo ſufficiens eſt induiduationis
principium.

CAP. V.

Soluuntur Argumenta.

AD primum, illud philoſophi 5. met de materia, quæ eſt pars compoſiti, in-
telligi nequit, alioqui idem eſſet iudicium de ſubiecto, reſpectu accidenta-
lium formarum, atq; ita omnes formæ eiuſdem ſubiecti, vna vtiq; forma
numero eſſent, quod prorſus abſurdum eſt. Ibi ergo philoſophus de materia
loquitur, quæ eſt differentia induiduális, quæúe velut materialis conditio naturā con-
trahit, de qua philoſophus 7. met. ſæpè loquitur: Illa igitur ſunt vnum numero, quorum
materia, id eſt differentia induiduális eſt vna, nam illa ſunt vnum ſpecie, quorum ra-
tio quidditatiua eſt vna. Eodem quoque modo ſoluitur confirmatio: Qui dicit, inquit,
hoc cœlum, dicit materiam, id eſt, differentiam induidualem, quæ eſt vnius cœli, atq;
ita cœlum conſtat ex tota ſua materia. Cùm autem propriè in cœlo materia, vt ipſe, &
Commentator dicunt, non ſit, de differentia indiuiduali ibi loquutum fuiſſe certum eſt.
Pari quoq; facilitate ſoluitur ſecunda confirmatio: philoſophus namq; de differentia lo-
quitur indiuiduali naturam contrahente; non autem de materia, quæ eſt altera pars cō-
poſiti. Porrò, materiam nullo modo eſſe indiuiduationis principium, ſic oſtendi proba-
riq; poteſt. Illud, quod ex ſe eſt multiplicabile ſiue plurificabile, eiuſdē rationis verè eſſe
nequit principium indiuiduandæ naturæ, hoc enim deſtruit induidui naturam. ſed ma-
teria ſicut etiā forma, eſt plurificabilis; materia enim in communi ad ſpeciei diffinitio-
nem attinet, vt dicitur 7. met. atq; ex conſequenti, eſt aliquid commune & plurifica-
bile: igitur non eſt induiduationis principium. Amplius, quod eſt idem numero in du-
obus entibus induidualiter, ac numero diſtinctis, eſſe nequaquam poteſt principium in- 1.
diuiduandi. ſed materia eſt eadem numero in generato & corrupto, quæ indiuidualiter
atq; numero ab inuicem ſeparantur: ergo quod prius. Reuera, ſi materia eſt præciſa in-
diuiduationis cauſa; ſequeretur omnino hoc abſurdum, in angelis nullum eſſe induidu-
um, quia materia carent. Porrò, in cauſis præciſis, ſicut affirmatio eſt cauſa affirmati-
onis; ita planè negatio negationis. Vbi ergo eſt materiæ negatio; inibi & induiduorum
ſimiliter. Quare, in angelis nullum eſſet indiuiduum, quod eſt impoſſibile. Ad 2. illa
philoſophi authoritas diuinis conuenit tantùm, non autem alijs ſubſtantijs ſeparatis, vt 2.
paulò ante dictum eſt; ſingulare enim poteſt aliquid addere ſuper naturam, & quiddi-
tatem, vtpotè differentiam indiuidualē, quæ ad quidditatem creatam non ſpectat: pro-
inde, quamuis non habeat materiam tanquam partem ſui; eſt tamen multiplicabilis.
Ad confirmationem primam dico, verum quidem eſſe generantem à genito materiæ
diuerſitate diſtingui; alia enim ineſt forma atq; materia generanti, quæ planè non in-
eſt genito; ob id tamen materia induiduationis principium non dicitur: concur-
rit certè veluti cauſa intrinſeca, ad materialis rei indiuiduationem: nihilominùs for-
male indiuiduationis principium nequaquam vocatur. Ad 2. confirmationem, ſubijci
omnibus ſui generis æquiuocè conuenit materiæ; hoc autem conuenit indiuiduo ſub-
ſtantiæ, omnibus ſui generis ſubijci in ſurſum, tanquam de ipſo prædicabilibus; non ſic
autem materiæ formis ſui generis ſubijci conuenit; ſed ipſam velut partem actuantibus
potiùs atq; perficientibus, ad alicuius compoſiti, ſiue generis conſtitutionem. Itaq; non o-
pus eſt illud indiuiduo per materiam conuenire, quandoquidem nec ipſa materia ſit
principium induiduandi. Ad 3. minor eſt falſa: non enim materia, quatenus eſt ma- 3.
teria, induiduo adimit, quò minùs ſit diffinibile: nam & ipſa quidem ad ſpeciei diffi-

Materia accipitur pro differentia indiuiduali.

Materia non eſt induiduationis pricipium.

 nitionem

Indiuidu-ationis principiũ.

nitionem pertinet, & indiuiduum quoq; immateriale, parum, aut vix eſt diffinibile. Il-
lud autem philoſophi de partibus materialibus intelligendum eſt, ad indiuiduum, vt in-
diuiduum, non autem ad materiam, vt materiam ſpectantibus: vtrum autem indiuidu-
um ab intellectu intelligatur, poſtea ſuo loco dicemus. Confirmatio concludit oppoſitũ:
eo enim ipſo, quo materia eſt principium potentiale primum, ad vnitatem pluralitatẽq;
indifferenter fertur, vnde non eſt vna, ſed plures, ideoq; nequit eſſe indiuiduationis
4. principium. Ad 4. patet ſolutio ex dictis: ibi enim non propriè materia intelligitur,
ſed differentia potiùs indiuidualis, quæ eſt completum indiuiduationis principium. Ad
5. 5. quamuis ipſius indiuidui duo ſint principia intrinſeca; præter illa tamen, neceſſaria
eſt differentia indiuidualis. Ad confirmationem dico, præter materiam & formam,
indiuidui partes intrinſecas, neceſſariam non eſſe aliam quantitatem, ſed differentiam
6. indiuidualem tantùm. Ad 6. Quamuis ad formæ ingreſſum eadem materia remaneat;
ipſa tamen non eſt indiuiduationis principium, ſicut dictum eſt, ſed indiuidualis diffe-
rentia. Simili quoq; facilitate confirmatio ſoluitur: nam ſi quæ dicta ſunt, rectè perpen
dantur; vnica profectò reſponſione ſoluentur omnia. Materiam ergo non eſſe indiuidu-
ationis principium, omnibus conſtare arbitror.

CAP. VI.

Principium indiuiduationis eſſe formam, naturam ipſam, atque actualem exiſtentiam, argumentis oſtenditur.

1. ILLud eſt indiuiduationis principium, per quod indiuiduum fit hoc; indiui-
duum enim nihil aliud eſt, quàm hoc ſingulare. ſed forma eſt in cauſa, ob
quam indiuiduum fit hoc, vt dicit Commentator 2. de anima, com: 7. vbi
philoſophus ſubſtantiam diuidit in materiam, formam, & compoſitum: for-
ma ergo eſt indiuiduationis principium. Sanè, compoſitum non eſt vnum, niſi per for-
mam, vt ibidem dicit. Et in eodem libr: com. 9. Indiuiduum, eſt indiuiduum per for-
mam. Et 7. met. com. 5. Subſtantia, inquit, demonſtrata, non eſt vna niſi per formam:
2. forma ergo eſt indiuiduandæ naturæ principium. Amplius, quo aliquid habet eſſe, eo-
dem etiam habet, vt ſit vnum; idem enim eſt eſſe, & vnum eſſe. ſed per formam vna-
quæq; res habet eſſe. igitur per formam eſt vnum ſiue vna. Eodem ſanè aliquid eſt indi-
uiduum, & generationis terminus: nam generatio ad ſingulare & indiuiduum termina-
tur. ſed forma eſt generationis terminus: principium ergo erit indiuiduationis: etenim,
qua ratione aliquid eſt indiuiduum; eadem planè in actu exiſtit. ſed per formam res
eſt in actu: ergo per formam eſt indiuiduum. Deniq;, per illud in numero, aliquid eſt
vnum numero, ſiue indiuiduum; per quod certè in ſpecie, aliquid eſt vnum ſpecie. ſed
per formam ſpecificam aliquid eſt vnum in ſpecie: ergo per hanc formam numero, eſt
3. vnum numero, ſiue indiuiduum. Adhuc, ſeipſa indiuiduatur natura, non egens ali-
quo alio: nam aut ex ſe indiuiduatur, vt ſit hæc, aut per aliquod additum. non per ali-
quod additum, alioqui proceſſus fieret in infinitum: per ſe ergo natura eſt indiuidu-
um, non per differentiam indiuidualem, aut materiam, vel formam. Reuera, ea ratione,
qua aliquid eſt extra intellectum; eamet eſt ſingulare, & indiuiduum, nec alia eſt cau-
ſa quærenda, quandoquidem hæc ſit conditio entis, extra intellectum exiſtentis, nempè
ſingulare eſſe. ſed natura ſeipſa formaliter eſt extra intellectum: igitur ſeipſa eſt ſin-
4. gulare. Amplius, rei ſic ſimpliciter exiſtentis ex propria natura, cauſa inquirenda nõ
eſt, ineſt enim illi naturaliter; ſed illius potiùs conquærenda eſt, quæ eſt ſecundũ quid,

Quòd natura indiuiduetur per ſeipſam.

& aduenti-

Indiuiduationis principiũ.

& aduentitia potiùs. Sed natura realis, ſimpliciter ac naturaliter eſt ſingulare, ſeu
indiuiduum; ſecundùm quid verò eſt vniuerſale, vt pote per actionem intellectus: igi-
tur quærere, quæ ſit naturalis indiuiduationis principium, inanis eſt inquiſitio, per idem
namq; habet eſſe, & vnum eſſe. ergo, ſicut ſeipſa eſt vna; ita etiam ſeipſa erit ſingularis
ſiue indiuiduum. Quòd autem ſit diuiſibilis; ob quantitatis rationem illi conuenit: ex ſe-
ipſa namque eſt hæc, & ex cõſequenti, impartibilis eſt atq; indiuiſibilis. Adde, Porphy-
rium iubentem in ſpecie ſpecialiſſima eſſe quieſcendum. Et Boetium, nullo modo ſpeciem
in indiuidua diuidere volentem. Vltra ergo ſpeciei ſpecialiſſimæ differẽtiam ſpecificam
& athomam, non rectè alia differentia quæritur, qua natura ſit indiuiduanda. Præte- 5.
rea, actualis exiſtentia eſt indiuiduationis principium: non ergo eſt differentia indiui- Actualem exiſtentiam eſſe principium indiuiduationis
dualis. Illud planè eſt indiuiduationis principium, ad quod generatio primò termi-
natur, quia nimirum ad indiuiduum, vt ſingulare, quo videlicet generatio terminatur:
ſed hoc eſt eſſe in actu, ſiue eſſe exiſtentiæ, nam generatio ad eſſe in actu terminatur:
igitur eſſe exiſtentiæ eſt principium indiuiduationis. Profectò per vltimum actum, rei
competit vnitas vltima; actus enim vltimus, immediatum eſt atq; proximum funda-
mentum: ſed vnitas indiuidualis eſt vltima & perfecta, eſſe verò exiſtentiæ, eſt actus
vltimus ſiue vltimatus: proximum ergo eſt rei vnitatis, ſiue indiuiduationis fundamen- 6.
tum. Item, ſicut per eſſe in intellectu eſt natura vniuerſalis; ita etiam per eſſe in actu,
eſt natura particularis, hæc namq; ad inuicem opponuntur: ſed eſſe in actu, eſt eſſe e-
xiſtentiæ: igitur quod prius. nam illud eſt indiuiduationis principium, quo exiſtente
vnico, res quoq; eſt vna. ſed eſſe actualis exiſtentiæ, eſt huiuſmodi, quippè cùm vnius
rei, vnicum ſit eſſe: illud ergo eſt indiuiduandæ naturæ principium.

CAP. VII.

Soluuntur argumenta.

AD primum, authoritates illæ ſic intelligendæ ſunt: forma eſt cauſa intrin- 1.
ſeca, atq; principalior pars eius, quod eſt vnum numero, ſicuti actus eſt
pars principalior quàm potentia, non autem eſt immediatum indiuidua-
tionis principium: forma enim poſtquam ſpeciei rationem ſubierit, non mi- Forma nõ eſt principium indiuiduationis
nùs communis eſt, quàm ipſa ſpecies vel ſpeciei quidditas, quod planè non
conuenit principio indiuiduanti. Illud præterea, quod eſt ratio conuenientiæ indiuiduorũ,
indiuiduationis nequit eſſe principiũ. ſed forma eſt principium cõuenientiæ indiuiduorũ
in ſpecie, dat enim eſſe ſpecificum: non ergo eſt indiuiduationis ratio. Inſuper, quod ad
quidditatem ſpecificam attinet, non poteſt eſſe indiuiduationis principium: nam prin-
cipium indiuiduationis, ſicuti etiam ipſum indiuiduum, ſpeciei rationem quidditatemq;
non ingreditur. ſed forma pertinet ad ſpeciei rationem atq; quidditatem: igitur non eſt
principium rei indiuiduandæ. formæ deniq; non repugnat in plura diuidi, ſicuti neque
quidditati ſeu ſpeciei formam includenti; hoc autem indiuiduationis principium non
compatitur formam: ergo principium eſſe indiuiduationis, eſt impoſſibile. Ad 2. quã- 2.
uis forma terminus quo generationis eſſe dicatur, & totũ compoſitum ſubſtantiale ter- Terminus quo, & terminus quod.
minus quod; non eſt tamen vltimatum indiuiduationis principium, quia ex ſe non eſt
hoc. Quòd ſi concedatur illi, adhuc nihilominùs non eſt principium indiuiduandi: nam
compoſitum aliam habet hæcceitatem, vt ita dicam, à partibus, ſicut etiam aliam habet
entitatem. Ad primam confirmationem, licet forma ſit vna numero; non eſt tamen prin
cipium, quo aliquid exiſtit vnum numero aut ſpecie, quippè, cùm formaliter non ſit im-
mediatũ indiuiduationis principium. Alia confirmatio ſimili facilitate diſſoluitur. Ad 3.
3. dico, deductionem illam inueniri in his, in quibus vnum, ſiue primum, ſecundum, & Natura nõ indiuiduatur ſe-
tertium vniformiter ſe habent. vnde Commentator dicit 4. met. ens non eſſe vnum per ipſam.

aliquod ſuperadditum; quia ſcilicet illud ſuperadditum conformiter ſe haberet ad eſſe vnum, ſicuti & ipſum ens; atq; ita proceſſus eſſet in infinitum Cùm autem natura quæ indiuiduatùr, & differentia indiuidualis vniformiter non ſe habeant; nullus profectò proceſſus in infinitum erit poſſibilis. vnde dicimus, hoc corpus album eſſe, non ſeipſo quidem, ſed aliquo ſuperaddito, nempè albedine: ipſa autem albedo, non ſeipſa, aut aliquo alio alba, ſed ratio potiùs, qua aliquid album exiſtit. vel dic rationem illam hoc velle dicere, ſcilicet naturam, nequaquam ob aliquod ſuperadditum eſſentialiter diſtinctum indiuiduari. Ad confirmationem dico, naturam ſeipſa formaliter, ſecundùm eſſe naturæ, non autem indiuiduale eſſe extra intellectum: eſſe autem indiuiduale conſequitur per aliquod ſibi additum, ſibi eſſentialiter idem, & à natura penitus inſeparabile, id eſt, per differentiam indiuidualem. Ad 4. verum quidem eſt, naturæ extra intellectum ſimpliciter conuenire eſſe aliquid ſingulare; ex ſe tamen præciſè id non habet, ſed per aliquod ſibi additum, vt dictum eſt. Ad confirmationem patet ſolutio. Ad Porphyrij authoritatem dico, quòd Plato iuſſit quieſcere in natura ſpecifica, non quia ſeipſa eſſet indiuidua, alioqui de pluribus differentibus numero prædicari non poſſet; ſed ob eam potiùs cauſam, quia licet indiuidua per ſe ſint in genere; potentia tamen ſunt infinita, ideoq; ſcientiæ inquiſitionem effugiunt. Hac etiam ratione Boetius ſpeciei diuiſionem in indiuidua dimiſit. Natura ergo ſeipſa non indiuiduatur. Ad 5. quamuis indiuiduum actu exiſtens, primò generationem terminet; per exiſtere tamen non eſt indiuiduum, ſed per differentiam indiuidualem. Ad confirmationem dico, exiſtere non eſſe vltimatum actum ordinabilem in genere, modo quidem prædicto: accidit enim cuilibet ordinabili in genere, extra eius rationem exiſtere. Præterea, vltimus actus indiuiduationis, eſt ipſa differentia indiuidualis, per quam indiuiduum eſt vnum in actu. Ad 6 eſſe in re, & in intellectu non ſunt oppoſita: proinde neceſſe non eſt, quòd res, quia eſt in intellectu, vniuerſalis naturā ſubeat; ſingularis verò, quia in re exiſtit; licet verum ſit actualem exiſtentiam ſingularitatem in re concomitari. Quare, ſicut res eſt vniuerſalis in intellectu; ita etiam eſt ſingularis in re, atq; in effectu. Ad confirmationem dico, illud eſſe indiuiduationis principium, quo vnico exiſtente, res primò eſt vna ſingulariter: hoc autem non eſt actualis exiſtentia, ſed differentia indiuidualis. Itaque, formam aut naturam, ſiue actualem exiſtentiam, non eſſe indiuiduationis principium, patet.

Natura conſequitur eſſe indiuiduale per differentiã indiuidualem.

4.

Porphyrius.

Boetius.

5.

6.

CAP. VIII.

Quantitatem eſſe principium indiuiduationis, argumentis oſtenditur.

ILlud eſt principium indiuiduationis indiuiſum exiſtens, quod certè per ſui diuiſionem multiplicationis indiuiduorum in aliqua natura, principium eſſe cognoſcitur. Sed quantitas eſt huiuſmodi: primò enim ſibi, in eiuſdem rationis partes diuidi competit, vt 5: met. dicitur, & per ipſam cuilibet alteri: ſpecies autem in indiuidua, veluti in partes eiuſdem rationis diuiditur, quod vtiq; à quantitate mutuare videtur: quantitas ergo eſt indiuiduationis principium Suffragatur huic ſententiæ Auicenna 5. met. cap. 1. Equinitas, inquit, vt natura eſt equinitas; ſed, vt accipitur cum conditionibus accidentalibus & materialibus, dicitur hæc natura. Sequitur etiam ibidē: Materiæ quæruntur accidentia, quibus indiuiduatur natura. Commentator quoq; 8. Ethic. com. vlt. Sophronides, ait, Sophronici filius, non eſt alius, niſi quia per accidentia ab inuicem ſeparantur. Porphyrius etiam idem confirmat: Indiuidua, inquit, differunt ſuis accidentibus, quorum multitudinem in vno repertam, in alio reperiri, eſt impoſſibile. Conſentit his Boetius in lib. de Trinit. vbi tres

Auicenna.

Auerroes.

Porphyrius.

Boetius.

Indiuiduationis principiũ.

*hominès tantùm hic & nunc diſtingui aſſerit. ſed hic & nunc, ex quãtitate oriuntur, ſi-
cuti etiam tempus & motus; mobile enim quantum eſt atq; motus, locum quoq; dicit,
duobus corporibus eundem eſſe, fieri non poſſe: locum autem quantitatem eſſe ſatis con
ſtat. In elementario cap: 5. idipſum approbat Damaſcenus, vbi hypoſtaſes & indiuidua* Damaſcenus.
*alicuius naturæ, characteriſticis proprietatibus diſtingui, conſtanter docet. inter illas ve
rò præcipuam eſſe autumat quantitatem, vtpotè, quòd homo ſit longus, aut breuis, aut
aliquid huiuſmodi: patet ergo tum ratione, tum etiam multorum authoritatibus, quan-
titatem eſſe indiuiduationis principium. Amplius, id vtiq; dicendum eſt indiuiduatio-* 2.
*nis principium, cuius multiplicatione, indiuidua primò diſtinguuntur, atq; formæ par-
tiuntur materiales. ſed hoc ad quantitatem attinet, authore Commentatore in libr: de
ſubſtantia orbis, in quo ait, formam non partiri, aut multiplicari ob aliam cauſam, niſi
quia in alia & alia materia, vel materiæ parte recipitur, quæ profectò ratione quanti-
tatis alia atq; alia dicitur: quantitas ergo eſt indiuiduationis principium. Reuera, cuius
diuiſio eſt principium multitudinis, quæ eſt numerus; illud planè eſt vnitatis atq; indiui-
duationis principium ſed quantitas continua eſt huiuſmodi, nam in non quãtis numerus
nequaquam inuenitur: igitur quantitas eſt principium indiuiduationis, cuius diuiſio eſt
cauſa multiplicationis Adhuc, illud eſt principium indiuiduationis, quod quidem prin* 3.
*cipium eſt determinandi indiuiduum ad hic, & nunc, quippe cùm hoc proprium ſit in-
diuidui. ſed quantitas eſt huiuſmodi; indiuiduum enim in ſe eſt indiuiſum, & a quolibet
alio diuiſum; vnitatis autem & diuiſionis principium, à quantitate proficiſcitur: igitur
quantitas eſt principium indiuiduationis, quia nimirum eſt vnitatis, & indiuiduorum
diſtinctionis ad inuicem principium, ſiquidem vnumquodq; dicitur vnum ab vnitate,
ſed vnitas eſt principium numeri, numerus autem ex diuiſione continui cauſatur, conti-
nuum autem eſt quantitas: igitur quantitas eſt vnitatis ſeu indiuiduationis, & diſtincti-
onis principium. Iterum, hunc ignem ab alio igne differri conſtat, non quidem per ma* 4.
*teriam & formam: per quantitatem ergo ab inuicem ſeparantur. Quòdſi dixeris, hanc
partem ignis ab alia ſeparari, quia nimirum hæc non eſt illa, in idem recidit. Adde,
quòd id, quod conuenit alicui per ſe, alteri non conuenit, niſi ob gratiam illius: ſed diui-
dere aliquid in partes eiuſdem rationis, per ſe conuenit quantitati, vt dicitur 5. met: igi-
tur quantitas eſt indiuiduationis diuiſioniſq; principium.*

CAP. IX.

Soluuntur argumenta.

*AD primum dico, maiorem eſſe dubiam, minorem verò falſam: non enim
quantitas per ſui diuiſionem, vel quantitas diuiſa, multiplicationis indiui-* 1.
*duorum in natura ſubſtantiali, præciſa atque abſoluta ratio dicenda eſt.
Dicis, quantitati primò conuenit, in partes eiuſdem rationis diuidi. Di-
co, hoc modo philoſophum fuiſſe locutum, quantum diuiditur in ea, quæ* Quantum
inſunt, quorum quodlibet hoc aliquid natum eſt eſſe: verum tamen eſt, quantitatem quæ diuiditur
*in partes eiuſdem rationis, ſicuti totum integrale diuidi, primòque illi hoc conueni-
re. vnde ſubſtantia diuiſibilis eſt, potentia proxima ad diuiſionem dimenſiuam, id-
que per quantitatem. hanc autem diuiſionem non priuat ſiue aufert indiuiduum, quip-
pe, cùm non faciat oppoſitum; ſed illã potiùs, quæ eſt alicuius, ſicut totius in partes
ſubiectiuas, quæ plane quantitati primò non conuenit, ſed ſubſtantiæ, idq; non per quan-
titatem, & ex conſequenti, neq; indiuiduatio, neq; indiuiduorum ſub eadem natura mul
tiplicatio. Ad authoritatem Auicennæ dico, ea intelligere accidentia naturæ, quæ ſunt* Auicenna.
*extra conceptum naturæ indiuidualis, in quorum numero differentia quoq; indiuidualis
haberi poteſt. Ad authoritatem Boetij reſpondeo, ipſum loqui ſecundum noſtræ intelli-*

gentiæ modũ, quæ dependet ex ſenſu; ideo ex accidentibus, quæ cadunt ſub ſenſum, indiuiduationem venari ſtudet. vnde, quamuis accidentia ipſum comitentur indiuiduum;
2. *ipſum tamen nequaquam conſtituunt. Ad 2. patet, quantitatem non eſſe principium formæ multiplicandæ, ſed ipſam comitari; formam verò per aliqua intrinſeca multiplicari: priùs natura quàm in alia, vel alia materia, ſeu parte materiæ recipiantur. Ad cõfirmationẽ, quantitas, vt dictum eſt, non ad genus quantitatis, ſed ſubſtantiæ potiùs ſpectat: nã in ſubſtantijs à quantitate ſeparatis omninò, inuenitur quidẽ numerus, non autẽ*
3. *quantitas, ſicut paulò ante dixi. Ad 3. eiusq; confirmationem, vnica ſententia reſpondeo, quantitatem eſſe principium vnitatis accidentalis indiuiduorum, & diſcretionis e-*
4. *orundem, non autem incommunicabilitatis. Ad 4. dico, hunc ignem ab alio diſtingui, ſua differentia indiuiduali, vel ſaltem formali, non quantitatiua, quæ ſit indiuiduationis principium. Ad confirmationem dico, illam rationem hoc velle dicere, nempè quãtitatem eſſe principium indiuiduationis, quòad diuiſionem materiæ quantitatiuam, non autem quòad incommunicabilitatem ediuidualem. Ecce quã longo ſunt hæc repetita ſermone, ob hanc ſine dubio cauſam, vt faciliùs intelligamus, ſub vna ſpecie plura eſſe poſſe angelorum indiuidua, quoniam principium indiuiduationis eſt differentia indiuidualis, quæ eſt in angelis.*

Quãtitas principium indiuiduationis quo modo.

Qvaestionis tertiae cap. I.

Angeli ſunt ſubſtantiæ immateriales.

Nomen materiale multiplex.

Poſtquàm viſum eſt, quomodo angeli ſint plures in eadem ſpecie, deinceps videndum eſt, quomodo ſint immateriales. Multiplex tùm apud theologos, tùm etiam apud philoſophos, rerum diuinarum humanarumq; cultores, huius nominis, materiale, vſus eſſe dignoſcitur. Interdum enim materiale appellatur, quod eſt ex materia & forma, tanquam ex ſuis partibus conſtatim atq; compoſitum eſt. aliquando verò materiale nominatur, quòd ſui conſeruatione ex materia dependeat, ad quem modum formæ elementares materiales appellantur; nam in eſſe ipſorum atq; conſeruatione, ex ſuis materijs dependent. Materiale præterea aliquid appellatur, quia alijs videlicet comparatum, impurum eſt atq; imperfectum: quo ſanè modo minus perfectum, reſpectu perfectioris materiale vocatur. materiale ergo nominatur, aut quia habet materiam, tanquam partem ſui, aut quia in eſſe & conſeruari à materia dependet, aut quia perfectiori comparatum, impurum eſt atq; imperfectum. E contrario, illud immateriale nominatur, cui hæc tria nõn inſunt. Modò autem ſermo noſter eſt, an intelligentiæ ſiue angeli aliquo modo materiales, vel immateriales ſint, necné. Porrò, angelos eſſe materiales non eſt poſſibile, alioqui eſſent corruptibiles; materia namque eſt, qua res & eſſe & non eſſe poteſt. at angeli ſunt in-

Angeli ſunt immateriales.

1. *corruptibiles: non ergo ſunt materiales. Amplius, nihil eſt ſupra noſtrum intellectum,*
2. *quin ſit immateriale, quia intellectus eſt immaterialis 3. de anima. ſed huiuſmodi intelli-*
3. *gentiæ noſtro intellectu ſuperiores ſunt: igitur ſunt immateriales. Adde, ſi materia orbium à materia mixtorum ſecernitur, & motores ſimiliter; imò multò magis, quantò orbibus motores præſtantiores ſunt: formæ ergo cœlorum alterius ſunt naturæ à formis*
4. *elementarijs: ſed illæ ſunt corporales, hæ ergo immateriales erunt. Præterea, illæ ſunt ſubſtantiæ immateriales, quæ non aliunde mendicant modum intelligendi, ſed per ſuas ſubſtantias intelligunt. ſed huiuſmodi ſunt beatæ illæ mentes ſiue intelligentiæ, de quarum modo intelligendi ſuo loco nobis loquendum eſt: ſunt ergo puræ atq; immateriales.*
5. *Adhuc, intelligentiæ ſunt ſubſtantiæ indiuiſibiles: ergo immateriales: diuiſio ſiquidem materiam conſequitur: vbi autem non eſt materia; nec inibi erit diuiſio, quæ ad materiæ ratio-*

De angelorum ſubſtantia.

riæ rationem ſpectet. Reuera, in angelis non eſt materia, quæ eſt potentia ad eſſe, vel nō
eſſe, quæq́; à philoſophis materia prima nominatur; neq; materia, quæ dicitur ſubie-
ctum vel mobile ipſum, proinde compoſitione carent, quæ ex huiuſmodi procedit atq;
emanat: non enim ſunt ex materia tranſmutationis & forma, neq; ex motore & ipſo mo
bili; verum tamen eſt, quòd ſi primæ comparentur intelligentiæ, aliquo modo materiales
dicendæ ſunt, vt potè reſpectu primæ, imperfectæ. Quam ob cauſam Auer. 3. de anima.
com. 5. & 14. ait, nullam intelligentiam præter primam à potentia liberam eſſe: quæli-
bet enim ex gradu componitur perfectionis accedendi ad primum ens, & gradu rece-
dendi à primo. hoc autem modo fas eſt dicere, intelligentias materiales eſſe. Quomodo
ergo intelligentiæ ſint immateriales dixi.

Quomodo intelligentiæ ſint materiales

CAP. II.

Angelos eſſe materiales, argumentis oſtenditur.

Sicut Deus eſt vniuerſale agens; ita planè materia eſt vniuerſale rerum prin 1.
cipium. ſed potentiā dei cauſantis ſubterfugit nihil; omnia enim vt paulò
ante dixi, ſunt à deo effectiuè; ſic etiam materiæ cauſalitatem nullum en-
tium, excepto primo, ſubterfugere valet: quicquid ergo eſt citra deum, v-
tiq; eſt materiale & minimè ſimplex. Amplius, ſicut omne quod eſt, de- 2.
pendet à deo; ita planè omne creatum dependet à materia. Tenet conſequentia, authori-
tate commentatoris 5. & 8. com. 3. de anima. Omnes, inquit, formæ ſicut actu in primo
continentur agente; ita etiam potentia in materia. Et iterum, nulla ſubſtantia præter pri
mam, liberata eſt à materia. ſed intelligentiæ ſunt formæ creatæ: igitur non ſunt à ma-
teria liberæ, ſed illius ex potentia dependēt: nam quemadmodum nulla eſt forma, quæ
à primo motore non dependeat; ita etiam nulla eſt forma, quæ non dependeat à mate-
ria. Adhuc, omne quod componitur ex genere & differentia, eſt materiale: nihil e- 3.
nim eſt in genere, vt vult Auerroes, niſi per materiam. ſed intelligentiæ ſecundùm A-
uicennam componuntur ex genere & differentia: igitur intelligentiæ ſunt materiales.
Item, intelligentiæ ſunt ſubſtantiæ indiuiduæ, vt dictum eſt: igitur ſunt materiales. Te 4.
net conſequentia: indiuiduum enim tale dicitur per materiam, quemadmodū loquitur
ſeptimus methaphyſicæ: ſunt ergo ſubſtantiæ materiales. Præterea, quicquid in effecti- 5.
bus reperitur, & in cauſa quoq; reperiri neceſſe eſt: oportet enim agens & patiens in
materia conuenire. ſed in effectibus ſtellarum materia reperitur: ergo & in earundem
motoribus. Reuera, quælibet ſubſtantia mouens orbem, eſt forma orbis perficiens & cō-
ſtituens, quod certè ſine materia fieri non poteſt. Intelligentiæ ergo ſunt materiales.

CAP. III.

Soluuntur argumenta.

AD primum, negatur ſimilitudo: Deus enim omnium entium eſt cauſa ef- 1.
fectiua, in quorum numero ipſa quoq; materia habetur, quæ à Deo non
ſolùm habet dependentiam, ſed etiam eſſe: quam ob cauſam, iure voca-
tur vniuerſale agens atq; efficiens. at materia, generabilium tantùm v-
niuerſale principium dicitur, non autem ingenerabilium, cuiuſmodi ſunt
angeli, idcirco argumentum non eſt ſimile. Ad 2. ſi materiales, id eſt, imperfectos,
reſpectiuè ad primam intelligentiam angelos vocaueris; rectè quidem intelligis: ſin autē 2.
abſolutè, perperam; non enim abſoluta & vera in angelis materia inuenitur: reſpectu

Materia vniuerſale generabilium.

Materia eſt pars quidditatis.

ergo primæ intelligentiæ, cæteræ materiales nuncupantur. Ad 3. dico, intelligentias nō eſſe in genere prædicamentaliter, ſed tranſcendenter, idcirco materiales dici non poſſe: quæcunq; enim in genere ſunt prædicamentaliter, corruptioni ſubdita ſunt, vtpote com-
3. *poſita ex materia & forma, aut fundata in compoſitis ex materia & forma. In cauſa autem eſt, quia genus eſt quid potentiale, potentiale autem eſt per materiam, differētia verò eſt quid actuale, quod certè ob formæ rationem obtinet. Cùm autem in æternis nulla prorſus ſit corruptio: in illis ergo abſq; dubio, vt dicit Auerr: 10. met. & in libro de ſubſtantia orbis, genus & ſpecies æquiuocè, id eſt, tranſcendenter inueniuntur. Hoc*
4. *idem confirmat lib. 2. de cœlo, com: 49. contra Auicennam diſputando. Ad 4. patet reſponſio ex his quæ dicta ſunt, vbi oſtendimus materiam non eſſe indiuiduationis principium. Licet ergo intelligentiæ ſint indiuiduæ, & ſub vna ſpecie multa intelligentiarum indiuidua contineantur; non ob id tamen materiales dicendæ ſunt, quandoquidem indiuiduationis principium non ex materia, ſed ex differentia procedat indiuiduali. Ad*
5. *5. maior veritatem quidem habet in cauſis, quæ cum ſuis effectibus vniuocæ ſunt: modò autem conſtat, hanc inter corruptibilia, atque incorruptibilia vniuocationem non eſſe, quemadmodum & poſtea dicturi ſumus, cùm de corruptibilium incorruptibiliumque materia erit nobis loquendum. Quoniam igitur inter huiuſmodi effectus & cauſas, propriè vniuocatio non inuenitur; ideo intelligentias cùm ſuis effectibus im materia conuenire debere, nequaquam neceſſe eſt. Ex his ergo atq; ſimilibus, intelligentias eſſe immateriales ſatis patet.*

In angelis genus & ſpecies ſunt tranſcendenter.

CAP. IIII.

Materiam eſſe partem quidditatis ſubſtantiæ compoſitæ.

QVoniam diuinas illas mentes ſanctasq; intelligentias, à materia eſſe liberas demonſtraui, huic certè negotio conuenire putaui, ſi illam famoſam controuerſiam adducerem, nempè, ſi materia pars ſit quidditatis ſubſtantiæ compoſitæ. Inprimis autem animaduertendum eſt, in ſubſtantia compoſita, duas eſſe formas realiter diſtinctas, formam videlicet partis vnibilis materiæ, quæ eſt materiæ perfectio, quemadmodum in homine eſt anima, actus atq; perfectio corporis exiſtens: et formam totius, quæ ex vnione formæ partis cum materia conflata, emergit atq; conſurgit. hæc quidem in ſui ratione formam atq; materiam complectitur, diſſentitq; à forma partis, ſicut compoſitum à ſimplici. Profectò, in homine forma totius eſt humanitas, quæ non eſt ſola anima, ſed ex materia atq; hominis forma reſultans. hanc autem formam totius, quidditatem ſiue eſſentiam vocamus, quæ licet per modum partis ſignificet, non eſt tamen pars; alioqui eſſet forma ſimplex, atq; ita duæ formæ partis in homine inuenirentur, quod minimè probatur. Porrò, forma partis dicitur, quia ſcilicet facit materiam eſſe in actu; forma verò totius, quia ſpeciei rationem complet perficitq;: etenim humanitas eſt eſſentia hominis: eſſentia autem rei eſt, quam ſignificat diffinitio: diffinitio verò rei naturalis non ſolùm formam ſignificat, ſed formam & materiam. proinde humanitas aliquid compoſitum ex materia & forma ſignificat, nempè principia ſpeciei eſſentialia, idq; per modum partis: homo autem, tùm illa ſignificat, tùm etiam indiuiduantia principia, idq; per modum totius; homo ſiquidem dicitur, qui & humanitatem habet, & alia quoq; habere poteſt principia indiuiduantia. Itaq;, quidditas ſiue eſſentia rei, non eſt ſola forma, ſed materia quoq;. Igitur materia abſolutè accepta, ad materiam indiuidualem non contracta, ad quidditatem

Forma partis

Forma totius

Humanitas eſt forma totius.

Homo quid ſignificet.

Materia eſt pars quidditatis.

vtique

Materia eſt pars quidditatis.

vtique attinet ſpecificam Reuera, quod eſt eſſentia, & quidditas alicuius, illi, cuius eſt
eſſentia, ratio abſque dubio intrinſeca, & ſufficiens eſt eſſendi, quacunq; alia re, ab eo
realiter differente, circumſcripta, atque remota. ſed forma hominis, vtpotè anima rati-
onalis, eſt tota eſſentia, & quidditas hominis, vt quibuſdam placet: ſola ergo anima eſt 1.
ſufficiens ratio eſſendi, atque ita homo, eſſet prorſus homo, ſine materia, quod eſt fal-
ſum. maior ſic probatur: nam ſi albedo eſt ſufficiens ratio, qua ſuperficies eſt alba; mul-
tò magis id quidditas præſtabit enti, cuius eſt quidditas. cùm autem hoc ſit impoſſi-
bile, verum ergo eſt, materiam eſſe partem quidditatis ſubſtantiæ compoſitæ. Amplius, 2.
cuius eſſentia in genere cauſæ materialis, à materia nequaquam dependet; nec certè id,
cuius eſt eſſentia. ſi ergo quidditas naturalis ſubſtantiæ compoſitæ, à materia non de-
pendet, vtpotè, quæ illius quidditatem non ingreditur: nec ergo ſubſtantia naturalis cõ-
poſita, in genere cauſæ materialis, à materia dependebit, quod ſanè abſurdiſſimum eſt;
tunc enim materia, non ſolùm cauſa, ſed nec etiam pars eſſet ſubſtantiæ compoſitæ.
Adhuc, quod eſt pars humanæ naturæ, eſt etiam pars quidditatis humanæ: natura e- 3.
nim, & quidditas ſunt idem. ſed materia eſt pars naturæ humanæ, vt dicitur 2. phyſ:
comm: 21. Quoniam autem natura dupliciter dicitur, inquit, & ſpecies, & materia &c.
nam ſi materia non eſt pars quidditatis; tunc in vno homine eſſent duæ naturæ non par-
tiales, vtpotè nequaquam partes alicuius naturæ, quod eſt impoſſibile. Materia igitur
eſt pars quidditatis rei compoſitæ. Suffragatur huic ſententiæ philoſophus 8. met: com:
15. & 16. Diffinitio, inquit, compoſitorum eſt vna, quia ex actu, & potentia natum eſt
fieri vnum: quidditates autẽ ſimplices, ſeipſis ſtatim habent vnitatem, eò quod formæ
tãtùm ſint. Hæc quidem Ariſtoteles nequaquã diceret, niſi materia pars eſſet quiddita-
tis rei compoſitæ: nam de forma ſola, illa non dixiſſet, quandoquidem forma ſeipſa vna
ſit. Hoc idem confirmat 9. met: comm: 22. In quidditatibus, inquit, compoſitorum acci-
dit error, non autem in quidditatibus ſimplicium, idq; propter partium multitudinem,
ex quibus illæ partes compoſitæ ſunt. vnde ex earum compoſitione, error accidere poteſt
qui in ſimplicibus cùm careant partibus, locum non habet. Ex quo patet, ad mentem
philoſophi, rei compoſitæ eſſentiam, non ſimplicem, ſed compoſitam eſſe, quidditatemq;
rei materialis, à quidditate ſeparata differre, quandoquidem iſta eſſentialiter ſimplex
ſit, hæc autem eſſentialiter compoſita: materia ergo eſt pars quidditatis ſubſtantiæ cõ-
poſitæ. Amplius, ſi materia non eſt pars quidditatis ſubſtantiæ compoſitæ, tum qui- 4.
dem eſſet indiuiſibilis quidditas, quod eſt contra Ariſtotelem, qui vult diffinitionem eſ-
ſe orationem longam, tum etiam, ipſa quoque diffinitio eſſet diminuta: Qui, inquit A-
uerr: 1. de anima comm: 12. dimittit materiam, diminutè accipit. Materia ergo, ſicut di-
ctum eſt, eſt pars quidditatis ſubſtantiæ compoſitæ; non tamen præcipua, ad formam
ſiquidem hoc attinet. Amplius, ſi materia non eſſet pars quidditatis rei compoſitæ, 5.
non approbaretur à philoſ: 8. phy: comm: 6. ſententia Archytæ, per materiam, & for-
mam diffinitionẽ venantis. Sanè, ratio diffinitiua, ſignificat aliquid de aliquo, vbi oportet
hoc quidem eſſe, vt materiam, illud verò vt formam: Palàm, inquit, eſt, quæ, & quomo-
do ſit ſenſibilis ſubſtantia: nam hæc quidem, vt materia eſt; illa verò, vt forma, & actus;
tertia eſt quæ eſt ex his. Quam ob cauſam, Auerr: comm: 9. ait: diffinitiones rerum ex
materijs, & formis eſſe. Materia ergo ſecundùm philoſophum, atque commentatorem,
eſt pars diffinitionis, atq; quidditatis. Reuera, ſi materia non eſt pars quidditatis; tunc
vtique compoſitum eſſet incauſatum: cuius enim eſſentia eſt incauſata; & ipſum quoq;
compoſitum eſt ſimpliciter incauſatum. ſed forma quæ eſt compoſiti eſſentia, eſt incau-
ſata intrinſecè: & compoſitum ergo ſimiliter, quod eſt falſum. Patet ergo, non ſolam for-
mam eſſe compoſiti quidditatem. Item, ſi materia non eſt pars quidditatis, quòd ex 6.
materia, formaq; componitur; non erit ens naturale, ſed per accidens potiùs: omnis e-
nim eſſentia completa in ſpecie cuicunque, iungitur, facit vnum per accidens. ſed rei

Forma ſimplex & compoſita.

Archytę ſententia.

Materia eſt pars quidditatis.

eſſentia eſt completa in ſpecie per formam : igitur ſi materiæ addatur , facit vnum per accidens , atque ita ens naturale, eſſet ens per acccidens, quod eſt abſurdum. Adhuc, ſi ita res ſe habeat : igitur materia eſt nihil. Tenet conſequentia : quicquid enim non eſt
7. quidditas,vel pars quidditatis,aut deniq; habens quidditatem ; illud profectò nihil eſt: ſed materia non eſt quidditas, quia hæc eſt formæ proprietas , nec habens quidditatem,
8. quandoquidem id compoſito conueniat : ſi ergo non ſit pars quidditatis ; erit vtique nihil,quod eſt falſum. Præterea, ſi datur materia vniuerſalis:ergo materia eſt pars quidditatis. Tenet conſequentia ; quia materia vniuerſalis eſt pars compoſiti vniuerſalis. ſed datur materia vniuerſalis ; materiæ namque conuenit per ſe vnum facere cum forma,id que non huius, vel alterius , ſed vniuerſalis materiæ ratione : nam quod vni per ſe competit, & non vni per alterum; per vniuerſale omnibus competat,neceſſarium eſt. ſed facere vnum per ſe cum forma, omnibus competit materijs, idq; non vni per alteram : igitur per vniuerſalem materiam. Quare, ſi materia ſpecificè ſumpta, eſt pars quidditatis ſpeciei, & materia vtique contractè ſumpta,eſt pars quidditatis indiuidui. Itaq;, vt dictum eſt,materia eſt pars quidditatis ſubſtantiæ compoſitæ. hoc idem ſæpe Ariſtoteles approbat in ſeptimo met: vbi ait, quòd parabola Socratis iunioris, quam conſueuit dicere, non bene ſe habeat ; ſuperfluum enim eſt materiam à quidditatibus auferre : materia ergo eſt pars quidditatis.

CAP. V.

Materiam non eſſe partem quidditatis, argumentis oſtenditur.

1. *Quidditas, eſt quod quid eſt, ſiue diffinitio rei : ergo materia non eſt quidditas, quippe,cùm non ſit diffinitio rei, ſed forma tantùm, authore phil: 7. met: comm: 10. Quoniam autem in principio diuiſimus , inquit , quot modis determinauimus ſubſtantiam, & horum quidem vnum videtur eſſe quod quid erat eſſe, ſpeculandum eſt de ipſo : ſola ergo forma eſt quidditas rei. Et comm: 11. Quod autem, vt ſpecies,& forma, quod quid erat eſſe: & 2. de anima,comm: 8. Animam,quam conſtat eſſe formam,quod quid erat eſſe corporis vocat. Cùm ergo paſſim formam , quatenus ab alijs eſt diſtincta cauſarum generibus , quodquid erat eſſe , vocet ; indubiè approbare tueriq; videtur , ſolam formam eſſe rei quidditatem. Sanè, vt quintus met: recitat , omnes partes diffinitionis ſunt formæ. ſed ma-*
2. *teria non eſt forma : igitur materia non eſt pars diffinitionis, ſiue quidditatis. Amplius , ſi ſubſtantia compoſita haberet quidditatem ex materia & forma conſtantem ; in quidditatibus eſſet proceſſus in infinitum, quemadmodum commentator 7. met: comm: 21. dicere videtur. Tenet conſequentia: etenim,ſi quidditas hominis , eſſet homo compoſitus ex materia,& forma ; tunc quidditas hominis haberet quidditatem, & ſic quidditatis eſſet quidditas : quæcunque enim ſunt idem,quicquid habet vnum, habet reliquum . ſi ergo quidditas hominis, & homo ſunt idem , cùm homo compoſitus habeat quidditatem ; & quidditas quoque hominis habebit quidditatem. Conſentit huic ſententiæ philoſ:*

Materia non eſt pars quidditatis.

7. met: comm: 34. Materia, inquit, non eſt pars quidditatis. & 2. phy: comm: 28. partes diffinitionis in genere collocat cauſæ formalis. & 10. met: comm: 25. ait, marem, & fœminam, ſpeciem minimè variare , quia ſcilicet differentiæ ſunt materiales. Reuera , materia eſt cauſa corruptionis , ſenſibilitatis, & ſimilium, quorum oppoſita quidditatibus conueniunt : ſunt enim eſſentiæ rerum ingenerabiles, inſenſibiles , atque incorrupti-
3. *biles, ex quibus materiam non eſſe quidditatis partem latiſſimè patet. Adhuc , eſſentia rei, eſt ſubſtantia declarans rei quidditatem. ſed materia defert potiùs,quàm declaret rei quidditatem ; nam vt in primo phyſ: dicitur comm: 69. materia ſecundùm ſe eſt*

ignota,

Materia eſt pars quidditatis.

ignota: alterius ergo rei declaratiua eſſe non valet. cùm ergo materia ex ſe ſit ignota, & per analogiam ad formam cognoſcatur; profectò ad rei quidditatem non attinet. Præterea, quod eſt impedimentum, quò minùs quod quid eſt, cum eo, cuius eſt, idem non ſit, non eſt pars quidditatis, aut aliquo modo ad quidditatem pertinens; nihil enim impedit prohibetque identitatem inter rem, & ſuam quidditatem, niſi illud extraneum fuerit, atque à re, eiuſquæ quidditate alienum: nam quod eſt ſecundùm ſe, eſt idem cum eo, cuius eſt, vt dicitur 7. met: ſed materia eſt huiuſmodi; concepta ſiquidem cum materia non ſunt idem, vt in eodem libro habetur: igitur materia non eſt pars quidditatis ſubſtantiæ compoſitæ. Item, illud eſt quidditatis, atque eſſentiæ per ſe principium, vt dicitur primo met: com: 29. & 12. comm: 14. & 18. quo ipſum diffinibile, vniuerſalitate participat: ſed hoc ad formam tantùm ſpectat, non autem ad materiam, quippe, cùm materia ſingularitate ſolùmmodò participet: igitur quod prius. Reuera, illud non eſt principium quidditatis, quod ſecundùm ſe eſt ſingulare: eſſentia enim & quidditas, eſt vniuerſale: rei autem vniuerſalis, ſingularis pars eſſe non poteſt. ſed materia eſt ſingulare, vtpotè, vna numero in ſpecie materiæ: nam ſi hæc materia, alia eſt ab illa; hoc certè propter formam, atque accidentia contingit, quibus ad diuerſas formas determinatur, ſicut dicitur 12. met: comm: 14. vnde Auerroës 7. met: com. 20. & 37. ait, quòd homo vniuerſalis non ſit homo, niſi per formam: non igitur per materiæ compoſitionem. Materia ergo non eſt pars quidditatis. Amplius, quidditas eſt principium per ſe eſſendi, vt dicit Auerroës 7. met: comm: 20. ſed ſola forma eſt principium per ſe eſſendi: igitur ſola forma eſt quidditas, materia enim eſt principium non eſſendi, vt 22. & 53. comm: 7. met: dicitur. Porrò, vbique forma diffinitur per principium eſſendi. com: 20. & 37. 7. met: Forma, inquit, eſt pars, quæ cùm fuerit, eſt res; materia verò eſt illud, quæ cùm fuerit, non eſt res: per ſolam ergo formam, compoſitum habet eſſe, per materiam verò habet non eſſe. Quare ſicut materia per accidens pertinet ad eſſentiam; ita etiam per accidens pertinet ad eſſe. Adhuc, id non eſt pars eſſentiæ, & quidditatis, per quod res diffinibilis ſenſibilis eſt, & non intelligibilis, vt habetur primo met: comm: 27. ſed per materiam compoſitum eſt ſenſibile, per formam verò intelligibile, ſicuti recitat primus liber de cœlo, & duodecimus met: igitur, ſola forma eſt quidditas, principiumq́ compoſiti eſſendi. Ex his ergo, atque ſimilibus rationibus, & quidem non contemnendis, veriſimile eſſe videtur, materiam ad quidditatem rei compoſitæ minimè ſpectare. Sanè, quidditas eſt rei diffinitio: primum autem per ſe diffinibile eſt forma, quatenus ſignificatur per ſpeciei nomen, vel generis de prædicamento ſubſtantiæ. hoc autem modo videtur, quòd materia non ſit pars eſſentiæ, aut diffinitionis: nam diffiniti eſſentia, atque ipſum diffinitum per ſe primò eſt ipſa forma, in quantum per nomen ſpeciei ſignificatur, vtpotè homo, vel equus. ſed materia non eſt pars formæ: igitur non eſt pars eſſentiæ, vel diffiniti, niſi quatenus eſt vehiculum formæ, aut ſubiectum deferens, ſicut Auerr: 7. met: comm: 34. innuere videtur. Hæc ergo videtur fuiſſe tum philoſophi tum Auerr: ſententia. Sed dicet aliquis, ſi ſola forma eſt rei quidditas, & diffinitio: eſſet ergo diffinitio ſimplex, & non oratio longa, quoniam forma eſt ſimplex, & vnius tantùm conceptus, atque ita, diffinitio non conſtaret ex genere, & differentia: Diffinitio præterea ſubſtantiæ, per additamentum eſſet: materia ſiquidem adderetur, non vt pars, ſed vt ſubiectum eſſentiæ. Adhuc, ſi materia non eſt pars quidditatis: igitur non prædicatur eſſentialiter de ipſo diffinito. nam ſi non eſt eſſentia, nec pars eſſentiæ: nec ergo ad eſſentiam ſpectabit, quod certè impoſſibile eſſe videtur, quippe, cùm ita, ac ipſa forma, compoſito ſit intrinſeca. Dico ad primum, diffinitum per ſe primò eſſe formam ſolam, diffinitionem verò ſermonem eſſe, omnes formæ conceptus, gradusque explicantem. quoniam autem forma ſpecifica, pluribus gradibus ornatur, quibus compoſitum conſtituit; hac de cauſa, diffinitio cùm ſit huiuſmodi graduum, oratio explicatiua, meritò

Margin notes, in page order: 4. — 5. — 6. — 7. — Obiectiones 1. — 2. — 3. — Solutiones 1.

eſt pars quidditatis.

ua; meritò oratio longa vocatur; genus enim & differentia, non diuerſas quidem formas, ſed diuerſos potius gradus, quibus forma ſe habet ad compoſitum, dicunt, atq; oſtendunt. Ad 2. illa eſt diffinitio per additamentum, quæ per aliquid alterius generis datur. ſed materia non eſt alterius generis, licet non ſit rei eſſentia, ſiue quidditas.
3. Ad 3. reſpondeo, ſecundum mentem Auerr: materiam, inſtar formæ intrinſecam eſſe compoſitam; non eſſe tamen partem eſſentiæ compoſiti. hæc dici ſolent à Peripathetica ſecta fautoribus.

CAP. VI.

Soluuntur Argumenta.

1. AD primum dico, quoniam à forma ſumitur propria differentia, quæ eſt pars diffinitionis præcipua; hac de cauſa à philoſopho ſæpiſſimè, quod quid eſt rei, ſiue quidditas nominatur. eodem quoque modo, animam, hominem appellat, quia nimirum eſt principalior hominis pars: quod enim eſt in aliquo principalius, illius profectò eſſe nominatur. Ex hoc autem non licet arguere materiam, rei partem quidditatiuam non eſſe, ſed talem certè, qualis eſt forma. Ad confirmationem ſic reſpondeo, partes diffinitionis formas vocari, non ſibiipſis, ſed diffinito comparatas, de quo formaliter prædicantur. vocatur autem forma, quodquid erat eſſe, quia ſcilicet principalior, & completiua eſt pars diffinitionis. Eadem ratione anima nominatur 7. met: ſubſtantia animati, ſpecies, & quod quid erat eſſe: non quia tota ſit, ſed notior pars diffinitionis. hoc etiam ex verbis, contextuq; philoſophi animaduertere licet: Si, inquit, quod altera, & non eſt anima animal, etſi hoc quidem dicendum eſt, hoc autem non dicendum. ac ſi diceret, anima quidem per ſe non eſt animal nec tota animalis diffinitio, ſed pars principalior tantum. Ad 2. negatur conſequentia:
2. quidditas enim hominis non habet quidditatem. nam ſi quidditas eſt ipſa diffinitio; tunc diffinitionis eſſet diffinitio, quod eſt falſum. Et cùm dicitur, quando aliqua duo ſunt idẽ &c. dico hanc propoſitionem non eſſe vniuerſaliter veram, alioqui ſicut genus habet differentias; ita certe differentia, haberet differentias: genus enim & differentia ſunt idem eſſentialiter. Ad authoritatem philoſ: 7. met. comm: 34. & 37. dico, philoſophum à quidditate materiam tantùm particularem remouere, atque eas partes, quæ per accidens ſe habent ad ſpeciei intellectum. Quòd autem partes diffinitionis in genere cauſa formalis collocentur, fauet potiùs, quàm deroget huic ſententiæ: omne enim ſuperius formale eſt reſpectu inferioris, ſicut philoſophus loquitur 2. phyſ: comm: 28. Maſculus

Maſculus & fœmina non differunt in genere animalis.

quoq; & fœmina, etſi non differant ſpecie in genere animalis; differunt tamen in genere ſexus; cuius differentiæ ad genus animalis per accidens ſe habent, & ex parte materiæ; ideoq; non cauſant in illo genere differentiam ſiue diuerſitatem ſpecificam. Ad vltimam confirmationem dico, illas materiæ paſſiones, particulariter exiſtentem, non autem à particularibus abſtractam inſequi materiam. abſtracta ſiquidẽ materia, eſt pars quidditatis ſpecificæ, cui illæ paſſiones non inſunt: atq; ita à quidditate materiam arcendam non eſſe, ampliſſimè patet. Ad 3. negatur minor: nam etſi materia ſolitariè ſumpta
3. ſit ignota; formæ tamen ſpecificæ, ſiue genericæ adiuncta, alterius eſt declaratiua. Reuera, nihil perfectè cognoſcitur, ſuis cauſis ignoratis: cauſæ autem tum materiales, tum etiam formales, vt dicitur 2. phyſ: non ſunt infinitæ. Quare ſi ad rei cognitionem, ſolùmmodò eſt neceſſarium quod quid eſt, materia autem vt ex 2. phyſ: colligitur eſt huiusmodi: in ipſo ergo quod quid eſt includitur. verum tamen eſt, quòd quemadmodum forma eſt magis ſubſtantia; ſic etiam ſit maior ratio compoſiti cognoſcendi: nam & materia eſſe habet à forma, quæ etiam materiam manifeſtat, atque oſtendit; vtrumq; tamen eſt cauſa compoſiti cognoſcendi. Itaq;, materia ignota eſſe dicitur, quia nimirum

non eſt

non eſt potiſſima cognitionis cauſa. Ad 4. minor eſt falſa, & ad probationem dico, Ariſtotelem ibi loqui de materia indiuiduali: in his enim, eo modo, quo ipſe intelligit, 4.
non eſt idem quod quid eſt, cum eo, cuius per ſe primò eſt. Ad 5. negatur conſequen- 5.
tia: non enim forma tantùm, ſed etiam materia eſt pars diffinitionis, tametſi non ita principalior. Ad probationem dico, illud intelligendum eſſe de materia indiuidui, non
autem de illa, quæ eſt pars quidditatis ſpecificæ. Ad 6. minor eſt falſa: non enim ſola 6.
forma eſt principium eſſendi, niſi intellexeris, ſola, id eſt, principalior, vt dictum eſt,
alioqui poſſet compoſitum ſubſiſtere ſine materia, quod eſt falſum. Ad 7. minor intel- 7.
ligenda eſt de materia indiuiduali, quæ per ſe eſt ſenſibilis, non autem de illa, quæ eſt pars ſpecificæ quidditatis. Itaq; materiam partem eſſe quidditatis ſic oſtenſum eſt, quamuis aliorum ſententia ſit etiam egregia, & à magnis viris inuenta: quiſq; ergo abundet in ſenſu ſuo. hæc dixiſſe, eſt plus ſatis.

Anno 1572. 8. Decembris, ipſa die conceptionis virginis, hora veſpertina in monte ſancto: Ora pro nobis beata virgo, vt immaculati inueniamur in conſpectu domini.

DE MOTV ANGELORVM

MERCVRIVS.

Qui circulis ſuis mundum ſenſibilem complectuntur.

Commentum VI.

QVAESTIONIS PRIMAE. CAP. I.

Motu inferiora diſponuntur ſecundùm Mercurium.

D*E ſanctorum angelorum creatione, numero, atque ſubſtantia, ſapientiſſimi Mercurij veſtigia inſequentes, hactenus locuti ſumus: nonnullas quoq; quæ ad hoc ſpeculationis genus ſpectabant, quæſtiones adduximus. reſtat nobis modò, vt cum diſertiſſimo Mercurio, de motu angelorum diſſeramus.* Qui, *inquit*, circulis, id eſt, motibus ſuis, mundũ ſenſibilem complectuntur, *id eſt diſponunt, & regunt. vnde paulò inferiùs, motu, hæc omnia inferiora agi, & diſponi, clariſſimè docet.* Hæc, *inquit*, omnia ad finem circuitus principiorum ſimul, ac generum manabant, expleto demum circuitu omnium, volente Deo, ſolutus eſt nodus, finitus vtique eſt motus. *Ex quo patet, ſecundùm Mercurium, motum, neque à parte ante, nec à parte poſt, æternum eſſe.* Volente Deo, *inquit*, ſoluitur nodus *circulorum, atque motuum, & noua exorietur pullulatio, id eſt, reſurrectio:* Nam cuncta vtriusque generis animantia, vnà cum homine diſſoluuntur. *Porrò, hæc agi per angelorum motum dialogo 3. Mercurius oſtendit.* Diſtinctis, *inquit*, libratiſque rebus, quæ igneo ſpiritu vehebantur, emicuit cœlum ſeptem in circulos. Dij, id eſt, angeli in aſtrorum ideis, cum ſignis eorum conſpiciebantur: nam dinumeratæ ſunt ſtellæ ſecundùm eos, qui inhabitãt illas, deos. Ambitus amplior curſu ſuo cum àereo circulo conſpirauit, diuino ſpiritu vectus: quisque deorum ex interna virtute aſcriptum ſibi opus impleuit. *vnde generationes hominum ordinatas eſſe dicit, ad cœleſtium deorum, ſeu angelorum diſcurſum ſuſpiciendum.* Incipit in illis viuere ſapientia ad portionem continuè curſus deorum circumeun-

Motus eſt finitus ſecundùm Mercurium.

Reſurrectio oſtenditur futura.

cumeuntium. Tabefactis autem ſementibus fructuum, opificiiſque naturæ & artis, in innouatione temporum, reiuueneſcent vetera, neceſsitate & renouatione angelorum, curſuque circuli numeroſæ naturæ. Diuinum enim ipſa ſcilicet omnis conſpiratio mundi, natura denuo floreſcente. *finito ergo curſu numeroſæ naturæ, qui nunc agitur à diuinis intelligentijs, diuinitus*

Duo angelorum ordines ponuntur à Mercurio.

natura denuo repullulabit. In decimo dialogo, duos ponit angelorum choros, vagantium vnum, non vagantium alterum, hoc eſt, aſsiſtentium, & miniſtrantium, è cœlo, terram petentium, adminiſtrandorum miniſteriorum gratia. ad Aſclepium loquens, ait omnia è cœlo deſcendere: E cœlo *inquit*, cuncta deſcendunt in terram, & in aquam, & ſimilia: diuinitatis etenim ratio, diuina ſenſus intentione noſcenda, torrenti ſimillima eſt fluuio, è ſummo in pronum præcipiti rapacitate currenti. *Et in eodem lib:* Sunt planè omnium ſpecierum principes dij,

Princeps angelorum vſia Iupiter.

quorum princeps eſt Vſia: hi per ſenſibilem naturam conficiunt omnia: vnusquisque opus ſuum illuminans. Cœli, vel quicquid eſt, quod eo nomine comprehenditur, Vſiarchis, eſt Iupiter: per cœlum enim Iupiter omnibus præbet vitam. Solis Vſiarchis, eſt lumen. Triginta ſex (quorũ vocabulum eſt horoſcopij) in eodem loco ſemper defixorum ſyderum, Vſiarchis eſt, quem Pantomorphon, vel Omniformem vocant, qui diuerſis

Planetæ. Fortuna.

ſpeciebus, diuerſas formas facit. Septem ſphęrę habent planetas ſui principes, & τύχην, quam fortunam dicunt, & εἱμαρμένην, quibus immutantur omnia, lege naturæ, ſtabilitate firmiſsima, & ſempiterna agitatione variata. His ergo ita ſe habentibus, ab imo ad ſummũ ſe mouentibus, ſic ſibi connexa ſunt omnia pertinentia ad ſe naturaliter; vt mortalibus mor-

Summus gubernator.

talia, ſenſibiliaq; ſenſibilibus annexa ſint: ſuma verò gubernationis, ſummo illi domino paret. hic eſt ſolus: vtriusq; ſexus fœcũditate pleniſsimus: ſemper voluntate ſua prægnans: parit ſemper quicquid voluerit procreare: voluntas eius eſt bonitas omnis: ex diuinitate eius ſunt omnia, ſicut ſunt, fuerunt, & futura ſunt. *Itaq́, à primo gubernatore omnia fiunt, qui per motus aliorum gubernatorum, ſiue angelorum, mundum ſenſibilẽ regit, & diſponit, inſtar vnius*

Plato de motu angelorũ.

reipublicæ, quæ ſummo, primoq́ principi obedit. Plato in Phædro eandem penè doctrinã legentibus offert: Magnus, inquit, vtique in cœlo Iupiter, citans alatum currum, primus incedit, exornans cuncta, prouideq́ diſponens. hunc ſequitur deorum dæmonumq́ exercitus per vndecim partes ordinatus: & ſimilia, quæ inibi habentur, ex quibus tum primæ intelligentiæ, tum etiam cæterarum ordinem, motumq́ue percipimus. hunc imitatur

Plotinus. docet angelos nos inuiſere. Veritas genitrix angelorũ

Plotinus enn: 5. lib: 8. cap. 3. & 4. Dij verò, id eſt angeli, cœlum habitantes, non dedignantur homines, ſiquidem omnem regionem illam diſcurrunt, facilem vitam agentes; quia ſcilicet veritas ipſa eſt eorum genitrix, & nutrix, & eſſentia, & nutrimentum: omnia cernunt, non illa quidem quæ generationi ſubiecta ſunt, ſed quæ ſunt in eſſentia: vident quoque ſeipſos in alijs; omnia enim illic vndiq; perſpicua ſunt: nihil ibi tenebroſum, nihil obſiſtens; ſed omnis illic, omnibus eſt conſpicuus, intrinſecus, atq; per omnia, lumen namq; lumini occurit vbiq; quilibet in ſe habet omnia, & omnia rurſus in alio conſpicit: omne illic eſt omne: illic quodlibet eſt vniuerſum. Præcellit autem in quolibet a-

Motus angelorum purus. Angelorum cognitio lucida.

liud, ſed interim in quouis cuncta conſpiciuntur: eſt ibi motus proculdubio purus: non enim procedentem confundit motum motor alienus à motu: ſtatus etiam illic, nulla mutatione turbatur; non enim inſtabili naturæ miſcetur: permanet quilibet non quaſi in alieno pauimento, ſed vniuscuiusque fundamentum eſt idipſum, quod vnumquodque eſt; nam & ſubiectũ intellectus eſt, & ipſum eſt intellectus. Illic ex toto quolibet vbiq; prodit: inſpicitur ab eo, qui acutè cernit, & totum, ceu ſi quis talis ſit viſu, quaſi fertur fuiſſe

Lynceus.

Lynceus, qui intima terræ traditur radijs oculorũ penetrare conſueuiſſe. hanc equidẽ fa-

bulam

bulam deorum oculorum perſpicaciam ſignificare arbitror. Exiſtimandũ præterea eos, qui illa vident, nunquam in videndo defatigari, neq; ſatietate vlla adduci, vt videre deſiſtant, ſiquidem indomita illic, & indefeſſa ſunt omnia. Quod verò ibi dicitur inexplebile, propterea tale dicitur, quòd plenitudo eius nunquam efficit, vt ſpernat implentem; videndo namq; nunquam tædio afficitur: nullius ibi vita laborioſa eſt, quando eſt vita pura: quòdue optimè viuit, cur nam laboret? vita verò illic eſt ſapientia, & ſapientia prima, quæ non pendet ab alia ſapientia. nos autem ad hanc ipſam ſapientiam, cognitionemq; nondum accedimus, quia motu agitamur terreno; & non angelico, & puro, qui in angelis inuenitur: hæc ille. Philoſophus quoque 12. met: comm: 36. Mouet autem, inquit, ſicut appetibile, & intelligibile; indefeſſo ſiquidem appetendi, intelligendiq; ſummi boni ſtudio, angeli feruntur: ob quam cauſam, vitam viuunt feliciſſimam, omnis delectationis pleniſſimam: quorum intellectio eſt ſuauis, omni labore carens: ſenſus, & vigilia iocundiſſima: ab otio, quàm longiſſimè abſunt, quippe, quæ perpetuo amoris intuitu ad Deum contendunt: atq; quemadmodum vmbra corpus conſequitur; ita etiam intelligentiæ indiuiduam vitæ delectationem conſequuntur. Hæc quidem, ac ſimilia à philoſophiæ principibus de angelorum motu, vita, delectationeque dicta ſunt, quæ ſanè diuinis conſonant ſcripturis, de ſimilibus angelorum proprietatibus loquentibus. Currus Dei decem millibus, ait Dauid pſalm: 68. multiplex millia lætantium: Currus Dei, diuinæ ſunt intelligentiæ, quibus vehitur diuina voluntas, & ad homines, angeloſq; defertur. vnde in pſalmo 102. Miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius. ab Apoſtolo Paulo, vocantur adminiſtratorij ſpiritus, Heb: 1. Miſſi in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. In Daniele 7. legimus: Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei. Iſaias autem deſcribit ſeraphim ſemper clamantia, & dicentia, terq; replicantia Sanctus, ſanctus, ſanctus, ex quibus vnum volauit, vt prophetæ labia purgaret. In veteri quoq;, atque nouo teſtamento, toties legimus angelos fuiſſe deſtinatos pro varijs muneribus obeundis, illiſq; confectis, atq; abſolutis, ad ſuperos remeaſſe: Qui aſcendis, inquit propheta Abacuc, ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio. Equi domini omnipotentis, angeli domini ſunt, & quadrigæ ſalutis. proinde Dauid ait: Et aſcendit ſuper cherubim, & volauit ſuper pennas ventorum. Pennæ, inquam, ventorum, beatiſſimi ſpiritus appellantur, quippe, qui in intelligendo, & volendo, denique in miniſtrando promptiſſimi, velociſſimiq; ſint. Sanè, inimici tentationibus ſuperatis, acceſſerunt angeli, & victori domino miniſtrabant. Magna profectò circa eccleſiæ myſteria peragenda, angelorum ſolicitudo: Angeli namq; è cœlo, terram petentes, diuina hominum pectoribus inſerere ſacramenta ſtudioſè laborarunt: nam & prophetas, de Meſſiæ aduentu, eiuſq; ſanctiſſimis myſterijs, abundè, copioſèque inſtruxerunt. Angelus ad Mariam, angelus ad Ioſeph, angelus ad paſtores, angelus ad mulieres apud ſepulchrum domini plorantes, locutus eſt. Itaq; noſtri gubernatores, id eſt, angeli, ſuis circulis, id eſt, motibus, diuina, humanaq; gubernant.

Viſus.

Vita æterna eſt inexplebilis.

Angelorum vita feliciſſima.

Dauid.

Paulus.

Daniel.

Iſa.

Abacuc. 3.

Equi Dei omnipotentis.

Angeli pennę ventorum.

CAP. II.

Septem gubernatores, ſiue motores orbium non eſſe mobiles nec per ſe, nec per accidens.

Biſariam aliquid moueri dicitur, per ſe ſcilicet, aut per accidens. per ſe autem mouetur, quod ſui quidem rationẽ habet, vt motus ſubiectum ſit, veluti eſt corpus, aut animal, & ſimilia. per accidens autem, ob ſui ſubiecti rationem, à quo planè, & eſſe, & conſeruationem recipit. hoc autem modo animalium animas moueri per accidens ſubiectiuè, ſatis conſtat. Porrò,

Motus per ſe & per accidẽs

Motores per ſe non mouentur, motrices ri.

motrices intelligentias tum per ſe, tum etiam per accidens moueri, eſt impoßibile. Per ſe quidem, quia nulla illarum eſt corpus, aut diuiſibilis: omne autem, quod mouetur eſt corpus, vel diuiſibile, ſicuti 6. phyſ: liber docet. neque etiam per partem, ob illarum

Motores non moueri per accidens.

ſimplicitatem: nam vt 8. met: dicitur, ſtatim ſunt id, quod ſunt. Per accidens quoq; nequaquam moueri, patet: quod enim mouetur per accidens, vt 8. phyſ: recitat. com: 36.
1. *& 37. contingit non eſſe, accidens ſiquidem eſt contingens. ſed intelligentiæ motrices nõ*
2. *ſunt huiusmodi: igitur, per accidens non mouentur. Amplius, quod per accidens mouetur, vt dicit Auerroës de ſubſtantia orbis ca.1. eſt diuiſibile, quod planè orbium motoribus non competit. Denique vt ibidem docet, formæ vtique eſſent materiales, quod*
3. *profectò beatiſſimis illis motoribus non eſt attribuendum. Adhuc, motores orbium nõ accipiunt eſſe, & conſeruationem ab orbibus, quos mouent: igitur per accidens nequa-*
4. *quam mouentur. Iterum, quod mouetur per accidens, duobus modis contingit moueri, aut per aliud, & ſic poteſt ſeorſum moueri, vt dicit Auer: primo de anima, comm: 37. vel per aliud mouetur, & non poteſt ſeorſum moueri, vt ſunt quidem accidentia. ſed neutro iſtorum modorum mouentur intelligentiæ motrices: ſeorſum enim moueri non poſſunt, quia videlicet non ſunt corpora: neque alio modo, alioqui formæ accidentales eſſent,*

Motores orbium mouentur per accidens attributiuè.

aut accidentaliter extenſæ. Porrò, motores moueri per accidens attributiuè Auerroës docet 8. phyſ: comm: 52. in quo moueri per accidens bifariam diuidit, nempe ſubiectiuè, & attributiuè: ſubiectiuè verò, vt dictum eſt, attributiuè autem, quod quidem per ſe non mouetur, neque per accidens; ſed alicui attribuitur ſubiecto, quod quidem mouetur alio motu, & ab alio motore, quàm à proprio, à quo planè proprius motor, & eſt, & conſeruatur. hoc quidem modo omnes alij motores à primo per accidens attributiuè moueri dicuntur; alicui enim per ſe mobili, & alio motu, quo ipſi mouent, vnde ipſi, eorumque mobilia dependent, attribuuntur: nam etſi, ſecundi motores, ſtatis certè temporibus ab occaſu ad ortum moueant; alio tamen motu ab ortu, ad occaſum, ſingulis diebus mo-

Primus motor nullo modo mouetur per accidens.

uentur, idq; à primo motore, à quo cœlum pendet, & natura, orbes prorſus omnes, ac ipſorum motores. Itaq; ſic ſecundos motores moueri, Auerroi, alijsq; probatur. hoc idem confirmat philoſophus 12. met. comm: 44. & 2. cœli, comm: 71. Sanè, cœlum vniuerſum eſt velut animal primò motum, quod communi & diario motu mouetur, cæteri verò orbes, velut membra quæ mouentur eodem motu, vt membra. qua fortaßis ratione Auerroës putauit, cœlum eſſe in loco per centrum, id eſt, attributiuè, & per accidens. Cæterùm, ex his quæ dicta ſunt, primum motorem nullo modo per accidens moueri, clariſſimum eſt. non quidem ſubiectiuè, quia primus motor à ſubiecto orbe non dependet: nec etiam attributiuè; primum enim ſubiectum quod eſt vniuerſum, à nullo alio ſuperiori motore mouetur, aut aliquo alio motu, quàm diurno.

Obiectio.

Sed dubitabit aliquis,
1. *ſi beatæ illæ intelligentiæ, primæ ſuorum orbium perfectiones ſunt: ad motum ergo illorum, moueri neceſſe eſt, alioqui, primæ orbium perfectiones nequaquam dicerentur.*
2. *Præterea, quemadmodum intelligentiæ ſecundæ attributiuè per accidens mouentur; eadem quoq; ratione & primus motor per accidens mouebitur: nam ſubiectum, cuius eſt motor, eſt vniuerſum, ex omnibus orbium atq; motorum ordinibus aggregatum. Porrò, huiuſmodi non ſolùm à proprio motore, & proprio motu ferri ſcimus; verùm etiam alijs motibus alijsq; motoribus. Mouetur ergo primus motor per accidens, ſaltim attributiuè.*
3. *Amplius, primus motor, & cæteræ intelligentiæ ſunt eiuſdem ſpeciei, ſaltim tranſcendenter, 2. cœli com. 49. igitur, quod per accidens attributiuè illis conuenit, primo etiam conuenire poterit. ſed illæ, vt dicitur 8. phyſ. com. 52. attributiuè per accidens mouentur, & primus etiam motor ſimiliter: præſertim, cùm forma ſit mobilis primi & vniuerſi perficiens, non autem conſtituta, primi phyſ, 63. huiuſmodi autem perfectio, ſaltem per accidens mouetur.*

Solutio.

Reſpondeo ad primum, cum Auerroe ſic loquente 9. met. com.
1. *2. Forma, inquit, non patitur per ſe à primo tranſmutationem eſſentialiter, ſed per accidens tan-*

De motu angelorũ.

dens tantùm, quatenus ſcilicet per ſubiecta, ex quibus recipit & pati, & moueri, ſitq́; potentialis, paſſibilis, & mobilis paſſiuè. Porrò, formæ quæ non ſunt in materia, ſiue aliquo modo à materia non dependent, his certè paſſionibus minimè ſubditæ ſunt, proinde nec eſſentialiter patiuntur, nec accidentaliter, quemadmodum etiam habetur primo de gen: com. 54. Itaq; perfectio prima moueretur per accidens ad motum ſubiecti, ſi eſſe per ſubiectum reciperet, atq; à ſubiecto conſtitueretur.

Prima intelligentia nõ mouetur.

At, intelligentia prima non ita ſe habet ad ſuum orbem, quippè, cùm ab ea non conſtituatur in eſſe, neq; ab ea dependeat, nec alicui motui ſubdatur: igitur nec per ſe, quia non eſt corpus, neq; per accidēs vllo modo moueri poteſt.

2.

Ad 2. quamuis ſecundæ intelligentiæ, veluti membra primæ, per accidens attributiuè moueantur; ipſa tamen prima intelligentia, ſeu primus motor, nullo modo per accidens mouetur; tametſi partes ſui vniuerſi, ab ipſis quidem intelligentijs per ſe moueantur:

Primus motor eſt prima ars.

primus enim motor eſt vt ars, alij verò motores vt artifices. Porrò, ars eſt agens primum, artifex verò ſecundum, ſicut dicitur 2. phyſ. com. 32. Proinde cœlum motum à primo motore immediatè mouetur à propria intelligentia, quæ eſt prima ars cæterorum artificum. Primus præterea motor ad nullum ſuperiorem motorē intendit, cui in agendo conformari appetat: reliqui verò motores, mouentur propter primum, cui conformes fieri geſtiunt. 2. cœli com: 58. & 12. met. 36. Adhuc, primus motor mouet vniuerſum primò, tanquàm ſibi mobile adæquatum: quilibet autem ex alijs motoribus, proprium orbem perſe; primò, primam motorem, vt vltimum finem appetē-tes & intendentes.

Vltimus finis.

Quamobrē, primus non eſt propter ſecundos, ſed ſecundi propter primum: ideoq́; penitus eſt immobilis, nullaq́; poteſt ratione moueri:

Deus non eſt motor appropiatus, ſed vniuerſalis.

non enim eſt motor appropiatus, quippè, qui non tantùm vnũ proprium orbem moueat, ſed vniuerſum primò; cæteros verò ſecundò. Non ergo immeritò ab Auerroe paſſim motor vniuerſalis appellatur: nam & 2. cœli com: 71. & 12. met. com. 44. & 41. primum motorem nominat formam mouentem vniuerſum, ex omnibus orbibus aggregatum, quod ad modum vnius animalis ſe habet, vt dicitur 2. cœli com, 74. & 42. & 71.

An deus moueat vt finis.

Ex quo patet, primum motorem non vnius tantùm eſſe orbis, ſed prorſus vniuerſi; reliquos verò proprios orbes mouere, veluti partes vniuerſi. Cœterùm, duos cœlum habere motores, quorum alter mouet effectiuè, vtpotè anima cœli; alter verò vt finis, nempè deus benedictus.

Anima cœli.

Auerroes 12. met. com. 41. docet. Dicunt enim à primo motore cœlum immediatè non moueri effectiuè, alioqui illius motus fieret in inſtanti; ſiquidem vigoris eſt infiniti, cùm non ſit corpus, neq; virtus in corpore: omne enim huiuſmodi eſt finitum. ſed deus mouet tempore infinito: igitur eſt infinitus, non duratione tantùm: ſiquidem vt philoſophus opinatur, cœlum duratione eſt infinitum, ſed virtute atq; vigore. omne autem tale mouet in inſtanti:

Deus mouet cœlum vt finis.

Deus ergo cœlum mouet, vt finis deſideratus & intellectus; non autem vt cauſa effectiua. Cæterùm, ſi primum principium per viam motus oſtenditur, quemadmodum diſſerit Commentator in diſputatione, quam habet contra Auicennam, 1. phyſ. cõment. vlt. & 8. phyſ. com. 3. & 5. com. 12. met. Si primus motor cœlum non moueat immediatè, vt cauſa efficiens: igitur naturalis non demonſtraret primum principium eſſe. nec eſt admittenda illorum ſententia, qui aiunt, naturalem quidem abundè primum motorem via motus demonſtrare, quia nimirum primus motor mouet vt finis: hoc enim ad methaphyſicũ ſpectat:

Primus motor prima forma, primus finis.

ſic certè ait Auerroes 12. met com. 5. & 6. primus motor prima forma, & primus finis ſunt vnum ſubiecto, & ſunt tria intentione: prima autem forma, & primus finis à methaphyſico conſiderantur. ſed prima materia, & primus motor conſiderantur à naturali, vt ſæpè Auerroes confirmat: igitur via motus, & non via finis, primũ principium à naturali conſideratur, quod reuera nequaquam fieri poſſet, ſi immediatè atq; effectiuè à primo motore vniuerſũ nõ moueretur.

Intelligentiæ ſunt finitę virtutis.

Ariſtoteles præterea ex hoc intelligentias inuenit, quia ſcilicet quælibet illarum in mouendo iniunctũ peragat opus, aſtriq́; ſibi deputati ſolicitudinem gerat. Commentator quoq; lib: de ſubſtantia orbis cap.

angelorũ.

Duo cœli motores.

bis cap: 1. & 2. & 12. met. com. 36. motum cœli à duobus motoribus proficiſci opinatur, quorum alter eſt anima orbis, finitæ ex ſe virtutis in mouendo, finitæq; proportionis, vt ipſemet docet 2. cœli com. 38: 39. & 71. idcirco mouet in tempore, & non in inſtanti. Deniq;, quia vna eſt potentiori virtute quã altera, hac de cauſa velociori ſuum orbem motu agit & mouet: ſempiterno autem motu ideo mouet, quia ſcilicet finem habet ſempiternum, ſemper actu mouentem. Alter verò eſt motor ſeparatus, nempe deus benedictus: ſeparatus, inquam, quia nimirum ab omnipotentia eſt maximè liber: vt dicitur

Deus mouet effectiuè, & vt finis.

12. met & com. 41. & 3. de anima com. 5. Præterea, quoniam vniuerſum mouet, non ſolùm vt cauſa effectiua, verùm etiam vt cauſa finalis: finis autem eſt cauſa incauſata, hac de cauſa non tantùm alij motores, ſed ipſemet, vt mouens, præſupponit hunc finem, id eſt, ſeipſum, ſuamq; bonitatem in mouendo: omnia enim propter ſeipſum fecit altiſſimus. Vnde Auerroes 2. phyſ. com. 88. Hæc, inquit, eſt diſpoſitio entis neceſſarij ſimpliciter,

Deus mouet propter finem id eſt, propter ſeipſum.

vt non ſit propter ſuam actionem, ſed actio eius propter ipſum: hæc eſt neceſſitas ſimpliciter, atq; iſto modo primus motor eſt infinitus vigore & motu. Verũ de hac quæſtione locuti ſumus in primo Pymandri, in quo deum eſſe infinito vigore oſtendimus. Hoc igitur modo dixerim, Deum mouere vniuerſum per ſe primò, ſecundò verò alios orbes, idq; non ſolùm vt cauſa finalis, verùm etiam vt cauſa effectiua: neq; inde ſequi, in inſtanti mouere debere, quia eſt infinitus vigore, tùm quia non eſt forma in materia, tũ quia non mouet ſecundum & vltimum ſuæ potentiæ; res enim quas condidit, ſuos motus agere ſinit, nec violare fas eſt, quod conditum eſt. Motus autem in inſtanti fieri, omninò deſtruit atq; euertit motus naturam. Itaq; angelos ſiue intelligẽtias motrices, per accidens attributiuè moueri, deum verò nullo prorſus modo, ex iam dictis ſatis dilucidè cognoſci poteſt. Hæc autem de motoribus orbium intelligenda ſunt, nam & alij mittũtur ad terras pro diuerſis muneribus obeundis, quod planè illis non conueniret, ſi eſſent omninò immobiles. Quomodo ergo angeli moueantur dixi.

CAP. III.

Motores orbium per ſe moueri, argumentis oſtenditur.

1. *OMnia mouentia ad huiuſmodi ſubſtantias motrices reducuntur: hoc enim modo per viam motus ab antiquis ſapientibus inuẽtæ ſunt: igitur per eſſentiam ſeſe mouent: etenim omne tale, per participationem reducitur ad aliquid tale per eſſentiam. Reuera, authore philoſopho 2. topic. motis nobis, mouentur omnia quæ ſunt in nobis. Sed tales ſubſtantiæ, vt dicitur 2. cœli com. 3. magis vniuntur cœlo, quàm forma cum materia. motis ergo orbibus; & illorum animæ pariter mouebuntur.*
2. *Amplius, moto corpore, mouetur intellectus, 12. met. comment. 36. igitur intelligentiæ motrices motis orbibus mouentur. Tenet conſequentia, ex 3. de anima, com. 19. intellectus enim apud philoſophos, aut eſt intelligentiarum infima, aut eſt ſaltem indiuiſibilis.*
3. *Amplius, omne intelligens res mutabiles, eſt mutabile; intellectus enim proportionatur obiecto. ſed ſubſtantiæ tales intelligunt noſtras res mutabiles, illorum ſiquidem curam gerunt, 2. cœli com: 37. quod planè ſine illarum cognitione fieri non poſſet: igitur ſunt per ſe mobiles. Sanè, mutatio eſt quædam perfectio, vt dicitur 3. phyſ. ſunt ergo tales ſubſtantiæ perfectæ; mutabiles ſiquidem omnem perfectionem perfectis conuenire oportet.*
4. *Adhuc, qualibet anima, authore Platone, eſt numerus ſeipſum mouens. ſed tales ſubſtantiæ ſunt animæ ſuorum orbium, vt idem author in libro de legibus docet: igitur ſunt per ſe mobiles. Accedit ad hoc relationum ratio,*

& natura:

 De motu angelorũ.

*& natura: ſiquidem huiuſmodi ſubſtantiæ, nouis ſubſtant relationibus: nam mediante
motu, res nouas producunt: igitur ſaltem relatiuè ſunt mobiles ſiue mutabiles. Deniq́,
tales ſubſtantiæ intelligunt & amant ſe: motu ergo intentionali mouentur. Porrò, hæc
aduerſari videntur philoſopho eiuſq́ commentatori, 12. met. com. 30. vbi apertè docet,
huiuſmodi ſubſtantias potentiæ minimè ſubditas eſſe, alioqui motus æternitas deſtrueretur.
propterea Peripatheticæ doctrinæ cultores ſic ad prædicta argumenta reſpondere* Solutio.
conſueuerunt. Ad primum quidem dicunt verum eſſe, omnia mota reduci ad ea, quæ 1.
*mouent per eſſentiam, non autem ad ea,, quæ mouent ſe, vt Plato credidit. Ad confirmationem
dicunt, philoſophum inibi loqui de his, quæ ſunt in nobis dependenter, quo
planè modo motores ſuis in orbibus non exiſtunt, ideoq́ mobiles dicendi non ſunt. Ad
2. quamuis intellectus moueri dicatur, idq́ reſpectiuè; quia ſcilicet ipſius corpus moue* 2.
*tur, ipſe tamen non mouetur. Præſtat ergo negare conſequentiæ probationem, nempe intellectum
non eſſe intelligentiarum infimam, vt credidit Auerroes; ſed formam potius
ſecundùm eſſe corpori coniunctam. Ad 3. maior in intelligentijs veritatem non habet:* 3.
*intelligunt enim res per ſcientiam, quæ eſt cauſa rerum, vt paulò poſt videbitur. vnde,
quia ſic intelligunt, mutationi nequaquam ſubditæ ſunt. Ad confirmationem dico, mutationem
eſſe perfectionem ſecundùm quid, non autem ſimpliciter, ideoq́ intelligentijs
non eſſe attribuendam. Ad 4. dicimus intelligentias non eſſe formas ſubſtantiales orbi-* 4.
um, ſicut inferiùs dicetur, propterea ratio illa non militat aduerſus nos. Ad confirma- Rationes phi-
tionem, quamuis huiuſmodi ſubſtantiæ nouis ſubſtent relationibus; id tamen fieri dici- loſophorum,
mus, non quidem realiter, ſed ſecundùm rationem tantùm: non enim ipſæ per ſe ad alia, quòd angeli
ſed alia referuntur ad ipſas. Hæc quidem atq́ ſimilia à Peripatheticis adducuntur in fa- non mouētur
*uorem philoſophi, intelligentias eſſe immobiles opinantis. Addunt etiam rationes, quibus
probare nituntur intelligentias localiter non moueri. Reuera, omne quod per ſe mo-* 1.
*uetur, partim eſt in termino à quo, partim verò in termino ad quem, alioqui, ſi in altero
iſtorum totum fuerit, nequaquam mouetur: inibi enim totum quieſcit. ſed angelus nõ
poteſt eſſe partim in termino à quo, & partim in termino ad quem, ob ſuam certè ſimplicitatem;
indiuiſibile autem non eſt mobile, vt dicitur 6. phyſ. Angelus ergo per ſe
localiter nequaquam mouetur. Amplius, omne quod per ſe mouetur, priùs eſt in ſpa-* 2.
*cio ſibi æquali quàm maius pertranſeat. ſed locus angelo æqualis, eſt punctus, & in continuo
ſunt infinita puncta: igitur in tranſeundo continuo in locis planè infinitis morabitur,
idq́ in actu. Deniq́, quia in illis ſolis punctis inuenitur; eius fermè motus ex indiuiſibilibus
cõponeretur; atq́ ita non eſſet continuus, in quo aperta eſt contradictio. Adhuc,
ita ſe habet angelus ad moueri in corpore vel in pleno, ſicuti corpus in vacuo; non* 3.
*enim magis reſiſtit corpus plenum angelo mouenti quàm vacuum. ſed in vacuo motum
fieri, eſt impoſſibile, vt dicitur 4. phyſ. motus namq́ eſt res ſucceſſiua, ſucceſſio verò
eſt res ſucceſſiua propter reſiſtentiam motoris ad mobile, vel è conuerſo, vel medij ad
motorem, quorum aliquod angelis minimè conuenit: ergo quod priùs. Adhuc, quicquid* 4.
*per ſe localiter mouetur, per ſe etiam eſt in potentia ad formam corporalem, quæ eſt vbi:
omne enim quod per ſe mouetur, per ſe quoq́ eſt in potentia ad terminum, vbi: terminus
autem per ſe, eſt motus localis. ſed angelus eſt ens actuale per ſe: non ergo eſt in potentia
ad vbi, neq́ ad aliquam formam corporalem. alioqui, ſicut materiam informaret
corporalem; ita quoq́ à forma informaretur corporali; ſed vtrumq́ abſurdiſſimum eſt:
Angelus ergo non mouetur localiter. Amplius, quilibet motus localis, eſt alteri in ve-* 5.
*locitate proportionabilis, ſicuti quodlibet quantum alteri quanto. ſed angelus non eſt
proportionabilis alicui corpori in motus velocitate, quia ſcilicet ſpiritus ad corpus nulla
eſt proportio, ſicuti nec indiuiſibilis ad diuiſibile: ergo quod priùs. Iterum, mobilitas* 6.
*ſeu motus eſt paſſio per ſe, corpori phyſico adæquata: omne enim mobile per ſe eſt corpus,
& omne corpus eſt mobile, ſpectatq́ per ſe ad phyſici negotium. ſed angelus non eſt*

corpus

corpus phyſicum, nec eius conſideratio ad phyſicum ſpectat, niſi fortaßis quatenus eſt
7. motor, ſicuti etiam conſideratio primi motoris: nõ ergo eſt per ſe localiter mobilis. Præ-
terea, ſi angelus mouetur, aut in tempore mouetur, aut in inſtanti. non autem in tempo-
re; eius enim mutatio, illuminatione quæ fit in inſtanti eſt velocior: nec etiam in inſtan-
ti: nam ſicut mutatio, quæ extra motum diſtinguitur, in tempore fieri non poteſt; ſic e-
tiam motum fieri in inſtanti, eſt impoßibile. Reuera, punctus, vt dixi, ob ſuam ſimpli-

Angeli ſimplicitas.

citatem, non eſt mobilis, quia ſcilicet non eſt diuiſibilis. ſed angelus non eſt minùs ſim-
plex & indiuiſibilis quàm punctus: non ergo eſt localiter mobilis; nã motus eſt de gene
re quantitatis. ſed in angelo non eſt huiuſmodi quantitas, vt paulò antè demonſtraui: er
go quod prius. Accedit ad hoc, quia angelus à ſeipſo primò non mouetur: idem enim à
ſeipſo primò moueri, eſt impoßibile, vt dicitur 7. phyſ. nec ab alio, alioqui corpus vtique
8. eſſet. Omninò ergo rationi congruum eſſe videtur, angelum localiter non moueri. Am-
plius, motus eſt actus entis imperfecti 3. phyſ. ſed angelus beatus non eſt imperfectus:
igitur non mouetur localiter: nam motus eſt propter indigentiam. at angelus affatim
diues eſt: igitur localiter non mouetur.

CAP. IIII.

Soluuntur argumenta.

1. AD primum, illa vocula, partim, poteſt intelligi, tum ex parte mobilis, tùm
ex parte termini, tùm etiam ex parte vtriuſque: non enim neceſſe eſt ſem-
per accipi ex parte mobilis, quemadmodum in aliquo alterationis motu
apparet, ſicuti eſt motus albedinis intenſiuus in toto aliquo ſubiecto: to-
tum enim aliquod poteſt moueri in albedinem, ipſam intẽdendo, cuius ſuc-
ceßio ſecundùm gradus quidem albedinis, eidem aduenientes ſubiecto, non autem ſecũ-
dùm partes ſubiecti menſuratur. Verùm in motu angeli, illa vocula, partim, intelligitur

Angeli mouentur localiter.

ex parte termini. Porrò, angelum localiter moueri poſſe ſic oſtenditur. Quicquid eſt li-
mitatæ naturæ, ſic eſt in vno loco, vt ei non repugnet alius locus; ſiquidem non ſic eſt in
vno loco, quin eſſe non poßit in alio. ſed angelus eſt huiuſmodi naturæ, quia ſcilicet eſt
2. creatura: igitur ad omnem locum ſibi proportionatũ indifferenter ſe habet. Reuera, ali-
cuius generis formarum receptiuũ indifferenter ſe habẽs ad illas, ex vna in alteram mi-
grandi habet facultatem. ſed angelus alicuius generis formarũ, quæ ſunt vbi diffinitiua,
eſt receptiuus, indifferenterque ſe habet ad illa: migrat ergo ex vno vbi ad alterum, atque
3. ita localiter mouetur. Amplius, omne creatum poteſt alicui loco adeſſe, à quo prius
aberat, atque aliquem realem ad talem locum reſpectum de nouo recipere, nempè reſpe-
ctum vbi; de non præſente enim fit præſens, idque per aliquam mutationem; non quidem
loci, ſed ſui, quod eſt propriè localiter moueri. ſed angelus eſt huiuſmodi: mutatur er-
go ſecundùm vbi, & ita localiter mouetur. etenim, quamuis angelus habeat vbi diffini-
tiuum; quia tamen eſt limitatæ naturæ, poteſt etiam aliud vbi habere. Sanè, angelus
poteſt mutari ſucceßiua mutatione, quæ eſt propriè motus; nam eſt in potentia ad aliũ

Quomodo angelus moueatur in loco.

locum diuiſibilem: igitur de loco ad locum poteſt moueri, idque diffinitiuè, non autem
circumſcriptiuè: etenim, angelus non eſt in loco vt commenſuratus & contentus, ſed vt
continens potiùs. hac de cauſa motus angeli in loco, non commenſuratur loco, neque cõ-

Angelus eſt in loco per contactum.

tinuitatem habet ex loco; eſt enim in loco ſecundùm contactum virtutis: ideo motus an
geli in loco, diuerſorum locorum diuerſi ſunt contactus ſucceſſiuè, & non ſimul; non e-
nim poteſt ſimul eſſe in pluribus locis. In huiuſmodi autem contactibus poteſt quædam
continuitas inueniri: nam ſicut corpus ſucceßiuè & non ſimul dimittit locum, in quo
priùs erat, & ex hoc cauſatur cõtinuitas in eius motu locali; ita etiam angelus poteſt di

mittere

mittere ſucceſſiuè locum, in quo priùs erat: & ſic motus erit continuus. poteſt etiam
totum locum ſimul dimittere, alteriq́ toti ſeſe applicare, ſicq́ motum non eſſe continuũ.
Ex quo patet, Ariſtotelis rationem, qua ſic arguit 6. phyſ: Nullum impartibile moue-
tur: quia dum aliquid eſt in termino à quo, non mouetur, nec etiam dum eſt in termino
ad quem. ſed tunc mutatum eſt: omne ergo quod mouetur, partim eſt in termino à quo,
partim verò in termino ad quem, huic propoſito non conuenire. ibi enim loquitur de in-
diuiſibili ſecundùm quantitatem, cui neceſſariò locus indiuiſibilis correſpondet, quod
abſq́ dubio angelo non conuenit. Præterea, loquitur de motu continuo: nam ſi motus nõ
eſſet continuus; aliquis vtiq́ moueri diceretur, etiam dum eſt in termino à quo, & in ter
mino ad quem: ipſa namq́ diuerſorum vbi ſucceſſio, circa eandem rem motus diceretur.

Omne quod mouetur, partim eſt in termino à quo, & partim à termino ad quẽ.

Quare, in quocunq́ illorum vbi, res inueniretur, moueri quoq́ diceretur. Verùm hoc im-
pedit motus continuitas, quia nimirum nullum continuum eſt in termino ſuo, ſicuti linea
non eſt in puncto. Quare, quod mouetur, partim erit in termino à quo, partim verò in
termino ad quem. vnde, quatenus motus angeli eſt continuus, ſic Ariſtotelis ſententia
poteſt eſſe vera, modò partialitas, non ad angelum, ſed ad locum referatur. Cæterùm,
motus angeli ſic poteſt eſſe continuus, dum videlicet mouetur, partim eſt in termino à
quo, partim autem in termino ad quem: nam in ipſo moueri, eſt in parte primi loci, quẽ
deſerit; & in parte ſecundi loci, quem occupat. occupat autem locum per applicatio-
nem ſuæ virtutis, ſicuti corpus per applicationem magnitudinis. Patet ergo, quomodo

Solutio primi argumenti.

angelus ſit localiter mobilis. Ad 2. principale, indiuiſibile non eſt locus ipſius angeli, 2.
nam licet ſit ſimplex & indiuiſibilis formaliter; illi tamen correſpondet locus continuus
& diuiſibilis, quem poteſt ſucceſſiuè dimittere, & alium ſubintrare, ſicq́ moueri & eſ-
ſe partim in termino à quo, & partim in termino ad quem. Quare, hoc modo locus con-
tinuus, non autem locus puncti eſt angelo proportionatus. Ad 3. vacuum bifariam ac- 3.
cipi poteſt, vno quidem modo pro dimenſionibus ſeparatis eſſe mathematicum haben-
tibus: alio verò modo, pro carentia corporis. corpus autem moueri in vacuo, primo mo
do eſt impoſſibile; dimenſiones ſiquidem ſeparatæ ſibi non cederent, atq́ ita duo cor-
pora mouerentur ſimul in eodem loco, vel eſſet penetratio corporum. at corpus ple-
num poteſt cedere angelo, vel angelus in eo poteſt moueri; non enim idem eſt modus v-
triuſq́, quo ſcilicet corpus corpori, & corpus angelo cedit. Quòd ſi ſecundo modo intel-
lexeris, non tantùm corpus, ſed nec etiam angelus, ſaltem ſecundùm virtutem creatam
eſt localiter mobilis; ſiquidem in huiuſmodi vacuo nihil ponitur, ad nihil autem nón eſt
reſpectus realis. hoc autem modo non ſe habet angelus ad corpus. Quando ergo dicitur,
ſicut corpus non poteſt moueri in vacuo, quia nulla eſt ibi reſiſtentia; ita planè nec an-
gelus in pleno vel in corpore: i. negatur ſimilitudo: mobile namq́ ſiue medium, æquè cre
atæ, & finitæ, ac infinitæ potentiæ, virtutem habet reſiſtendi: nam ita virtuti repu-
gnat creatæ, ſicuti etiam increatæ, motum fieri in inſtanti: hoc enim non patitur natura
motus, qui eſſentialiter eſt ſucceſſiuus. Verum tamen eſt, virtutem infinitam poſſe trãſ-

Motum fieri in inſtanti repugnat omni virtuti.

ferre mobile de loco ad locum, idq́ non per motum, ſed per inſtantaneam atq́ ſimpli-
cem mutationem. Quare, quæ ab alijs dicuntur, nempè animalia in vacuo moueri, & gra
ue in inſtanti, veluti falſa ſunt explodenda. Ad 4. forma corporalis duobus modis in- 4.
telligitur: vno quidem modo, vt eſt habitudo formalis alicuius ad aliquod corpus; atq́
ita omne quod per ſe mouetur, eſt in potentia ad formam corporalem, puta ad vbi, quod
eſt habitudo mobilis ad corpus locans, vel ad locum. hoc autem modo angelum eſſe in
potentia ad formam corporalem, nullum eſt inconueniens: quemadmodum etiam non
eſt inconueniens ipſum eſſe in loco corporali. alio autem modo, eſt forma extenſa &
quãtitatiua, quæ vbi habet circumſcriptiuum, ideoq́ angelo minimè competere valet.
hoc ergo modo angelum eſſe in potentia ad formam corporalem, eſt impoſſibile. Ad 5. 5.
reſpondeo, motum angeli in loco, & motum corporis proportionem habere: vterq́ enim

finitæ eſt velocitatis, ad id verò quod aſſumitur, ſcilicet diuiſibilis ad indiuiſibile, nulla eſt proportio. Reſpondeo, proportionem hîc ex parte ſpacij, non autem ex parte mobilis eſſe inſpiciendam conſiderandamq́. quo fit, vt motus angeli cum motu corporis, aliquam certè proportionem habeat.
6. Ad 6. maior vera eſt de vbi circumſcriptiuo, non autem de vbi diffinitiuo, quod non eſt corpus, ſed angelus vel ſpiritus.
7. Ad 7. dico, angelum moueri in tempore, nec poſſe moueri in inſtanti, ſi propriè motus intelligatur. neque verum eſſe, motum angeli, illuminatione ſiue generatione velociorem eſſe: nam illæ ſunt inſtantaneæ: motus autem angeli eſt ſucceſſiuus. Ad primam confirmationem reſponſum eſt ſuperiùs, non eſſe ſimile: nam quamuis angelus ſit ſimplex formaliter atq; indiuiſibilis; ob ſuam tamen quantitatem virtualem limitatam ad locum, eſt planè diuiſibilis, quod certè puncto conuenire non poteſt, qui eſt omnibus modis indiuiſibilis. Ad aliam confirmationem dico, in angelo non eſſe aliquod continuum, continuitate quidem ſubiecti; ſed bene continuitate ſpacij, atq; ita in ipſo eſſe motum continuum. Ad vltimam confirmationem dico, Ariſtotelis argumentum locum non habere in rebus ſpiritualibus, quæ partes non habent: idcirco per ſe primò, non autem per partes mouentur.
8. Ad 8. verum quidem eſt, motum eſſe actum entis in potentia, atq; ita eſſe actum imperfecti: non autem motum, qui eſt ſecundùm applicationem virtutis exiſtentis in actu: eo enim eſt virtus rei, quo eſt in actu. Ad confirmationem dico, motum exiſtentis in potentia, eſſe quidem propter indigentiam ſuam; motum verò exiſtentis in actu propter indigentiam alterius. vnde angeli, cùm ſint adminiſtratorij ſpiritus, propter eorum mouentur indigentiam vtilitatemq́, qui hæreditatem capiunt ſalutis. Itaq; angelos moueri localiter, ex his quæ dicta ſunt, patet ſatis.

Aangelus eſt in loco diuiſibilis.

CAP. V.

Angelum non moueri in inſtanti.

Angelum nõ moueri in inſtanti.

1. Vtrùm angelus in inſtanti moueri poſsit, nonnullos dubitaſſe legimus: & quidem angelum in inſtanti moueri, velut impoſsibile eſſe reputarunt. Etenim, quod in inſtanti mouetur, toto tempore præcedenti, in aliquo loco quieuiſſe, certum eſt: igitur in inſtanti moueri, eſt impoſsibile. Quod enim ſic quieſcit in toto tempore; in quolibet planè inſtanti illius temporis vniformiter ſe habet, & non aliter nunc quàm priùs. Non ergo in inſtanti mouebitur, aut in alio erit, quod toto præcedenti tempore quieuit.
2. Amplius, neceſsarium omninò reputatur, vltimum inſtans quietis, in quo quidem quieſcebat, in illo inueniri, & nunc etiam, in quo, vltimo fuit in loco præcedenti, atq; poſtea aliud nunc, in quo ſit in alio loco. Porrò, inter quælibet duo nunc, tẽpus ſit neceſſe eſt, in quo moueatur. Non ergo mouetur in inſtanti, ſi motus angeli fuerit continuus; poteſt namq; motus angeli eſſe continuus & non continuus, vt quidã dicere videntur. Addunt etiam in motu eſſe poſsibile, in toto tempore non eſſe in termino, niſi in vltimo inſtanti illius: moueri enim, eſt aliter ſe habere nunc quàm priùs, idq́ in quolibet inſtanti temporis, in quo aliquid mouetur. Ex quo volunt generationem atque illuminationes, aliasq́ inſtãtaneas mutationes, alicuius motus terminos eſſe. ſiquidem, quod in talibus mutatur, in vltimo inſtanti temporis habet aliquid, quod priùs non habebat. proinde, generationem alterationis terminum, illuminationẽ verò motus localis eſſe putarunt. Quòd ſi angelus non moueatur continuè, quippè, qui de vno in alterum locum, abſq; motu continuo ſeſe transferre poteſt, tunc inquiunt, eius motus eſt in tempore non continuo, atq; tale tempus, quo angeli motus menſuratur, ſiue continuum, ſiue non continuum fuerit, non eſſe idem cum tempore, quo motus cœli aliaq́ corruptibilia, quæ ex motu cœli recipiunt mutabilitatem, menſurantur: nam motum angeli, ex motu cœli nequaquam

 De motu angelorũ.

quaquam dependere arbitrantur. Ceterùm, huic ſententiæ nonnulli occurrere ſtudue-
runt, multisq; rationibus oppugnando, in hunc modum argumentati ſunt. Inprimis, non 1.
eſſe legitimam atq; bonam diuiſionem, qua motum in continuũ & non continuum diuiſe-
runt. Si enim, vt ipſimet confirmant, motus ad continuorum genus ſpectat æquè, ac tem-
pus: non eſt ergo motus in continuum & non continuum diuidendus. Planè, ſi non eſt v-
nus motus; non eſt motus: ſed motus non continuus nòn eſt vnus; non eſt ergo motus:
continuitas enim motus, eſt ipſa vnitas, vt aiunt ipſi, ideoq; vnum atque eundem motum Continuitas
deum reparare non poſſe arbitrantur, quia ſcilicet interrumpitur per non eſſe. Quare, eſt de ſubſtan-
perinde eſt dicere, motum non eſſe continuum, ac motum non eſſe motum. ſic etiam di- tia motus.
cere lineam non eſſe continuam, omninò idem eſt fateri, lineam non eſſe lineam. Am- 2.
plius, quamuis concluſio ſit vera, nempe angelum non moueri in inſtanti; rationes, ſiue
motiua tamen illius multis non probantur. vnde contra primum motiuum, paulò ante
poſitum, ſic arguunt: Panis ſubſtantia in Sacramento altaris, per totum tempus prolati-
onis verborum in altari quieuit, & in vltimo inſtanti terminatiuo prolationis verborum,
eſt ibi verè corpus Chriſti, nulla panis ſubſtantia remanente. ergo. Aer præterea, toto
noctis tempore ſub eſſe tenebroſo quieuit, & in vltimo inſtanti illuminatur à ſole, ſitq;
illuminatio in inſtanti, ſicq; in vltimo inſtanti illius temporis, non manet ſub eſſe tenebro
ſo. ergo. Materia quoq; toto tempore præcedenti, ſub alicuius formæ priuatione manſit,
atq; in vltimo inſtanti manet ſub alia forma. Amplius, quòd dicunt iſta eſſe terminos 3.
motus; non multùm virium habere videtur: poteſt enim àer tenebroſus in inſtanti illu-
minari, à lumine quidem non per motum, ſed in inſtanti creato. generatio quoq; ſimili-
ter, ſine alteratione, quæ ſit motus, fieri poteſt: quod planè eſſet impoſſibile, ſi ipſorum
rationes veræ eſſent atq; neceſſariæ. Præterea, ſibiipſis aduerſari videntur, dum aiunt, 4.
motu non continuo poſſe angelum moueri immediatè de loco ad locum, in tempore non
continuo. Reuera, ſi angelus in parte temporis non continui quieuit in proprio loco; & in
parte etiam talis temporis immediatè ſequente in eodem quieſcat loco, neceſſe eſt: aut il-
la pars non ſic immediatè ſe habebit ad aliam, ſicut inſtans ad tempus: ſed alia eſſet
pars neceſſaria; atq; ita proceſſus fieret in infinitum. Præterea, aut tempus non conti-
nuum dicunt eſſe tempus diſcretum, quod quidem fictitium eſt; nam partes illius cùm
ſint indiuiſibiles, motus menſura eſſe non poſſunt: aut tempus non continuum partes tẽ-
poris diſcontinuatas appellant. in quibus, quomodo angelus moueatur, ſcire deſidero: nã
vt mihi videre videor, non aliter in qualibet illius temporis parte mouetur, quàm in toto
tempore continuo; quod ſanè perinde eſt, ac eum moueri diuerſis temporibus; poſſunt
enim eſſe ſimul motus non continuatus, & tempus ſimiliter, nulla quiete media interue-
niente. Non ergo moueretur in non tempore. Adhuc, nullum videtur inconueniens, ſi mo- 5.
tus angeli menſuretur motu primi mobilis: nam licet motus angelis poſſit eſſe velocior;
ille tamen eſt vniformior atq; regularior. Profectò, ſi dicimus angelum in loco corpo-
rali moueri; nullum videtur abſurdum, ſi motu primi mobilis menſuretur. Nec valet, ſi
dixeris, cœlo ſtante angelum moueri poſſe; tùm quia hoc contingit tempore Ioſue, tùm
quia huiuſmodi menſuratum eſſentialiter non pendet à menſura ſiue menſurante. Porrò, Solutiones.
qui primam ſententiam tueri cupiunt, ſic reſpondere ſolent. Ad primum quidem aiunt, 1.
rem illam de panis tranſubſtantiatione miraculoſam eſſe, ideoq; cum rebus naturalibus
non eſſe conferendam: deinde, tranſubſtantiationem nullam quietem oppoſitam habe-
re, niſi abuſiuè tantùm, ipſa namq; motus nequaquam eſt. Ad 2. quamuis illuminatio 2.
abſolutè per accidens motum terminet localem; ſunt enim partes Soli propinquæ, perpe-
tuò luminoſæ; noua tamen illuminatio eſt per ſe terminus motus localis, non quidem pri-
mò, ſed ſecundò, ſecundùm naturæ curſum. Ad 3. verum quidem eſt, àerem quieſcere ſe- 3.
cundùm eſſe abſolutum, toto tempore ſolis præſentiam præcedente, non autem ſecundùm
eſſe reſpectiuum; nam continuè aliter atq; aliter ſe habet ad ſolem, idq; ſecundùm eſſe

De motu angelorũ.

propinquum vel remotum. Quoniam autem ad relationem non eſt per ſe motus, vt dici-
tur 5. phyſ. aliquid verò non propter motum in ſe, ſed in alio, ad ipſum aliquem ordinem
habente, ſecundùm eſſe relatiuum, continuè ſe poteſt aliter habere: hac de cauſa po-
teſt fieri, àërem ſub tenebra non quieſcere, nec etiam moueri, ſed ipſam habentem ſecun-
dùm eſſe reſpectiuum, quod quidem tenebrarum extruſionem, luminis verò acquiſitio-
nem procurat, propter alterius motum aliter ſe habere. Sanè, quoniam ad relationem nõ
eſt motus: nec quies ergo: hæc enim circa idem fieri, neceſſe eſt. Igitur, loco motus eſt
aliter ſe habere, loco verò quietis, eodem modo ſe habere. Quia verò luminis priuatio, id
eſt, tenebra, non in aliqua forma lumini contraria fundatur; ſed in relatione diſtantiæ
ſeu abſentiæ inter diaphanum & lucens; conſequens eſt omninò, ſecundùm eſſe tenebro-
ſum conſequutiuè, abſq; motu in ſe, àërem continuè ſe aliter habere, ſecundùm eſſe pro-
4. pinquum ad ſolem per ipſius ſolis motum. Ad 4. dico angelum poſſe in vltimo alicuius
temporis inſtanti aliquo in loco eſſe, tùm quidem vt in termino ad quem, tùm etiam vt
in principio motus: nam poſtquam nuſquam fuit; in vltimo inſtanti tamen alicui loco ap-
plicatur; quod planè non eſt moueri, ſed mutatum eſſe: hoc autem dicitur, quòad prin
cipium motus: quòad verò ad terminum ad quem, in duobus inſtantibus ſui temporis im
mediatis diuerſis locis ſucceſſiuè ſeſe angelus applicare poteſt. illa verò duo inſtantia
ſic vni horæ coexiſtunt, vt ſecundum vltimo horæ inſtanti, primum verò toti tempori
præcedenti coexiſtat. etenim quæſtio præſens, de propriæ eſt menſuræ comparatione ter-
mini ad quem, ad termini à quo propriam quidem menſuram. Porrò, quidam aiebant, vt
inſtans & tempus immediatè præcedens ſe habere, ideoq́; non dari vltimum inſtans in
termino à quo. at verius eſt dicere, ſe habere, vt inſtans & inſtans immediata, dariq́; vl-
timum in termino à quo. Quòd ſi contingat illa inſtantia coexiſtere tempori noſtro mo-
do prædicto; id certè erit per accidens & coexiſtenter, non autem tanquam in propria
menſura. Rurſus, in huiuſmodi contingentia, coexiſtenter quidem non menſuratiuè lo-
quendo, non diceretur angelus toto tempore præcedente quieuiſſe; ſed motum inchoaſſe
potiùs, ſicq́; in vltimo eſſe in termino ad quem; vel, tempore præcedenti motum non fu-
iſſe, in vltimo verò inchoare motum. Hæc ſunt, quæ pro defendenda prima opinione pro-
5. feruntur, ab eiuſdem opinionis ſectatoribus. Ad 5. dico, angelum non eſſe ſubiectum i-
pſius vbi, & motus localis. Ad illud verò de dependentia, reſpondeo, verum quidem eſſe
motus atq; mutabilitatis alicuius independentiam mobilis rationẽ eſſe, qua à motu cœli
minimè menſuretur. quod autem adducitur in contrarium, quantum quanto menſurari;
id quidem dupliciter, ſcilicet per ſe, & per accidens fieri poteſt. vnde, quamuis ad men
ſurari per accidens cognitionis certitudo ſufficiat; ad menſuram tamen per ſe, dependẽ
tia ab aliquo in genere cauſæ formalis neceſſaria eſt, quomodo ſimpliciora in entibus e-
xemplaria per ſe ſunt cæterorum, ita, quòd eorum ſimplicitati perfectioniq́; alia æqua-
ri non poſſunt, nedum excedere. Itaq; alicui menſuram ineſſe ab alio, & ab eodem ne-
quaquam dependere, non eſt intelligibile: nam authore philoſopho 9. met. com: 21. men
ſurabile quidem refertur ad menſuram, menſura verò non refertur ad ipſum. vnde, nul
lum eſt inconueniens, ſi quis dixerit, Petri ambulationem poſt reſurrectionem commu-
ni non menſurari tempore, ſicuti & motum angeli, quia cœli motu poteſt eſſe velocior,
Cœlum ſtetit tẽpore Ioſue. Ad illud autem de Ioſue dico, quia nobis non conſtat primum mobile ſtetiſſe: deinde,
quia hoc miraculoſum fuit, ideo propoſitæ non deſeruire materiæ. Sed ſolent alij obijce-
re: angelus eſt in loco per operationem, aut tranſeuntem, aut immanentem, quarum al-
tera, nempe immanens menſuratur æuo; tranſiens verò tempore communi. Præterea,
quicquid per tempus diſcretum ſaluatur, idem omninò per tempus continuũ ſaluabitur:
ergo. Dico, immanentes naturales angeli operationes, non æuo, ſed tempore menſurari
diſcreto: ſimiliter etiam operationes tranſeuntes, ſecundùm eum curſum, quem commu-
nem habent. Ad 2. non videtur eſſe poſſibile ſine tempore diſcreto, operationis angelicæ

eſſe vl-

 De motu angelorũ.

eſſe vltimum dari poſſe. ſiquidem, angelicas operationes, quæ ſeſe immediatè conſequuntur, ita vt ambæ totæ ſimul eſſe videantur, quamuis ſucceſsiuè exiſtant, noſtri quidem temporis menſurationi aptari, eſt planè abſurdum. Profectò ſecundùm quamcunq; partem, tempus noſtrum non eſt totum ſimul, neque inſtans noſtrum eſt ſtabile. Hæc quidem vtrinque in medium adducta ſint, vt quilibet pro libitu ſuo accipiat.

CAP. VI.

Angelum moueri in inſtanti, argumentis oſtenditur.

ANgelus, virtute diuina poteſt in inſtanti moueri, quod reuera ſic poteſt 1.
eſſe perſpicuum: ſi enim tanta virtus, in tanto tempore mouet; maior vtiq;
virtus, in minori tempore mouebit, atque ex conſequenti, infinita virtus, in
inſtanti mouere poterit. etenim, ſicut infinita virtus improportionabiliter
ſe habet ad finitam; ita planè inſtans ad tempus. ſed virtus diuina eſt infinita intenſi-
uè, vt in primo dixi: igitur poteſt mouere angelum in inſtanti. Adhuc, ſubiectum po- 2.
teſt eſſe ſine paſsione: nam triangulus poteſt eſſe ſine duobus rectis; & materia ſine quã-
titate; & quantitas, quæ eſt propria paſsio ſubſtantiæ corporeæ, inuenitur ſine materia,
vt in ſacramento altaris: igitur motus poteſt eſſe ſine propria paſsione, & ita in inſtan-
ti: ſucceſsio namque eſt paſsio motus. Præterea, quod eſt realiter idem cum forma, ad 3.
quam eſt motus; ſecundùm totam profectò ſuam realitatem, poteſt eſſe in inſtanti, ſi-
cuti forma terminans motum. ſed motus ſic ſe habet ad formam: ergo quod prius. Re-
uera, quod poteſt eſſe in pluribus locis ſimul per virtutem diuinam in eodem inſtanti;
poteſt etiam de vno in alium locum in inſtanti moueri, alioqui in pluribus locis fieri, vel
eſſe non poſſet. ſed angelus eſt huiuſmodi: ergo quod prius. Amplius, ſi aliquod cor- 4.
pus mouetur in tempore, angelus mouebitur in inſtanti. Tenet conſequentia, quia ſi vir-
tus motoris fuerit potentior, & mobile in reſiſtendo debilius, citiùs motus fiet: propor-
tio ſiquidem velocitatum, temporis minorationem obſeruat: omne autem tempus, omni
tempori eſt proportionabile. ſed virtus angeli ſeipſum mouentis, improportionabiliter,
virtutem aliquod corpus mouentem ſuperuincit: igitur mouetur in inſtanti. Item, ali- 5.
qua mutatio corporalis eſt in inſtanti, vt illuminatio, quæ ſucceſsionis viciſsitudine non in
diget, radius quoque æquè ad remotum, ac ad propinquum locum, æquali velocitate per-
tingit: igitur angelus moueri poteſt in inſtanti. ſiquidem angeli motum, corporali eſſe
mutatione ſimpliciorem, patet ſatis. Iterum, ſi angelus mouetur in tempore de loco ad 6.
locum; aut quidem in vltimo illius temporis inſtanti eſt in termino ad quem, tempore ve-
rò præcedenti, eſt, ſiue fuit in termino à quo; aut partim in vno, partim verò in alio. ſed
hoc modo eſſet partibilis, quod eſt impoſsibile: in toto ergo tempore præcedenti, eſt in
termino à quo: ibi ergo quieſcit. Quieſcere ergo, eſt in eodem eſſe nunc, vt prius: atque
ita, in vltimo temporis inſtanti mouebitur. Angelum ergo moueri in inſtanti, dixi.

CAP. VII.

Soluuntur argumenta.

AD primum Ariſtotelis, ex falſa procedit, ſiue intelligitur hypotheſi, nẽpe 1.
motum poſſe fieri in inſtanti. Bene tamen verũ eſt, quòd ſi motus fieri poſ- Motus non fit
ſet in inſtanti; id poſſe præſtari à virtute infinita. ſed aduerſatur naturæ in inſtanti.
motus, eamque deſtruit omninò fieri in inſtanti, cuius propria paſsio eſt

 modus

De motu angelorũ.

*modus ſucceſsiuus per temporum vices. Itaq́ue virtus infinita moueret in inſtanti,
modò natura motus id ferre poſſet. Impropriè ergo accipitur motus, ſi quandoque in
1. inſtanti apud nonnullos legimus fieri poſſe. Sanè, quod per ſuam eſſentiam eſt ſucceſsi-
uum, in inſtanti eſſe non poteſt: omne enim tale intrinſecè per ſuam eſſentiam habet par-
tes ſibi inuicem ſuccedentes, & incompoſsibiles in actu. ſed motus per ſuam eſſentiam,
nempe per ſuam durationem, quæ eſt ipſemet, eſt ſucceſsiuus: igitur fieri in inſtanti, eſt
2. impoſsibile. Amplius, ſicut ſe habet mutatum eſſe ad motum; ita abſque dubio in-
ſtans ad tempus: à transmutata ergo proportione, ſicut ſe habet mutatum eſſe ad in-
ſtans; ita certè motus ad tempus. ſed mutatum eſſe, inſtanti tantùmmodò menſuratur:
motus ergo, ſolo tempore, non autem inſtanti poterit menſurari, quippe, cùm ſecundùm
3. ipſius naturam in illo eſſe non poſsit. Iterum, quod habet partes, & eſt in inſtanti, ne-
que eſt, neque poteſt eſſe ſucceſsiuum: ſiquidem hoc intereſt inter rem permanen-
tem, & ſucceſsiuam, quòd permanentis partes ſimul eſſe poſsint, vtpote partes lineæ,
ſucceſsiuæ autem rei, minimè. Quemadmodum ergo partes permanentis ſucceſsiuæ eſſe
nequeunt; ita planè rei, quæ in inſtanti mouetur. Si igitur, motus poteſt eſſe in inſtanti: o-
mnes ergo partes eius erunt ſimul, atque ita motus non erit motus, quod eſt abſurdum,
4. ne dicam impoſsibile. Reuera, de motu, & tempore, idem eſt iudicium: temporis nam-
que ſucceſsio, ex motu proficiſcitur. ſed temporis partes ſimul eſſe, eſt manifeſta con-
tradictio, alioqui temporis natura deſtrueretur: partes ergo motus ſimul fieri, eſt pror-
2. ſus impoſsibile. Cùm igitur hæc ita ſe habeant; angeli motus nõ eſt in inſtanti. Ad 2. prin-
cipale, quamuis diuina virtute ſubiectum fieri, ſiue eſſe valeat ſine propria paſsione; mo-
tus tamen non poteſt eſſe in inſtanti: ſucceſsio enim non eſt propria paſsio motus, ſed ſub-
ſtantia potiùs. proinde, ſi ſucceſsio, motui adimeretur; ipſius ſubſtantia deſtrueretur o-
3. mninò, ac ſi ab animali tolleretur animalitas. Ad 3. minor eſt falſa: motus enim cum
ea forma, ad quam ipſe eſt, non eſt realiter idem; imò ſe totis diſtinguuntur: plus enim
cognationis habent albedo, & nigredo, quàm albatio & albedo: illa namque eiuſdem ge-
neris proximi ſunt, hæc autem alterius ſunt generis prædicamentalis. quare, cùm in ali-
quo non conueniunt, ſe totis diſtinguuntur. Ad confirmationem dico, per ſimplicem, &
inſtantaneam mutationem, non autem per motum propriè acceptum, aliquid in inſtanti,
4. pluribus in locis fieri, vel eſſe. Ad 4. ſi tempus motus angeli, nequaquam continuum
fuerit, ſed quædam potiùs ipſorum nunc ſucceſsio; abſq; dubio tempori, quo corporalium
motus menſuratur, quod quidem continuum eſt, proportionari non poteſt, eiuſdem enim
rationis non ſunt. Quòd ſi continuum fuerit, erit ſanè proportionabile; idq́ue ob propor-
tionem magnitudinum, in quibus eſt motus, non autem ob proportionem mouentis, & mo-
bilis. Quoniam autem velocitas motus angelici, non virtutis, ſed voluntatis ipſius determi-
nationem ſequitur; hac de cauſa, nõ eſt neceſſe, vt ſi virtus angeli mouentis, reſpectu mo-
5. bilis ſit quaſi infinita, vt eius motus fiat in inſtanti. Ad 5. non poteſt fieri motus ange-
li in inſtanti, quia motus naturam euertit omninò, vt dictum eſt: proinde illud, quod de
illuminatione adducitur, non eſt ſimile, cùm inſtantanea ſit mutatio, non autem propriè,
6. & verè motus. Ad 6. quidam ſic reſpondent, obiectionem illam procedere de tempo-
re continuo; tunc enim angelus in toto tempore præcedenti vltimi nunc, per infinita lo-
ca variatur; tametſi, partim in vno continuorum locorum ſit, partim verò in alio, idq́ue
non ſecundùm ipſius ſubſtantiam; ſed virtutem, quam, ad partem primi, & ad partem
ſecundi loci, applicare poteſt. Sed de his, paulò ante locuti ſumus. Vtrum autem angelus
moueatur in inſtanti, necne, dixi, vt potui.*

QVAESTIONIS SECVNDAE CAP. I.

Intelligentiam eſſe formam orbis, ſiue cæli, quomodo intelligitur.

Intelligentia eſt forma orbis.

QVoniam de intelligentiarum motu, nonnulla dixi, quæ huic negotio congruere putaui; lubet modò in medium afferre, quod iam pridem præclariſſima ingenia, non ſine magno ſtudio quæſiuerunt. Verum, ſcilicet motores orbium, dent eſſe formaliter ſuis orbibus, quibus regendis incumbunt: ſpectat enim hoc ad cognoſcendum intelligentiarum motum, orbiumq; naturam. Porrò, de huiuſmodi quæſtionis abdita, obſcuraq; difficultate, non vna fuit, ſed multùm diuerſa diformiśq; antiquorum ſententia. Plato, omnium propemodum philoſophorum facilè princeps, in 12. de legibus, de hac re in hunc modũ ſcribit: Scimus, inquit, duo eſſe, quæ faciunt, vt deos eſſe credamus: vnum quidem, quòd anima antiquiſſima diuiniſſimaq; omnium ſit, quorum motus generationem ſortitus, ſubſtantiam ſemper fluentem produxit. alterum de ordine, quo aſtra, cæteraq; feruntur, quæ intellectus ducens, omnia exornauit: nemo enim, qui hæc diligenter conſiderauit, atque percepit, adeò impius vnquam fuit, vt contra non ſit affectus, quàm multi ſuſpicentur. Profectò, quicunq; diligentiùs aliјs hæc perſcrutabantur, mirè veritatem tangebant, quod videlicet nunquã, ſi anima carerent, tam exquiſita ratione vterentur mentis expertia. Audebant affirmare nonnulli, mentem cœleſtia omnia ornaſſe; ſed ijdem ipſi neſcientes, animæ naturam antiquiorem eſſe corporibus, omnia rurſus, vt ita dixerim, imò verò ſeipſos euerterunt, cùm iuniorem putauerint. Itaq;, nunquam mortalis quiſpiam poterit Deũ firmiter colere, qui hæc duo antea non acceperit: primum, quòd rerum omnium, quæ generationis participes ſunt, antiquiſſima anima eſt, atque etiam immortalis: cumq; talis ſit, omnibus dominatur. deinde quod ſæpius diximus, veram eſſe mentem in aſtris, non ignorare. hæc ille. Quòd ſi ita res ſe habeat, videtur quidem Plato dicere, aſtra ſcilicet eſſe animata, quamuis dubiũ ſit, an, quòad motum, vel quòad eſſe formale, hoc ſenſerit Plato: quanquam non deſint, qui firmiter aſſerant Platonem atq; Platonicos putaſſe, intelligentias motrices eſſe orbium animas, tum quidem perficientes, tum eſſe formale largientes, vnde, omnes ſpecies motus, orbibus conceſſerunt: nam alterari dixerunt, quia ſcilicet patiuntur ecclypſes, atq; ab elementis nutriuntur; augeri verò atq; minui, quia nutriuntur; moueri, quia circa medium mouentur. Quoniam autem anima, corporis qualitatibus affecta, illius ſubditur paſſionibus; hac ratione fit, vt huiuſmodi motibus intelligentiæ motrices ſint obnoxiæ, quibus, ipſarum orbes feruntur. Qui autem ſic Platonicos ſenſiſſe dixerũt, quoniam res abſurdiſſima eſt; multis argumentis, & quidem veriſſimis, ſi ita illi ſenſerint, expugnantur: Omne ſanè alterabile eſt calidum vel frigidum, 2. cœl. vel humidum vel ſiccum. ſed nullus planetarum, aut ſtellarum orbis eſt talis: igitur, nulli ſubſunt alterationi: nam teſte Auerroe de ſubſtantia orbis, primum alterans, non eſt alterabile, licet localiter moueatur. ſed cœlum eſt primum alterans: non ergo alteratur. Amplius cœlum non augeri, neque minui, ſic probatur: ſi cœlum augeretur, aut minueretur; id profectò deprehendiſſent in tot annorum millibus Babylonij, Ægyptij, alijq; cœli contẽplatores. ſed id nunquam in aliquo ipſorum legimus: cœlum ergo huiuſmodi motibus non ſubiacet. vnde Auerr: in libro dd: diſp: 2. in ſolutione dubij 4. Si Sol, inquit, vel quæuis ſtella decreuiſſet; iam in tãto tempore aliquid fuiſſet diminutum: & cùm diminutio ſit quædam corruptio, & ex omni corruptione aliquid generetur; tunc aliquid in tanto tempore fuiſſet genitum ſed hoc non apparet: ergo cœlum non augetur, vel minuitur. Reuera, vt dicit Ariſtot: in lib: cœli, ſi cœlum augeretur, vel diminueretur; cœlum vtique ſeneſceret, quod nullo modo cœlo contingere poteſt. Adde, quòd ſi cœlum augeretur, vel minueretur; abſque dubio nutrimento indigeret: natura autem quæ in neceſſarijs non deficit; ſenſoria inſtrumenta, vtpotè os, & ſimilia eis dediſſet. quæ cùm nobis non conſtent: igitur cœlum, atque cœlorum intelligentias, huiuſmodi motibus ſubiacere, eſt prorſus impoſſibile. Verùm, in hæc abſurda, Platonem, ipſiusque ſectatores lapſos fuiſſe, non facilè crediderim, tum quia abſurdiſſima ſunt, tum quia Plato contrarium omninò ſemper vbique docu-

Plato.

Mens eſt in aſtris.

Cœlos eſſe animatos.

Contra Platonicos.

1.

2.

Cœlum non augetur neq; minuitur.

Defenſio Platonis.

Intelligentia eſt forma orbis. *que docuit; nam in Thimæo hanc ſuam de mundi æternitate, perfectioneque teſtatam eſſe voluit ſententiam: Totum hoc animal, inquit, quàm maximè perfectum ex perfectis partibus, Deus eſſe voluit, vt vnum eſſet, cùm nihil extra relictum fuerit, ex quo alterũ generetur. Poſtremò, ne quis ipſum morbus, aut ſenectus attingeret; videbat enim eam eſſe naturam corporis, vt importuna caloris, & frigoris, aliarumque rerum vehementium acceſsione lædatur, & in morbum, ſeniumque impulſum deficiat; quam ob cauſam rationemque, vnum totum ex omnibus totis, & perfectis perfectum, morbi & ſenectutis expertem Deus mundum conſtituit: ſumma eum æqualitate tornauit: propterea dedit ei figuram ſphæricam, quæ quidem eſt perfectiſsima, quia in ipſa omnes figuræ continentur. Inſtrumenta ſenſoria illi non conceſsit, quia ſcilicet illis non opus habebat: non enim indigebat oculis, quia nihil, extra quod cerni poſſet, relictum erat: nec auribus, cùm nihil ſupereſſet foris, quod audiret: nec aliis membris quidem opus erat, per quæ alimenta ſuſciperet, aut decocti cibi excrementa emitteret. Motum præterea illi congruum corpori faber mundi tribuit, qui ex ſeptem motibus vnus, ad mentem maximè, & intelligentiam pertinet; ideoque cùm illum per eadem, & in eodem, & in ſeipſo circumduxiſſet, effecit, vt circulari conuerſione moueretur: animam autem in medio eius collocauit, perque totum tetendit, atque ea corpus ipſum etiam extrinſecus circumtexit. hæc ille. Si hæc ſunt Platonis verba; quid ergo imponunt ei, quæ nunquam ipſe ſomniauit? vellem equidem, vt qui Platonem oppugnant, verba quoque Platonis afferent. Itaque mihi perſuaſum eſt omninò, hæc Platonem nunquam dixiſſe, tametſi præcipuus ipſius diſcipulus hæc dicat: orbes verò animas habere, Platonicum eſt: vtrum autem, vt motores tantùm, an, vt eſſe formaliter præſtantes, nondum liquet. in Thimæo, de hac quidem materia ſic loquitur: Cùm excogitaſſet faber mundi, inquit, inuenit eorũ nihil, quæ ſecundùm naturam aſpectui ſubiecta ſunt, ſi expers intelligentiæ ſit, intelligente alio, totum toto pulchrius vnquam fore, intellectum verò alicui ſine anima dari non poſſe. hac ratione, mentem quidem animæ, animam verò corpori dedit, totumque ita mundum conſtituit, vt pulcherrimum naturæ opus optimumque foret. Quocirca, ſicut ratio nobis hæc probabilis perſuadet, dicendum eſt, hunc mundum animal eſſe, idque intelligens, reuera diuina prouidentia conſtitutum. Hæc planè Platonis doctrina, ex Mercurij Triſmegiſti fonte manauit, quem perpetuò ſequi, imitarique ſapiens Plato ſtuduit.* Beatus Deus, *inquit Mercurius ad Tatium*, animam eſſe in corpore, mentem in anima, in mente verbum pronuntiauit. Deus circa omnia ſimul, atque per omnia, mens circa animam, anima circa aerẽ, aer circa materiam: neceſsitas autem, prouidentia, & natura, organa mundi ſunt, atque ordinis materiæ. materia quidem vna totus hic mundus, magnus eſt Deus, imago maioris, vitæ totius integra plenitudo: neque eſt in eo quicquam, ſiue ad totum, ſiue ad partem ſpectans, quod non vita fruatur. *Accedit ad hoc Auerrois ſententia 2. cœli comm: 61. Si, inquit, cœli, rebus purè corporalibus præſtantiores ſunt: animati ergo ſunt; animatum enim nobilius eſt inanimato. Adde, quòd cœlum, & motus, & figuræ ſit determinatæ: igitur eſt animatum. & primo cœli, comm: 95. & de ſubſtantia orbis lib: primo, & primo phyſ: comm: 63. & 8. eiuſdem comm: 52. vbique docere videtur, intelligentiam eſſe formam cœli. Reuera, intelligentia eſt, quod quid eſſe, & ratio cœli: nam ſi cœlum diffiniretur, vt ait Auerroès 2. de anima comm: 8. illa profectò diffinitio, intelligentiæ eſſentiam explicaret: igitur, intelligentia eſt forma cœli. Amplius, omnis actio, quæ alicui tribuitur enti, idque ob duorum gratiam, alterum quidem eorum materiæ, alterum verò formæ locum obtinebit: ſed intelligentiæ & cœlo ſimul, velut actiones propriæ attribuuntur motus, et intelligere, idque ob gratiam intelligentiæ: intelligentia ergo eſt forma cœli, forma, inquam, conſtituens, non conſtituta, vt dicit Auerr: 2. de anima, comm: 24. conſtituens enim forma dicitur, à qua ſubiectum, non ipſa à ſubiecto dependet. vnde, ſicut columna eſt formaliter*

Marginal notes: Cœlum non habet mẽbra. — Motus cœli. — Anima in medio cœli. — Mercurius. — Auerroes. 1. 2. 3. 4. — Quomodo intelligentia eſt forma cœli

Intelligentiã eſt forma orbis.

dextra, non ſui, ſed animalis reſpectu; ita planè intelligentia reſpectu cœli. Quamobrem intelligentia, interdum ſeparata, nonnunquam verò vnita nominatur. Separata, inquam, quia non eſt ſubiectum, ſed terminus vnionis, vnde & appropriata aliquando nominatur, quia ſcilicet, aliud ad ipſam accedit, atque ab ipſa dependet. vnita verò dicitur, propter vim operandi, & eſſendi, quam ſuo orbi largitur, qui profectò abſq; intelligentia operari non poſſet. Porrò, intelligentia non eſt forma cœli conſtituta, alioqui educta eſſet de potentia materiæ, vtpotè genita ab agente naturali, atque in materia, mediantibus dimenſionibus recepta, contrarium habens, quia ſcilicet ex ſe, vel defectu diſpoſitionum, quibus in materia recipitur, foret corruptibilis. hoc autem modo, intelligentiam non eſſe formam cœli, firmiter approbo: nam cœlum ab intelligentia, non autem intelligentia, à cœlo dependet; tametſi ſecundùm Auerroêm intelligentia, ſine cœlo eſſe nequeat. quam ob cauſam, intelligentia vocatur ab Auerroe, forma cœli, finis, & efficiens: forma, inquam, ſeparata, illa ſeparationis ſpecie, in qua idem ſunt forma, finis, & agens.

Intelligentia vocatur forma finis, & efficiens.

CAP. II.

Aliorum philoſophorum de hac materia ſententiæ.

Cœlũ eſſe animatũ bifariã intelligitur.

Cœlum eſſe animatum, duobus modis poteſt intelligi, quemadmodum etiam & cœlum, & animatum bifariam intelliguntur. nam cœlum, interdum eſt corpus ſimplex, ſine aliqua intelligentia acceptum; interdum verò, ex intelligentia, & cœlo vnum aggregatum. ſimiliter animatum, anima verè informante, aut mouente tantùm, & motum immediatè largiente. Auicenna putauit cœlum eſſe animatum primo modo, anima vtique verè informante, quippe, cùm ſenſerit intelligentiam, extra magnitudinem, & materiam, principium propinquum motus omninò eſſe non poſſe. ſic enim ait lib: 9. ſuæ meth: cap. 2. Dico etiam, quòd principium ſui motus propinquum, non poteſt eſſe virtus intelligibilis pura, quæ non variatur, nec imaginatur particularia: anima verò, quæ mouet cœlum, eſt corporalis, conuertibilis, variabilis, nec eſt ſpoliata à materia, cuius comparatio ad cœlum, eſt ſicut comparatio noſtræ animæ ad nos. Reuera, ſi motionis principium in cœlo eſt cognitio, & appetitus: igitur neceſſe eſt, motorem propinquum cœli cognoſcere motum, quem cauſat. ſed intelligentia ab omni magnitudine libera, non cognoſcit ſingularia, cuius ſunt cœlum & motus: cœlum ergo, ſecundùm Auicennam, habet animam, in qua eſt intellectus vniuerſalium cognoſcitiuus, & imaginatiua, cognoſcitiua ſingularium.

Cœlũ eſſe animatũ anima informante ſecundùm Auicennam.

Auerr: contra Auicenn:

Porrò, contra Auicennam 12. met: com: 36. & primo cap. de ſubſtantia orbis diſputat Auerr: etenim ad mentem Auerrois, ex intelligentia, & cœlo, per applicationem mouentis ad mobile, non autem per informationem, vnum fieri poteſt: natura namque intellectualis, ſecundùm ipſius doctrinam, materiam informare non poteſt: proinde negauit animam humanam eſſe formam, quæ eſſe corpori largiretur, alioqui vt ipſe opinatur, licet falsè, generabilis eſſet, & corruptibilis, & extenſa ad extenſionem materiæ, quia reciperetur in quanto, ac tantùm indiuidualiter apprehenderet: ſic enim ipſe putauit, formam abſtractam, vniuerſale tantùm intelligere; formam verò, materiam informantem, particularia percipere. Cùm ergo negauerit principium intellectiuum, quo intelligimus, materiam informare poſſe; multò magis putandum, negaſſe intelligentiam, cœlum informare, quæ eſt ex ſui natura æterna, impartibilis, immaterialis, & abſtracta. vnde 2. cœli com: 13. Omnis forma, inquit, dans eſſe ei, quod informat, fatigatur in mouendo, atque ita intelligentia non poſſet mouere motum æternum regularem, & vniformem, quod philoſopho non probatur. 8. phyſ: Amplius, ſi Deus ad mentem commentatoris mouet immediatè primum cœlum: poſſet ergo informare primum cœlum, & ex conſequenti non eſſe primum

1.

Anima humana non eſt forma ſecundùm Auerr.

2.

Auerrois opinio expenditur.

Intelligentia eſt forma orbis.

mouens omninò immobile. ſiquidem omne informans ſecundùm eſſe, eſt per ſe, vel per
accidens mobile: nam ſi totum mouetur; & partes etiam ad motum totius, neceſſe eſt
moueri. ſed purus actus, cuiuſmodi eſt Deus, hæc non patitur, quæ aliquam potentiali-
4. tatem, compoſitionemq́ ſapiunt. Adhuc, cœlum, circumſcripto motore, non poteſt di-
ci animatum primo modo: nam animatum ſic acceptum, componitur ex vera materia,
quæ eſt pars compoſiti, & vera forma, quæ eſt actus corporis. ſed in cœlo non eſt vera
materia, nec corpus organicum 2. cœli comm: 42. quia nulla eſt in cœlo diuerſitas par-
tium, qua corpus indiget organicum: igitur cœlum non eſt animatum. Sanè, animatum
primo modo acceptũ eſt generabile, & corruptibile: nam in quolibet animato, primo mo-
do intellecto, anima educitur de potentia materiæ, vt commentator opinatur: igitur cœ-

Animal cœleſte quid.

lum non eſt animatum. Item, inter animal magnum, & paruum, multùm intereſt: ani-
mal enim cœleſte eſt ſecundùm vniuerſum animatum, & intelligens, cuius intelligentia,
non vtitur orbe, mediante dimenſione interminata, quia ſcilicet non habet totum, neque

Animal terrenum.

partes 2. cœli com: 3. & primo de ſubſtantia orbis. Illæ præterea ſex poſitionis differen-
tiæ, dextrum, ſiniſtrum, ſurſum, deorſum, ante, & retro, alio modo ſe habent in animali
cœleſti, quàm in terreno: vt dicitur 2. cœli comm: 15. vnde animal cœleſte non viuit ve-
ram & animalem vitam, alioqui eſſet corruptibile, & generabile: non enim indiget a-
nima in ſuo eſſe, quia per ſeipſum permanens eſt, vt dicitur de ſubſtantia orbis. Quare,
propter motum localem, atq; appetitum ex ſe mouendi, qui profectò intelligentia non
5. indiget informante, cœlum dicitur animatum. Amplius, intelligentiæ non conuenit in-
formare corpus, aut materiam, eſſe illi formale largiendo: nulla enim ſubſtantia integra,
nempe quæ ſuæ ſpeciei integritatem naturæ debitæ continet, eſt corporis aut materiæ in-
formatiua: nam omne informatiuum, eſt pars alicuius tertij conſtitutiua, & ex conſe-
quenti, non eſt natura integra, ſed partialis. ſed intelligentiæ ſunt ſubſtantiæ integræ, &
in ſua ſpecie completæ: non ſunt ergo alicuius tertij informatiuæ. Accedit ad hoc intel-
ligentiarum nobilitas, quæ ob naturæ dignitatem, in immenſum naturas corporeas ſupe-
rant, hac de cauſa, rebus corporalibus formaliter inhærere nequeunt. De anima autẽ hu-
mana non eſt ſimile iudicium, quia anima ex ſui natura eſt vnibilis materiæ. Itaque, cùm
illa vnio intelligentiæ cum cœlo non ſit propter motum, aut intelligere, aut aliquam intel-
6. ligentiæ dignitatem; ipſi profectò non eſt attribuenda. Præterea, nulla virtus mouens
tempore infinito, iuxta philoſophi ſententiam 8. phyſi: comm: 39. eſt in magnitudine. ſed
omnis intelligentia, vt idem 12. meth: comm: 43. teſtatur, mouet tempore infinito: non eſt
ergo in magnitudine per informationem, ſed applicationem tantùm. Reuera, omne infor-
mans magnitudinem, eſt mobile, ſaltem per accidens ſecundùm ſubſtantiam: nam ſi to-
tum mouetur; & partes quidem ad motum totius moueri, neceſſe eſt. ſed intelligentiæ
motrices, quamuis ratione orbium, ob raptum primi mobilis, per accidens moueantur;
ſunt tamen ſecundùm ſubſtantiam immobiles, alioqui vt dicitur 8. phyſi: comm: 52. mo-

Quomodo cœlum eſt animatum.

tum continuum æternum mouere, eſſet impoſſibile: ergo quod prius. Verum tamen eſt ſe-
cundùm commentatorem, ſi cœlum pro aggregato ex cœlo, & intelligentia mouente tan-
tùm, non autem informante intelligatur, animatum appellari: Sex, inquit Commentator
2. cœli, comment: 7. differentiæ poſitionis ſunt in cœlo: animatum eſt ergo; huiuſmodi e-
nim poſitiones ſunt propriæ animatorum: igitur hoc modo cœlum dici poteſt animatum.
Amplius, quod habet intellectum, & appetitum, eſt animatum: iſta namque propriè at-
tinent ad naturam viuentis. ſed quod mouetur in cœlo à primo motore; vt appetibili mo-
uetur, ſicut proteſtatur philoſophus 12. meth: comm: 36. in cœlo ergo eſt intellectus, &
appetitus: quod enim mouetur ab appetibili, vtique appetens eſt, principium autem ap-
petitus, eſt intelligentia. In cœlo ergo eſt appetitus, & intellectus, & ex conſequenti, eſt
animatum, non primo quidem, ſed ſecundo modo, ſicq́ nullum abſurdũ eſſe, aut impoſſi-

Alexander.

bile, putamus. Cæterùm, Alexander Aphrodiſius putat cœlum eſſe animatũ; animal ta-
men ne-

Intelligentia eſt forma orbis.

men nequaquam appellari. philoſophus fauere videtur huic Alexandri ſententiæ, quippe cùm 3. de anima dicat, animal eſſe corpus mixtum, & inſtrumentarium: addit etiam animali ſomnum, & vigiliam, motorem, & vitam, quæ profectò omnia, cœlo tribuenda nō ſunt. Simplicius, non ſolo tactu, vt Alexander aiebat, ſed etiam viſu, & auditu, cœlum animatum eſſe putauit: Cùm, inquit, ſeſe tangant cœli, infelicia nimis eſſent animalia, ſi communiſſimo ſenſu priuarentur: ſentiunt ſeipſos ergo: auditus verò, & viſus, quoniam perfectionis ſenſus ſunt, à perfectiſſimo animali amoueri, non eſt rationabile. cœli prætereа, hæc inferiora gubernant: igitur cognoſcunt non quidem per intellectum, ſed per ſenſum: intellectus enim eſt vniuerſalium, ſenſus verò particularium. porrò, hæc inferiora, particularia ſunt omnia: cœlum ergo habet ſenſum, nempe tactum, auditum, & viſū.

Simplicius.

Sed ſi vera eſſet opinio Simplicij, tūc planè cœlo ſenſoria, vtpotè aures, oculos, & ſimilia tribui neceſſum eſſet: ſenſus enim eſt virtus particularis: omnis autem virtus particularis, eſt organica. ſed in cœlo non ſunt huiuſmodi organa, quia eſt conforme, & penitus ſimilare: ergo &c. Adde, quòd ex cœlo & ſenſu, nihil melius contingit: nam ad ſublunarium curam conſeruandam, ſufficit intelligentiarum cognitio, de qua paulò inferiùs locuturi ſumus.

Confutatur opinio Simplicij.

Aſtronomi, cœleſtia animata eſſe dixerunt, præſertim Ptolomæus, & Albumaſar, atq; Zaeles, quod quidem & Hali confirmat, aſſerens vnà cum Ptolomæo, animalia cœleſtia, optimum motus tenorem perpetuò conſeruare: ſimiliter Aratus, atque Mallius arbitrantur. Plotinus autem enn: 2. lib: 3. cap: 2. Principio conſiderandum eſt, inquit, vtrum cœleſtia ſint animata: ſi enim quæ ita feruntur, anima careant; nihil aliud præter caliditatem, & frigiditatem, atque ſimilia quædam adducere poterunt. ſin autem animata cœleſtia ſint, agantque conſilio; dic amabo, quidnam iniuriæ à nobis acceperint, vnde nobis ſponte quotidie noceant? præſertim cùm & in ſede diuina collocata ſint, & ipſa diuina; non enim illis hæc accidunt, quorum cauſa homines mali fiunt; neque omninò ex humana ſiue proſperitate, ſiue aduerſitate, boni quicquā, vel mali illis accedit. Longo poſtmodum tractatu diſputat contra Aſtronomos, de quibus non eſt modò dicendū per ſingula. Libro autem 2. eiuſdem enneadis cap. 1. & ſequentibus, diſputando, multa proſequitur, in quibus profectò à Platone minimè diſſentit, qui corpora cœleſtia animata, ſicut dixi, eſſe putauit.

Aſtronomi dixerunt cœlū eſſe animatū.

Plotin9 arguit aſtronomos.

Cæterùm, cœlum eſſe animatum, ſecundo quidem modo admittimus, primo verò, negamus; nulla enim operatio nobis apparet, quæ cœlum verè animatū eſſe efficaciter doceat: ſiquidem vegetatiuæ operationes, aut ſenſitiuæ, in cœlo nequaquā conſpiciuntur, quæ organo opus habent ex mixtione elementorum conſurgente, vt dicitur 2. de anima. cœlum autem eſt corpus quintum, primo cœli. nec in cœlo eſt appetitus ſenſitiuus, qui apprehenſionem ſequitur ſenſitiuam: qua remota, & appetitus quoque remouetur. propter intelligere autem, non eſt neceſſe primo modo cœlum eſſe animatum: intelligere enim non eſt operatio organica, nec indiget corpore, gratia phantaſmatum, ipſi intelligere deſeruientium: phantaſmata autem parti competunt ſenſitiuæ, quæ in cœlo eſſe non poteſt. neque ex tactu locali, cùm ſufficiat mouens, & motum eſſe ſimul, ita, vt inter ea ſit tactus naturalis, aut methaphoricus, vt dicitur primo de gener. comm: 44. & 45. in cœlo autem eſt tactus methaphoricus, quatenus ſcilicet intelligentia ſuam applicat mobili virtutem: non ergo cogimur ob motum localem ponere cœlum animatum: neque ob cauſalitatem cœli, qua agit ſuper animata, quandoquidem illa ſit æquiuoca, cui ſufficit cauſam virtualiter talē eſſe, qualis illius effectus extiterit. cùm autem cœlū vnà cum intelligentia ſit corpus viuum; non eſt mirum, ſi viuorum cauſa ſit, & principium, virtutem enim accipit ab intelligentia viuente. Itaque, quomodo cœlum ſit corpus animatum, dixi.

Quomodo cœlum animatū non ſit.

CAP. III.

Cœlum animatū.

Cœlos eſſe corpora verè, ac primo modo animata, argumentis oſtenditur.

*SI intelligentia non dat eſſe formaliter orbi: igitur cœlum violento motu a-
1. gitatur: nam omnis motus ab extrinſeco, eſt motus violentus. ſed omne
violentum non eſt perpetuum: cœlum ergo atque ipſius motus perpetua eſ-
2. ſe non poſſent. Amplius, ſi intelligentia eſt tantùm forma cœli appropi-
ata, non autem formalis: igitur non mouet per intellectum, & appetitum:
nec appetit in mouendo primo ſimilis fieri motori. Tenet conſequentia, quia non cogno-
ſceret motum, ſiue intelligeret motum cœli; nulla enim ſubſtantia ſeparata, authore com-
mentatore, intelligit indiuiduum, vt loquitur in libro de ſomno & vigilia: Declaratum,
eſt, inquit, in prima philoſophia, quòd iſtæ intelligentiæ abſtractæ intelligunt naturas
vniuerſales, & non dant niſi ſimile eius, quod habent: impoſſibile eſt vt dent intentionem
indiuidualem omninò, cùm non habeant naturam comprehendendi intentionem particu-
larem: & illæ formæ vniuerſales non indiuiduantur, niſi propter materiam: etſi formæ
abſtractæ comprehenderent indiuiduum; tunc neceſſariò eſſent materiales. hoc autem
eſſet prorſus eidem contrarium 12. meth: com: 36. ſic loquenti: Intelligentiæ non habent
de virtutibus animæ niſi intellectum, & virtutem deſideratiuam, quæ mouet in loco:
quapropter hoc mouens eſt intellectus. Itaq; ſecundùm Commentatorem, intelligentia eſt
forma cœli eſſentialiter vnita, non appropiata tantùm. vnde 12. meth: Quoniam autem
ſubſtantiam æternam, & immobilem, inquit, &c. vbi cœlum animatum eſſe oſtendit, po-
nitque motum cœli à duplici motore cauſari, quorum alter ab ipſo vocatur motor intrin-
3. ſecus: igitur quod prius. Amplius, ſi cœlum non eſt animatum: igitur eſt formica i-
gnobilius: omne enim inanimatum eſt ignobilius animato 2. cœli, comm: 61. ſed hoc, cœ-
lo competere nequit, quia perpetuum nobilius eſt corruptibili: intelligentia ergo dat
cœlo eſſe formale: ſic enim loquitur Commentator 2. cœli, & de ſubſtantia orbis: Cœlum,
inquit, indiget mouente, ipſum in loco, & virtute, quæ non ſit corpus, nec virtus in cor-
pore, ad largiendum ſibi permanentiam æternam, & motum æternum. ſed permanen-
tia eſt eſſe cœli: intelligentia ergo, quæ permanentiam cœlo largitur, eſt cœli forma
ſubſtantialis. profectò ex intelligentia & orbe fit veriùs vnum 2. cœli: comm: 3. quàm
ex materia & forma, quod planè fieri non poſſet, ſi intelligentia mouens, non eſſet for-
ma cœli ſubſtantialis. Adde, quòd 12. meth: comm: 36. tum philoſophus, tum etiam com-
mentator, cœlo tribuunt intelligere, & velle, qui ſunt formales effectus intelligentiæ:
4. intelligentia ergo eſt forma cœli. Adhuc, ſi intelligentia non eſt forma cœli: igitur cœ-
li non mouentur, quia intelligunt, vt dicit philoſophus, & commentator 12. meth: comm:
36. nullum enim ex aſſiſtentibus aggregatum, dicitur operari, operatione conuenienti
alteri aſſiſtentium. Quare, ſi intelligentia non eſt forma cœli, ſed tantùm aſſiſtens; non
rectè diceretur cœlum intelligere, quia aſſiſtens intelligentia intelligit: ergo quod pri-
us. Sanè, ſi dixeris intelligentiam corporis, aut materiæ formam eſſe non poſſe; hoc pro-
fectò contingeret, vel quia eſt natura intellectualis, vel quia ſubſiſtens, aut quia diffe-
rens ſpecie ab anima, aut quia eſt quid completum in ſpecie; ideoq; pars ſpeciei eſſe non
poteſt. ſed primum non impedit, alioqui ſubſtantia intellectiua non poſſet eſſe forma cor-
poris. neque ſecundum, aliter anima ſeparata, non eſſet natura vnibilis materiæ. de ter-
tio poſtea dicemus. neque quartum, nam ſi intelligentia eſſet forma corporis, vtpotè cœ-
li; adhuc tamen non eſſet pars ſpeciei; non enim ex intelligentia, & orbe, tertia natura
in ſpecie completa reſultaret, cuius pars formalis eſſet intelligentia: ſiquidem eſſe par-
tem ſpeciei, illi tantùm competit formæ, quæ eſt terminus generationis, atque materiæ
complementum, cuiuſmodi non eſt angelus, qui vltimas operationes ei largitur, cuius eſt
forma,*

Cœlum animatum.

Forma. nec eſt finis generationis, ſed quid completum in ſpecie. Itaq; ex his patet, ange-
lum ſiue intelligentiam eſſe formam cœli. Item, Auguſtinus in enchyridion cap: 25. vi- 5.
detur ſentire cœlum eſſe animatum : Nec, inquit, illud certum habeo, vtrum Sol & Lu-
na ad ciuitatem ſupernam pertineant, & ex conſequenti animati & beatificabiles. Et
primo retractationum cap : 10. mundum eſſe quoddam animal, ſicut Plato ſenſit, nec
certa ratione indagare potui, nec diuinarum ſcripturarum authoritate perſuadere poſſe
cognoui. Et in lib: de immortalitate animæ, temere dictum noui; non quia falſum hoc eſſe
confirmo ; ſed quia nec verum eſſe apprehendo, quòd animal ſit mundus; per animam e-
nim corpus ſubſiſtit, & eo ipſo, quo animatur, ſiue vniuerſaliter vt mundus, ſiue parti-
culariter, vt vnumquodq; animal intra mundum. Primo autem retractationum cap : 5.
hoc retractare videtur. Non deſunt autem, qui dicant non totum ab Auguſtino retra-
ctari, ſed illud, eo quo animatur, &c. Ex quo patet, Auguſtini fuiſſe ſententiam, mun-
dum, id eſt, cœlum eſſe animatum. Adhuc, nobilioris corporis, nobilior eſt forma: cor- 6.
poris enim proportio atq; nobilitas, animæ nobilitatem inſequitur. ſed cœlum cæteris eſt
animantibus præſtantius atq; nobilius: habet ergo nobiliorem formam. At nobiliſſima
forma eſt anima, quæ authore Auguſtino, & philoſopho in lib. de anima, eſt principi-
um vitæ : igitur cœlum eſt animatum anima informante. Reuera, ſi cœlum eſt cauſa vi-
tæ, ſicut apparet in animalibus ex putrefactione genitis, quæ ex ſola cœli virtute vitæ
beneficium conſequuntur: cœlum ergo viuit, & ex conſequenti eſt animatum. Tenet cō
ſequentia, quia cauſa ſuo eſt effectu nobilior. Præterea, in genere mobilium, primum eſt 7.
mouens ſeipſum, vt octauus teſtatur phyſicorum liber : illud enim quod eſt per ſe, prius
eſt eo, quod per aliud eſt. ſed primum mobile eſt cœlum : mouet ergo ſeipſum. at ſola a-
nimata ſeipſa mouent, vt idem liber affirmat: corpora ergo cœleſtia ſunt animata. Ad-
de, illud philoſophi primo cœli, nempè motum cœli eſſe naturalem. Porrò, omnis motus
naturalis, eſt à principio intrinſeco, 2. phyſ. natura ſiquidem eſt principium motus &
quietis in eo, in quo eſt ; forma autem cœli, eſt ipſius natura : principium ergo motiuum
cœli eſt intrinſecum, atq; ita cœlum eſt animatum. Itaq;, ex his atq; ſimilibus conſtat ſa-
tis, cœlum ſiue cœleſtia corpora eſſe animata.

Mundum eſt animal.

CAP. IIII.

Soluuntur argumenta.

AD primum, motus in loco à philoſopho diuiditur, 7. phyſ. com: 10. in mo- 1.
tum ex ſe, id eſt ab intrinſeco, qui ſanè eſt motus naturalis, & in motum ab
extrinſeco, quem in quatuor ſecat ſpecierum ordines, nempè in pulſionem,
tractionem, vectionem, & vertiginem. Ii autem omnes motus violenti no-
minantur. Quamobrem nonnullis placet, omnem motum ab extrinſeco vio-
lentum dici : violentum enim id appellatur, authore philoſopho 3. Ethicor. cap. 2. cuius
principium extrinſecum eſt. Porrò Commentator 3. cœli, com. 20. & 2. meteor. cap. 2.
aliud ſentire videtur: inibi enim dicit, motum ignis circularem in ſua ſphæra non eſſe ſim
pliciter naturalem, quia ſcilicet non eſt à principio intrinſeco; nec etiam violentum, quia
nullum violentum poteſt eſſe perpetuum. Quare, ille tantùmmodò motus ab extrinſeco
motore, violentus dicendus eſt, cuius motor ex ſua natura non habet virtutem ſemper mo
uendi. ſed interdum mouet, interdum verò ceſſat à motu. vnde idem Auerroes 1. cœli
com. 22. manifeſtè affirmat motum cœli eſſe à principio extrinſeco. Et 8. phyſ. com. 52.
motum diurnum, qui eſt in planetarum orbibus, dicit eſſe à motore non coniuncto, hoc
eſt, à primo motore, qui reſpectu orbium planetarum, eſt motor extrinſecus : illum autē
motum orbibus planetarum fore ſiue eſſe violentum, falſum eſt. Præterea, apud Auer-

Violentus motus ſecundum Auerroem.

nimatum.

Non omnis forma actualiter informat.

roem non quælibet forma actualiter informat, 12. met: com. 37. Perfectionum, inquit, propter quas mouetur perfectum, quædam ſunt qualitates, quibus perficitur illud quod mouetur, vt quod mouetur propter ſanitatem: & quædam ſunt ſubſtantiæ extrinſecæ à re, quæ mouetur ad eas, vt aſsimiletur ei, vt ſunt actiones ſeruorum, quæ ſunt erga genera intentionum domini ſui. Item Auerroes 8. met. com. 12. expreſsè aſſerit cœlorum ſubſtantias non eſſe compoſitas ex materia & forma, ſed ex corpore & forma animata intelligibili: illis tamen non eſt aliquid, quod animatur per animam ſiue intelligentiam:

2. itaque, quamuis motus cœli ſit ab extrinſeco motore; non eſt tamen violentus. Ad 2. dico, ad mentem Commentatoris, intelligentiam cognoſcere motum, quem cauſat: non quidẽ in vniuerſali, vt quidam dicunt, cùm appetat aſsimilari primo motori vt particulari cognito; appetens autem finẽ particularem, determinatum cognoſcat medium neceſſe ſit: neq; per ſpeciem motus, ſed per ſuam eſſentiam, quam perfectè cognoſcens veluti cauſam, effectus quoq; conſequenter cognoſcit, nempè motum cœli, & res inferiores per motum productas atq; producendas. verum tamen eſt, non cognoſcere indiuiduum per ſpeciem propriam, quia nimirum illa ſpecies primò eſt repræſentatiua indiuidui per ſen-

3. ſum & imaginationem, quæ in intelligentia nequaquã eſſe poſſunt. Ad 3. cœlum eſt nobilius rebus inferioribus quòad modum, non autem quòad gradum eſſendi: res enim quæ habent viuere & eſſe, duobus gradibus ornantur: qua ratione fit, vt hoc modo formica nobilior ſit cœlo. quia verò modus eſſendi qui cœlo competit eſt perpetuus & incorruptibilis; ideo cæteris præſtat corruptibilibus. Reuera, forma cœli, quamuis ſimpliciter

Cœlum quomodo eſt nobiliſsimum corpus.

nobilior non ſit forma animalis; eſt tamen nobilior quòad rationem formæ: ita enim perficit completq; materiæ ſuæ deſiderium; vt iam alterius formæ habendæ cupidine non teneatur, quod quidem cæteris formis corruptibilibus minimè conuenit. Ad authoritatem Commentatoris dico, intelligentiam cœlo largiri permanentiam, conſeruatiuè quidem, non autem formaliter ſecundùm Commentatorem, qui arbitratur corpora cœleſtia cauſam habere conſeruantem, nempe virtutem primi principii, à quo & ipſa dependet. dare autem permanentiam, & eſſe conſeruatiuè ad cauſam attinet agentem: non ergo Commentator vult intelligentiam cœlo largiri eſſe formaliter, ſed conſeruatiuè potius. Ad

Quomodo ex intelligentia & orbe fiat vnum.

aliam authoritatem ſic reſpondeo, Commentatorem ita intelligi oportere: ex intelligentia & orbe fit magis, id eſt nobilius vnum, quàm ex materia & forma: non quia magis vnum per ſe fiat, ſed magis aggregatum incorruptibile, quod non fit ex materia: omne enim compoſitum ex materia & forma, putat eſſe corruptibile: hac ratione in cœlo ma-

Quomodo intelligentiæ & intellectus ſint vnum.

teriam eſſe non vult, quæ eſt ens in pura potentia. Præterea, verba illius commenti hæc ſunt: Et ideo forma & formatum in eo eſt vnum numero, ſed ſecundùm diſpoſitionẽ magis diminutam, quàm ſit adunatio recipientis, & recepti in forma abſtracta. ex quo patet, Commentatorem loqui de vnione intelligibilis & intellectus, quæ profectò perfectior eſt, quàm ſit orbis vnio cum intellectu: quod enim fit ex eis, non eſt aliud, ſicut in cõpoſitis ex materia & forma. Reuera, ſubſtantia compoſita ad mentẽ Auerrois, eſt tertia quædam entitas à partibus ſimul iunctis diſtincta: hac de cauſa, ex intellectu & intelligibili fit maximè vnum, quia ſcilicet intellectus poteſt fieri intelligibile, dum ſeipsũ intelligit, quod certè compoſitis ex materia & forma non competit: nunquam enim forma fiet materia, aut è conuerſo; ſed ex materia & forma fit ſubſtantia compoſita, quæ eſt aliud ab eis, vel diuiſim, quia non eſt materia nec forma, vel coniunctim. Confirmat

Auerrois rationes expendũtur.

hanc ſuam doctrinam Auerr: 12. met. com. 39. vbi ſic loquitur: Intellectus in quantum intelligit intellectum, dicitur intellectus: & in quantum intelligit per ſe, dicitur quod intellectum per ſe eſt ipſe intellectus, ſiue intellectus eſt res intellecta. Et 3. de anima, com. 5. in ſolut: 2. quæſt: Eſt manifeſtum, inquit, quod ex forma & materia fiat vnum, maximè autem ex materiali intellectu & intentione intellecta in actu: quod enim componitur ex eis, eſt aliquod tertium aliud ab eis. Itaq; ex intellectu & intelligibili fit verius vnum,

riùs vnum , quàm ex materia & forma. Ad aliam authoritatem philoſophi & com:
dico, cœlum accipi pro aggregato, ex cœleſti corpore & intelligentia : proinde ratione
intelligentiæ ſibi appropriata, cœlum ſentire atq; intelligere dicitur. Ad 4. Commenta- 4.
tor reſpondet ſecundùm ſuam hæreſim, conſequentiam eſſe falſam, & ad probationem
negat aſſumptum : nam vt ipſe in via ſua erronea profitetur, Sortes dicitur intelligere,
quia intellectus , qui eſt vnus omnium hominum , non eſt forma dans eſſe , ſed copulata
intelligit. Ad probationem ſeu confirmationem reſpondeo, hoc accidere, quia intelligen
tia eſt quid completum in ſua ſpecie. Et ad improbationē dico, quòd ſi loquamur de for-
ma propriè informatiua veraq; informatione, non eſt intelligibile, quin ſit pars compo-
ſiti, atq; ex ea & materia non conſurgat noua ſpecies : forma enim eſt, quæ dat eſſe ſub-
ſtantiale, ſi ſubſtantialis fuerit, & accidentale, ſi accidentalis erit & ipſa: atq; ita eſt ter
minus generationis. ſumere autem aliquid, quatenus vltimas largitur perfectiones, non
ſpectat ad formam informantem, ſed ad æquiuocam potiùs & impropriam. Intelligen-
tia ergo non eſt forma cœli. Ad 5. tempore Auguſtini dubium erat, vtrum corpora cœ 5.
leſtia eſſent animata, hac de cauſa ſub dubio loquitur, nec hoc retractauit, tanquam fal
ſum ; ſed quod aſſertiuè locutus fuerat, verum eſſe, quod in dubium antea vocatum fue-
rat & adductum. Ad 6. ex prædictis patet ſolutio: ſiquidem cœlum dicitur corpus no 6.
bilius, non quidem ſimpliciter , ſed ſecundùm rationem , vt dixi. Ad confirmationem
dico, cœlum eſſe cauſam vitæ inſtrumentaliter, vt potè inſtrumentum viuentis intelligē-
tiæ, cuius virtute agit in hæc infima & ſublunaria. Ad 7. cœlum ſeipſum mouet, qua- 7.
tenus ex mobili & motore ſecundùm contactum virtutis componitur, cuius gratia ipſius
motor, principium intrinſecum nominatur, atq; eius motus naturalis dicitur : Naturalis Motus naturalis cœli.
inquam, non propter principium actiuum, ſed paſſiuum tantùm, quod quidē vt ſic mo-
ueatur aptitudinem habet. Sanè, non eſt neceſſe , vt ad omnem motum naturalem , na
tura moti ſit principium actiuum : nam in generatione, quæ eſt mutatio naturalis, prin-
cipium actiuum non eſt natura materiæ , quæ paſſiuum eſt & ipſum mutatum. proinde,
natura eſt principium motus paſſiuum in cœlo; in graui verò & leui, tùm paſſiuum, cū
etiam actiuum. Dicis, potentiæ paſſiuæ naturali, actiua correſpondeat naturalis, neceſ-
ſe eſt. Dico, illi potentiæ, quæ per comparationem ad formam receptibilem ſeu receptā,
eſt naturaliter paſſiua, non eſſe neceſſe, vt actiua naturalis correſpondeat, quæ ſit prin-
cipium actiuum naturale creatum : anima ſiquidem eſt potentia paſſiua ad gratiam Potentiæ paſ-
recipiendam : principium autem gratiæ effectiuum, non eſt aliquod naturale creatum. ſiuæ naturali
vel ipſa intelligentia principium dicitur actiuum, tametſi ſecundùm eſſe ſit à cœlo ſepa- correſpondet
rata; non enim oportet, vt eius natura ſit intrinſeca, quemadmodum potentia calefacti- potentia acti-
ua non eſt natura calefacta ; licet calefactibile ad calefactionem potentiam naturalē ua.
habeat. Itaq;, quamuis deus benedictus vniuerſum immediatè mouere poſſet ; ſuæ tamē
complacuit benignitati, mouendorum orbium curam cæteris mandare intelligentijs, quæ
in mouendo diuinam appetunt ſimilitudinem ſemper & inceſſanter habere imitariq;. Cœ
lum ergo non eſſe propriè verèq; animatum, anima informante, dixi ſatis.

QVAESTIONIS TERTIAE CAP. I.

Modus & finis intelligentiarum quæ mouent orbes.

AVdiuimus orbes non eſſe animatos , tametſi ab intelligentiis moueantur: Quomodo in
libet iam quærere finem modumq;, quo diuinæ illæ mentes in mouendis or telligētiæ mo
bibus vtuntur; eſt enim præſenti ſpeculationi conueniens atq; opportuna ueant orbes.
inquiſitio. Porrò , de modo mouendi, non parua extitit apud antiquos ſa-
pientiæ duces diſſenſio atq; controuerſia : nam & nonnulli dixerunt, ali-

Intelligentia cur mouet orbẽ.

quam imprimi cœlo ab intelligentia qualitatẽ naturalem, ex qua motus circularis proficiſcitur, ſicuti ex graui motus ſurſum, ex leui verò deorſum motus procedit. ſed huiuſmodi ſententia non placet, tùm quia motus alterationis prior eßet quàm motus circularis; qualitas enim illa per alterationem haberetur, tum etiam, quia cœlum à forma intrinſeca naturali moueretur, quod quidem falſum eſſe multi arbitrantur: natura ſiquidem determinatur ad vnum: nulli ergo ſimul largitur oppoſita. ſed mouens cœlum polis quidem præſtat quietem, alijs autem cœli partibus motum: igitur cœlũ non mouetur à forma intrinſeca naturali. Quamobrem Commentator 12. met. ait Cœlum non moueri à forma naturali, alioqui cœlum motibus oppoſitis moueri non poſſet; ad determinatum enim motum naturalis illa inclinatio inflecteret. Deniq;, forma naturalis alicuius in proprio loco exiſtentis, non eſt illi cauſa motus, ſicut patet in graui & leui. ſed cœlũ eſt in loco ſibi proprio: igitur non mouetur à forma naturali intrinſeca, & per conſequens, angelus non imprimit cœlo aliquam qualitatem naturalem abſolutam, ad quam conſequitur motus.

Cœlum non moueri à forma intrinſeca

Quòd ſpecies motus nõ moueat cœlum.

Quibuſdam viſum eſt, ſpeciem motus practicam in mente angeli exiſtentem eße rationem mouendi: dicunt enim angelum in ſe habere ſpeciem motus, velleq; motum in corpus cœleſte cauſare, talemq; intentionem cum actu volendi ſpeciem motus practicam effici, potentem vtiq; ad motum producendum cauſandumq; in corpore cœleſti. Verùm, ſpecies motus non eſt mouendi ratio, ſed cognoſcendi potius. Præterea, ſi id verum eſſet; eadem facilitate lapidem angelus produceret, cuius ſpeciem habet in mente.

Quòd potentia tertia nõ ſit ratio mouẽdi.

Quidam alij dixerunt, quòd angelus moueat orbem per potentiam ſuam motiuam, actiuam ad extra, quæ eſt tertia potentia, ab intellectu voluntateq; diſtincta. illa ſiquidem potentia, præcedente cognitione actuq; volendi, eſt ratio, qua cœlum mouetur. Sed hic quoq; modus erroneus eſt: angeli enim natura, eſt potentia motiua ſuperior; quæ quatenus à volitiua diſtinguitur, ad perfectionem ſimpliciter minimè ſpectat. Deniq;, quonam modo mouet voluntatem, ſi obſequitur atq; famulatur voluntatis imperio; voluntas enim mouet alias, non autem ab alia potentia mouetur? Dicamus ergo angelum mouere cœlum per ſuamipſius voluntatem, veluti per potentiam motiuam rationemq; mouendi, ſecundùm dictamen intellectus atq; rationis iudicium. Profectò, voluntas primò elicit actum volendi, quo vult mouere, & imperat. Deinde, licet ſimul duratione; poſteriùs tamen natura, ipſam elicit actionem, quæ eſt mouere actiuè, ſicq; in cœlo cauſat ſiue producit motionem paßiuam. Itaq;, voluntás angeli primò habet actum immanentem, hoc eſt, velle, poſtea, tranſeuntem, id eſt, mouere. Hoc autem modo voluntas eſt cauſa motus, ſicuti potentia elicitiua, duos actus ordinatè eliciendo, quorum primus, vtpotè velle, non eſt mouere, aut ratio mouendi; eſt tamen medians inter potẽtiam motiuam & mouere ſiue actum mouendi, idq; neceßariò: quidquid enim voluntas habet ad extra pro cauſato; illud idem priùs habet in volito, ideoq; velle eſt diſpoſitio, ſub qua volũtas exiſtens motũ producit; idq; liberè non neceſſariò præconcipiendo motum, non finem motus tantùm, vt dicit Commentator.

Intelligentia mouet per voluntatem ſuũ orbem.

Obiectio.

Sed dicet aliquis, actus voluntatis eſt actus immanens. ſed mouere eſt actus tranſiens: mouere ergo non eſt actus voluntatis. Præterea, velle dicere, quòd angelus per imperium, ſeu velle, moueat cœlum, iampridem à ſapientibus id exploſum eſt. ergo &c.

Solutio.

Reſpondeo, quòd actus primus, qui dicitur velle, eiuſq; operatio, eſt ſibi immanens, vtpotè elicere, ſeu cauſare huiuſmodi actum, ſcilicet velle; habet tamen cum hoc actum tranſeuntem, nempè mouere; voluntatis enim intereſt, alias potentias ad exercitium actus mouere, qui planè eſt actus tranſiens in extrinſecas potentias. Ad 2. verum quidem eſt, quòd ſolius dei ſit, ſolo nutu ſeu velle mouere omnia; quia ſcilicet ipſius mouere & velle, ſunt realiter idem: nam vbi mouere diſtinguitur à velle; inibi certè eſt realis reſpectus mouentis ad motum, & actionem de genere actionis; deus autem ad creaturam, vt dixi paulò ante, non habet relationẽ realem. at in angelo eſt alius actus, ab ipſo velle eßentialiter diſtinctus: quare, angelus

Actus immanens & tranſiens in angelo

Angelos nõ mouere orbes.

re, angelus ſola voluntate non mouet, quippe, cùm in ipſius poteſtate ſitum non ſit, mouere orbem vt lubet. Itaq;, angelum mouere orbem per actum voluntatis tranſeuntem actiuè, dixi.

CAP. II.

Quare intelligentia moueat orbem.

CLara eſt apud Peripatheticos doctrina de fine motus, quo intelligentiæ mouent orbes: Mouet, inquit philoſophus 12. met. com. 36. ſicut intelligibile & deſiderabile. appetunt ſiquidem illæ beatæ mentes in mouendo, primo ſimiles motori effici atq; fieri; vt in optima diſpoſitione permaneant, atque aſſequantur finem intentum. Porrò, aliquid in appetenda alicuius ſimilitudine, fine, atque diſpoſitione, duobus modis poteſt intelligi: aut quidem illa ſimilitudo æqualitatis erit, aut proportionis. Præterea, vel illa diſpoſitio eſt optima ſimpliciter, vel ſecundùm quid, vt optima angeli diſpoſitio, eſt intelligere; mouere verò eſt ſecundùm quid: deniq;, vel eſt finis intentus, vt victoria eſt militiæ; aut euentus, vt honor, qui accedit legitimè pugnanti. Itaq; aiunt intelligentias mouere, vt in optima diſpoſitione ſint, tùm quidem ſimpliciter, tùm verò ſecundùm quid, atq; etiam, vt intentum finem conſequantur: optima autẽ diſpoſitione ſimpliciter ex eo maximè potiuntur, quòd intellectus ſint perpetuò diuina intelligentes; illa verò, quæ eſt ſecundùm quid, quia nimirũ animæ ſunt orbes ſuos mouentes, optimo perfectiſſimoq; motu. Deo autem ſimiles ſunt ſimpliciter, quatenus in optima diſpoſitione ſimpliciter inueniũtur, habentq; finem intentum, qui eſt deum intelligere; finem verò euentum, quia ſcilicet mouent, & in diſpoſitione ſecundùm quid dei ſimilitudinem gerunt; ſimilitudinem, inquam, proportionis, non æqualitatis, ſecundùm formam genericam & ſpecificam, non autem ſecundùm gradum formæ ſpecificæ: impoſſibile enim non eſt appetibile. at deo eſſe ſimile, ſecundùm omnem perfectionis proportionisq; gradum, eſt prorſus rebus creatis impoſſibile: igitur non eſt appetibile. ſecundùm verò formam genericam conueniunt aliquo modo; quia ambo ſunt ſubſtantiæ. ſecundùm autem formam ſpecificam, quia ſunt intellectus: Similitudinem ergo proportionis intelligentiæ appetunt, optimam diſpoſitionem & finem intentum, atq; euentum, ſicut dictum, intelligendo & mouendo conſequuntur. Cæterùm firma eſt & vera theologorum ſententia dicentium, intelligentias mouere orbes, tũ quia virtutes ſunt inſtrumentariæ diuinæ virtutis, quibus motus cœlici aguntur, vt generationis hominis ordo conſeruetur; tũ quia ex opere creationis hoc habent; tùm quia de reintegranda ipſorum ciuitate, quæ olim non paruam ſuorum paſſa eſt ciuium iacturam, magna ſolicitudine tenentur. hanc autem reſtaurationem fieri per hominum generationes neceſſe eſt, quæ profectò abſq; cœlorum motu haberi non poteſt. Mouent ergo intelligentiæ orbes vt aiunt ſacri, non quidem vt in optima ſint diſpoſitione, aut vt ſimilitudinem dei gerant, quandoquidem id habeant ex naturali natura cum gratiæ auxilio confirmationeq;, vnde in fine rerum cœlis quieſcentibus, æquè erunt beati; ſed vt deo obtemperent, generationesq; hominum conſeruentur, è quibus nonnulli ad ipſorum ciuitatem eſſent tranſmittendi, atq; ita antiquæ ipſarum ruinæ repararentur: Omnes, inquit Paulus ad Hebr: 1. ſunt adminiſtratorij ſpiritus, miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. Quamobrem, cùm hæc ita ſe habeant, omninò explodenda eſt Auerrois ſententia, aſſerentis intelligentias mouere orbes 2. cœli, primaria quidem intentione propter ſe, vt in optima ſcilicet diſpoſitione conſeruentur; ſecundaria verò propter nos: Intelligentiæ, inquit, ideo in optima diſpoſitione ſunt, quia mouent, quam quidem diſpoſitionem de nouo non acquirunt, cùm illam habeant, ſed motu quidem illam conſeruant.

Quam ſimilitudinem quærunt angeli in mouendo.

Angeli optima diſpoſitio, & ſecundùm quid.

Angeli finis intentus & euentus.

Intelligentiæ quare mouẽt cœlum ſecundùm Catholicos.

Auerrois opinio reiicitur.

 Et 12. met.

Angelos nõ moue-re orbes. *Et 12. met. aſſerit, intelligentias mouere quidem cœlum, non præconcipiendo motum,*
ſed tantùm finem motus, finem ſcilicet intelligentiæ iam adeptum; cuius ſanè apprehẽ-
ſionẽ, motus orbis naturaliter atq; neceſſariò conſequitur, vt finis intelligentiæ conſerua-
retur, non autem acquiratur. Reuera, optima intelligentiarum diſpoſitio eſt beatitudo,
Angelorum beatitudo nõ pẽdet à motu *quæ à motu cœlorum minimè dependet: nam, authore philoſopho 10 Ethic. beatitudo, in*
cognoſcendo, non autem in mouendo conſiſtit. Beatitudo præterea à rebus corporalibus
nequaquam proficiſcitur, alioqui veræ beatitudinis ſubſtantiam amitteret: non ergo in-
telligentiæ per motum cœlorum in optima diſpoſitione, ſeu beatitudine conſeruantur. A-
Alij Peripathetici aliud ſenſerunt. *lij autem Peripathetici dicunt, quòd intelligentiæ mouent, vt deo fiant ſimiles mouenti,*
etſi non in motu diurno, in motu ſaltem ſuorum orbium. Hanc autem ſimilitudinem The
miſtius & Alexander optimam diſpoſitionem appellant. Verùm huiuſmodi Dei ſimili-
tudo admodum parua eſt, & non ſolùm angelis, verùm etiam hiſce rebus inferioribus
communis, ideoq; angelis, veluti optima diſpoſitio non eſt attribuenda, quandoquidem ſi-
ne huiuſmodi motu deo ſimillimi ſint; intelligunt enim & amant ſummum bonum, ſicq;
Plato. *veram beatitudinem, optimamq; diſpoſitionem conſequuntur. Plato in Thimæo, motum*
angelorum obedientiæ aſcribit mandato, quo faber mundi præcepit, vt animal nobile &
venerandum, nempè hominem conderent. Sed de hoc poſtea dicam, quando de hominis
Mauri. *creatione erit mihi loquendum. Mauri aiunt, angelos mouere orbes, vt deo placeant, ve*
Auicenna. *luti amico morem gerentes. his autem obſiſtit Auicenna, aſſerens motores orbium me-*
rè naturaliter mouere; naturalibus verò non meremur, neq; demeremur. Non igitur vt
placeant, neq; vt obediant. Sanè, quemadmodum anima dum corpori coniungitur, natu-
raliter ipſum viuificat; ita profectò animæ cœlorum naturaliter ſuos mouẽt orbes: non
enim intelligentia viuificat orbem vita ſenſus; quia cœlum non ſentit: nec gradu nutri-
tionis, & cæterorum huiuſmodi, quæ cœlo ineſſe non poſſunt; ſed vita, qui eſt motus. In-
Confutatur opinio Auicen. *telligentiæ ergo orbes naturaliter mouent. Verùm huiuſmodi Auicennæ poſitio, non ſa-*
pit veram philoſophiam: nam ſi animæ ſiue intelligentiæ, purè naturaliter orbes ſuos
mouent: non ergo cognoſcunt finem motus; agens enim naturale tantùm finem non in-
telligit, ſed mouetur ab intelligentia dirigente. Porrò, intelligentias orbium motrices,
non præconcipere finem motus ſuorum orbium, abſurdiſſimum eſt, ne dicam impoſſibi-
le. nam ſi animæ ſua mouendo corpora finem motus præintelligunt; quantò magis illæ cœ-
leſtes & beatiſſimæ mentes? Itaq;, intelligentiæ mouent orbes, tùm generationis cauſa,
cùm propter electos congregandos.

CAP. III.

Angelos non mouere orbes ſiue cœlos, argumentis oſtenditur.

1. *Corpora grauia & leuia, mouent ſeipſa per proprias formas: nam authore*
Auerroe 4. cœli com. 5. motus leuium ad ſuperius, ab ipſorum leuitate cau-
ſatur: igitur cœli mouẽtur à proprijs formis naturalibus, ſine aliquo alio ex
trinſeco motore, etiamſi cœli non ſint animati. Tenet conſequentia: ſi enim
quod minus videtur ineſt; & illud quod magis. ſed minus planè videtur, vt grauia, &
leuia ſeipſa moueant, quàm corpora cœleſtia, vtpotè ipſis inferiora atq; ignobiliora: cœ-
li ergo à proprijs naturalibus formis mouentur, & ſinguli à ſingulis, proinde diuerſitas
2. *motuum cauſatur. Patet ergo, quòd angeli non moueant orbes. Amplius, cœli ſunt cor*
pora naturalia, ac motu naturali aguntur: non ergo mouentur ab extrinſecis motori-
bus; motus namq; talium naturalis dici non poteſt, vt motus nauis à remige dirigente.

Angelos nõ mouere orbes.

*Cùm itaq; motores orbium non ſint formæ ipſorum naturales;ex orbe vtiq; & intelligẽ-
tia motus naturalis non ſit: dicere verò, cœlos motu naturali non moueri,abſurdiſsimum
eſt , tùm quia res naturalis præſtat accidentali,tùm quia natura ſemper eodem modo o-
peratur. ſed motus cœlorum inuiolabiliter eundem perpetuò curſum peragunt : igitur
motu naturali mouentur , & ex conſequenti, non ab extrinſeco motore. Adde , hoc eſſe
diuinis ſcripturis manifeſtè contrarium, aſſerentibus,diuinis mandatis, atq; ordinationi-
bus parere omnia : Ordinatione tua, inquit Dauid, perſeuerat dies,quoniam omnia ſer-
uiunt tibi. Et alibi : Verbo domini cœli firmati ſunt. Vnde Paulus ad Hebr: 1. portans
omnia verbo virtutis ſuæ. Iuſsu ergo dei cœli mouentur , atq; agunt curſus ſuos , diuinis
iuſsibus obtemperantes, idq; per proprias naturales formas , non extrinſecas, cuiuſmo-
di eſſent angeli. Adhuc, omne mouens, vt dicitur 6. & 8. phyſ. mouet per contactum:* 3.
*ſed illæ cœleſtes intelligentiæ non habent contactum : non ergo mouent orbes. Nec valet
quod dicunt aliqui , quòd moueant per actum voluntatis tranſeuntem ; quandoquidem
ſolius dei ſit actu voluntatis mouere , & quidem tam magna & immenſa corpora. Non
ergo videtur eſſe rationi conſentaneum. nec conſtat nobis ex ſcripturarum authoritate ,
vt angeli ſolo iuſſu actuq; voluntatis,corpora cœleſtia perpetuò moueãt.Præterea,rati-* 4.
*ones quas aliqui adducunt,volentes oſtendere, cœlum à propria forma naturali moueri
non poſſe , friuolæ ſunt & nullius ferè momenti : Natura , inquiunt , ſimul oppoſita non* 1.
*largitur. ſed motor cœli polis quidem quietem , latitudini verò motum largitur : igitur
motus cœli non eſt à forma naturali. verùm ſecundùm rei veritatem,qualibet cœli pars
mouetur : non ergo poli omninò quieſcunt , ſed imaginatione tantùm puncta immobilia
eſſe dicuntur , quia nimirum circulos ſuis motibus non deſcribunt. Falſa eſt ergo ima-
ginatio, quæ putat aliquam partem cœli omninò quieſcere. Addunt etiam & alias ra-
tiones : Motus, inquiunt,naturalis eſt determinati modi & loci. ſed motus circularis in-* 2.
*differenter ſe habet ad iſta ; non enim habet determinatum locum , cùm ex ſua natura
infinitus eſſe valeat : nec etiam habet determinatum modum ; indifferenter enim moue-
tur ab oriente in occidentem, & è conuerſo : non ergo naturaliter mouetur. Reſpondeo,*
Cœli motus quomodo ſit determinatus
*quòd quamuis motus cœli non ſit ad terminum finientem ; quia ex ſui natura poteſt eſſe
perpetuus, quod planè motui recto non competit ; eſt nihilominùs ad præfixum termi-
num, vtpote ad determinatos ſitus partium & aſpectus circa medium, ſecundùm diuer
ſas partes motus ; quemadmodum motus grauis,eſt ad determinatum vbi deorſum : ille
autem terminus,motus propriè nequaquam vocatur. Ad illud, quòd ſit indeterminati
modi,dico,vnumquemq; orbem, ſecundùm motum proprium,determinati certiq; ordinis
eſſe, nec alium motum habere præter proprium , ac naturaliter ſibi inhærentem. Sub-* 3.
*dunt tertiam rationem. Si tales formæ ſiue inclinationes naturales, quibus cœli mouen-
tur, ipſis omninò realiter inſint ; aut igitur cœli per illas inclinarentur ad vnum, aut ad
oppoſita. non quidem ad vnum ; in cœlis enim diuerſi motus apparent. neq; ad oppoſita;
alioqui, ſicut in naturis grauium & leuium, ita etiam in corporibus cœleſtibus eſſet na-
turarum diuerſitas atq; contrarietas, quod planè longè eſt à cœleſtibus. Dico , formas*
Incorporibus cœleſtibus nõ eſt propriè cõtrarietas.
*naturales orbium diuerſimodè orbes inclinare, nec inde vllam ſequi proprio nomine cõ-
trarietatem, cùm non ſint qualitates ſenſibiles,alterabiles ; ſed ſecundùm inclinationem
tantũ ad motus contrarios : ſic enim nos docet experiẽtia, quòd ſcilicet cœli motibus cõ-
trarijs ſiue oppoſitis agantur. Dices,ergo orbes habent diuerſas formas naturales,qui-
bus ad huiuſmodi motus determinantur. Reſpondeo,verum quidem eſſe ; non tamen e-
iuſdem rationis illas poſſe vocari. Iterum ita arguunt , forma naturalis alicuius exiſten* 4.
*tis in loco ſibi proprio, non eſt cauſa motus, vt patet in graui & leui. ſed cœlum eſt in lo-
co ſibi proprio: igitur non mouetur à forma naturali. Præterea , illud , cuius motus eſt* 5.
*circularis, idq; à forma naturali , violenter profectò requieſcit. ſed quædam pars cœli
quieſcit , altera verò mouetur circulariter : igitur non mouetur à forma naturali. Dico*

Angelos nó moue-rę orbes.

ad 4. maiorem veram eſſe de motu recto, quo mobile transfertur ad alium totum locũ, de primo quidem toto loco recedendo, non autem de motu circulari, qui in toto primo loco ſemper permanet, ſitus tantùm partibus variatũ. Ad 5. dixi, nullam cœli partem prorſus quieſcere. Itaq; rationes, quibus aliqui probare nituntur, motum cœli non eſſe naturalem, nihil virium habent, ſuntq; omninò debiles & inanes. Amplius, Dei ſimilitu-

Motus circularis ſemper eſt in toto proprio loco.

6. do ineſt angelis intrinſecè, & à primordio conditionis ipſorum: non ergo per motum dei ſimilitudinem quærunt, alioqui imperfecti omninò conditi eſſent, quod fas non eſt de angelis ſentire. Reuera, ſi ideo intelligẽtiæ ſuos orbes mouent, vt deo ſimiles ſint: primus ergo motor finis eſſet omnium motuum actionumq;, quibus agunt atq; mouent intelligentiæ, quod eſt falſum; finis enim per actionem atq; motum acquiritur. ſed Deus hoc modo haberi non poteſt: igitur non eſt motuum finis. Sanè, qui ſic mouent, aliquando tandem quod cupiunt, acquirunt, alioqui fruſtra laborarent. ſed fine habito ceſſaret motus, quod quidem philoſophis non probatur, qui motum æternum eſſe fatentur. Angeli ergo non mouent propter ſimilitudinem dei habendam obtinendamq;, neq; propter optimam diſpoſitionem conſeruandam, quandoquidem optima angelorum diſpoſitio ſit deum intelligere, ipſumq; perpetuò amare, quod planè ſine cœlorum motu obtinent. neq; propter generationum ſeriem texendam; nam id, cœli motu & lumine, ex proprijs formis naturalibus à principio ſibi inditis, diuinis ſemper imperijs obtemperantes, complẽt

Angeli non mouent cœlũ propter ſimilitudinem Dei habendam.

7. atq; perficiunt. Angeli ergo non mouent, ſiue non ſunt motores orbium. Adhuc, primus motor mouet, vt intelligibile & deſiderabile: igitur mouet vt finis, non autem vt efficiens. Quare, ſi intelligentiæ mouent orbes, vt primo aſſimilentur motori: mouerent ergo vt fines & non effectiuè, quod eſt abſurdum, cùm vnus tantùm ſit vltimus omnium motuum finis. Accedit ad hoc, quòd ſi ſemper mouent, & ſemper cupiunt dei ſimilitudinẽ, cùm finis motus ſit quies: ſemper ergo ſunt indigæ, & imperfectæ virtutes illæ erunt, vtpotè, quæ nondum aſſequutæ ſunt, quod tantopere quærunt. cùm autem illarum motus ſit æternus, vt ipſimet dicunt: ſemper ergo erunt huiuſmodi, quod profectò mentibus cœleſtibus minimè congruit. Neq; id, quod dicunt, veritatem habet, nempe mouere, vt in optima diſpoſitione conſeruentur, alioqui, nobilius ab ignobiliori dependeret, vtpotè beatitudo, quæ eſt in optima parte naturæ intellectualis à corporearum rerum motu. Non video planè, quomodo hoc poſſit intelligi, aut quare hoc ſibi perſuaſerint magno &

Vnus vltimus finis orbium.

8. egregio ingenio viri. Præterea, mouere tempore infinito, eſt potentiæ infinitæ; motus enim proportionatur potentiæ & voluntati mouentis; imò eſt quidam effectus motoris: ſed effectus infinitus etiam duratione tantũ non poteſt eſſe, niſi à cauſa infinita: igitur, ſi intelligentiæ mouent orbes tempore infinito: ſunt ergo potentiæ infinitæ, quod eſt falſum, vt poſtea dicemus, alioqui plura eſſent infinita perfectionalia, atq; ita rerum ordo turbaretur, quo creaturæ à ſuo dependent creatore, ſiquidem & ipſæ eſſent infiniti vigoris: vnde nec ſuperiorem, aut ſubordinationem agnoſcerẽt. ſed hoc deſtrueret funditus

Motus infinitus duratione requirit potentiam infinitã.

9. tus vniuerſum: ergo quod priùs. Item, cœlum eſt corpus: igitur cœlum habet materiam; non enim eſt corpus ſine materia. ſed materia in eſſe reali non inuenitur ſine forma ſibi connaturali: igitur cœlum habet materiam & formam, quæ omne materiæ deſiderium complet perficitq;, ita vt alterius formæ habendæ ſolicitudine non vltra teneatur, quæ profectò inferiorum materiæ perpetuò ineſt; quia nimirum formæ accedentes, nequeunt omne materiæ deſiderium explere; propterea materia ipſorũ nouas ſemper cupit formas habere,. atq; illarum interitum perpetuò machinatur. Si itaq; cœlum habet materiam & formam: mouetur ergo à ſua forma naturali intrinſeca, ſicut & alia cor-

Cœlum propriè eſſe compoſitum ex materia & forma.

10. pora naturalia. Iterum, ſi cœlum non eſt compoſitum ex materia & forma naturali, non ſolùm animatis, ſed alijs etiam inanimatis, vtpotè corporibus elementorum, vilius atq; ignobilius eſſet reputandum, quod planè abſurdum eſt & minimè decens. Tenet cõſequentia: nam ex cœlo & intelligentia, non fit vnum corpus animatum. neq; parte habet for-

Materia naturalis non eſt ſine forma naturali ſibi propria.

Angelos nonmoue re orbes.

bet formam naturalem : erit ergo ibi materia ſine forma, atque ita res imperfecta. Nec valet, quod dicitur à quibusdam, imbi tantùm eſſe materiam ad vbi : nam illa materia aut eſt eiusdem rationis cum materia inferiorum, & ita non erit ſine forma naturali, ſicut non eſt & iſta inferiorum ; aut certè, quod probabilius eſt, alterius rationis, habens formam omnimodè ipſam replentem, à qua naturaliter ſine extrinſeco alio motore mouetur, & ſic cœlum mouebitur à ſua forma naturali. Hæc dixi, quisque pro libitu accipiat, ſalua ſemper authoritate ſcripturæ, & catholicæ fidei veritate.

CAP. IIII.

Angelos motores non eſſe infiniti vigoris oſtenditur.

QVoniam diximus angelos non mouere tempore infinito, quia non ſunt infi- 1.
niti vigoris, etiam ad mentem philoſophi ; ideo reliquum nobis eſt probare
quod ante profeſsi ſumus, idq́; ita planè probamus. Plures deos eſſe, ſicut
dixi in primo Pymandri, eſt impoſsibile ; vt communis propemodum eſt
omnium ſapientum ſententia : igitur plures naturas eſſe ſimpliciter infini-
tas, eſt pariter impoſsibile : quilibet enim deorum, ſi plures eſſent, haberet potentiam
infinitam, eſſetq́ue quoddam neceſſarium ſimpliciter, quod eſt falſum : vnum enim eſt (Infinitũ perfectione vnum, & non plura.)
ens neceſſarium, independens, abſolutum, atque perfectiſsimum. Reuera, infinitum ſe-
cundùm perfectionem, aut poteſt vniuerſaliter intelligi, vtpotè omnem perfectionem
actu exiſtentem, & poſsibilem eſſe, abſolutè continens ; ſicut dicitur vniuerſaliter in-
finitum ſecundùm quantitatem, quod continet in ſe omnem quantitatem ſecundùm om-
nem dimenſionem, vt corpus infinitum ; & hoc quidem modo, plura infinita in ſpiri-
tuali natura eſſe non poſſunt ; infinitum namque huiusmodi, omnes perfectiones datas,
& dabiles, graduſq́; earum prorſus omnes perfectiſsimè continet: aliud ergo dari infi-
nitum ſecundùm huiusmodi perfectionem, eſt impoſsibile, alioqui neutrum illorum eſ-
ſet vniuerſaliter perfectum. Amplius, ſi intelligentiæ eſſent vigore infinito : igitur or- 2.
do vniuerſi deſtrueretur ; non enim ſubordinarentur primæ, nec ordinarentur ad eam,
nec dependerent ab ea, nec mouerent ſe, vt digniori aſsimilarentur. Profectò, ordinari,
& dependere, & mouere, propter aliquod dignius conſequendum, imperfectionem ſa-
pit, quod infinito perfectionaliter exiſtenti, minimè conuenit. Aut poteſt intelligi infini- (Infinitum partialiter.)
tum partialiter, quod ſecundùm perfectionem eſſet infinitum, vtpotè, infinitos illius
perfectionis gradus, ſi darentur, in ſe habens ; vt ſi calor ignis, infinitos in ſe contineret
gradus caloris. huiusmodi autem infinita, plura eſſe poſſunt, ſaltem ſecundùm intelle-
ctum. At, infinita perfectionaliter, atque vniuerſaliter, ſimul plura eſſe non valent,
quod planè intelligentijs eſſet attribuendum, ſi infinita eſſent virtute, atque vigo-
re : ſed tunc incideremus in errorem Democriti, & Zenonis, aliorumq́ue antiquorum (Error Democriti & Zenonis.)
negantium omnem rerum ordinem in finem, cauſamq́ue finalem, quos ſanè, iuſtè re-
prehendit philoſophus 2. phyſ: comm: 77. vſque ad 87. vnde 12. meth: comm: 52. om-
nia dicit ordinari ad vnum finem primum, ſicut ordinantur partes exercitus ad primũ
ducem: Omnia, inquit ad vnum coordinata ſunt, licet diuerſo ordine gaudeant, & regi-
minis prouidentia. in vltimo etiam 12. lib: Entia, inquit, nolunt malè diſponi : vnus ergo
princeps. Igitur intelligentias eſſe infiniti vigoris, doctrinæ philoſophi apertè aduerſa-
tur. Sed dicet aliquis, ordinem quidem in entibus ſeparatis à philoſopho concedi, quòd
ſcilicet cauſa ſecunda dependeat à prima ; non cauſaliter tamen, ſed ſicut ſpecies nume-
rorum, quarum poſterior numeri ſpecies dependet à prima, licet à priori non cauſetur.
ſed hoc paulò antè confutaui, & in primo Pymandri, oſtendi Deum eſſe omnium entium

ſunt infini ti vigoris. *cauſam effectiuam. Amplius, cùm potentia actiua ſequatur actum, quantitas vtiq; po-
tentiæ ſequitur quantitatem actus: vnumquodq; enim quò magis abundat potentia agen-*
3. *di, eò magis abundat actu operandi. actus autem quantitatem aliquando accipit ex par-
te agentis, ſicut ex voluntate artificis, domus pulchritudo, quantitatem, atq; terminum
recipit. aliquando verò ex parte recipientis, ſicut calor in lignis, ſecundùm eorundem
diſpoſitionem. Cùm ergo qualibet ſubſtantia ſpiritualis creata, eſſe recipiat à prima, non*
4. *eſt vtiq; ſuum eſſe, & ex conſequenti non eſt virtutis infinitæ. Iterum, primum mo-
uens, mouet vt appetibile, & intelligibile 12. met: comm: 36. mouetq; non motum: igitur
proximas ſibi intelligentias mouet, cauſans illarũ intelligere. ſed intelligere eſt idem cũ*
Intelligentiæ cauſantur à primo motore. *ſubſtantia intelligentiæ, iuxta philoſophi ſententiam: intelligentia ergo producta eſt à
primo motore, & ex conſequenti, non eſt infinitæ potentiæ: omnis enim intellectio, quæ
non eſt eadem obiecto, cauſatur ab obiecto, idq; effectiuè, ſicut balneum quoque effecti-
uè mouere ait Comm: in mente tantùm exiſtens: ergo quod prius. Reuera, primum mo-
uens potentiæ infinitæ, immediatè non mouet, authore philoſopho 8. phyſi: ſed cœlum
immediatè moueri vult à motore finito, nempe ab intelligentia. Hunc imitatur Comm:
12. meth: aſſerens mouens finitum immediatè mouere: primum autem, & infinitum mo-
uens largiri virtutem, atque potentiam mouendi, idque perpetuò; ideoque motum eſſe
perpetuum. cùm igitur intelligentiæ, & eſſe, & motum à Deo accipiant; nullo modo fi-
eri poteſt, vt ſint infinito vigore perfectionaliter. Porrò, intelligentias eſſe à Deo ac-
cipere, ſuperiùs annotauimus. Commentator verò 3. cap: de ſubſtantia orbis ait, corpus
cœleſte indigere non tantùm virtute mouente in loco, ſed etiam largiente in ſe, & in ſub-
ſtantia permanentiam æternam: Et dixerunt, inquit, ipſum Ariſtotelem non dicere cau-
ſam agentem totum, id eſt, cœlum, ſed tantùm cauſam mouentem; & tamen illud, ſci-
licet cœlum dixit eſſe formaliter neceſſarium, vt dicitur 9. meth: cap. 7. eſt autem ni-
hil in potentia ſempiternum. Ex quo patet, quòd ſicut cœlum habet eſſe ab intelligentia;
ita intelligentiæ ab ipſo Deo, à quo cœlum dependet, & natura, & finaliter, & effecti-
uè, ſicuti latiùs locuti ſumus paulò antè, & in primo Pymandri. Itaq; omnes intelligen-
tias, excepta prima, infiniti vigoris non eſſe, patet ſatis.*

CAP. V.

Intelligentias eſſe infiniti vigoris, argumentis probatur.

1. Simplices actus habent vigorem infinitum. *SVbſtantiæ, quæ ſunt ſimplices actus, habent vtique infinitum vigorem: non
enim ſunt in potentia paſſiua ad aliquid accipiendum, quod non habent.
ſed intelligentiæ prorſus omnes, ſunt huiuſmodi, authore philoſopho 12.
meth: comm: 29. Tales, inquit, oportet eſſe ſubſtantias ſine materia ſem-
piternas ſemper in actu. Quam ob cauſam, qua ratione prima intelligentia
ſiue primus motor eſt vigoris infiniti; ita etiam & aliæ intelligentiæ: omnes enim ad mẽ-
tem philoſophi, ſunt actus puri, æterni, nullam prorſus paſſiuam potentiam habentes; a-
lioqui nec ipſe primus motor, vigorem haberet infinitum; non enim vna tantùm eſt ſub-
ſtantia, ſed plures tales ſecundùm philoſophum: intelligentiæ ergo omnes ſunt potentiæ,*
2. *ſeu vigoris infiniti. Amplius, mouens æternum, apud philoſophum 12. meth: comm: 41.*
Mouens æternum non eſt in magnitudine. *non eſt in magnitudine: Non contingit, inquit, hanc ſubſtantiam habere magnitudinem
vllam, quia virtus infinita non eſt in magnitudine: mouere autem tempore infinito, eſt
virtutis infinitæ; finitum verò non habet potentiam infinitam. ſed alij motores, mouent
tempore infinito, vt 42. & 43. comm: 12. lib: dicitur, qui ſecundùm numerum mobilium
diſtributi ſunt: igitur ſunt vigore infinito, alioqui ſententia philoſophi non rectè conte-*
3. *xeretur, ſicut apparet bene legenti. Iterum, illud agens, infinitæ cenſetur eſſe virtu-
tis, quod*

Angeli nõ ſunt infiniti vigoris.

tis, quod planè poteſt infinitos effectus producere: effectus enim infiniti, à cauſa, ſiue agente infinito proficiſcantur, neceſſarium eſt. ſed qualibet ſubſtantia ſeparata poteſt producere effectus infinitos, quia nimirum non ſic aliquot producit effectus, quin alios producere valeat: nec valet, quod aliqui obijciunt, hoc tantùm veritatem habere in potentia, non autem in actu, quandoquidem, nec infiniti effectus actu, ab ipſo Deo producantur; repugnat enim effectibus in actu: igitur omnes propemodum intelligentiæ, quũ infinitos effectus producere poſſint, infinita eſſe virtute, clariſſimum eſt. Quam ob cauſam Ariſtoteles in 12. meth: commendat priſcos illos philoſophos, qui primas ſubſtantias, deos eſſe dixerunt: propterea in prologo met: ſcientiam huiuſmodi, theologiam vocat, quia circa ſubſtantias altiſſimas, & abſtractas verſatur: ergo quod prius. ſcilicet, quòd omnes intelligentiæ ſint infiniti vigoris.

Infiniti effectus in actu eſſe nequeunt.

Theologia.

CAP. VI.

Soluuntur Argumenta.

*AD primum, quamùis ab intelligentiis, philoſophus remouerit omnem poten- 1.
tiam paſſiuam, putaueritq́; eas ſimplices actus eſſe; non tamen ſequitur
infinitæ eſſe virtutis: quod enim eſt infiniti vigoris, non ſolùm non eſt com-
ponibile cum alio, vt recipiens, nec vt receptum; verùmetiam nõ pendet ab
alio, nec ordinatur ad aliud, nec nobilius deſiderat, quod certè intelligen-
tiis minimè competit: igitur intelligentiæ non ſunt infinitæ virtutis. Ad 2. dico intel- 2.
ligentias mouere virtute infinita, non quidem intrinſeca, ſed extrinſeca, hoc eſt, Deo,
virtutem ad æternaliter mouendum, largiente, atque præſtante: atque ita non opus eſt,
ex motu æterno, vt philoſophorum quidam volunt, arguere intelligentias motrices, eſſe
infinitæ potentiæ. Ad 3. virtus angeli dici poteſt infinita ſecundùm quid, non autem 3.
omnibus modis, atque ſimpliciter: hoc enim modo, nulla creatura producere poteſt effe-
ctus infinitos, vtpotè, ſecundùm omnem numerum, ſpeciemq́; atque generaliter; hoc e-
nim ſolius Dei eſt, qui omnibus modis, numeroq́; eſt vigoris infiniti. Verùm, expeditius
eſt iter, atque tutius, quo multa declinantur incommoda, difficultates ſuperantur, ob-
iectiones extruduntur; ſi, quod diximus, tueamur, nempe angelos non eſſe orbium mo-
tores, ſed cœlos moueri ex forma intrinſeca, ſolius Dei nutui obtemperantes.*

Hæc Tuderti vltima die Decembris, hora noctis ſecunda: 1 5 7 2. Laus diuo Pymandro, qui hæc pauca de angelorum motu nobis reuelauit.

DE ANGELORVM COGNITIONE.

MERCVRIVS.

Humanæ mentis meditatione gaudentes, ſinguli eorum proprij ordinis hominem participem reddidere.

Commentum VII.

QVAESTIONIS PRIMAE. CAP. I.

QVONI-

Angelorum cognitio.

Q*VONIAM quidem hactenus de extrinſeco angelorum motu aliqua dixi; operæprecium me facturum putaui, ſi de intrinſeco illorum motu, nempe de cognitione, ſeu intelligere, quo Deum, ſeipſos, atque alia extrinſeca intelligunt, abundè, copioſèq́ loquerer: eſt enim hoc, verbis Mercurij conforme, rationique eiuſdem conſentaneum,* Qui circulis ſuis, *inquit*, mundum ſenſibilem complectuntur. *Sanè, ſi motibus ſuis mundum gubernant, & illorum diſpoſitione cuncta reguntur; fas non eſt credere, aut ſentire diuinas illas intelligentias, orbis gubernatrices, atque rectrices non intelligere, quod regunt. Intelligunt ergo non ſolùm hæc inferiora, ſed eum à quo cognoſcendi rationem, virtutemq́ & acceperunt, & perpetuò accipiunt; vnde & ſeipſas limpido contemplantur obtutu, & quæ illarum diſpoſitionibus ſubduntur, perfectiſsimè cognoſcunt. vnde, poſt aliquot verſus,*

Mercurij verba.

de ſeptem gubernatorum cognitione loquens, ſic ait. Hi, *inquit*, humanæ mentis meditatione gaudentes, ſinguli eorum proprij ordinis hominem participem reddidere. *Quare, ſi angeli gaudent humanæ mentis meditatione: non ergo ignorant actus humanos. profectò, ſi ſunt lucidiſsima lumina, videantq́ perpetuò eum, in quo ſunt omnia; quomodo credibile eſt rerum, quæ hîc aguntur, ignorantiam habere?*

Plato de cognitione angelorum.

Plato in Thimæo aſserit, angelos, quos deos appellat, à Ioue, à primo Deo, rerum cognitionem accepiſse: Denique, inquit, cùm vniuerſum conſtituiſset, aſtris parem numerum diſtribuit animarum, ſingulis ſingulas adhibens, eiſq́ tanquam vehiculo impoſitis monſtrauit

Leges fatales

vniuerſi naturam, ac leges fatales edixit. Reuera, ſi leges fatales, ac vniuerſi naturam, mundi faber angelis monſtrauit; quonam modo eſt intelligibile, illos rerum cognitionem non habere? angelos autem à Platone deos vocari, ex ipſo Thimæo, patet ſatis: Quod

Intelligentiæ vocantur dij iuniores.

reliquum, inquit, erat, diis iunioribus agendum mandauit; neque enim natura diuina, eſt ſeipſa iunior. Iuniores ergo deos vocauit intelligentias, quæ tum temporis ratione, tum creatæ naturæ conditione, vero Deo inferiores computantur. Et de legibus Dialogo 10. Singulis rebus, inquit, ſinguli præpoſiti principes ſunt, id eſt angeli, qui minimarum etiam actionum paſsionumq́ per ſingulas, & vniuerſi mundi particulas diſtributione ad vltimum vſque peracta, curam habent. Clara eſt ergo Platonis doctrina, quæ de ſanctorum angelorum cognitione loquitur.

Plotinus de angelorum cognitione.

Conſentit his Plotinus, vt paulò ante citauimus enn: 5. lib: 8. cap. 4. Dij illi beati omnia vident, inquit, ſe quoque ipſos in aliis, & cætera, quæ ibi ſcribuntur. & cap. 5. Nemo, inquit, exiſtimare debet in mundo intelligibili, vel deos ipſos, vel habitatores illic alios plusquam ſelices, ibi quasdam propoſitionum regulas cõtemplari; ſed ſingula quæ illic eſse dicuntur, velut exemplaria quædam, & ſpectacula pulchra, intuentibus ſe offerre, qualia forſitan imaginetur aliquis in animo ſapientis e-

Ideæ apud antiquiſsimos.

xiſtere: dico autem non ſimulachra depicta, ſed exiſtentia, quapropter ideas antiqui entia, & eſsentias appellabant. Reuera, ſi angeli non cognoſcerent noſtra; illis certè non eſſet curæ de nobis, atque ita ab angelis prouidentia remoueretur, quod diuinæ planè authoritati aduerſatur:

Eccleſiaſt:

Ne dicas, inquit Eccleſiaſtes 5. coram angelis non eſt prouidentia.

Dauid.

Sanè, angelis ſuis mandauit de te, ait Dauid, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Profectò, ſi hominum cuſtodes ſint angeli; illis vtique conuenit, hominum geſta, actusq́ue cognoſcere. proinde dominus in euangelio Matth: minitatur his, qui ſcandalo ſunt fidelibus:

Angeli corũ. Paulus.

Nolite, inquit, contemnere vnum ex his puſillis: dico enim vobis, quia angeli eorum ſemper vident faciem patris, qui eſt in cœlis; etenim angelorum eſt hæc curare, quoniã ipſi ſunt adminiſtratorij ſpiritus, miſsi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis. quomodo enim procurabunt, ſi non intelligant procuranda? improuidi vtique eſsent procura-

Angelus ſemper intelligit verum,

tores, ſtolidi prouiſores, ſegnes atque inertes protectores. Intelligunt ergo angeli alia extra ſe, & quidem verè, omni prorſus falſitate remota. Nam, quemadmodum actus intellectus humani, quia ratiocinatur, propriè rationalis dicitur; ita etiam actus intelle-

ctus ange-

Angelorũ cognitio.

ctus angelici, quia intelligit, intellectualis nominatur. hoc autem intereſt inter actus vtrorumque, quòd nimirum actus intellectualis ſit abſolutus omninò, rationalis verò collatiuus, & diſcurſiuus: intellectus namque, hoc eſſe, vel non eſſe, abſolutè apprehendit: ratio verò ex vno in aliud migrando diſcurrit. Proprius ergo actus intellectus angelici, eſt rei eſſentiam intelligere. non quidem de noto ad ignotum diſcurrendo, componendo, & diuidendo, vti nos facimus propter debilitatem, tenuitatemque luminis intellectus; ideoque illius intellectus, à falſitate eſt liber, quia diſcurſiuæ virtuti non ſubditur; intellectus enim authore philoſopho 3. de anima, ſemper eſt verus, quia ſcilicet nihil intelligit niſi verum Lux quippe diuina, ad Dei cognitionem, angelum illuminans, facit lucem. cognitio autem Dei in ſe, dies appellatur, quia purè lux eſt, & ratio cognoſcendi, ideoque huiuſmodi cognitio dicitur matutina; illa verò, qua creaturam intelligit, veſpertina, creatura enim ex ſeipſa tenebra eſt. Porrò, matutina cognitio, ad Dei verbum, quod eſt ſapientia, & lux, refertur: quod quidem verbum, intellectui angelico inſpiratum, illum, ſapientia, ac lumine, cognitioneque rerum complet perficitque.

Cognitio matutina & veſpertina.

Cæterum, quemadmodum res ſe habet ad eſſe; ita abſque dubio ad cognitionem, cognitio enim rei inſequitur eiuſdem eſſe, ſiue ſubſtantiam. ſed triplex eſt creatarum rerum eſſe, primum quidẽ in arte æterna, ſcilicet in verbo æternaliter, immutabiliterque perſeuerans: alterum verò in intellectu angelico per cõcreatas ſimilitudines intelligibiliter: poſtremò, in proprio genere, ſiue natura mutabiliter corruptibiliterque. Profectò, lapis in ſeipſo, eſt ſubſtantia mutabilis, quia nimirum in calcem commutabilis: in angelico verò intellectu, eſt lapis ſimilitudo: in arte Dei, eſt vita interminabilis. Reuera, cùm artifex domum facere cogitat, iam domus in arte viuit, quam poſtmodùm manibus erigit, atque couſtruit, tẽporis longitudine caſura: quæ verò in arte viuit, perpetuò in mente artificis permanſura. Quoniam autem ſecundùm eſſendi proprietatem, ratio etiam accipitur cognoſcendi, hanc ob cauſam, eſſe rerum in verbo, matutina vocatur cognitio, vtpotè rerum principium; in proprio verò genere, veſpertina, hoc eſt, in declinationem, atque occaſum vergens. Itaque cognitio matutina in angelo, eſt cæteris ipſius cognitionibus præſtantior, vtpotè quæ à rebus creatis dependentiam non accipit: quæ autem in angelo eſt, à forma concreata dependet: at illa, quæ eſt in proprio genere, à rebus ſanè creatis. Nobilior eſt autem forma increata, quàm creata; & concreata, quàm ea, quæ à rebus accipitur.

Triplex eſſe creaturarum.

Sed dicet aliquis, intueri ſolem, & aliquid in lumine Solis, non eſt idem: igitur videre verbum, & aliquid in verbo, non eſt eadem viſio, atque cognitio.

Obiectio.

Dico, eadem planè cognitione angelum cognoſcere verbum, & ea, quæ ſunt in verbo. Illud autem, quod de lumine Solis adducitur, non eſt ſimile; res enim in verbo eſt idem, quod ipſum verbum; nam creatura in creatore, nihil aliud eſt quàm creatrix eſſentia: Quod, inquit, factum eſt, in ipſo vita erat: viſio autem in Sole, non eſt idem, quod Sol. Planè, eſſe rerum in Deo, eſt eſſe increatum, non autem in angelo, vel in anima, in quibus ſpecies concreatæ, & rerum ſimilitudines, ab illorum natura, eſſentialiter ſeparantur. Cùm ergo cognitio, eſſe rei ſequatur; non immeritò illius rei matutina cognitio nominatur, quæ in verbo diuino eſſe habet increatum.

Solutio.

Angelus eadẽ cognitione cognoſcit verbum & ea quę ſunt in verbo

Meridiana autem, quæ omni prorſus caret principio, & fine, ad Deum tantùm attinet, cuius cognitio eſt lux pleniſſima, non habens aliquam partem tenebrarum, quam quidem lucem, ſine omni prorſus medio, angelus videt, ſiue intelligit. Nam ſi lux materialis, ſine aliqua ſpecie media à viſu deprehenditur; multò magis ipſa vera lux, cuius nullum poteſt eſſe idolum, aut ſimilitudo. Quoniam ergo Deus ſemper adeſt menti angelicæ; hac de cauſa non opus eſt aliquod medium intercidere, quo angelus Deum intelligere queat; tametſi vt quidam aiunt, cognoſcentis aſſimilatio, quæ in illius intellectu fit, neceſſaria ſit, quæ planè ex dono naturæ primò procedit; atque prima eſt cognoſcentis aſſimilatio: ſecunda verò perfectior eſt, quæ ex dono gratiæ proficiſcitur: tertia autem perfectiſſima, & illa quidem fit per donum gloriæ. Cùm autem

Meridiana cognitio.

Quomodo angelus cognoſcit Deum.

Triplex cognitio in angelo naturæ & gloriæ.

Angelorũ cognitio.

angelus, tum naturæ nobilitate, cùm etiam gratiæ, atq; gloriæ ſupereminentia, Deo proximus ſit; ſit, vt cognitionis certitudine, amplitudineq́; cæteris omnibus præſtet creaturis, quæ ſublunarem incolunt orbem. Itaq́;, angelos intelligere extrinſeca, primamq́; ſubſtantiam, dixi.

CAP. II.

Angelos intelligere extrinſeca, ſecundùm mentem philoſophi.

Angelos intelligere extrinſeca.

NOn deſunt aliqui, qui putent angelos ſeſe tantùm intelligere, non autem ex-
trinſeca: quemadmodum, inquiunt, primus motor nihil extra ſe intelligit:
quippe, qui ſeſe per ſuam eſſentiam intelligit, ſicq́; eſt beatus; ita etiam,
quælibet intelligentia, nihil extra ſe intelligit. Addunt quoq; quamlibet in-
telligentiarum eſſe perfectione infinitam, idque ſecundùm mentem philo-
ſophi, ideoq́; felicitatis, beatitudinisq́; cauſam ſibi eſſe, & ex conſequenti ſeipſam tan-
tùm intelligere. ſed paulò antè exploſa eſt huiuſmodi ſententia, vbi oſtendimus primam
tantùmmodò intelligentiam eſſe vigore infinitam: Et in primo Pymandri Deum intelli-
1. *gere alia extra ſe, clarè demonſtrauimus. Sanè, ſi ita res ſe haberet, omnes vtiq; intel-*
ligentiæ perfectione eſſent æquales, vtpotè, omnes infinitæ, atq; æqualiter beatæ, quod
2. *reuera philoſophus nunquam ſenſit. Præterea, omnes quidem intelligentiæ, authore phi-*
loſopho 12. meth: 36. comm: tendunt ad primum ens, vti ad finem intelligibilem, & de-
ſiderabilem, qui planè extrinſecus eſt: igitur aliquid extra ſe intelligunt; non enim ten-
3. *derent ad incognitum. Adhuc, Peripathetici aiunt, intellectum noſtrum, ſuperiores,*
atq; inferiores ſubſtantias intelligere; quantò ergo magis intellectus ſuperior? hoc enim
4. *modo Auerroes arguit 3. de anima com: 36. ſicut patere poteſt inſpicienti. Reuera, in-*
tellectus cuiuslibet intelligentiæ, eſt multò ampliùs noſtro intellectu beatitudinis capax.
5. *ſed noſter, ex ſola ſui cognitione, beatitudinem non aſſequitur, ſed ex ſuperiorum cogni-*
tione: nec ergo angelorum intellectus, beatus redditur, quia ſeipſum tantùm intelligit,
cùm ſibiipſi non ſufficiat, nec omnia in ſeipſo contineat: hoc ſanè ad diuinum attinet in-
tellectum, qui in ſe perfectiſſimo modo continet omnia, vtpotè verè profectò infinitus.
6. *Cùm autem quilibet intellectus creatus ſit limitatæ naturæ; abſque dubio, ſua in eſſentia*
omnia continere non valet: proinde nec poteſt ſibi eſſe perfectæ beatitudinis cauſa. ad
exteriora ergo egrediatur, neceſſe eſt, ſi cupit perfectè eſſe beatus. huiuſmodi autem
ad extrinſeca egreſſus, ſine cognitione eſſe nõ poteſt. Cognoſcit ergo intellectus angelicus
extrinſeca, alioqui imperfectus eſſet, minimeq́; beatus. Velle autem dicere intelligentias
Auicennæ poſitio de angelorum cognitione. *beatas non eſſe; non ſolùm à theologis, ſed ab omnibus prorſus diſſentit philoſophis. Aui-*
cenna lib: 9. ſuæ methaphyſicæ, cap: 4. putat inferiorem intelligentiam, ſuperiorem ſibi
proximam intelligere tantùm, atq; ex illa beatitudinem conſequi, non autem inferiorem,
cùm omnis illius perfectio in ſuperiori contineatur; neque remotiorem, etiam ſi ſuperi-
6 *or extiterit; quandoquidem vnaquæq; à proxima ſuperiori, & producatur, & beatitu-*
Reprehenditur Auicenna *dinẽ habeat ſed hæc Auicennæ poſitio à vera philoſophandi ratione quàm longiſſimè ab*
errat: ſi enim primum mouens, vt amatum & intelligibile mouet: cognoſcitur ergo ab
aliis motoribus, qui ad illius amorem tendunt. Præterea, prima ſubſtantia ab intellectu
noſtro intelligitur, qui eſt intelligentiarum infima: igitur intelligitur ab angelico intel-
lectu. Denique, omnes intelligentiæ, à prima dependent, à qua & eſſe, & beatitudinem
habent: igitur quælibet intelligentiarum, non tantùm proximam ſuperiorem, ſed etiam
primam intuetur, diligit, & intelligit. Quod autem quidam dicunt, intelligentias medi-
as, intelligere quidem ſuperiores, non autem inferiores, quia intelligibile eſt perfectio in-
telligentis,

telligentis, ſed inferior non poteſt eſſe perfectio ſuperioris, inſuper cognoſcendo ſuperiorem, cognoſcit etiam inferiorem, vtpotè quæ in ſuperiori continetur, veritatem non habet, alioqui eiſdem rationibus diceremus intellectum noſtrum, res materiales nequaquã intelligere: nam cùm ſint imperfectiores noſtro intellectu; illius vtique perfectio eſſe non poſſent. Præterea, tunc quidem intelligentiæ primam tantùm intelligerent, quia ſcilicet in illa continetur cæterarum perfectio. ſed hoc planè euertit Auicennæ, atq; Auerrois fundamenta: quælibet ergo intelligentia, & ſuperiores, & inferiores intelligit, tum proximas, tum etiam remotas. Bene ergo dicitur in libro de cauſis, quòd omnis intelligentia ſciat res, quæ non corrumpuntur: media ſiquidem intelligentia, à ſuperioribus omnibus dependet, ipſa verò eſt cauſa inferiorum. Quatenus ergo ab illis dependet, ad illas certè reuertitur, vt perfecta eſſe valeat: quatenus verò cauſat inferiores, cognoſcit vtique, quippe, cùm in omni cauſa contineatur effectus cognitio. Hæc quidem philoſophi profitentur. Addunt quoq; mediam intelligentiam, ſuperiorem per ſuperioris eſſentiam intelligere, inferiorem verò per propriam ipſius intelligentis; ſuperioris enim eſſentia, eſt inferiori intellectio, quippe, cùm intelligere per eſſentiam, idem penitus ſit, ac intelligere aliquid per rationem cognoſcendi, nulla ſpecie concurrente, aut actu cognoſcendi.

Intelligentiæ cognoſcunt ſeſe mutuò.

Media intelligẽtia quomodo cognoſcit ſuperiorem, & inferiorem

Ex hac autem philoſophorum ſententia facilè poſſumus colligere, atq; inferre, inferiorem intelligentiam intelligere ſuperiorem intellectione, quæ eſt ſubſtantia: cognoſcit enim ſuperiorem per illius eſſentiam, quæ eſt ſubſtantia. Ex quo patet, non opus eſſe inferiori intelligentiæ, ſuperiorem intelligenti, ſpecie intelligibili; adeſt enim obiectum & quidem intimius ſpecie intelligibili, ipſi intelligenti, nempe ſuperioris intelligentiæ eſſentia. Species præterea intelligibilis, eſt rerum materialium tantùm. at intelligentiæ ſunt immateriales: non ergo per ſpeciem intelligibilem intelligi poſſunt. Porrò, inferiorem intelligit per ſuam ipſius, non per inferioris eſſentiam; non enim eſt ſibi intellectio, vtpotè quæ ſuperiori forma eſſe non poteſt; neq; per ſpeciem intelligibilem, vt dictum eſt: ſuperior ergo per ſuam, ac propriam eſſentiam, inferiorem intelligit: per ſe enim primò eſt intellectio ſui, ſecundò verò, ac per accidens inferiorum, quæ ab ipſa pendent intelligentiarum. vnde rectè ſcribitur in lib: de cauſis, quòd omnis intelligentia ſcit quod eſt ſupra ſe, in quantum eſt cauſata ab eo, & quod eſt ſub ea, in quantum eſt eius cauſa. Itaq;, intellectio, qua ſuperior ab inferiori intelligitur, eſt cauſa inferioris intelligentis, non autem ſuperioris, quandoquidem illius eſſentia, per quam intelligitur, non ſit cauſa aut effectus ſui.

Sine ſpecie intelligibili, intelligit angelus.

Cæterùm, media intelligentia, via perfectionis primò ſuperiorem intelligit, vtpotè perfectiorem; ſe autem primò, via originis, à ſeipſa exordiens, ad perfectiorem ſemper aſcendendo; atque ita bifariam ſuperiorem intelligit, ſcientiã, quæ eſt effectus, nempe ſua eſſentia, quæ eſt ſuperioris effectus; & ſcientia, quæ eſt cauſa, id eſt, eſſentia ſuperioris, à qua inferior dependet. Inferiorem autem cognoſcit ſua eſſentia, quæ omnium ſimplex cognitio, cui comparatur vt res; cui, inquam, inferiori intelligentiæ, quatenus eſt ens naturale, & vt intentio, in quantum ab inferiori intelligitur. proinde, in quantum ſuperior intelligentia, ad inferiorem reſpectum huiuſmodi habet, illius cauſa vtiq; appellatur; in quantum verò intentio, eſt intelligenti cognitio, atque perfectio. hac de cauſa dixere nonnulli, intelligentias ſine omni prorſus ſpecie intelligibili, ſe mutuò intelligere, ſicut iam dixi.

Via perfectionis & originis intelligentia intelligit. Scientia quæ eſt effectus, & ſcientia quæ eſt cauſa.

Verùm, hoc non probatur theologis, qui rem huiuſmodi diuiniùs indagarunt. Sanè, intelligentiæ, non ſolùm eſſe ſubſiſtentiæ, ſiue reale à Deo habent; verùm etiam intentionale modumq; intelligendi. Profectò, omnium rerum ſpiritualium, atq; materialium ſimilitudines, angelicis intellectibus Deus impreſſit, ex quibus ſpiritualia, atq; corporalia intelligunt: non ergo immediatè, ſine omni prorſus ſimilitudine, ſiue ſpecie aliqua, angeli hæc corporalia, aut ſuperiora ſpiritualia intelligere queunt, ſicut philoſophi dicere videntur. Sanè, cùm eſſentia cuiuslibet rei creatæ ſit finita; fieri non poteſt, vt omnia contineat, ac proinde non omnium in ſeipſa, abſq; alicuius au-

Theologorũ opinio de cognitione angelorum.

Angeli nõ cognoſcunt ſine aliqua ſpecie.

Rationes contra philoſ:

Angelorũ cognitio.

xilio poteſt habere ſcientiam: hoc enim tantùm ſpectat ad diuinam eſſentiam. Intellectio præterea, qua ſeſe intelligunt, eſt accidens intelligentiis, quippe, cùm non ſint ſuum intelligere, nec entia omninò neceſſaria iuxta Platonem in Thimæo loquentem: Voluntate, inquit, mea eſtis immortales. nec video, quomodo eſſentia creata intelligentiæ poſſit eſſe totalis ratio intelligendi, intellectio, & obiectum intelligibile, ſi effectiuè eſt à prima cauſa: nam eſſe effectiuè ab aliquo, & ſibi totalem eſſe rationem intelligendi, obiectumq; intelligibile, implicat contradictionem omninò. Quòd autem intelligentiæ ſint à Deo effectiuè, dixi ſuperiùs, & in primo Pymandri. Cognoſcunt ergo angeli per ſpecies concreatas ſuperiora, & inferiora, & ſingularia quoq;: ſingulare namq; aliquando ſenſibiliter cognoſcitur, vtpotè, quando immutat potentiam organo coniunctam, quo planè modo ab angelo nõ cognoſcitur, cùm huiuſmodi organo minimè ſubiaceat. aliquando verò ſingulare intelligibiliter cognoſcitur, quando ſcilicet hic, & nunc non cognoſcitur ab intellectu per ſpeciem, ſeu formam ſenſibilem ipſi relictam; ſed per ſpecies concreatas vniuerſales, quibus omnia cognoſcit etiam ſingularia, ea ad inuicem componendo. Reuera, ſi penes me eſſet ſpecies hominis, coloris, figuræ, & temporis, atq; ea ad inuicem componerem; tunc, ſine dubio, ſine noua ſpeciei receptione, indiuiduum, ſeu ſingulare in propria natura cognoſcerem: quoniam verò huiuſmodi compoſitio, ſi rei non correſpondeat, eſſet ſanè fictio, atq; deceptio; hac de cauſa, vt ſingularia angelus cognoſcere queat, ſupra cognoſcibile, vti in re exiſtit, ſuum dirigit aſpectum, ſpecies in ſe componendo, habetq; tunc ita claram rei ſingularis notitiam, æquè ac ſi illius ſpeciem reciperet. Cognoſcit autem angelus per rationem, quæ idem eſt, quod intellectus cognoſcens; non virtus illa decurrens à principiis ad concluſionem, ab vno extremo ad aliud per medium, quod propriè ad animam rationalem ſpectat; homo enim ab vna propoſitione nota, ad aliam ignotam diſcurrit, angelus verò indiuiſibiliter cognoſcit, vtpotè ſimplicioris intelligentiæ, ideoq; multa cognoſcit in vno, ſcilicet, in vna vniuerſali ſpecie concreata, ſine ratiocinatiuo diſcurſu. Quamobrem in angelo non eſt ratio ſuperior, & inferior, quandoquidem ad hominem tantùm attineant, cuius ratio medium eſt inter Deum, & ſenſualitatem regendam. quoniam autem angeli corpora non habent, nec ex conſequenti, curam ſenſualitatis regendæ: iccirco illæ duæ rationis differentiæ, angelis tribui non poſſunt. Angelos igitur intelligere extrinſeca patet.

Quomodo cognoſcunt ſingularia.

Angelus cognoſcit per rationem quæ idẽ eſt, quod intellectus cognoſcens.

CAP. III.

Angelos non intelligere extrinſeca, nec etiam ſeipſos, argumentis oſtenditur.

1. *QVilibet angelorum in ſuiipſius cognitione beatur, quippè cùm ſit ſuum intelligere, intellectio, & obiectum intelligibile: philoſophus enim 12. met. com: 29. & 30. ab angelis omninò remouet potentiam paſſiuam, & ex conſequenti, inter intellectum angelicum, & intellectionem ipſius, nulla eſt ponenda realis diſtinctio. Commentator quoq; 12. met. com: 51. ait, intellectum in nobis eſſe aliud ab intelligentia: in intelligentijs verò, quæ non ſunt in materia, intellectum & intellectus, & actio intellectus ſunt idem. Cùm ergo angelus, ad mentem philoſophi & Commentatoris, ſit ſuum intelligere ſuaq; beatitudo: igitur non intelligit*
2. *extrinſeca; ocioſa ſiquidem eſſet huiuſmodi intellectio, cùm ab ea nihil acciperet. Amplius, quælibet intelligentiarum nec ſuperiores intelligit angelos, nec etiam inferiores: multò ergo minùs corporalia. non quidem ſuperiores, quia aut omnes ſimul intelligeret, quod non eſt verum: vnus enim intellectus vnum intelligit, vt dicitur 4. met. nec quodam ordine: in illis enim, authore philoſopho 12. met. com. 44. non eſt ordo: non ergo ſupe-*

*go ſuperiores angelos, nec etiam inferiores intelligit; vileſceret ſiquidem illorum intel-
lectus, vt docet Auer. 12. met. com. 51. Qualibet ergo ex intelligentijs aliud extra ſe nõ
intelligit. Præterea, ſi vna intelligentia aliam cognoſceret, aut hoc quidem per ſpeciem* 3.
*innatam, aut per ſpeciem à rebus acquiſitam. non per ſpeciem innatam, alioqui ſi deus
nouum conderet angelum, ab alijs minimè intelligi poſſet. nec etiam per ſpeciem acqui-
ſitam à rebus; tunc enim motores ſuperiores, inferiores non cognoſcerent, quippè, qui
ab illis nihil tale recipere poſſunt: Nullo ergo modo angeli ſe inuicem cognoſcunt, & ex
conſequenti, nec alia inferiora, quæ ſunt minùs intelligibilia. Adhuc, vna intelligentia* 4.
*non cognoſcit aliam per eſsentiam ſuiipſius cognoſcentis, quia omnis cognitio fit à ſimili:
ſed eſſentia cognoſcentis, non eſt ſimilis eſsentiæ motoris cogniti, niſi genere tantùm, at-
que ita illa cognitio eſset generica & confuſa, quod planè angelis nequaquã conuenit. neq;
per eſſentiam intelligentiæ cognitæ; intrinſecum eſt enim intellectui, quod ab ipſo intel-
ligitur: ſed eſsentia vnius intelligentiæ, non eſt intrinſeca eſſentiæ alterius intelligentiæ:
igitur vnus angelus ab altero non intelligitur, nec alia extra ſe intelligit. Huic accedit,
quòd qualibet intelligentia eſt determinatæ naturæ: non ergo alia extra ſe poteſt cogno
ſcere. Tenet conſequentia, ex philoſopho 3. de anima, vbi ait, habens determinatam na-
turam, impedit cognoſcere extranea. Adhuc, Eſſentia cuiuslibet ſecundæ intelligen-* 5.
*tiæ eſt ſingularis: igitur non eſt intelligibilis; ſingulare enim, quatenus ſingulare, nõ eſt
ab intellectu perceptibile. Sanè, omne recipiens eſt denudatum à natura recepti, autho
re Auer: 3. de anima com. 4. igitur non poſsunt intelligentiæ per ipſarum eſſentias ſe mu
tuò intelligere. Reuera, nihil à ſeipſo patitur, alioqui idem in actu ſimul & potentia eſ-
ſet. ſed cuiuslibet ſecundæ intelligentiæ eſſentia, eſt ſibi idem omninò: igitur non poteſt
eſse obiectum ſibiipſi imprimens intellectum. Adde, quòd ſi ſecundæ intelligentiæ ſe mu
tuò intelligant per ipſarum eſſentias: igitur noſter intellectus per ſuamipſius eſsentiam
ſe intelligeret, quod planè Ariſtoteli aduerſatur 3. de anima, in quo docet, teſte Auer:
com: 8. intellectum intelligere ſeipſum, alia intelligendo. Tenet conſequentia: illarum e-
nim eſsentiæ eſsent actu intelligibiles, atq; illarum intellectibus præſentes. ſed noſter in-
tellectus eſt actu intelligibilis, atque actu ſibi præſens: igitur quod priùs. Intelligentiæ
ergo ſeſe mutuò non intelligunt. Item, angeli non ſolùm extrinſeca neſciunt, ſed etiam* 6.
*ſeipſos, ſi licet, ſic loqui ignorant. Tenet conſequentia, ex authoritate Dionyſii cap: 6.
cœleſtis hierarchiæ: Angeli, inquit, ignorant proprias virtutes: igitur ignorant propri-
am ſubſtantiã; nam cognita ſubſtantia, cognoſcitur eius virtus: igitur ignorat ſeipſum.
Reuera, ſi actus ſunt ſingularium exiſtentium; angelus verò eſt quædam ſubſtantia ſin-
gularis; nullum autem ſingulare eſt intelligibile: angelus ergo non poteſt intelligi. ſed
angelo tantũ adeſt intellectiua cognitio: igitur angelus ſeipſum intelligere nequit. Ad-
de, quòd intellectus mouetur ab intelligibili, quia ſcilicet intelligere, eſt quoddam pa-
ti, vt dicitur 3. de anima. ſed nihil mouetur aut patitur à ſeipſo, quemadmodum in re-
bus corporalibus apparet: angelus ergo non intelligit ſeipſum. Amplius, Deus non in-* 7.
*telligit alia extra ſe, quippè, cùm intellectio ſit perfectio intelligentis: intellectus autẽ
diuinus ab aliquo extrinſeco perfectionem non recipit; vileſceret enim, ſi hæc intellige-
ret: igitur nec intellectus angeli aliquid extra ſe intelligit. Tenet conſequentia: nam ſi
id, quod videtur magis, ſiue maius ineſse non ineſt; neq; id quod minus. ſed intellectus
diuinus eſt natura capacior ad intelligendum, & non intelligit hæc exteriora; multò
ergo minùs intellectus angelicus. Hæc ſunt, quæ ab authoribus ſolent afferri diſputati-
onis gratia.*

CAP. IIII.

Soluuntur argumenta.

Angelorũ cognitio.

1. AD primum, antecedens eſt falſum: non enim beatur completa beatitudi-
ne; ſed ea tantùm, quæ ad ſupremam capeſſendam diſponit. Antecedentis
quoq; probatio veritati non conſonat: nam ſi intelligentiæ, vt dixi, produ
ctæ ſint; res autem producta non eſt ſua actio: intelligentia ergo non eſt
2. ſuum intelligere. Ad 2. vileſceret quidem, ſi cognitionem ab illis recipe-
3. ret, alia verò patent ex dictis. Ad 3. intelligentia cognoſcit per ſpeciem concreatam:
proinde, ſi deus nouam conderet intelligentiam; nouam quoq; ſpeciem concrearet, impri
meretq; intelligentiarum mentibus, qua nouam illam intelligentiam intelligere poſſent.
4. Ad 4. dico, intelligentiam mediam, intelligere quidem per eius eſſentiam, talemq́; co-
gnitionem vocari poſſe genericam & confuſam, nec ſolùm hoc modo; ſed etiam per eſ-
ſentiam intelligentiæ cognitæ intelligere, cuius profectò eſſentia, non tantùm non eſt ex-
tranea reputanda; verùm etiam intimior intellectui mediæ intelligentiæ, quàm ipſa ſpe-
cies eſſe poſſit. Porrò, ſpecies huiuſmodi atq; eſſentia, quòad eſſe materiale & immate-
riale, nequaquam diſſentiunt: quòad verò ad eſſe naturale & intentionalę, non ſunt i-
dem; intelligentia enim eſt forma ſubſiſtens, atq; eſſe habet reale; ſpecies verò, eſſe in-
tentionale. Ad confirmationem dico, authoritatem philoſophi noſtræ congruere intelle
ctioni, non cognitioni intelligentiarum, quarum intellectus etſi aliquam habeat natu-
5. ram; quia tamen eſt ſpecie diſtincta, non impedit modum cognoſcendi. Ad 5. patet ex
ſuperioribus, quonam modo ſingulare ſit intelligibile. addi etiam poteſt, angelum eſſe
ſingulare immateriale, ideoq́; eſſe intelligibile; non enim habet materiam, quæ eſt im-
pedimento intelligenti. Ad confirmationem ſic à quibuſdam reſpondetur: intelligentiã
non ſe intelligere, actum intelligendi ab eius eſſentia recipiendo; ſed ſeipſam intelligere
per intellectionem, quæ eſt eius eſſentia: concedunt enim Peripathetici hunc modum in-
telligendi, non tantùm deo, ſed cæteris quoq; intelligentijs, quandoquidem ſint immate-
riales & ipſæ: hoc verò tantùm deo tribuunt, quòd ſcilicet independenter intelligat, a-
liæ verò dependenter. Verùm hoc iampridem exploſum eſt atq; excluſum: propterea
dicendum eſſe puto, philoſophi ſententiam noſtræ intellectioni competere, quæ ex ſpecie
intelligibili mendicat modum intelligendi: illas autem beatas mentes, cùm modum ha-
beant cognoſcendi per ſpecies innatas, huiuſmodi denudatione non indigere. Alia con-
firmatio errat omninò falſumq́; ſupponit; non enim huiuſmodi intelligere eſt pati, ſed
perfectio intelligentis potiùs. Ad vltimam confirmationem reſpondeo, intellectum no-
ſtrum non poſſe ſe per eſſentiam intelligere, quia nimirum ordo potentiarum id non pa-
titur; nihil enim intelligit, niſi phantaſtica priùs cognitione perceperit, idq́; propter
ordinem naturalem potentiarum ſibi mutuò miniſtrantium. hic autem ordo, quoniã lon
gè abeſt ab intellectibus abſtractis; hac de cauſa ſeſe per ſuas eſſentias intelligere que-
6. unt. Ad 6. duobus modis reſpondetur, aut codicem mendacem eſſe, ſicut noua tranſlatio
manifeſtat, quæ ſic habet: Præterea & ipſos, ſcilicet angelos, cognouiſſe proprias vir-
tutes. aut dicuntur ignorare propriam virtutem, quia ſcilicet non perfectè ab illis com
prehenditur, quatenus ſcilicet ab ordine procedit incomprehenſibilis diuinæ ſapientiæ.
Cæterùm, quoniam angelus eſt forma ſubſiſtens atq; intelligibilis actu; ideo per ſuã for-
mam, quæ eſt ſua ſubſtantia, ſeipſum intelligit. nihil autem refert, ſi forma, quæ eſt prin
cipium actionis, interdum inhæreat, interdum verò per ſe ſubſiſtat. neq; enim minùs ca
lor ſi per ſe ſubſiſteret, calefaceret, quàm modo alicui rei inhærendo. Ex quo patet, quòd
moueri ab obiecto, non ſpectet ad rationem cognoſcentis, in quantum eſt cognoſcens; ſed
potiùs in quantum eſt potentia cognoſcens. quoniam autem angelus eſt actu cognoſcẽs;
7. abſq; aliqua mutatione præcedenti, ſeipſum intelligit. Ad ſeptimum, negatur antece-
dens: neq; enim veriſimile eſt, hoc de Deo Philoſophum ſenſiſſe, ſed potiùs id dicere vo-
luiſſe, quòd ſcilicet deus non intelligat extrinſeca per aliquod extraneum, atq; à ſua na-
tura peregrinum, ſed per propriam eſſentiam. Reuera, Deus tantùm ſeipſum in ſeipſo,

Singulare quomodo intelligitur ab angelo.

Intellectus noſter quare nõ intelligit ſe per ſuam eſſentiam.

Angeli quomodo ignorent ſuas virtutes.

 Angelorũ cognitio.

id eſt, per ſuam eſſentiam intelligit: ſi enim extrinſeca intelligeret per eſſentiam, ſiue ſpeciem obiecti cogniti; ab huiuſmodi profectò ſpecie, ſua dependeret intellectio, ſicq́; perfectionem intelligendi ex alio acquireret, quod planè abſurdum eſt de deo ſentire, ne dicam impium & impoſſibile. hoc autem modo Deum ſe tantùm intelligere, philoſophus autumauit, non autem quæ ſunt extra ſe penitus ignorare. Itaq́;, intelligentias, ſiue angelos beatos, non ſolùm ſeipſos, ſed etiam alia extrinſeca, ſiue materialia, ſiue immaterialia intelligere, dixi.

Deus intelligit alia extra ſe.

CAP. V.

Angelos cognoſcere per ſpecies concreatas, oſtenditur.

QVoniam omnia quæ fecit deus in proprijs naturis, authore Auguſtino ſuper Geneſim, in angelica etiam intelligentia fecit, quemadmodum etiam author libro de cauſis loquitur: Omnis, inquit, intelligentia eſt plena formis, ideo dicunt viri ſapientia inſignes, ac diuinarum rerum ſcrutatores, Deum concreaſſe intellectui angelico poſſibili, vniuerſales rerum omnium ſpecies intelligibiles, quibus extrinſeca intelligere queunt. Itaq́;, angeli per vnam ſpeciem vniuerſalem intelligunt, ad eam quidem ſe conuertendo, non autem ad alia, quæ per huiuſmodi ſpeciem minimè repræſentantur; ſed omnia ſimul, quæ vna illa ſpecie repræſentantur, ſiue oſtenduntur. Etenim, angelicus intellectus medium tenet inter intellectum diuinum atq́; humanum: diuinus enim, per propriam ſuiipſius eſſentiam, ſeipſum cognoſcit, vtpotè purus actus, idea & cauſa omnium efficiens atq́; exemplaris, ſeipſo ſine aliqua ſpecie concreata aut acquiſita, intelligens omnia. Intellectus autem humanus per ſpecies abſtractas, & ſeipſum, & alia cognoſcit; angelicus verò ſeipſum per eſſentiam, alia verò per ſpecies concreatas & inditas. Paucioribus magisq́; vniuerſalibus ſpeciebus ſuperiores angeli intelligunt, quàm inferiores: in huiuſmodi enim ſubſtantiis, virtus intellectiua proximior eſt diuino lumini, quod eſt ſimpliciſſimè vnum; ideo per pauciores vniuerſaliores, efficacioresq́; ſpecies concreatas, plura intelligunt, quàm angeli inferiores. Ipſi autem inferiores per formas minùs inferiores, minùsq́; efficaces intelligunt; quatenus ſcilicet deficiunt ab illa ſuperiorum virtute intelligendi: proinde, perfectam ab illis intelligentiam accipiunt modumq́; cognoſcendi, quod certè illis non contingeret, ſi in illa vniuerſalitate, æquè, ac ſuperiores ſpecies intelligibiles haberent; tunc ſanè, ſi res ita ſe haberet, in quadam communitate & confuſione intelligerent: nam apud homines, qui non multa pollent virtute intelligendi, ſingularia, per rationes vniuerſales capere nequeunt, & niſi adamuſſim & ſigillatim res explicentur, non intelligunt. Angeli præterea, non ſolùm per ſpecies concreatas intelligunt; verùm etiam per ſpecies acquiſitas atq́; reuelatas, quæ mutua angelorum collocutione acquiruntur: Si linguis hominum loquar & angelorum, inquit Paulus Cor: 1. cap. 13. Vnicuiq́; ſanè naturæ rationali, ſicut & ſecreta, ita quoq́; & libera, conceſſa ſiue tributa eſt voluntas. alicuius autem voluntatem in aliud vertere poteſt nemo, niſi ſolus deus, nec inducere tantùm, ni ipſa ſe inclinet voluntas. proinde, alterius conceptiones conijcere quidem, non autem cognoſcere aliqua poteſt creatura. Quare, vt vnius intelligentiæ voluntas alteri pateat, expreſſione opus eſt, quæ quidem expreſſio, locutio nuncupatur. Angelus ſiquidem applicat ſpeciem innatam ad ipſum cognoſcibile, ipſumq́; cognoſcit, atq́; ita ſpeciem illam ad alium angelum immitendo ordinandoq́;, ſuos communicat conceptus; ille verò mutua conuerſione recipit, ſicq́; vnus loquitur, alter verò audit: angelorũ enim locutio non indiget ſenſibili ſigno, nempe voce ex animali formata, neq́; medio huiuſmodi vocem deferente, quia ſcilicet intellectus angelicus abſq́; potentijs ſenſitiuis, recipit alterius conceptus

Species vniuerſales concreatæ in intellectu poſſibili angelico.

Superiores paucioribus intelligũt ſpeciebus.

Inferiores intelligunt per formas minus efficaces.

Species acquiſitæ.

Locutio angelorum.

Quomodo angeli loquũtur.

Angelorũ locutio nõ indiget ſenſibili ſigno.

cognitio. ceptus, ſuosq́ in alium tranſmittit: ſufficit ergo angelo ſpecies intelligibilis, quæ ex virtute angeli intellectiua atq́ volitiua, ad alium protenditur, fitq́ nuncius mentis atq́ verbum extrinſecum, quæ in angelo loquente, dum illam contueretur, dicitur verbum mẽtis. Itaque, vna atq́ eadem ſpecies, & verbum dicitur, & nuncius, ſiue nutus: verbum quidem cogitantis atque contemplantis, nutus verò eiuſdem voluntatem ſuam alteri manifeſtare geſtientis. Porrò, huiuſmodi angelorum locutiones, illuminationes appellantur: quia nimirum dum ſuperiores ſic inferiores alloquuntur, illos illuminant: inferiores verò non aliquid noui aut incogniti, ſed ſuam ipſorum voluntatem ſuperioribus innuunt. Vnde Dionyſius de angelica hierarchia: Vnaquæq́, inquit, eſſentia, intelligentiam ſibi à ſuperiori datam, inferiori communicat, atq́ ita vſq́ in diem iudicij, de electorum ſalute, alijſq́ ad Chriſti fidem conſeruandam ampliandamq́ ſpectantibus, à ſuperioribus intelligentijs annunciãtur. Cæterùm, quamuis in angelo audire & videre ſit intelligere; videre tamen dicitur, cùm ex proprio motu aliquid intelligit; audire verò, cùm ab alio ſuperiori admonitus, ſpeciẽ intelligibilem recipit, fitq́ alterius conſcius voluntatis. id autem contingit angelo audienti, non ſolùm reſpectu ſuperioris, & loquentis, & illuminantis; ſed etiam paris & inferioris, à quo profectò illuminationem, ſicuti à ſuperiori non recipit; audit nihilominùs, dum inferior ſuam illi manifeſtare atq́ communicare ſtudet voluntatem.

Verbum mentis.

Auditus angelorum & viſio

QVAESTIONIS SECVNDAE CAP. I.

Angelum ſuperiorem non intelligere per pauciores & vniuerſaliores ſpecies, quàm intelligit angelus inferior, argumentis oſtenditur.

PAulò ante, in præcedenti capitulo quorundam ſententiam adducendo, dixi, angelos ſuperiores per pauciores atq́ vniuerſaliores ſpecies intelligere, quorum quidem rationes partim dictæ ſunt, partim dicentur:
1. Species, inquiunt, quantò in nobiliori ſimpliciorıq́ inuenitur ſubiecto; tantò vtiq́ eſt perfectior, atque ex conſequenti vnica virtute plura repræſentat: ſic enim clarè videtur ſpecies, quæ eſt in intellectu, eam, quæ eſt in ſenſu vniuerſalitate, ſimplicitateq́ ſuperare. ſed ſpecies in intellectu ſuperioris angeli, veluti in nobiliori perfectiorıq́ ſubiecto exiſtit: vna ergo ſpecie angelus ſuperior plura intelligit quàm inferior, varijs plurimiſq́ ſpeciebus.
2. Amplius, quantò aliquid eſt primo enti vicinius; tantò viciniùs illius præſeferre ſtudet ſimilitudinem, naturamq́ imitari. ſed angelus ſuperior nobilitate naturæ modoq́ intelligendi deo propinquior eſt, quàm angelus inferior: igitur quoàd fieri poteſt deum imitatur, nempe per vnicam ſpeciem intelligendo, ſicuti deus per vnicam ſuiipſius eſſentiam intelligit omnia.
3. Adhuc, potentia ſuperior, paucioribus indiget ſpeciebus ad aliquid cognoſcendum, quippè, quum vniuerſaliori atq́ vnica ratione poſſit intelligere. ſed angeli ſuperioris potentia eſt huiuſmodi: ergo quod prius. Suffragatur huic ſententiæ Dionyſii authoritas dicentis in angelica hierarchia, vniuerſaliori ſcientia ſuperiores angelos præditos eſſe, quod certè ſine vniuerſaliori ſpecie fieri non poſſet. Angeli ergo ſuperiores plura intelligunt, idq́ vniuerſaliori ſimpliciorıq́ ſpecie.
4. Addunt, quòd intellectio in angelis eſt neceſſaria omninò, nec poſſunt ſe non intelligere; voluntas enim in abſtractis à materia determinatur pro æterno; proinde, non priùs fuerunt in potentia ad ſeſe intelligendum: nunc autem actu ſe intelligunt, ſed ſemper neceſſariò atq́ ineuitabiliter ſeſe intelligunt: totalis namq́ ratio intelligendi ſeipſos, eſt ipſorum eſſentia; intellectio verò eſt accidens, quæ in eorum intellectibus, ab eorundem eſſen-

Angelorũ cognitio.

*dem eſſentia producitur. Intellectus præterea talem intellectionem recipiens, & eſſentia
intellecta, quæ eſt ratio totalis intelligendi, ſecundùm rem prædicamenti diſtinguũtur:
eſſentia enim eſt ſubſtantia: talium verò intellectus, eſt virtus, potentia, ſiue qualitas;
in creaturis namq; virtus & eſſentia differunt; nullà enim creatura, vt ipſimet apertiſ-
ſimè fatentur, eſt ſua eſſentia. Porrò, huiuſmodi ſententia, ab Ariſtotelis atq; Auerro-
is doctrina non multùm diſſentit, qui planè aſſerunt in 12. mèt: ſubſtantias abſtractas
perpetuò ſe intelligere, nos autem paruo tempore. Sanè, ab intellectu & eſſentia intel-
lectio oritur. ſed intellectus & eſſentia angelorum ſemper mutuo coniunguntur: igi-
tur ſemper ſe intelligunt. Adde, quòd illi in intelligendo non laborant, ideoq; ſemper
intelligunt, atq; perpetua eſt eorum intellectio; nos autem quia laboramus, ſaltem per
accidens intelligendo; idcirco noſtra intellectio perpetua eſſe non poteſt. Huic accedit*

Peripatheticorum opinio.

*ſecundùm Peripatheticorum doctrinam, quòd huiuſmodi ſubſtantiæ ſint actus puri po-
tentiæ contingentis, admixtum nihil habentes; ideoq; talium intellectionem atq; intelle-
ctum accidens non eſſe; actus enim purus non ſubſtat accidentibus. vnde aiunt, eſſenti-
am in ſubſtantijs abſtractu, eſſe totalem rationem intelligendi, intellectionem, & obie-
ctum intelligibile; quippè, cùm intellectio, intellectus, atq; obiectum intelligibile, ſint
vna, ſimplex, puraq; ſubſtantia: quapropter qualibet ex intelligentijs eſt ſibi ratio in-
telligendi, intellectio, & obiectum intelligibile. Cæterùm, quamuis hæc opinio Peripa-
theticam ſapiat redoleatq; doctrinam; non omni tamen contradictione vacat; poſſet e-
nim aliquis in eam inſurgere ſic arguendo: Omnis ratio intelligendi plura diſtin-*

Angelos ſuperiores non intelligere per ſpecies vniuerſales.

cta, idq; diſtinctè, habeat vtiq; neceſſe eſt vnum ſubiectum adæquatum, quod quidem 1.
*illa contineat, quorum eſt ratio intelligendi, ſiue ſpecies illa extiterit, ſiue habitus; ſi-
quidem ad primum obiectum comparatur, ſicuti menſuratum ad menſuram. ſed in eo,
quod eſt natura poſterius, vtpotè ſpecie, maiorem contineri vnitatem quàm in priori,
quod eſt poſterioris menſura, eſt impoſſibile; multiplicato namq; tali priori, multipli-
catur etiam poſterius, non autem è conuerſo; quam ob cauſam, ſi fuerit vna ſpecies, aut
habitus plurium diſtinctè repræſentatiuus, cùm illa plura prima obiecta eſſe nõ poſſint:
in aliquo ergo obiecto virtualiter aùt eminenter contineantur, neceſſum erit, & ex con-
ſequenti intelligibiliter, quod planè nulli obiecto creato conuenire poteſt. Cùm ergo illa
ſpecies ſiue habitus, non habeat huiuſmodi obiectum; fieri non poteſt, vt angelus ſupe-
rior, vnica ſpecie plura diſtinctè cognoſcat, quàm inferior plurimis ac varijs ſpeciebus
ſiue habitibus. Amplius, omnis ratio intelligendi, quæ eſt vna in memoria, vnum quoq;* 2.
*actum ſibi ſimpliciter in intelligentia adæquatum, authore Auguſtino 10. de Trinitate,
habere poteſt: memoria enim, & intelligentia, & in actibus, & in obiectis ſunt æqua-
les: vnde intelligentia prima, vnicum habet actum intelligendi, tametſi eſſentia diuina
ſit ratio plura diſtinctè cognoſcendi. ſed intellectum angelicum vnico actu plura diſtin
ctè cognoſcere, eſt impoſſibile, alioqui infinita indiuidua intelligere valeret: ergo quod
prius. Reuera, eſſe rationem vnius repræſentatiuam, eſt aliquid perfectionis in tali ra-
tione; duorum verò eſt dupla perfectio: infinitorum ergo erit infinita. at angeli non ſunt
infinita virtute: non ergo vnico actu poſſunt infinita intelligere, nec ex conſequenti, v-
nica ſpecie ſiue habitu plura diſtinctè cognoſcere. Adhuc, intellectus, qui aliquid ha-* 3.
*bitualiter cognoſcere poteſt, aliquod aliud ſimiliter non cognoſcendo; ambo profectò nõ
eadem ſpecie ſiue habitu ab intellectu cognoſcuntur; alioqui ſine illa etiam ratione, ſicut
habitualiter vnum cognoſceret; ita abſq; dubio & alterum, quod eſt impoſſibile. ſed an-
gelus poteſt vnam quidditatem intelligere, non intelligendo alteram, cùm non habeat
vnicum actum intelligendi, nec vnicam ſpeciem plura diſtinctè repræſentantem: ergo
quod prius. Item, vnumquodq; intelligitur, ſecundùm quòd eſt in actu. ſed ſpecies il-* 4.
*la eſt indiſtincta & confuſa: non ergo eſſe poteſt ratio diſtinctè cognoſcendi: ſpecies
namq; ſuperiorũ, puta generis vel ſpeciei, ſua quidẽ interiora in vniuerſali atq; indiſtin-*

Angelorũ cognitio.

Genus continet omnes ſpecies poteſtate, actu verò nullam.

ctè continet: genus certè ſua poteſtate omnes continet differentias, actu autem nullam. Cùm ergo illa ſpecies primò vniuerſale repræſentet: non ergo eſſe valet ratio, qua ſua inferiora diſtinctè cognoſcantur. Sanè, cùm ſpecies ſub eodem genere, infinitæ eſſe queant, aut ſaltem indiuidua ſub eadem ſpecie, per ſuas vtiq; differentias indiuiduales poſitiuè diſtincta; profectò illa ſpecies vnica, quæ talia diſtinctè repræſentaret, eſſet actu infinita, quod eſt abſurdum, ne dicam impoßibile, vt ſpecies concreata ſit actu infini-
5. *ta. Præterea, deus poteſt adhuc creare vnam aliam intelligentiam cæteris perfectiorẽ, & ita in infinitũ, cùm in ſpeciebus angelorum poßit eſſe proceßus in infinitum, ſicut dixi in primo, cùm illam quæſtionem tractarem, nempe deum eſſe, fide potiùs quàm ratione conſtare: aliqua ergo produceretur intelligentia, quæ ſine vlla ratione intelligeret: nam quò perfectior, eò paucioribus indiget ad intelligendum. ſed eſſe productum & ſine vlla ratione, ſpecie videlicet aut habitu intelligere, contradictionem implicat: igitur intelligentia ſuperior, vnica ſpecie ſeu habitu, non intelligit multa diſtinctè, quod*
6. *quidem inferior multis ſpeciebus acquirere non poteſt. Amplius, quod eſt limitatæ naturæ, non poteſt vnico actu plura intelligere, nec eſſe obiectum adæquatum, quo multa eaq; neceſſariò intelligat; hoc enim diuinæ eſt eſſentiæ ſolius, quæ continet omnia. ſed angelus eſt limitatæ naturæ, alioqui eſſet deus; non ſunt autem plures dij, vt dictum eſt in primo Pymandri: angelus ergo non intelligit per ſuam eſſentiam. Reuera, obiectum in rebus creatis, non eſt totale agens intellectionem: nec natura communis eſt totalis ratio agendi: eſſentia ergo in intelligentijs ſecundis, non eſt totalis ratio agendæ producẽ-*
7. *dæq; intellectionis. Item, illius, qui voluntariè & liberè aliquid recipit; profectò à neceßitate intelligendi liber eſt omninò iudicandus. ſed huiuſmodi eſt angelicus intellectus in recipienda intellectione, alioqui optimo naturæ dono priuaretur, nempe libero voluntatis arbitrio: liberè ergo, non neceßariò intelligit. intellectio ſiquidem in huiuſmodi intelligentijs, eſt in potentia ad intellectionem; quia nimirum intellectio eſt accidens, non autem illarum ſubſtantia. omne autem accidens, & quod eſt ſic in potentia, non eſt neceßariò perpetuum atq; æternum, authore philoſopho & etiam Commentato-*
Reſolutio. *re 12. com: 15. Quare, aut intellectio angelorum eſt eorum ſubſtantia, quod eſt falſum: aut non eſt neceßariò perpetua. Quam ob cauſam dicendum eſt, angelorum eſſentiam eſſe rationem agendi, atq; obiectum agens intellectionem; partiale quidem, non autem totale; ſiquidem ex angelorum intellectu atq; eſſentia, vna totalis conſtituitur intellectionis cauſa, qua ſeſe intelligunt. Itaq; angelorum intellectio non eſt omninò continua, & prorſus neceſſaria: intellectus præterea intelligens, & eorum eſſentia diſtinguuntur*
Duplex notitia in angelo, intuitiua, & abſtractiua. *ex natura rei. Duplex eſt autem in angelis notitia cognoſcendi, vt poſtea dicemus. altera quidem intuitiua, qua ſeipſos per ipſorum eßentias intelligunt; alia verò per cognitorum ſubſtantias illis ſufficienter repræſentatas. altera verò notitia abſtractiua, quæ eſt ratio cognoſcendi quidditates, per proprias & diſtinctas ipſarum ſpecies, non autẽ per vnam vniuerſalem, vt dictum eſt. De indiuiduis autem ſpecierum idem eſt iudicium; neutra enim aliam continet, ſicut totum partem, nec vnum indiuiduum aliud, quandoquidem cuiuſlibet illorum ſpecies, limitata ſit atq; finita. Proinde, neutrum per ſpeciem alterius diſtinctè poteſt cognoſci, nec per vnam ſuæ ſpeciei communem ſpeciem, ſicuti nec ſpecies plures per ſpeciem ſui generis.*

CAP. II.

Soluuntur argumenta.

Ad primum,

AD primum, verum quidem eſt, ſpeciem in nobiliori exiſtentem, nobilius
quidem atq; perfectius repræſentare, non autem vniuerſali quodam modo, 1.
atq; vnico ipſius actu cognoſcendi intelligendiq;. Ad 2. quantò aliquid 2.
primo enti proximiùs eſt, naturæ nobilitate, virtuteq; intelligendi; tantò
vtiq; per ſuam ſpeciem perfectiùs intelligit, atq; ſua ſpecies perfectiùs re-
præſentat; non tamen vnica ſpecie, quippè, cùm id tantùm ad diuinam attineat eſſenti-
am. Ad 3. ſi quantò potentia eſt ſuperior, tantò ſub ratione vniuerſaliori intelligit: gra 3.
datim igitur ſecundùm magis minusq; commune rationes vniuerſales ſe habentes, eſſent
infinitæ. Præterea, quantò intelligit aliquis ſub ratione vniuerſaliori, tantò vtiq; minùs di
ſtinctè intelligit. Quare, ſi angelus ſuperior ſub vniuerſaliori ratione cognoſceret; con- Cognito vniuerſalis eſt cõfuſa.
fuſior atq; imperfectior illius cognitio, abſq; dubio eſſet iudicanda. Inſuper, Dei cogni-
tio ſimili pateret diſcrimini, ſui certè intellectus aliquod vniuerſaliſsimum primum eſſet
obiectum, atq; ita imperfectiſsimè confuſiſsimeq; intelligeret, quod impium eſt dicere.
Ad authoritatem Dionyſii dico, ſuperiores angelos habere vniuerſaliorem, id eſt per-
fectiorem ſcientiam; licet ſuperiores tot ſpeciebus, quot etiam inferiores intelligant: aut
vniuerſaliorem ſcientiam habere dicuntur; quia ſcilicet plura intelligunt, quàm inferi-
ores, non tamen per ſpecies pauciores. Ad 4. iam patet reſponſio: cùm enim angelus 4.
deus non ſit, non eſt vtiq; ſua intellectio, ſuus intellectus, & obiectum intelligibile; hoc
profectò dei ſolius eſt, naturæq; illimitatæ: igitur ſua intellectio non eſt prorſus neceſſa-
ria, æterna, atq; perpetua. Quomodo ergo angeli ſuperiores non intelligant per paucio-
res & vniuerſaliores ſpecies, atq; rationes, dixi. Porrò, ſi quis vellet primam opinionẽ
tueri, ita ſanè ad obiectiones ſuperiùs poſitas reſpondere valeret. Ad primam, obiecti- Soluuntur argumenta ſecundæ opinionis.
onem illam veritatem habere, in ea quidem ſpecie, quæ ab obiecto, & potentia genera-
tur, cuiuſmodi eſt ſpecies intellectus humani; non autem in ſpecie, quam deus concre-
auit menti angelicæ; illa namq; à potentia non generatur, ſed à creante habet modum 1.
intelligendi; ideoq; eſt vna, quia nimirum ſubiectum & efficiens eſt vnum. aut illa ſpe
cies, ſiue ratio dicitur vna, ob vnitatem obiecti, quod eſt ens creatum: hoc enim eſt o-
mnibus commune, quod certè virtualiter continet cognoſcibilia omnia; Virtualiter, in-
quam, potentialiter, non autem actualiter. Ad 2. ratio illa congruit ſpeciei, quæ ex vi 2.
obiecti potentiæq; producitur; non autẽ ſpeciei concreatæ, quæ ex virtute creantis habet
actum intelligendi. Ad confirmationem dico, actu vnico limitato infinita nequaquam
comprehendi: proptèrea non opus eſſe, quòd ſi angelus vnica ſpecie plura diſtincta cõ-
prehendit quòd etiam vnico actu infinita intelligat, quippè cùm ipſe, eiuſq; actus, fini
tæ limitatæq; ſint naturæ. Ad 3. quamuis non repugnet intellectui angelico, aut obiecto- 3.
rum naturæ, vnam intelligere quidditatem, altera non intellecta; repugnat tamen ſpe-
ciei concreatæ, quæ ambas repræſentat quidditates. Quoniam igitur huiuſmodi eſt natu
ra inditæ ſpeciei; hac de cauſa vnam ſine altera non intelligit quidditatem. Ad 5. ne- 5.
gatur à Peripatheticis talis proceſſus in infinitum, Deumq; eſſe rationibus conſtare af-
firmant. Ad probationem, ſi aliqua denuo nobilior conderetur intelligentia; illa profe-
ctò non ſine vlla prorſus ſpecie intelligeret, quamuis nobiliori cæteris modo intelligendi 6.
vteretur. Ad 6. dixi, angelum infinita vnico actu intelligere non poſſe, ob ſui ipſius li-
mitatam finitamq; naturam. Ad 7. angelus liberè ac neceſſariò intelligit; ſicuti liberè 7.
ac neceſſariò vult ſeipſum, ſuamq; beatitudinem. Quoniam enim eſt lumen purum, te-
nebrarum caligine non infectum aut labefactatum: in illud ergo nulla cadit obliuio, la-
bor, aut triſtitia: ideoq; ſeſe limpidiſsimè ac perpetuò intelligit & contemplatur, idq;
neceſſariò, ſicut iam diximus. Dicis, quod in vniuerſali cognoſcitur, confusè cognoſci- Obiectio.
tur: igitur, ſi angelus in vniuerſali cognoſceret; illius cognitio confuſa eſſet & imperfe-
cta. Reſpondeo, cognoſcere aliquid in vniuerſali, aliquando imperfectionem denotat, Solutio
vt ſi quis cognoſceret hominem, cognoſcendo eſſe animal tantùm; aliquando verò per-

Cognitio in vniuerſali aliquando perfectionē, aliquā do imperfectionem denotat.

fectionem, quando ſcilicet per medium vniuerſalis ſingula propria cognoſcuntur, quæ ab alio multis ſpeciebus intelligi nequeunt. Reuera, ſi aliquid excellentioris extiterit naturæ; eſſe vtiq; poteſt diſtincta ratio, ac ſimilitudo multorum, veluti eſt in homine vniuerſalis prudentia, ad omnes actus virtutum actionesq; gerendas: ſic ergo angelus vniuerſali illa ſpecie, plura diſtincta, clarè lucidèq; cognoſcit, intelligitq;. Hæc ita dicta ſunt: quilibet ergo abundet in ſenſu ſuo, retenta fidei Catholicæ veritate. res profectò obſcuriſſima eſt, vtpote à nobis noſtroq; modo intelligendi remotiſſima: idcirco ferre certam non poſſumus ſententiam: quis enim nouit, quomodo beatiſſimæ illæ mentes intelligant? Deus ſolus, qui eas condidit, atq; ſapientia compleuit.

CAP. III.

Vnamquamque intelligentiam per vnum habitum, rerum quidditates non intelligere.

Quid angeli non intelligāt per ſpecies cō creatas.

DIxi, ſecundùm nonnullas rationes, angelos ſuperiores per vnam ſpeciem vniuerſalem, nequaquam multa diſtincta intelligere, idq; ad vtrumlibet diſputaui: addam aliquorum rationes, quæ ab intellectu angelico, huiuſmodi ſpecies remouere conantur. In anima, authore philoſopho 2. Ethic:
1. *tria inueniri poſſunt, nempè, potentia, habitus, & paſſio, id eſt appetitus.*
ſed in ſubſtantijs à materia remotis, ſola potentia non poteſt eſſe ratio intelligendi, alioqui aliquid ſic naturale principium eſſet ſufficiens, omnia intelligibilia repræſentandi, quod eſt falſum; nec paſſio, ſiue appetitus. quælibet ergo intelligentiarum, per vnum habitum ſcientificum, omnes rerum quidditates intelligit; huiusmodi enim habitus eſt in angelico intellectu, ceu forma in ſubiecto; obiectum verò, quod in ipſo habitu reſplendet, eſt vtiq; in intellectu obiectiuè. Habitus præterea eſt magis obiecti repræſentatiuus, quàm ſpecies, quippè, qui ab obiecto generetur tantùm; ideoq; obiecto, veluti genuinus effectus, ſimilimus eſt, non autem ſpecies; quoniam non à ſolo obiecto, ſed etiam
2. *ab intellectu & obiecto gignitur. Amplius, ſi huiuſmodi ſpecies in mente angelica inuenirentur, ſingulare tantūmodò cognoſceret; talis enim ſpecies & ſingularū eſt, & à ſingulari cauſatur; atq; ita omnia actu intelligeret, quorum ſpecies haberet. at impoſſibile omninò reputatur, vt intellectus plurimis informetur ſpeciebus, ſicuti nec materia pluribus formis, & corpus pluribus figuris: ergo. Angeli præterea intellectus, in eſſentiali potentia eſſet ad actum intelligendi, quippè, qui per ſpeciem illius acquiſitionem procuraret; ſicq; intellectus angeli in intelligendo, ab intellectu humano minimè diſcreparet. Adde, quòd intelligere per ſpecies, ſiue infuſas, ſiue acquiſitas, infimum reputatur & vile; ſupremum verò, & nobile, ſi per habitum ſcientialem quis intelligat. Si ergo angelus per ſpecies intellexerit, abſurda omnia, quæ enumerauimus, ſequantur, ne-*
3. *ceſſariū eſſet. Adhuc, habitus generatur ex frequentatis actibus: igitur intelligētia eſt in potentia, non ſolùm ad ſecundum, ſed etiam ad primum actum; in potentia, inquam, eſſentiali. Tenet conſequentia: nam ſi menti angelicæ non eſt habitus de rebus cognoſcēdis concreatus; acquireret ergo huiuſmodi per actuū frequentiam, ſicq; intellectus angelicus noſtro perſimilis eſſet, quod eſt falſum omninò. Angelum ergo per ſpecies non*
4. *intelligere, patet. Iterum, angeli cognitio eſt perfecta: igitur per habitum, non autem per ſpeciem intelligit. Tenet conſequentia: quia ſpecies ſine habitu, ad cognitionem habendam non ſufficit, ſed è conuerſo: habitus ergo ſcientificus ineſt angelicæ menti, quo intelligit omnia. Sanè, decet voluntatem perfectam vnicum habere principium, quo velle poteſt obiectorum multitudinem. ſed angelorum voluntas eſt perfecta: igitur vnico*

habitu

habitu ſcientifico intelligit omnia. Ille autem habitus vnicus eſt realiter, atq; indiſtinctus, angelico intellectui formaliter inhærens, illiq; concreatus, non quidem abſolutè, ſed ordinem habens ad obiecta. Quoniam quidem eſt ſcientialis, ad obiectum, eſſentialem reſpectum habet, vnde ſine illo, nec eſſe, nec intelligi poteſt. Quia verò huiuſmodi habitus, ad diuerſa obiecta reſpectus habet; plura ſimul & actu, & diſtinctè repræſentare poteſt. Itaq; intellectui angelico, ille habitus expreſſa repræſentat obiecta, eoque plura, quò ipſe ſimplicior extiterit, atq; emiuentior, plures partiales continens habitus. Quoniam autem habitus eſt, quo quis vtitur, quum voluerit; ideo pro ſuo libitu, arbitrioque angelus, huiuſmodi habitu vtitur: uon ſic autem ſpecie vti poſſet, quum illa nō ſubſit voluntatis imperio, quippe, quæ merè naturaliter repræſentat: habitus autem, quia ipſi angelo eſt magis connaturalis, maiorem habet virtutem inclinandi, atq; flectendi. Vuo ergo habitu ſcientifico, ſine multis ſpeciebus angelus intelligit. Cæterùm, huiuſmodi opinio iam pridem exploſa eſt, veluti erronea, rationiq; minimè conſentanea. Angelum per vnum habitũ non intelligere omnia.

Reuera repræſentare infinita, eſt habitus infiniti. ſed in ſubiecto finito nou eſt habitus iufinitus; augelus autem eſt ſubiectum finitum, atque uatura limitata: igitur vno habitu uon poteſt angelus iufinita intelligere, nempe infinitas poſſibiles quidditates, ſpecie differentes, vel infinita induidua, ſub eadem ſpecie, differentiis iudiuidualibus diſtincta. 1.

Amplius, nullus habitus ſcientialis creatus ex ſe poteſt eſſe, niſi alicuius complexi; de complexis enim eſt ſcientia. ſed omnis habitus de complexis, diſtinctam præſupponit notitiam incomplexorum, & ex cou ſequenti diſtinctam quoq; repræſentandi rationem: ille ergo habitus non habet diſtinctam ratiouem repræſentandi; indiget namque diſtinctis ſpeciebus, incomplexorum repræſentatiuis. 2.

Adhuc, ratio cognoſcendi plura, atq; diſtinctè repræſentandi, illius eſt obiecti, quod formaliter, vel eminenter infinita continet. ſed nullum obiectum creatum eſt tale: igitur nullus habitus creatus eſt plurium, atq; iufinitorum repræſentatiuus. Adde, quòd habitus non eſt repræſentatiuus, ſed inclinatiuus potiùs, atq; facilitans ad actum, ſequitur enim actum, atq; idem in mente operatur, ac ſi ex actibus acquireretur: actum autem repræſentationem præſupponere, omnibus conſtat; ſed id dici non poteſt, repræſentationem efficere, quod repræſentationem quidditatum præſupponit: ergo quod prius. 3.

Præterea, illa ratio cognoſcendi in mente angelica, non plus habet affinitatis cum habitu, quàm cum ipſa ſpecie; ſiquidem ab intelligibilibus non dependet, coucreata eſt enim: indifferenter ergo habitus, aut ſpecies dici poteſt. Reuera, ſi ita res ſe haberet; tunc habitus uoſter ſcientificus, obiectum intelligibile nobis præſens redderet, atq; ita habitu acquiſito, nulla opus eſſet conuerſione ad phantaſmata, pro intellectione actuali habenda, quod huiuſmodi opinionis fautores, negant omninò. 4.

Item, ſi habitus ſcientificus eſt ratio coguoſcendi omnia: igitur angelus, ſine huiuſmodi habitu, non ſolùm alia extrinſeca non intelligeret, ſed nec ſeipſum quidē. Teuet conſequentia, quoniam habitus talis eſt qualitas, non autem ſubſtantia angeli. Si fuiſſet ergo creatus in puris naturalibus, ſine tali habitu; ſeipſum vtique uon intelligeret, quod planè abſurdum eſt, eſſet enim noſtro intellectu imperfectior. Profectò vt dixi, habitus præſupponit cognitionem ſimplicium, ſicuti habitus naturalis philoſophi, omnium rerum naturalium, ſimplicem ſupponit cognitionem, quæ ſanè abſque ſpecierum adminiculo haberi non poteſt. 5.

Quòd autem ille habitus, reſpectum eſſentialem non habeat ad obiectum, ſine quo, nec intelligi poſſit, nec eſſe, patet; vnumquodq; enim abſolutum, ſine reſpectiuo intelligi poteſt. ſed habitus ſcientialis, eſt aliquid abſolutum, vtpotè primæ ſpeciei qualitatis: intelligi ergo poteſt, ſine reſpectu ad obiectum. 1.

Ille præterea habitus, non eſt idem realiter cum ſubſtantia angeli; nam eſſentia habitus etiam quacunq; virtute, ſine obiecto eſſe poteſt. Itaq; habitus uon eſt reſpectus ad obiectum; ſine illo enim & eſſe, & conſeruari poteſt: ad non ens autem non eſt reſpectus realis. At, quando aliqua eſſentialiter, atque realiter ſunt idem; vnum, ſine altero eſſe, fieri non eſt poſ- 2.

cognitio.

ſibile. Prӕterea, ſubiectum, aut accidentis relatiui ſundamentum abſolutum, idem non
3. eſt cum ipſo. ſed iſte qualitatis habitus, eſt aliquid abſolutum; reſpectus verò habitus
ad obiectum, accidens eſt relatiuum, de tertia ſpecie relationis: non ergo ſunt idem
4. realiter. Item, ſi iſti reſpectus, cum habitu ſunt eſſentialiter idem, atq; ſecundùm obiecta
multiplicantur, cùm illa actu, vel potentia ſint infinita; poſito ergo habitu in re,
infiniti quoq; in actu reſpectus ponerentur, quod eſt falſum: nullus ſiquidem creaturӕ
reſpectus, ad creaturam eſſentialiter diſtinctam, cum ipſa, eſt eſſentialiter idem; niſi
fortaſſis relationis, aut accidentis reſpectus ad ſubiectum, vel fundamentum. Sed ille
habitus in angelo, vt dixi, ſine obiecto eſſe poteſt; reſpectus verò, abſq; termino eſſe nequit:
igitur reſpectus ſcientiӕ ad obiectum creatum, non eſt illi eſſentialis, nec realiter
idem. Itaq; angelum per vnum habitum ſcientificum, intelligere omnia, etiam infinita,
vt quidam dixerunt, impoſſibile eſt, & erroneum.

CAP. IIII.

Soluuntur argumenta.

1. AD primum, in mente angelica, loco habitus, eſt lumen ſuum naturale,

Lumen naturale in angelo

quod propter ſui perfectionem, atq; efficaciam, inſtar habitus, vim habet
2. inclinandi, ad promptè faciliterq; intelligendum. Ad 2. ſpeciem in
mente angelica quoniam eſt concreata, non à phantaſmatibus acquiſita,
directè intelligere, ſiue per ipſam intellectum angeli, vniuerſale intelligere,
nullum eſt inconueniens. Ad confirmationem dico, habitum, quòad ſe attinet, ita
naturaliter, ac neceſſariò repræſentare, ac ſpecies repræſentat, atq; vtrumq; ſubiici voluntati
imperanti; imò facilius eſt intellectui pro ſuo libitu diſtinctis vti ſpeciebus,
quàm habitibus. Ad aliam confirmationem, ſicut non eſt inconueniens, pluribus diuerſæ
rationis habitibus animum informari, & corpus, pluribus alterius rationis accidentibus;

Angelus informatur multis ſpeciebus concreatis.

ita etiam animam pluribus ſpeciebus alterius rationis. Porrò, illud exemplum de
materia & corpore, non eſt ſimile, quòd ſcilicet plures formas, atq; figuras, habere non
valeant: etenim vnius rei per ſe, vnum per ſe ſubſtantiale eſt; ideoq; vnica illi ineſt forma
ſubſtantialis, aut plures ad inuicem ordinatæ. ſimiliter, figura eſt terminus quantitatis.
vnde, ſicut quantitas eſt vna; & figura etiam: non ſic autem ſe habet ſpecies ad
intellectum. Ad alias confirmationes dixi, quid loco habitus inſit intellectui angelico,
ſpeciem quoq; illam, impropriè habitum dici. Homo præterea, non intelligit per habitum
vnius, vel plurium quidditatum repræſentatiuum; hac de cauſa, huiuſmodi ratio
intelligendi in homine, ſuprema dici non poteſt, nec in angelo infima. In neutro igitur i-
3. ſtorum, talis ratio locum habere poteſt. Ad 3. negatur conſequentia: & ad probationem
dico, non eſſe ſimile de habitibus noſtris, & angelorum; noſtri enim exercitio actuum,
atq; frequentia creſcunt, angelorum verò, ſemel inditi ſunt; ideoq; à noſtris quàm
4. longè ſeparantur, & diſſentiunt. Ad 4. negatur quoque conſequentia: nam ſpecies infuſæ,
quæ mentibus inhærent angelicis, alterius ſunt rationis, alteriuſq; ordinis, quàm noſtræ,
quæ per phantaſma, actuumq; diuerſitatem, atque multitudinem habentur. Itaq;,
quoniam beatiſſimæ illæ mentes, à principio ſic ornatæ fuère, humanis non ſunt conferendæ
comparandæq; intellectibus. Falſa ergo eſt illorum opinio.

CAP. V.

Si angeli intelligant ſeipſos, atque alia per ſpecies, an per eſſentiam.

Multa

Angelorũ cognitio.

Notitia intuitiua, & abſtractiua.

Mvlta dixi de ſanctorum angelorum cognitione, multa quoque reſtant dicenda, propterea quia res nobis incognita eſt, & à noſtro intelligendi modo remotiſſima; hac de cauſa, mihi opus eſt multo ſermone, & vix tandem ſtylus aſſequi poterit, quod animus votis omnibus cupit. Dicam igitur, quæ ſanctus Pymander per ſuum lucidiſſimum, mihi dicenda dederit. Inprimis non ignorare oportet, duplicem eſſe intellectualem notitiam, vnam quidem intuitiuam, abſtractiuam verò alteram. Angelus autem ſeipſum cognoſcit cognitione intuitiua per eſſentiam ſuam immediatè, ſicuti per optimam, atque proximam rationem cognoſcendi; eſt enim ſibi præſens ſua eſſentia intima, atq; actu intelligibilis; intellectus quoq; ipſius actu intelligens, nulla ignorantiæ labe affectus, aut impedimento præpeditus, promptus eſt, atq; expeditus ad intelligendum. Cùm igitur hæc ita ſe habeant in angelo; ſequitur vtique actio intelligendi intuitiua, ex immediato ſubiecto, atq; ex immediata repræſentandi ratione. quæcunq; etiam ipſius intellectui ſunt intrinſeca, atque præſentia, vtpotè aliorum angelorum eſſentiæ, intuitiuè cognoſcit.

Abſtractiua cognitio.

Amplius, notitia abſtractiua, ſeipſum cognoſcere poteſt, nempe per ſpeciem ſibi impreſſam, & acquiſitam, in ipſius memoria ex notitia ſui intuitiua, derelictam. Sanè, ſi imperfectior cognitio abſtractiua ſcilicet reſpectu intuitiuæ, ſuperiori, perfectioriq́; angelo non repugnat, nec vtiq; inferiori imperfectioriq́. ſed angelus ſuperior, poteſt abſtractiuè, nempe per ſpeciem intelligere: ergo, & inferior ſimiliter. Præterea, quod poteſt intuitiuè ab intellectu creato cognoſci, & abſtractiuè etiam. ſed angelus per ſuam eſſentiam, poteſt ſeipſum intuitiuè intelligere: per ſpeciem ergo ſeu abſtractiuè. Reuera, ſi in parte ſenſitiua idemmet, & ſenſu, & imaginatione percipitur; multò ergo magis id præſtare poterit pars perfecta intellectiua, non aliquo modo impedita, cuiuſmodi eſt intellectus angelicus.

Quòd angelus ſeipſum & intuitiuè, & abſtractiuè intelligit.

Angelum autem ſeipſum, & intuitiuè, & abſtractiuè cognoſcere, nullum eſt, aut inde inconueniens ſequitur. Inprimis huiuſmodi noticiæ non eiuſdem ſunt rationis, nec ſibi inuicem aliquo modo contrariæ: non quidem ex ſeipſis, neque ex parte ſubiecti, nec etiam ex parte obiecti. Quare non video, quin idẽ obiectum, mediatè, immediatéq́; ſimul intelligi poſſit; id enim non fit ſecũdùm idem, vel per idẽ. Itaq́; angelũ ſeipſum intelligere intuitiuè, atq; abſtractiuè, ſimul, vel ſucceſſiuè, nõ eſt impoſſibile.

Angelus intelligit ſeipſum.

Quod autẽ angelus intelligat ſeipſum, patet. Omnis ſanè potentia reflexiua ſuper ſeipſam naturaliter, poteſt ſei-
psã & alia cognoſcere. ſed huiuſmodi eſt angeli potentia intellectiua: ſeipſum ergo natu- 1.
raliter cognoſcit. Profectò, ſi naturaliter amat ſe; naturaliter quoq; ſe intelligit. incognita 2.
enim non amantur. Amplius, præſente actiuo, & paſſiuo diſpoſito, ex vtroq; naturali- 3.
ter ſequitur actio. ſed ita ſe habent eſſentia, & intellectus angeli, ſiue ſpecies, & intellectus: igitur ſequitur actio intellectiua.

Quomodo intelligit complexa.

Diuina ſcilicet incarnatio ſuperat captum angeli.

Quamobrem, non tantùm ſeipſum, ſed alia quoque tum complexa, tum etiam incomplexa intelligit. & incomplexa quidem, quatenus per ſe, vel per accidens, ſuo præſentantur intellectui, vt obiecta naturaliter intelligibilia: complexa verò, ſuæ proportionata naturæ, actuq́ue exiſtentia, naturaliter intelligit; quippe, qui ſciat vnde illorum habitudines oriantur, complexiones quoque neceſſarias non ignoret. complexa autem, quæ illius captum naturæ ſuperant, quemadmodum ſunt diuinæ ſanctæ trinitatis, incarnationisq́; myſteria, naturali cognitione attingere nequit: nam, vnde illa ortum habeant, naturaliter ab intellectu angelico ſciri non poſſunt. complexa verò contingentia, & futura, naturaliter ignorat: non enim per ſeipſa illa intelligere poteſt, quia ſcilicet non ſunt; nec per ipſorum cauſam, quæ eſt voluntas indifferens, vel oppoſita ipſorum; nec ex terminis, alioqui veritas neceſſaria ex illis oriretur omninò. Talia præterea futura, ex diuinæ determinatione voluntatis dependent, quæ angelo naturaliter ſunt incognita, alioqui fruſtra fierent angelo illuminationes, aliæq́; reuelationes.

Angelus ignorat futura.

Angelus igitur futura contingentia, naturaliter ſcire non poteſt: ſeipſum verò intelligit intuitiuè, atque abſtractiuè, aliaq́; ſibi intrinſeca ſimiliter: quæ verò aliter ſe habent; per ſpecies ſibi concreatas, & acquiſitas.

CAP. VI.

Angelum non intelligere ſe per ſpecies, neque per eſſentiam, argumentis oſtenditur.

1\. *MOuens, & motum, ſubiecto diſtinguuntur, alioqui idem, reſpectu eiuſdem, in actu eſſet & potentia. ſed intellectus angelicus, ab illa ſpecie, ſubiecto non diſtinguitur, quippe, quæ eſt angelico intellectui, vt dicunt, congenita, atque innata: non ergo mouet intellectum ad actum intelligendi. Sanè, omnis angelica actio, ſiue ſit intellectio, ſiue volitio, ab extrinſeco princi-*
2\. *pio dependet, & ſubiecto diſtincto. Angelus præterea, ſeſe intelligit per ſuam eſſentiam: non ergo per ſpeciem impreſſam. Tenet conſequẽtia: intelligibile enim in actu, dum adeſt intellectui libero, non aliquo modo impedito, eſt efficax ratio ſuiipſius cognoſcendi. ſed eſſentia angeli, eſt huiuſmodi: non ergo eget ſpecie aliqua, vt ſeipſum intelligat.*
3\. *Amplius, quæ per ſpeciem fit intellectio, abſtractiua appellatur: ergo non eſt in angelo. Tenet conſequentia, quia abſtractiua cognitio, ad rei præſentiam, atque abſentiam, indifferenter ſe habet. ſed angeli intellectio de ſeipſo, non eſt indifferens ad abſentiam ſui, ſiquidem ſibi abeſſe non poteſt: ergo. Reuera, ſi ita res ſe haberet; tunc impoſſibile aliquod atque contradictio ſequeretur, nempe angelum ſeſe mediatè, immediatèq; intelligere; mediatè quidem per ſpeciem, immediatè verò per eſſentiam. Angelus ergo, pro*
4\. *ſui intellectione habenda, non indiget alicuius ſpeciei auxilio. Iterum, maior numerus, eſt ratio cognoſcendi minorem; vt ternarius eſt ratio diſtinctè binarii cognoſcẽdi. ſed formæ, inſtar numeri naturæ ſe habent, authore philoſopho 8. meth: eſſentia ergo formæ maioris, eſt ratio diſtincta minoris cognoſcendæ. Itaq; intelligentiæ ſuperiores, per ſuas*
Tetragonum continet trigonum. *eſſentias, ſine aliqua alia ſpecie, & ſeipſas, & alias inferiores intelligunt: tetragonum namque, id eſt, quadrangulus, eſt ratio trigoni, hoc eſt, trianguli cognoſcendi. ſed formæ, quæ ad vniuerſi ornatum faciunt, ſunt velut trigonum in tetragono: idem ergo quod*
5\. *prius. Præterea, intellectio eſt perfectio intelligentis. ſed illa ſpecies ſi eſſet, non poteſt eſſe angeli perfectio; eſt enim accidens, ideoq; non perficit ſubſtantiam, ſed ab ipſa perficitur: non ergo ſpecies innata, ſiue impreſſa eſt angeli intellectio, ſiue ratio intelligendi; ſed ſuaipſius eſſentia, qua & ſe, & alia intelligit: eodem enim eius quidditas eſt intelligibilis, quemadmodum & aliæ quoque quidditates creatæ ſunt intelligibiles. Quare, ſicut alicui intellectui, immediata ratio cognoſcendi, eſt ſuiipſius eſſentia; pari quoque ratione, alterius rei quidditas, erit ratio ſe cognoſcendi, intelligendiq;: atque ita cognoſcendarum quidditatum rationes, ipſæmet ſunt quidditates, non aliæ ſpecies ab ipſis diſtinctæ. Hæc igitur, atque ſimilia obiiciunt, qui aiunt, angelos ſine innatis, ingenitisq; ſpeciebus intelligere. Nonnulli autem dicunt, angelos per ſuas eſſentias ſe intelligere non*
Quòd angel⁹ nõ intelligat ſe per ſuam eſſentiam. *poſſe: ita arguendo. ſi angelus intelligit ſe per ſuam eſſentiam: igitur eſt ſua intellectio. ſed conſequens eſt falſum: ergo, & antecedens. Profectò, ſi extrema eſſentialiter ſunt idem; medium quoque ab ipſis non diſſentiet; non enim priùs diſtinguitur medium ab*
6\. *extremis, quàm extrema ab inuicem: igitur, ſi angelus intelligit ſe per ſuam eſſentiam; eſſentia ergo, & ipſius intellectus, ſimiliter ſe habebunt; atque ita ex conſequenti, operatio media inter potentiam & obiectum, vel rationem cognoſcendi, idem erit omninò; ſicq; intellectio angeli ſua eſſet ſubſtantia, quod eſt falſum; alioqui ſua intellectio naturalis, ſimpliciter nobilior eſſet, atque præſtantior, intellectione ipſius beatifica. huic accedit, quòd ſingulare per ſe primò non intelligitur, niſi reflexè tantùm. ſed angeli eſſentia, eſt aliquod ſingulare: non ergo per ſe primò eſt intellectionis cauſa. Adde authoritatem philoſophi 2. de anima: Omne receptiuum debet denudari à recepto, ſic viſus, o-*

mni co-

mni colore vacare debet, vt colores recipere poſſit. ſed angeli intellectus, à ſua nequit denudari, ſpoliariq́; eſſentia: igitur eſſentia non eſt cauſa atq; ratio intelligendi. Ex quo patet, angelum per eſſentiam nihil intelligere.

CAP. VII.

Soluuntur Argumenta.

AD primum, maior eſt omnibus modis falſa reputanda: cùm enim angelus 1.
moueatur localiter; à ſeipſo vtiq; moueri neceſſe eſt. quapropter, propo- Actus, & potẽtia duobus
ſitio illa, ſi vniuerſaliter intelligatur, veritati nequaquam conſonat; non e- modis accipiuntur.
nim neceſſe eſt, vt mouens & motum, ſemper ſubiecto diſtinguantur. Ad
probationẽ autem dico, actum & potentiam, interdum entis eſſe differẽtias,
atq; ita ſimul eidem conuenire non poſſe: non enim vnus atq; idem homo ſimul & ſemel in
actu eſt & potentia. nonnunquam verò actus & potentia, ſunt principia entis, ſicq́; eidem
reſpectu eiuſdem, ſine vlla contradictione conuenire queunt. vnde idem alij dicunt, li-
cet ſub alijs verbis: Nulla, inquiunt, eſt contradictio, idem, reſpectu eiuſdem, in actu Actus virtualis, & potentia
eſſe virtuali, & in potentia formali; in potentia verò formali, & in actu quoque forma- formalis.
li idem eſſe, ſecundùm eundem actum numero, ad quem eſt in potentia, eſt impoſſibi- Angelus intelligit ſe per ſuã
le. Præterea, ſi angelus non intelligit ſe per ſuam eſſentiam, nec per aliquam ſpeciem: eſſentiam.
igitur ignorat ſe omninò; non enim intelligit ſe naturaliter per angelum inferiorem, alio-
qui inferior non cognoſceret ſeipſum, neque per ſuperiorem, aliter ipſe quoq; ſuperior in
eandem abſurditatem incideret: nec per ſimilem, vel æqualem, alioqui eſſet circulus in
obiectis per ſe; nam pari ratione, & ille per alium intelligeret: neq; per motum ſuum,
multi quippe angeli ſunt, qui orbium mouendorum munus non exercent: neq; per De-
um, quia videlicet, non cognoſcit primò, ac naturaliter, vt dicemus, ipſum Deum bene-
dictum: denique, neq; per aliquam aliam creaturam. Quare, aut prorſus ſe neſcit, aut
per nihil, tanquam per rationẽ cognoſcendi ſe intelligit, quod eſt ſtultitiæ ſimile. An-
gelus ergo intelligat ſe neceſſe eſt per eſſentiam ſuam, veluti per cauſam, rationemq́ue
immediatam, per ſpeciem verò, vt per cauſam cognoſcendi mediatam, ſicuti paulò antè
diſputando aſſerui. Ad 2. negatur conſequentia, & ad probationem dico, rationem il- 2.
lam affirmare quidem angelum, per ſuam ſe intelligere eſſentiam; non tamen negare,
quin per ſpeciem innatam ſe intelligere nequeat: neque ob id fruſtratorius reputandus
eſt primus cognoſcendi modus; quandoquidem ad angeli ſpectet perfectionem, duplici
ſeipſum cognoſcendi modo, intelligere poſſe. Ad 3. quamuis abſtractiuæ cognitioni per 3.
ſe competat, ad obiecti præſentiam, atque abſentiam indifferenter ſe habere; quia tamen
alio modo ſe habet in angelo; ideo non eſt ſimile iudicium; obiectum enim ſemper ad-
eſt, quia idem eſt cognoſcens ſeipſum, ideoq́; non poteſt abeſſe cognoſcenti. Ad confir-
mationem iam dictum eſt, nullum ſequi inconueniens, ſi eſſentia immediatè angeli præ-
ſentetur intellectui per ſeipſam, mediatè verò per ſpeciem; non enim eſt ſecundùm i-
dem, neque idem modus cognoſcendi. Ad 4. negatur ſimilitudo: nam Ariſtot: de ani- 4.
ma rationali loquitur ſenſibili & vegetabili: iccirco non eſt ſimile de numeris, & ſpe-
ciebus: numerus ſiquidem maior, tanquam partem ſui, ſecundùm totam eius entitatem,
minorem complectitur; hac de cauſa, illius cognoſcendi ratio ſufficiens iudicatur: ſpe-
cies autem non ita ſe habent in vniuerſo; nam etſi ſuperiores intelligentiæ, maiorem ha-
beant entitatem, quàm inferiores; non tamen totam omninò inferiorum entitatem emi-
nenter complectuntur, ita, vt inferiores à ſuperioribus negatione tantùmmodò ſepa-
rentur: ſpecies namq; in vniuerſo propriis rationibus diſtinguuntur. Ad 5. ſpecies illa eſt 5.
intelligentiæ perfectio ſecundùm quid, non autem ſimpliciter; ideoq́; perfectione ange-

 licum in-

Angelorũ cognitio.

licum intellectum ſuperare non valet: omne enim accidens, vt dicitur 7. meth: eſt minus ens, quàm ſubſtantia. cætera autem clara ſunt, ex his quæ paulò antè annotauimus.

6. Duplex medium.

Ad 6. duplex eſt medium, ſecundùm rem vnum, ſecundùm imaginationem verò alterum: primum autem ex natura rei, ab vtroque nequaquam diſtat extremo, ſicut videre licet in extremis coloribus, & illorum medio. Porrò, medium ſecundùm imaginationem, ab extremis diſtat omninò, cuiusmodi eſt operatio intelligendi, quæ quidem à potentia egreditur, & ad obiectum terminatur; quamuis ſecundum rei veritatem, reſpectu vtriusque extremi, ac poſterioris vicem obtineat. Ad confirmationem dico, ſingulare ab intellectu angelico, primò intelligi poſſe, atque eſſe rationem intelligendi, quod quidem noſtro intellectui eſt impoſſibile, propter naturalem potentiarum ordinem, intellectus ſcilicet, & imaginationis; intelligentem enim oportet phantaſmata ſpeculari. Ad aliam confirmationem, illud veritatem habet de potentia organica, quæ eſt determinati generis, puta viſus ad colorem: intellectiua autem, quia circa totum ens verſatur, propterea ſi ab illo omninò denudaretur, à ſeipſa quoque idem pateretur. Angelum ergo ſeipſum intelligere poſſe intuitiuè, & abſtractiuè, dixi.

Angelus poteſt ſingulare primò intelligere.

QVAESTIONIS TERTIAE CAP. I.

Angelum intelligere per ſpecies à rebus acquiſitas, rationibus demonſtratur.

Quòd angeli intelligunt per ſpecies acquiſitas.

AVdiuimus beatos angelos intelligere per ſuas ipſorum eſſentias, atque per ſpecies concreatas: lubet iam ſpeculari, ſi per ſpecies à rebus acquiſitas, hoc ipſum intelligendi officium exercere valeant; non enim deſunt, qui contrariam partem tueri contendant: nos autem affirmatiuam tuentes, rationi-
1. *bus ita approbamus. Si angelus, ſpeciebus concreatis intelligit omnia: igitur, habet in actu ſpecies infinitas; poteſt enim, ſucceſſiuè ſaltem, infinitas angelorum ſpecies poſſibiles intelligere, aut infinita eiusdem ſpeciei indiuidua. quodlibet autem indiuiduum, propriam ſpeciem habet: nec vnum, per alterius ſpeciem intelligi poteſt: nec vna ſpecies, per alterius ſpeciem. ſi igitur omnium intelligibilium ſpecies concreatas haberet: infinitæ vtique ipſius intellectui ſpecies ineſſent, quod eſt falſum; infinitæ enim eſt natu-*
2. *ræ munus, non autem finitæ & limitatæ. Amplius, ſi omnia intelligit per ſpecies concreatas: igitur ita indiuidua futura, æquè ac præſentia naturaliter intelligit. Etenim, ſpeciebus præſentibus intelligimus, quando volumus: non ſic autem ſentimus, quando volumus, quippe, cùm non ſit apud nos ſpecies abſente ſenſibili. ſed conſequens eſt fal-*
3. *ſum: ergo & antecedens. Reuera, ſi angelus per ſpecies concreatas intelligit tantùm: repugnat ergo illius intellectui, notitiam à rebus habitualem acquirere, quod eſt falſum; nihil enim intellectui angelico obſiſtit, quin ex ſua natura intrinſeca, habitualem, vel a-*
4. *ctualem notitiam habere non poſſit. Præterea, ſi angelus habeat ſpecies omnium quidditatum, atque indiuiduorum actu exiſtentium; non tamen omnium poſſibilium, alioqui vt dixi, actu infinitas ſpecies haberet, quod eſt falſum. nec licet per ſpeciem indiuidua intelligere; indiuiduum namque, ſuper quidditatē ſpecificam, differentiam addit indiuidualem, ad quam profectò quidditas ſpecifica eſt in potentia. neque ex hoc quis dicere poteſt, quidditatis ſpeciem ocioſam eſſe: nam etſi indiuiduum ſpeciem formaliter contineat in actu; quælibet tamen illarum, in illius notitiam, cuius eſt, primò directèque adducit; puta, quidditatis ſpecies, in quidditatem, indiuidui verò, in indiuiduum: non ergo per ſpeciem, diſtinctè indiuiduum intelligere poteſt: ſed quemadmodum, ſpeciem abſque indiuiduo; ita quoque & indiuiduum ſine ſpecie, intelligere valet. Ex quo patet angelum, non ſolùm per concreatas, ſed etiam per acquiſitas ſpecies intelligere.*

CAP.

CAP. II.

Angelum intelligere tantùmmodò per ſpecies innatas, atque impreſſas, argumentis oſtenditur.

OMnis intelligentia, ſicut dicit author de cauſis, 10. propoſitione, plena eſt 1.
formis: igitur per ſpecies tantùm concreatas intelligit, alioqui, ſi per for-
mas acquiſitas intelligere poſſet; non vtique à principio plena formarum
eſſe diceretur. Reuera, intellectus angelicus, diuinum inter & humanum
medium obtinet: igitur medio quoque pollet modo intelligendi. ſed intel-
lectus diuinus, non intelligit per aliud à ſe, nec per aliquid à rebus receptum; intelle-
ctus verò humanus, omnia ab extrinſeco mendicat: igitur intellectus angelicus, etſi per
aliud à ſe, non tamen per aliquid à rebus receptum, ſed per ſpecies innatas intelligit.
Præterea, ſi angelus per ſpecies acquiſitas intelligeret: igitur haberet intellectum agen- 2.
tem, ſpeciem cauſantem, eamq́ à re ſenſibili & ſingulari extrahentem. ſed dedecet hoc
angeli puritatem, quia ſcilicet, perfectus illi ineſt, atque actualis intellectus: non ergo
intelligit per ſpecies acquiſitas; intelligeret ſiquidem rem materialem, quæ vtique age-
ret in ipſius intellectum: agens autem eſt præſtantius patiente: illa ergo ſpecies ſic ac-
quiſita, præſtantior eſſet angeli natura, quod eſt falſum. Amplius, ſi ita res ſe habe- 3.
ret; obiectum ergo intellectus angelici, eſſet intelligibile in potentia, quod eſt falſum,
ſiquidem in ſeparatis à materia eiuſdem conditionis ſunt, intellectus, & id, quod intelli-
gitur. ſed intellectus angeli, ſemper eſt in actu: & obiectum ergo ſimiliter. Sanè, ani-
ma corpori vnita, modum cognoſcendi à corpore mutuat, idq́ mediantibus ſenſibus. à
corpore autem libera, liberum quoque habet eſſendi modum, atque intelligendi, nempe,
abſque ſenſuum adminiculo, atque phantaſmatum confuſo miniſterio: multò ergo magis
angelus, cùm ſit nobilioris naturæ, ſine huiuſmodi ſpeciebus intelliget: ergo quod prius.
Præterea, ab extremo, in extremum, non datur tranſitus, niſi per medium. ſed rerum 4.
materialium eſſe, ſub conditionibus indiuiduantibus, eſt vnum extremum; illud verò,
quod ab eiſdem conditionibus abſtrahendo fit, eſt alterum: non ergo inter hæc extrema
datur tranſitus, niſi per medium, quod eſt phantaſia, atque imaginatio. At, in angelo,
iſta eſſe non poſſunt, forma enim ſimplex, ſubſiſtens perfecta, cuiuſmodi eſt angelus,
corpus informare nequit: ergo quod prius. Si præterea, vnus angelus nihil poteſt ab 5.
altero accipere; multò ergo minùs à corpore: nam ſi aliquid acciperet; aut corporis fie-
ret contactu, aut virtutis: non quidem corporis, quia corpore vacat: nec virtutis, quia
vnus non agit in alium, niſi præſens extiterit. ſed vnus alteri non eſt præſens, nec ſimul,
alioqui eſſent in eodem loco: igitur quod prius.

CAP. III.

Soluuntur Argumenta.

AD primum, Ille author de cauſis, aut negandus eſt omninò, aut hyperbole 1.
vtitur, per quendam ſcilicet exceſſum, angelici intellectus perfectionem
oſtendendo, idque per formarum multitudinẽ, quibus illius intellectus or-
natur. Ad confirmationem dico, ideo medius dicitur, quia partim quidem
per acquiſitas, partim verò per concreatas intelligit ſpecies, noſter autem
per acquiſitas tantùm. Dei verò intellectus neutro modo, ſed per ſuam eſſentiam, intel-
ligit omnia. Ad 2. angelum habere intellectum agentem, atque poſſibilem, approbo, 2.

Angelorũ cognitio.

ſicuti paulò poſt dicetur. Ad confirmationem dico, rem materialem non agere in intellectum, vel ſpeciem, aut actnm intelligendi totaliter, ſed partialiter tantum: proinde non ſequi, quod infertur.
3. *Ad 3. quamuis intellectus angelicus, quòad notitiam intuitiuam, habeat obiectum intelligibile in actu, ſitq; ipſe actu intelligens: quòad verò notitiam abſtractiuam, habet obiectum ab ipſo abſtractiuè intelligibile, ſpeciemq; eiuſdem rationis. vnde non ſolùm per aliud, ſicut per obiectum primò cognitum; verùm etiam per ſpeciem, quæ eſt ratio cognoſcendi, non antem primò cognita intelligit. Ad confirmationem reſpondeo, intellectum qui non eſt purus actus, tam ſpeciem, quàm actum intelligendi à rebus accipere poſſe. Quamobrem, etſi anima corpori coniuncta per phantaſmata, ſuam à rebus notitiam acquirere tentet; hoc tamen non eſt ita neceſſarinm, quin intellectus aliquis, à corpore liber, à rebus nullam certè notitiam recipere queat.*
4. *Ad 4. maior, in noſtro qnidem, non autem in intellectu ſeparato, veritatem habet. maior præterea, ſi de omni medio intelligatur, abſq; dnbio falſa eſt reputanda; poſſnm enim modò, ciuitatem Tudertinam intelligere, deinde ſtatim Romanam, medium non transeundo, aut intelligendo. Item, ſi ab eſſe reali, ad eſſe intellectum, non datur tranſitus ſine medio, nec è conuerſo, quod eſt falſum: angelus namque immediatè motum cauſare poteſt, nullumq; ponit medinm inter intellectum, & volitum penes ſe exiſtens,*

Ciuitas Tudertina in qua tunc eram.

5. *vel in corpore poſitum. ex quo patet, vniuerſaliter veram non eſſe. Ad 5. dico, vnum angelum, ab altero velnt ab obiecto, ſpeciem recipere poſſe: nec valet quod infertur, nimirum, vnum alteri angelum, præſentem eſſe non poſſe: nam nullum eſt impedimentnm, quin vnus adſit alteri; ſunt enim ſpecula purgatiſſima, & munda, ſibiipſis ſemper præſentia, ac innicem illuminantia. Qnomodo ergo vnus alteri præſens non erit, cùm alteri alterius mens pateat? Anglos ergo per ſpecies acquiſitas intelligere poſſe, dixi.*

CAP. IIII.

Angelum habere intellectum agentem, & poſſibilem, probatur.

Si eſt in angelo intellectus poſſibilis.

Quoniam dixi, angelum per ſpecies acquiſitas poſſe intelligere, quod planè ſine miniſterio intellectus agentis, atq; poſſibilis fieri non poteſt; non importunè ergo quæritur, ſi angelo inſit intellectus agens, atque poſſibilis. Quidam autem, natnrã intellectus poſſibilis & agentis, ad modum intellectus humani metientes, indubiè affirmant, in angelo huiuſmodi intellectus minimè inueniri: Quoniam, inquiunt, nos quandoq; in actu, quandoq; in potentia, intelligentes ſumus; hac de canſa, nobis neceſſaria eſt quædam virtus, quæ ſit in potentia ad intelligibilia, ante ipſum intelligere: quæ quidem cùm in actum reducitur, fit ſciens; & vlterins, fit conſiderans. hanc autem virtutem, intellectum vocant poſſibilem. Quia verò rerũ materialium naturæ, quas nos intelligimus, extra animam immateriales & in actn intelligibiles non ſubſiſtunt, ſed ſunt tantùm potentia intelligibiles; propterea, aliquam virtutem nobis natura conceſſit, qua, in actum reuocarentur, atq; adducerentur, quæ antea ſnbſiſtebant iu potentia, quæ quidem agens intellectus appellatur.

Agens intellectus.

Quoniam autem, angeli non ſunt in potentia intelligentes, reſpectu eorum quæ naturaliter intelligunt, neq; eorum intelligibilia ſnnt in potentia, ſed in actu; ideo, intellectus agens ineſt illis, atq; poſſibilis, non vniuocè, ſed æquiuocè tantùm. Sanè, in nobis eſt intellectus agens, atq; poſſibilis, ob reſpectum quidem, quem habemus ad phantaſmata, quæ quidem intellectui comparantur poſſibili, velnti colores ad viſnm: intellectui verò agenti, vt colores ad lumen. Cùm autem huiuſmodi phantaſmata, intellectui non inſint angelico; fruſtra profectò huiuſmodi intellectus, angelis tribuerentur. Reuera, ſi rerum quidditates ſeparatæ eſſent, & abſtractæ, & ex conſequenti, actu intelligibiles,

Angelorũ cognitio.

ligibiles; nobis profectò opus non eſſet intellectu agente. Cùm autem intellectus angelicus primò immaterialia intelligat; non vtiq; in potentia intelligit, ſed in actu: proinde, intellectus agens, angelo minimè congruit, neq; intellectus poſsibilis: angelus enim ſemper actu intelligit. Hæc & ſimilia nonnulli dicunt, qui ab angelis remouent intellectum agentem atq; poſsibilem. Verùm, ſi res penitiùs conſideretur, non omninò eſt irrationabile, imò rationi conſonum atq; conſentaneum, vtrumq; intellectum, ſuo modo in angelo inueniri. In omni quippè natura intellectuali creata, quæ non eſt purus actus, eſt, quo eſt omnia facere, & quo eſt omnia fieri, ſicuti in natura potentiali. ſed angelus non eſt purus actus: igitur illius intellectus eſt, quo eſt omnia facere, nempè intellectus agens, & quo eſt omnia fieri, id eſt intellectus poſsibilis. Dicis, hoc intelligi debere de natura, in qua ſcientia generatur, cuiuſmodi non eſt angeli natura, quippè, cùm angelo adſit noticia, ſiue ſcientia naturalis. Verum quidem eſt, angelo adeſſe multarum rerum, naturalem ſcientiam per ſpecies concreatas; nihilominus poſſent in ipſo eædem concreari, ſi creatæ non fuiſſent. Vnde, ſi in puris naturalibus aliquis angelus crearetur, abſq; concreatis ſpeciebus, multas quidem, ſicut & nos, acquirere poſſet. Dicis, quòd intellectus agens eſt, quo eſt omnia facere in eſſe intelligibili, non quidem quòad actum, ſed potiùs, quòad ſpeciem à phantaſmate abſtractam. ſed angelo nõ ineſt huiuſmodi phantaſiæ modus: igitur non habet intellectum agentem. Dico, principalem actum intellectus agẽtis, non eſſe à phantaſmate abſtrahere, ſed eam accidentalem eſſe potiùs, pro vnione potentiarum ordineque, quem inuicem ſeruant in præſenti vita, alioqui non eſſet in beatis, nec præcipuam haberet operandi virtutem, quod planè abſurdum eſt atq; inconueniens, quãdoquidem potentia eſt ſpiritualis, beatitudinis capax. Præcipuus autem intellectus agentis actus eſt, creare intellectionem, atq; facere rem in actu intellectam, ſecundùm actum, qui profectò ab angelis nullo modo remouendus eſt atq; auferendus. Item, in angelis perfectior, quàm in nobis, dei imago ſplendeſcit. ſed intellectus agens, ad imaginẽ ſpectat, vtpotè optima animæ potentia: ergo in angelis eſt intellectus agens. Amplius, aut res materialis & indiuidualis cum ſuis conditionibus indiuiduantibus per ſe, & primò ab angelis intelligitur, atq; ita res materiales immaterialesq; intelligeret, æquè primò atq; immediatè, cuius oppoſitum ipſi fatentur. aut non ſic intelligitur, quod dici nõ debet; ſiquidem obiectum improportionatum ſibi aptare poſſe, ad perfectionem pertinet. Cùm autem id, quod perfectionis eſt in natura inferiori, à ſuperiori remoueri non debeat: in angelis ergo eſt intellectus agens, cuius virtute obiectum improportionatum proportionatur, adaptaturq; potentiæ intelligentis. Sed dicet aliquis, intellectus agens non eſt perfectio ſimpliciter, ſed imperfectæ naturæ locum ſupplens, quæ ſanè in angelis eſſe non poteſt. Præterea, gignere ſibi ſimile, naturæ perfectionem connotat, quæ tamen in angelis non inuenitur: non ergo quidquid perfectionis eſt in natura inferiori, ſuperiori eſt attribuendum. Dico, intellectum agentem angelis competere omninò, ſiue ſit perfectio ſimpliciter, ſiue ſupplens imperfectionem: nam ſi angelus non haberet huiuſmodi intellectum, quo poteſt ab obiectis, ſpecies, notitiasq; recipere, atque obiectũ materiale, quod eſt potentia intelligibile, ſibi proportionare; noſtro vtiq; intellectu inferior reputaretur & vilior. Illud verò, quod de ſibi ſimili gignendo adducitur, nullius eſt momenti, quippè, cùm angeli ſint incorruptibiles, & certo numero conditi: generatio verò, naturæ inferiori tributa eſt, tùm propagandæ prolis gratia, cùm corruptibilitatis ſupplendæ. Ad argumenta autem priora ſic reſpondeo. Ad primum, quamuis quodlibet angeli intelligibile poſitiuum in actu, immediatè, & intuitiuè ab angelo intelligatur; intellectus tamen agens in angelo, non quidem de potentia intelligibile, actu intelligibile reddit; ſed potiùs de actu intellecto, quemcunq; producit actum intelligẽdi, qui quidem eſt principalis actus intellectus agentis. Proinde, angeli indigent intellectu agente, non quidem ad abſtrahendum, ſed potiùs ad benè intelligendum. Præterea, an-

Quòd in angelo ſit intellectus agẽs atq; poſsibilis.

1.

Agens intellectus eſt in angelo.

Intellectus agentis præcipuus.

2.

3.

Obiectio.

Solutio.

Soluuntur argumenta.

Angeli non producunt ſibi ſimile.

Intellectus agentis neceſsitas in angelis.

tereà, angelus quòad notitiam abſtractiuam, non habet obiectum primò ſibi actu cognoſcibile, niſi per ſpeciem, quæ per virtutem habetur intellectus agentis: nam etſi habeat concreatas ſpecies; propter tamen multorum, vt dixi, intelligibilium multitudinẽ, ſpecies quoque acquiſitas habere cenſetur, atque ita in angelo eſt intellectus agens: in-
Intellectus poſsibilis. tellectus verò poſsibilis illi atribuitur, quia nimirum, licet ſemper aliquid intelligat; non tamen actu ſemper intelligit, quæcunq; intelligere poteſt; nam interdum intelligit aliquid, quod prius non intellexit, ſicq; eſt intelligens in potentia, cuius reſpectu, non immeritò illi intellectus poſsibilis tribuitur. Quomodo ergo in angelo ſit intellectus agens, atq; poſsibilis, hæc dixiſſe ſufficiat.

CAP. V.

Quomodo angeli Deum intelligant.

DE angelorum cognitione multa quidem diſputando dicta ſunt; præſtat modò inquirere modum, quo angeli deum intelligunt. Res planè obſcura ſatis, & intellectu atq; affatu difficilima, tùm quia ſecum affert obſcuritatem non paruam, tùm verò quia varia eſt & multiplex de hac materia ſapientum ſententia. Implorato ergo priùs diui Pymandri auxilio, aliquid dice-
Triplex notitia. re tentabo. Inprimis non ignorare oportet, triplicem notitiam eſſe: vnam quidem, quæ res intellecta eſt, vocaturq;, vt dixi, intuitiua: aliam verò, quæ eſt rei ſimilitudo, nempe abſtractiua: poſtremam autem, quæ eſt rei cauſa ſiue effectus, quam ſpecularem nõ nulli appellant. Iſtarum autem quælibet, ſimplex nominatur, vtpotè, quæ ad ſimplicem,
Philoſophorũ opinio. non autem ad compoſitam rem ſpectet. Quoniam autem, authore philoſopho 2. cœli, omne poſsibile, & melius in ſempiternis, eſt neceſſarium. poſſibile autẽ eſt, & melius ſub-
1. ſtantijs ſeparatis eſt, deum intuitiuè intelligere; intuitiua enim cognitio eſt melior abſtractiua; ſunt enim actus puri, ſpecula munda: ideo intelligentias deum intuitiuè ac naturaliter intelligere, aſſerit philoſophus. Item, 9. met. cap: 17. Eſt autem nihil potentia ſempiternum; poſsibile enim in rebus æternis eſt neceſſarium. Porrò, ſi neceſſarium nõ
2. præſupponit alterius auxilium: angeli ergo ſine alia ſpecie deum intelligunt. Reuera, mediæ intelligentiæ, deum, atq; ſuperiores, biſariam intelligunt: intuitiua ſiquidem cognitione, quæ eſt ipſamet res cognita: & cognitione ſpeculari, hoc eſt, per ſuperiorum effectus. inferiores verò vna tantũ cognitione, nempe ſpeculari, id eſt cognitione, quæ eſt illarum cauſa: hoc autem eſt illis melius atq; poſsibile. Amplius, ſubſtantiæ ſepa-
3. ratæ accidentibus non ſubſtant, quia ſunt formæ ſimplices, quarũ natura extraneis rebus atq; peregrinis non ſubiacet. In intelligendo ergo deo, alijsq; ſuperioribus ſubſtantijs, nulla opus habent aduentitia ſpecie, concreata videlicet ſiue acquiſita: quælibet enim ſic accepta notitia, accidentalis eſt atq; mutabilis, quæ diuinis ſeparatisq; intelligentijs minimè competit. Præterea, mediæ intelligentiæ à prima cauſa dependent, in
4. triplici vtiq; genere cauſæ, proinde perfectiſſimo modo in illis relucet producentis atq; primi agentis imago: abſq; ergo exteriorum adminiculo, per ſeipſas, & ex ſeipſis, velut ex pulchris imaginibus, ſuum opificem atq; pictorem intelligunt. Hæc quidem philoſo-
Catholicorũ opinio. phi dicunt, naturalia principia ſequentes, quibus profectò obuiant Catholici, tùm rationibus, cùm etiam authoritatibus muniti: Nulla, inquiunt, creatura per præſentiam ſuæ
1. eſſentiæ ex puris naturalibus deum intelligit, aliter eſſet naturaliter beata. Tenet conſequentia: deum enim intelligere, ſicuti angeli intelligunt, eſt vera beatitudo talis. ſed beatitudo non ineſt creaturæ, ex puris ſolisq; naturæ principijs, aliter ex ſe eſſet beata,
2. quod eſt falſum: igitur deum ex ſuæ eſſentiæ præſentia intelligere nequit. Amplius, deus creat actum beatificum, non quidem ex puris intelligentiæ principijs naturalibus, cũ

bu-

 Angelorũ cognitio.

*huiuſmodi actus non ſit illis eſſentialis, atq; oriens ex ſolis principijs naturæ angelicæ:
igitur intelligentiæ naturaliter deum intelligere nequeunt, ſine aliquo deſuper infuſo ha-
bitu, actu, ſiue ſpecie. Præterea, mediæ intelligentiæ ſunt ſuperiorum effectus, cauſæ* 3.
*verò inferiorum: igitur deum, ac ſuperiores, cognitione ſpeculari intelligunt: nam dũ
puris relinquuntur naturæ principijs; nullam naturalem habent intelligendi ſpeciem im-
preſſam atq; congenitam: Intelligentiæ ergo per proprias eſſentias, Deum naturaliter
non intelligunt, Deum verò non intelligere, omninò abſurdiſſimum eſt, ne dicam impi-
um & impoſſibile, alioqui infeliciſſimæ eſſent, quas ſicut ratio docet, beatiſſimas eſſe
dicimus. Quomodo autem deum intelligant, non parua eſt inter theologiæ cultores con-* 1.
*trouerſia. Quidam enim aiunt, deum non intelligi ab intellectu angelico, per ſuæ ſimili-
tudinis præſentiam, ſicuti intellectus humanus res materiales, quippè, cùm nulla ſimi-
litudo in alicuius rei diſtinctam notitiam, niſi illi ſit æqualis, adducere poſſit. ſed nulla
res creata deo æquatur; eſt enim finita, deus autem infinitus; finiti verò ad infinitũ nul-
la eſt proportio: igitur deus, per præſentiam ſuæ ſimilitudinis nequaquam intelligitur.
Profectò, ſpecies illa ſiue ſimilitudo, ſi alicui intellectui inſit, cùm ſit creata; rei poti-* 2.
ùs creatæ quàm increatæ, ſimilitudinem præſeferre poteſt. Item, infiniti nulla eſt ima- 3.
*go ſiue ſpecies. ſed deus eſt infinitus: nulla ergo imagine aut ſpecie, etiam immateriali
& intellectiua poteſt intelligi, alioqui, ſi huiuſmodi ſpecies mentibus angelicis impreſ-
ſa ſubſiſteret; illorum quilibet, naturaliter, diſtinctèq; deum poſſet cognoſcere, quod iã
confutauimus. Dicunt ergo iſti, deum intelligi ab angelis per ipſius ſimilitudinem, in i-
pſorum mentibus reſultantem atq; apparentem, ſicuti quiſpiam videretur in ſpeculo; eſt* Deus videtur
enim illarum eſſentia dei imago, in qua, veluti in ſpeculo, diuina relucet eſſentia. Ex quo in imagine.
*patet, nec intuitiuè, nec abſtractiuè, omni deſuper habitu, ſeu ſpecie circumſcripta, de-
um ab intelligentijs illis ſeparatis, naturaliter intelligi poſſe: non quidem intuitiuè, alio-
qui naturaliter eſſent beatæ: nec etiam abſtractiuè, cùm nullũ ſit phantaſma, quod dei
ſimilitudinem præſeferre queat: quælibet ergo ex intelligentijs deum intelligit per ſu-
am eſſentiam, tanquam per imaginem dei viuentis. Sed huic poſitioni nonnulli ſic occur* Deum intelli-
rere ſtudent. Si quælibet intelligentia, per ſuam eſſentiam deum intelligit; in intelligen- gi abſtractiuè
do diſcurreret ab obiecto primò cognito, ad ipſum deum cognoſcendum. at diſcurſus ab 1.
vno ad aliud, præſupponit cognitionem vtriuſq;. Præterea, tunc angeli eſſentia, diui- 2.
*nam eſſentiam eminenter contineret: nam obiectum, quod eſt ratio alterius obiecti co-
gnoſcendi, virtualiter atq; eminenter illud contineat, neceſſe eſt. ſed eſſentia angeli eſt
finita: non ergo eminenter infinitam dei eſſentiam continere poteſt. Cognitio inſuper i-* 3.
*gnobilioris, non poteſt eſſe ratio rei nobilioris cognoſcendæ. ſed cognitio eſſentia angeli-
cæ eſt talis: igitur per ipſius cognitionem, diuina nequit intelligi eſſentia. Porrò, hu-* Solutio.
iuſmodi rationes, ſic ſolui poſſunt, angelum non diſcurrere, quia videlicet eodem actu, 1.
*vtrumq; apprehendit, licet vnum per aliud, vel mediante alio. diſcurſus præterea eſt ab
aliquo priùs noto, vel apto priùs noſci, quod non eſt in propoſito. Ad probationem di-
co, veritatem habere, quando ratio alicuius cognoſcibilis eſt æquè perfecta, ac ipſum
cognoſcibile. ſed eſſentia angeli non eſt huiuſmodi, reſpectu dei cognoſcendi: igitur nõ
eſt ſimile. Ad 2. dicunt, eſſentiam angeli tanquam obiectum, dei continere eſſentiam,* 2.
*virtute inſtrumentali, non autem principali, veluti poteſt effectus, ſuæ cauſæ eſſentiam
entitatemq; inſtrumentaliter continere. Ad 3. cognitio creaturæ non eſt tota cauſa co-* 3.
*gnitionis diuinæ, neq; perfecta & abſoluta cognitio; idcirco ratio illius argumenti, non
facit ad rem, nec alicuius eſſe poteſt momenti. Quidam aiunt, deum abſtractiuè ab an-* Quomodo co
gelo intelligi, naturaliter quidem atq; diſtinctè, per quandam ſpeciem ſibi inditam, dei gnoſcitur ab-
naturaliter repræſentatiuam, quæ quidem ſpecies naturalis dicitur, quia ſcilicet eſt na- ſtractiuè.
*turalis angeli perfectio, non autem cauſata ab aliquo obiecto naturaliter agente: deus
enim ad extra, nihil naturaliter agit. Per hanc igitur ſpeciem, ita naturalem, quælibet*

intelligen

cognitio.

Naturaliter, abſtractiuè, diſtinctè.

intelligentia, diſtinctè ac naturaliter deum cognoſcit, idq; abſtractiuè. naturaliter quidem, vtpotè per aliquid, quod eſt intelligentiæ naturalis perfectio: abſtractiuè verò, quatenus illa ſpecies, quæ naturalis nominatur angeli perfectio, non ſolùm deum præſentem, ſed abſentem quoq; repræſentare poteſt. Diſtinctè autem, quia ſub propria & eſſentiali ratione. Profectò, ſi naturalis angeli beatitudo maior eſt, atq; præſtantior naturali hominis beatitudine; id certè non aliunde, quàm ex illa impreſſa ſpecie ortum haberet.

Raptus Pauli.

Amplius, Paulus vidit eſſentiam diuinam tranſeunter, non autem permanenter, atq; poſt viſionem eorum memor erat, quæ in raptu viderat, idq; ſub ratione diſtincta, qua erat obiectum viſionis; non tamen præſentis actualiter; ſiquidem huiuſmodi præſentia non manet in ratione cognoſcibili, actu viſionis tranſeunte. Per aliam ergo rationem, huiuſmodi intellectũ perficientem, hoc modo obiectiuè præſens eſſe dicitur: igitur, talis ſpecies, angelico concedenda eſt intellectui; nihil enim remouendum eſt ab intellectu angelico, quod intellectui creato in naturalibus, minimè repugnat. Quòd autem ſpecies obiecti diſtinctè maneat poſt raptum, rationi conſonat; poſſe namq; ſpeciem obiecti conſeruare, poſt illius præſentiæ abſceſſum, ad intellectus vtique perfectionem attinet. Angelus ergo per illam ſpeciem abſtractiuè, vt dixi, deum intelligit.

Rationes contrariæ.

Verùm, huiuſmodi poſitio, non omnibus modis tuta atq; ſecura eſſe poteſt, nec deſunt rationes, quæ eam oppugnent. Reuera, ſi talis ſpecies angelicæ menti eſſet impreſſa, vnde deum naturaliter, abſtractiuè, atq; diſtinctè intelligeret; abſq; dubio, ſecundùm aliquam ideam determinatè condita fuiſſet, atq; ita ad illius primò, non autem ad eſſentiæ cognitionem adduceret diuinæ. Adde, quòd authore philoſopho 3. de anima, ſpecies ponitur, quando non habetur obiecti præſentia. ſed diuina eſſentia, ſemper adeſt angelicæ menti, ſiue intellectui: igitur nulla nos vrget neceſſitas, vt ſpeciem huiuſmodi angelis tribuamus. Species quoq; illa naturaliter haberi non poteſt, vtpotè à principijs naturalibus; ſed à ſolo deo produci poteſt: cùm autem producta ſit, vtiq; finita eſt atq; terminata: proinde par non eſt, quia infinitæ ſit eſſentiæ repræſentatiua. Amplius, ſi talis ſpecies naturalis vocatur, quia nimirum eſt angeli naturalis perfectio: omnis ergo ſpecies ſiue notitia, quæ de deo haberi poteſt, naturalis vocaretur; ad illam enim habendam naturali adducimur deſiderio. Huic accedit, quòd illa ſpecies, deo abſtractior eſſe non poteſt, quippè, cùm deo ſit abſtractius nihil: ſi verò æquè abſtracta, fruſtratoria vtiq; eſſet & inanis. Sanè, abſq; huiuſmodi ſpecie, videndum atq; cognoſcendum, deus ſeſe offert angelo intelligenti. At, ſi minùs abſtracta; quomodo diuinæ eſſet eſſentiæ, diſtinctè, naturaliterq; repræſentatiua? huiuſmodi ergo ſpeciei ſtatuendæ nulla ratio eſſe videtur.

Solutio rationum.

Ad primam autem illius rationem dico, angeli naturalem beatitudinem, hac ratione hominis naturali beatitudine eſſe præſtantiorem, quia videlicet eſſentia angeli, per quam deum intelligit, præſtat effectibus naturalibus, ex quibus deus ab humano cognoſcitur intellectu.

1.

2.

Ad 2. de raptu Pauli, illa naturæ non ſunt accommodanda principiis, ſed ſupernaturali lumini, proinde ſpecies illa, quæ Paulo viſis iam tranſactis, quaſi præſentia ingerebat, deſuper infuſa fuit atq; dilapſa, non ex principijs naturalibus exorta.

Solutiones ſecundæ opinionis.

Soluuntur quoq; rationes ſecundæ opinionis, quæ ait, angelum per ſuammet eſſentiam deum intelligere. Etenim, deus non aliter eſt ſibi, quàm alijs, beatitudo, ſiue beatitudinis cauſa, vt dicunt Peripathetici. ſed ſibi eſt beatitudo, quia ſcilicet eſt ſua intellectio: intelligentijs ergo eſt beatitudo, quia ipſam diuinam eſſentiam intelligunt: non quidem per proprias eſſentias, neq; per aliquam deſuper impreſſam ſimilitudinem; ſed per nudam diuinæ eſſentiæ notitiam. Quando ergo dicitur, finitum non poſſe infinitum comprehendere, verum quidem eſt; intelligere tamen poteſt; alioqui inanis eſſet illa aptitudo intelligendi, quam ad diuinam eſſentiam habet intellectus angelicus atq; humanus. Dicis: igitur naturaliter eſſet beatus: profectò angelus naturalia habet principia, intellectũ ſcilicet & voluntatem, quæ eò dicuntur beatitudinis participia, quò ſunt ad Dei imaginem conditæ

Angelorũ cognitio.

*nem condita. verum tamen eſt ſecundùm theologos, beatitudinis actum completum, ſu-
pernaturaliter infundi: quomodo nihilominùs id fieri poßit, vt deum naturaliter vide-
ant, & ſupernaturaliter ſint beati, philoſophi capere nequeunt, neq; nobis conſtat niſi fi-
dei rationibus. Porrò, Auerroes 12. met. com: 17. in adeptione ſiue acquiſitione intelle-
ctus adepti, in viſioneq; intuitiua, noſtram beatitudinem collocauit: quanto ergo ma-
gis diuinis illis intelligentijs hoc competere, neceſſe eſt? Itaq; intelligentiæ deum per eſſen
tiam vident. Cæterùm, intelligentias naturaliter deum intelligere, conſtat ſatis, ſi philo-
ſophorum principia admittantur. Sanè, naturalis ſelicitas, angelo non eſt impoßibilis;
ſed illa in dei cognitione conſiſtit: igitur naturaliter deum intelligit. Amplius, in vlti-
mum finem poteſt ſeſe angelus naturaliter dirigere. ſed id fieri non poteſt, ſine diſtincta* 1.
finis cognitione: deus ergo naturaliter ab ipſo cognoſcitur. Prima præterea intelligen- 2.
tia, authore philoſopho 12. met. com: 36. mouet alias, vt deſideratum & amatum. ſed 3.
*nihil incognitum amatur, aut deſideratur: ergo quod priùs. His autem obſtat rationibus
diuinæ ſcripturæ authoritas, principium meriti, gratiam eſſe proteſtantis: Gratia Dei,
inquit, vita æterna. Cùm autem fides doceat, angelos meruiſſe vitam æternam; profe-
ctò nullo pacto fieri poteſt, vt naturaliter ſint beati. Hæc de obſcuriſsima hac materia
dixerim, quam ſine caligine intelligere nequeo: angelos autem Deum intelligere, con-
ſtantiſsimè approbo: quomodo autem id fiat, intuitiuè, abſtractiuè, vel exemplariter,
ipſi dicant, qui perpetuò deum intuentur, ipſi nouerunt, qui vident eum, in quo ſunt o-
mnia. Sed nunquid vident omnia, quia vident eum, in quo ſunt omnia? Sed alterius eſt
ſpeculationis, nempe illius, quæ de beatitudine diſputabit.*

Deus etſi non comprehendi tur, intelligi tur tamen.

Quomodo angeli naturaliter deũ cognoſcant.

Scripturæ authoritas.

CAP. VI.

Si vnus angelus cognoſcit cogitationes alterius, & cordis etiam humani.

*AD angelicam cognitionem ſpectare arbitratus ſum id, quod apud nonnullos
in dubium vertitur: vtrum ſcilicet vnius angeli cogitationes alteri pateant;
an etiam ſecretas cogitationes intentioneſque cordis humani intelligant be-
atæ illæ mentes, quæ in lumine perpetuò verſantur. Profectò, diuini eſt mu-
neris, manifeſtare cordium ſecreta, authore Apoſtolo 1. Cor. 4. Qui manifeſtabit conſi-
lia cordiũ, &c. Et ad Hebr. 4. affirmat deũ eſſe diſcretorem medullarũ, cogitationum,
& intentionum cordis. Reuera, prauum, & inſcrutabile cor hominis; ſed Ego deus, in-
quit Propheta, ſcrutans corda & probans renes. Sanè, voluntas creaturæ, ſoli deo ſubia-
cet, qui ſolus in ea, vt primum obiectum, & vltimus finis operatur. Quamobrem, ange-
lorum hominumq; cogitationes intimæ, quatenus in intellectu, volitiones, affectioneſq;
in voluntate conſiſtunt, deo ſoli patent, cui illorum voluntas & intellectus ſubdita ſunt,
& ex cuius virtute agunt & operantur: Quæ ſunt hominis, ait Apoſtolus 1. Cor. 2. nemo
nouit, niſi ſpiritus hominis: ex ſolo namq; pendet voluntatis imperio, quòd aliquis habens
ſpecies intelligibiles, actu exerceat atq; vtatur, cùm voluerit. Cæterũ, ſi cogitationes af-
fectioneſq; huiuſmodi in effectu aliquo ſeſe prodeant; facilè patebunt intellectui, acutè,
ſubtiliterq; ſpeculãti, cuiuſmodi eſt angelicus intellectus, perſpicax, ſubtilis. Porrò, cordis
cogitationes, altioris ſunt ordinis atq; dignitatis, quàm ſint omnia naturalia; ideoq; nul-
lis ſubiacent naturalibus effectibus, nulliſq; ſpeciebus innatis, vel acquiſitis repræſenta-
ri queunt: voluntas namq; volens, eſt ſupra totum ordinem cauſarum effectuumq; na-
turalium; hac de cauſa, cuicunq; intellectui, diuino tantùm excepto, ignota eſt atq; in-
cognita: ſpecies namq; naturales, non niſi naturalia repræſentant. at creaturæ volun-*

Paulus.

Cogitationes cordis ſoli deo notæ ſunt.

Quòd vnus non intelligat cogitationes alterius angeli

tas, tùm quòad actus executionem, tùm etiam, quòad illius diſtinctionem ſoli deo ſub-
iacet, à quo effectiuè atq; obiectiuè, efficaciter mouetur, cùm ſit illius ſummum bonum
& vltimus finis. Si voluntas creata hoc modo conſideretur; non video, quomodo neceſſe
2. ſit, vt alteri pateat, niſi ei, à quo, vt dixi, effectiuè atq; obiectiuè mouetur. Sanè, ſicut
ſe habet viſio ad viſionem; ita intellectio ad intellectionem. ſed per ſe, atq; directè vi-
3. ſio videri non poteſt: nec ergo intellectio aut cogitatio intelligi. Amplius, ſi vnus co-
gnoſceret cogitationes alterius; tunc certè illa cogitatio ſpeciem ſui in alterius intellectu
ſiue memoria produceret, quod eſt falſum: nam intellectio aliquam ſpeciem habere non
poteſt, nec in alterius memoriam tranſmittere atq; cauſare; ſibi enim coniuncta, hoc mi
4. nimè præſtat: deniq;, eſſet ſpecies ſpeciei, & ita proceſſus infinitus. Item, ſolus deus,
intellectui illabitur creato: ipſe ergo ſolus intelligit conſilia cordium. Reuera, ſicut ſe ha
bet res ad eſſe; ita ad intelligi. ſed intellectiones, ſeu cogitationes, entia ſunt intentiona-

Quòd vnus intelligat cogitationes alterius.

lia tantùm: non ſunt ergo à quoquam, niſi à deo intelligibilia; ipſe enim vocat tàm ea,
quæ ſunt, quàm ea quæ non ſunt: Deus ſolus ergo nouit abſcondita cordiũ, non angelus
quiſpiam, vel aliquis alius. Hæc quidem opinio, & diuinis conſonat ſcripturĩ, & rationi,
quæ mihi ſummoperè placet. Verùm, quia non deſunt, qui diuerſæ extiterint ſententiæ,
1. non pigebit illorum rationes contexere, vt quiſq; pro ſuo libitu accipiat: Voluntas, inqui-
unt, creata, non ideo ſoli deo patet, quia ſcilicet ab ipſo ſolo mouetur & cauſatur, alio-
qui primum mobile, quod à deo mouetur, ipſi ſoli pateret: materia quoq; prima, ac a-
nimæ eſſentia ſimiliter, quia à ſolo deo producuntur. nec quia libera eſt formaliter; nã
à coactione quidẽ, non autem à cognitione eſt libera. neq; id continget ob indetermina-
tionem ſui, quam ad vtrumq; oppoſitorum habet; indeterminatio enim tollitur cogitati-
one poſita in actu. nec quia à voluntate ſit, alioqui omnis actus à voluntate imperatus,
ſoli deo innoteſceret, quod eſt falſum. Non ergo video, quomodo vnus angelus alterius
2. cogitationes ignorare poſſit. Amplius, ſi voluntas angeli poteſt ſeſe tegere, ne alteri
pateat: alia ergo volitione ſe teget atq; occultabit; & iterùm alia facit, atq; ita in infi-
3. nitum, quod eſt falſum. Patet ergo alterius, alteri angeli cogitatio. Item, cogitatio ma-
ximè angelica in actu poſita, eſt obiectum actu intelligibile cuicunq; angelico intelle-
ctui: igitur ab illo intelligitur; nam actiuo & paſſiuo naturaliter proportionatis & ap-
proximatis, non aliquo modo impeditis, ſine dubio ſequitur actio. Antecedens autem
ſatis notum eſt, quippè, cùm diſtantia localis, actioni omninò immateriali, impedimen
to eſſe non poſſit. Præterea, quicquid poteſt inferior, poteſt etiam & ſuperior virtus.
Quare, ſi Michael propriam cogitationem intuitiuè cognoſcit; eandem etiam Seraphi-
nus aliquis eminentiùs atq; intuitiuè intelligit. Iterum, ſicut ſe habent figuræ ad corpo-
4. ra; ita ſe habent ſpecies intelligibiles ad intellectum. ſed viſo corpore, eius quoq; figu-
ra videtur: igitur viſa ſubſtantia, videtur quoque ſpecies intelligibilis, quæ eſt in ipſa.
Quoniam ergo angelus quiſq;, & alium angelum, & animam videt, vtriuſq; cogitatio-
5. nes intelligere poteſt. Præterea, quæ in intellectu ſunt, ſimiliora vtiq; angelo eſſe viden-
tur, quàm ea, quæ in phantaſia habentur; hæc enim ſunt in actu, illa verò in potentia
intellecta. ſed quæ in phantaſia conſiſtunt, inſtar corporalium conſiſtunt, cum phanta-
ſia ſit virtus corporis; corporalia verò ab angelo cognoſcuntur: igitur multò meliùs, in-
6. tellectus, cogitationes, ſibi ſimiliores intelligere valet. Adhuc, quodlibet poſitiuum in
actu, noſter intellectus naturaliter cognoſcere poteſt: multò ergo eminentiùs atq; ef-
ficaciùs id efficere poteſt intellectus angelicus. ſed intellectus noſter ſuas poteſt cogi-
tationes cognoſcere, licet non intuitiuè modò ob coniunctionem corporis; ſeparatus ve-
rò, intuitiuè: igitur intellectus ſeparatus, cuiuſmodi eſt angeli, noſtras cogitationes in-

Soluuntur argumenta.

telligere poteſt. Verùm ad hæc ſic reſpondere valemus. Ad primum dicimus, altiori
modo voluntatem moueri atq; cauſari, quàm cœlum, & huiuſmodi corporalia; ideo non
1. eſſe ſimile, quod adducitur: nam voluntas eſt ſupra ordinem rerum corporalium, liber-

 Angelorũ cognitio.

tatis imperio donata, quo ſeſe & abſcondere, & pateſacere valet, quod profectò cœlo,
alijſq; rebus corporeis competere nequit. Ad 2. voluntatis cogitatio, alia volitione, ve- 2.
lut quodam velamine, nequaquam tegitur aut occultatur; ſed propria ipſius libertate,
quæ, quando vult, & quomodo vult, ſe aperit, & claudit. Ad 3. eadem facilitate reſpon 3.
dere valemus, id ſcilicet ex dignitate atq; excellentia voluntatis dependere, quæ ſic con
dita eſt, vt ſoli creatori pateat; alijs verò libertatē habeat ſeſe occultandi aperiendique.
Ad 4. Quamuis vnus angelus, ſpecies alterius intelligibiles videat, quia nimirū intelligi- 4.
bilium ſpecierū modus, ſecūdum maiorem minoremq; vniuerſalitatem, nobiliſſimæ pro-
portionatur ſubſtantiæ; non tamen intelligit modū vtendi ac actuandi: in poteſtate enim
angeli ſitum eſt, atq; voluntatis humanæ, illis poſſe vti ſpeciebus, quomodo & quādo libu
erit, quod profectò omnem latet intellectum creatum. Ad 5. licet angelus cognoſcat 5.
ea, quæ ſunt in appetitu ſenſitiuo & phantaſia hominis; non tamen, quæ in illius volun-
tate & intellectu habentur: voluntas enim & intellectus, phantaſiæ atq; appetitui ſen-
ſitiuo minimè ſubiacent, ſed poſſunt illis diuerſimode vti. Ad 6. non eſt ſimile: intel- 6.
lectus enim poteſt ſeipſum intelligere, quia ſuæ eſt libertatis, vt dixi: angelus autem nō
poteſt intima videre, niſi ipſo annuente: ſoli ergo deo patent intima cordis.

CAP. VII.

Angelum illuminare poſſe mentes hominum.

COgnitionis angelicæ negotio proximè accedit, quod iam diſputandum pro- Homines illuminari ab angelis.
poſui, angelum ſcilicet mentem hominis illuminare poſſe. Cùm enim reue-
lationes diuinorum, authore Dionyſio 4. cap. cœleſt. hierarch. ad homines
mediantibus angelis perueniant, huiuſmodi autem reuelationes illuminati-
ones ſint: homines ergo ab angelis illuminari conſtat ſatis. Sanè, diuinæ cō
uenit prouidentiæ ordini, vt actionibus ſuperiorum inferiora ſubdantur. ſed angeli infe-
riores, ſicut poſtea dicemus, à ſuperioribus illuminantur: igitur & homines ab ipſis an-
gelis illuminationes recipiunt; illuminatio enim eſt manifeſtatio diuinæ veritatis, quæ per Illuminatio quid ſit.
angelos, veritatis diuinæ maximè conſcios, in homines tranſmittitur atq; transfunditur:
quomodo autem id fiat, non idem eſt apud omnes modus dicendi. Auicenna 6. natura- Auicennæ opinio.
lium, par: 6. cap: 6. arbitratus eſt, quòd intelligentia creata atq; ſeparata, velut tota-
lis cauſa, in noſtrum influat atq; immitat intellectum intelligibiles ſpecies, quæ quidem
non manent poſt actum intelligendi, vt conuerſus intellectus ad illas, intelligere queat.
Verùm, quamuis huiuſmodi ſpecies minimè remaneant; ob frequentationem tamē actu-
um circa idem obiectum, habitus generatur ſcientialis, inclinatiuus ad actum, circa hu-
iuſmodi obiectum, ad ipſam intelligentiam agentem. Porrò, hæc Auicennæ ſententia, Confutatur Auicenna.
veritati minimè conſonat, patetq; difficultatibus plurimis: omnis ſiquidem noſtra intel- 1.
lectiua cognitio, quam hîc habemus, ex præexiſtenti fit cognitione phantaſtica, vel ſen-
ſitiua. Qui ergo caret aliquo ſenſu, illius vtique ſcientiam habere non poteſt; nam cæ-
cus de coloribus, naturalem ſcientiam habere nequit. Quòd ſi Auicennæ poſitio vera eſ- 2.
ſet; tunc notitia ab intelligentia, ſine ſenſu mediante, haberi poſſet. Aliud etiam ſeque-
retur abſurdum, nempe ceſſante actu intelligendi, intellectum ſemper eſſe in potentia
eſſentiali, & remota ad actum intelligendi; careret enim ſpecie, & repræſentatiuo ob-
iecti, ſicuti ante actum, quod planè philoſopho aduerſatur 3. de anima: Specie, inquit,
recepta in anima, cùm lubet, intelligere valemus. Cùm ergo intellectus noſter in hac vita
conſtitutus, ſine phantaſmate intelligere nequeat; fieri non poteſt, vt angelus, aut ipſe-
met intellectus agēns, aliquam ſpeciem imprimat, quæ ipſum rapiat ad ſui, vel rei me-
rè ſpiritualis viſionem: nam ſi ab angelo talis imprimeretur, ſicuti à cauſa totali; illa v-

 tique

cognitio.

Quomodo angeli illuminãt homines.

tique non eſſet noſtro intellectui cauſa, ſeu ratio intelligendi. Cæterùm, quomodo ange-
lus in intellectu humano, huiuſmodi illuminationem operetur, multiplex eſt ſcientia. Sa-
ne, quoniam intellectus humanus ipſam intelligibilem veritatem nudè capere nequit, vt-
pote phantaſmatibus aſſuetus; ſub ſimilitudinibus videnda cognoſcendaq́ ab angelis illi
Prima opinio præponitur. Vnde Dionyſius primo cap: cœleſt: hierarch. Impoſſibile eſt, inquit, aliter
nobis lucere diuinum radium, niſi varietate ſacrorum velaminum circumuelatum. Intel-
lectus præterea humanus, angeli præſentia atq; actione, fortior redditur ad intelligen-
2. dum. Alij aiunt, angelum inſtar ſpeculi ad ſpeculum, ſic ſeſe noſtræ phantaſiæ organo
offerre. Sed falluntur, & in eundem incidunt Auicennæ errorem; intellectus enim no-
ſter, pro ſtatu iſtius vitæ, non fertur in obiectum, quod phantaſmate priùs non perce-
3. perit. Quidam dixerunt, angelum transferre poſſe vnius humorem, aliqua informatũ
phantaſtica ſpecie, ad organum alterius, atq; ita mediante illo phantaſmate tranſlato,
intellectionem in ipſo indirectè cauſare atq; producere. verùm, quia phãtaſia cauſa eſt
phantaſmatis: illa ergò abſente, non remaneret, ſicuti nec lumen remanet naturaliter,
4. ſole recedente. Nonnulli volunt, angelos impedimenta amouere, humores ſegregando,
ac phantaſmata coextenſa aliter diſponendo, quo intellectus ordinatè intelligere poſſet.
ſed huiuſmodi diuiſio ſeu tranſmutatio, circa phantaſmata, ordinem tantùm, vel multi-
tudinem immutare poteſt: ordo autem per comparationem ad intellectum mutatur;
quomodocunq; enim trãſponantur, eundem ſemper ad intellectum ordinẽ habent. Mul-
titudo præterea fruſtra poneretur; plura namq; eiuſdem rationis phantaſmata abſq; ne-
5. ceſſitate, in eodem organo ponerentur. Poſtremò aiunt quidam, angelum virtu e ſu
intellectus agentis, cum noſtro intellectu agente concurrentis atq; cooperantis, per mo-
dum cauſæ partialis, intellectionem, ſiue ſpeciem in nobis producere, phantaſmate etiã
Opinio probabilior. concurrente. Itaq́, his duobus intellectibus ita concurrentibus, ſit intellectio fortior at-
que efficacior. Iſte modus multùm videtur eſſe probabilis: quilibet tamen abundet in
ſenſu ſuo: res enim obſcura eſt, atq; mortalibus, non niſi reuelatione cognita. Quærunt
Angelus an poſsit mutare voluntatem hominis. autem nonnulli, ſi angelus hominis voluntatem mutare valeat, aut aliquo modo inflecte-
re. Reuera, cùm motus voluntatis intrinſecus ſoli deo ſubiaceat, ab ipſo tantùm mutari
poteſt, quia cor Regis in manu Dei. Et ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea,
dicit dominus, Ierem: 18. Sanè, quemadmodum inclinatio naturalis eſt à ſolo deo; ita e-
tiam inclinatio voluntatis; ipſe enim eſt & voluntatis author & natura. Porrò, volun-
tas ab aliquo interdum mouetur exteriori, quod quidem eſſe poteſt bonum appetendum,
ſicq́ ſolus deus efficaciter mouet; angelus verò vel homo, perſuadendo, atq; exhortan-
do. Mouetur etiam voluntas ex aliqua extrinſeca paſſione, ira, odio, & huiuſmodi: in
hunc autem modum, motus voluntatis angelis ſubditur, non quidem coactè, aut omninò
neceſſariò; ſed modo perſuaſorio, & incitatorio, vt ita dixerim: hoc autem modo, ani-
mam, ſeu animæ voluntatem, moueri à ſpiritibus angelicis, nullum eſt inconueniens. Nõ
inuenuſtè etiam quæritur, ſi hominis imaginationem angelus immutare valeat. Reuera,
Si mouet imaginationem. ſi talis eſt rebus à diuina prouidentia ordo diſtributus, vt corporalia, quòad motum lo-
calem, angelis obediant: igitur, quæ ex aliquorum corporum motu locali dependent,
Apparitiones ſomniorum. virtuti angelorum naturali vtiq; ſubduntur. Apparitiones autem imaginarias, ex loca-
li corporalium ſpirituum, humorumq́ mutatione, in nobis fieri, ex philoſopho accepi-
mus, qui in libr: de Som. & Vig. ita loquitur: Cùm animal dormit, inquit, deſcendente
plurimo ſanguine ad principium ſenſitiuum, ſimul deſcendunt motus, id eſt, impreſſio-
nes relictæ, ex ſenſibilium motionibus, quæ in ſpiritibus ſenſualibus conſeruantur, & mo
uent principium ſenſitiuum; ita, quòd ſit quædam apparitio, acſi tunc principium ſen
ſitiuum à rebus ipſis exterioribus mutaretur. Tanta quoq; ſpirituum atq; humorum po
teſt eſſe commotio, vt etiam ipſis vigilantibus, vtpote freneticis, & alijs, huiuſmodi ap-
paritiones fiant. Sicut igitur aliquando, naturali humorum commotione, aliquando ve-

rò, ho-

Angelorũ cognitio.

rò hominis voluntate, ſic imaginantis, talia fiunt; ita etiam angeli virtute fieri poſſunt. Senſus mutan
Senſus etiam immutantur ab angelis; poteſt enim angelus, ſenſibus noſtris aliquod ſen- tur ab angelo
ſibile offerre, interiùs etiam ſpiritus, humoresq́ commouere, ſicq́ mutare. Hæc igitur,
atque ſimilia, de angelica actione, intellectioneq́ dixiſſe ſufficiat. vnum tamen mihi
adhuc dicendum puto, quomodo ſcilicet angeli cognoſcant diuinæ incarnationis myſte- Angeli quomodo myſte-
ria. Sanè, ſi duplex eſt in angelo cognitio, vna quidem naturalis, ſecundùm quam res, rium Chriſti
tum per eſſentiam ſuam, ſicut dictum eſt, tum etiam per ſpecies innatas intelligit: hac cognoſcunt.
autem cognitione, myſteria gratiæ minimè comprehendere valet, quippe, cùm illa ex
ſolius Dei voluntate dependeant. alia verò eſt cognitio beatifica, qua angeli vident ver-
bum, & res in verbo; atque tali cognitione, myſteria gratiæ intelligunt, non quidem o-
mnia, nec æqualiter omnes, ſed ſecundùm voluntatem Dei reuelantis: Nobis, inquit Pau-
lus, reuelauit Deus per ſpiritum ſuum, 1. Cor: 2. Porrò, angeli ſuperiores, diuinam ſapi-
entiam perſpicaciùs contemplantes, in ipſa Dei viſione, cæteris plura, atque altiora in-
telligunt, eaq́ illuminando, aliis communicant. horum quoque myſteriorum, quædam à
principio ſuæ creationis cognouerunt, quædam verò, temporum numero decurrente,
quatenus ſcilicet, eorum officiis congruum erat, atque opportunum, & de his ſatis. Sed Obiectiones.
dicet alquis, ſicut phantaſia, quæ inſeruit intellectui, ab angelo mutari poteſt; ita & 1.
appetitus ſenſitiuus, qui inſeruit voluntati, quia ipſe eſt vis, vtens corporali organo. qua-
re ſi angelus illuminat intellectum per phantaſmata, quæ offert phantaſiæ, poteſt etiam
mutare voluntatem, per appetitum ſenſitiuum. Item, phantaſia eſt motus factus à ſen- 2.
ſu, ſecundùm actum, authore philoſopho in lib: de anima: igitur angelus nequit hominis
imaginationem immutare. Tenet conſequentia: non enim fieret à ſenſu ſecundùm actum. 3.
Sanè, formæ quæ imaginationi inſunt, ſpiritualiores ſunt formis in materia ſenſibili exi-
ſtentibus. ſed angelus non poteſt formas imprimere in materia ſenſibili: nec ergo formas Solutiones.
in imaginatione, atque ita, illam mutare non poteſt. Reſpondeo ad primum, non eſt ſimi- 1.
le: intellectus enim humanus in hac vita, non poteſt intelligere ſine phantaſmate; ideo
opus habet conuerſione ad phantaſmata. At, voluntas ſine appetitu ſenſitiuo, aliquid 2.
velle poteſt ax indicio rationis. Ad 2. quamuis principium phantaſiæ, ſit à ſenſu ſecun-
dùm actum, quia nimirum non poſſumus imaginari, quæ nullo modo ſentimus; imagi-
natio tamen aliquando informatur; vt actus phantaſtici motus, ab impreſſionibus exte- 3.
riùs conſeruatis conſurgat. Ad 3. angelus imaginationem tranſmutat, non quidem for-
mam aliquam imaginariam, nullo modo per ſenſum priùs acceptam, imprimendo; ſed
ſpiritus & humores mouendo. Quomodo ergo angelus intelligat, atque moueat volunta-
tem, illiusq́ imaginationem, dixi.

Laus tibi ſancte Pymander, qui omnia bene facis, & ſuauiter diſponis.
Tuderti 1 5 7 3. 22. Ianuarij.

DE ORDINIBVS ANGELORVM.

Mercvrivs.

Septem deinceps fabricauit gubernatores.

Commentum VIII.

Qvaestionis primae. Cap. I.

Angelorũ ordines.

Quot ſint angelorum ordines.

Phil. de ordine vniuerſi.

Vnus gubernator.

DE angelorum creatione, & motu, quonam modo moueantur, de ipſorum quoque cognitione, & huiuſmodi, nonnulla antehac dixi: conſentaneum huic negotio eſſe duxi, nec à ſapientiſſimi Mercurij propoſito extraneum, de eorundem ordinibus diſputando, atque inquirendo, quamuis multa dicta ſint, loqui. Etenim, Deus benedictus in ordine, pondere, & menſura condidit omnia, ac ordine conſtant vniuerſa. Quamobrem philoſophus 12. comm: 51. ait, perſcrutandum ſibi eſſe putauit, qualiter ſe habeat totius naturæ bonum, & optimum: omnia ſanè coordinata ſunt, ſed non ſimiliter, & natatilia, & volatilia, & plantæ: & non ſic ſe habent, vt non ſit alteri, ad alterum nihil, ſed eſt aliquid; ad vnum quidem enim omnia coordinata ſunt. ſed quemadmodum in domo liberis non licet, quod contingit, facere, ſed omnia, vel plura, ordinata ſunt: ſeruis verò, & beſtiis parum, quod ad commune. Multùm verò, quod contingit. omnia ſiquidem bono ordinis, optimo autem pauci, vtpotè beatæ illæ intelligentiæ, quæ veluti liberi patris faciem ſemper intuentes, optimo illo perſeueranter participant: vnde fit, vt beatiſſimam vitam agant, omniaq́ ordinatè gubernent. plures ſiquidem ſunt in mundo gubernatores, atque ordinatores, qui ſub primo illo, ſummoq́ gubernatore, gubernata diſpenſant, cuius, tanquam potentiſſimi, virtus, & actio, per omnes ſub ipſo gubernatores, vltra eorum propria munera, ſe prorſus amplificat. proinde in rerum ordine, nihil contingere poteſt, quod primi ſummiq́ gubernatoris potentiam effugiat, atque ſcientiam. Perperam ergo ſenſit Empedocles, qui vniuerſi regimen, caſui ſiue fortunæ conceſſit. nam, quo pacto, quod inordinatum, indeterminatumq́ eſt, vt caſus, ſtabilem, & certis conſtantẽ legibus ordinationem poteſt efficere? deniq; à quo erit perfecta mundi gubernatio, & ſapientiſſima, & continua conſeruatio, ſi à re incerta, variaq́ proficiſcatur? Reuera, ipſa mundi creatura, & eius coaptatio, pariter & gubernatio, authore Damaſceno libro 1. cap. 1. magnitudinem diuinæ inſinuat naturæ. Cicero de natura deorum, librum naturæ, id eſt, ipſam mundi diſpoſitionem, ſingulas creaturarum ſpecies, pulcherrimo ordine complectentem, nobis perſuadere aſſerit; fato, aut caſu, mundum gubernari eſſe impoſſibile. Totus ergo mundus prouidentia quadam imperatoria eſt inſtitutus, authore Plotino: enn: 3. libr: 3. cap: 2. cernente actiones & paſſiones, & quæ adeſſe oporteat alimenta, arma, machinas, & profectò quodcunque ex his inter ſe connexis conſpirantibusúe conſequuntur, ſunt præuiſa; vt quodcunque ex his euenit, locum, vbi bene ſitum ſit, nanciſcatur. procedunt quidem omnia ab exercitus duce ſagaci, quadam ſolertiq́ ratione, quamuis etiam extrema ſint, ab eoq́ aliena, quæ hoſtes ſunt illaturi. Quòd ſi tam illi, quàm huic exercitui ſimiliter imperare valeret, imò verò ſi maximus Imperator eſſet, cui ſubiecta ſint omnia; quidnam vlterius ordine carere poſſet? quidúe connexione vacaret? Plato dialogo de legibus decimo, eandem omninò profert ſententiam: Quoniam rex ille noſter, ait, actiones hominum omnes animatas eſſe perſpexit; iccirco excogitauit, vbi pars quæque locata maximè, optimèq́ virtuti victoriam, vitio verò ne vincat, impedimentum in vniuerſo prabere poſſit. Nemo ergo iudicium deorum effugere, aut exuperare poteſt: nec vllus negligitur, etiamſi tam paruus fuerit, vt in terræ profundum ingrediatur, nec ſi adeò ſublimis, vt pennis elatus in cœlum volet. Redolet ſapitq́ hæc Platonis ſententia illud Dauidicum: Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cœlum, tu illic es, ſi deſcendero ad infernum, ades. Et illud, Ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi. Itaq́ rerum ordo, diuinæ eſt potentiæ, atque ſapientiæ inditium, prouidentiæ nuntius, vniuerſi pulchritudo, totius orbis ornatus. Si ordinẽ rebus ademeris; vniuerſa confuſionis plena erunt, cuncta nutabunt, deniq; horrore concuſſa omnia, facilè diſſoluentur: Vbi, inquit propheta, nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. ordine conſtant muſica, leges firmantur, ciuitates ſubſiſtunt, regna perſeuerant, familiæ gubernantur,

Mundus nõ à caſu regitur.

Damaſcenus.

Cicero.

Plotinus.

De ordine vniuerſi.

Plato.

de ordine vniuerſi.

Ordinis virt9

Iob.

Angelorũ ordines.

bernantur, diuitiæ augentur, effrenes homines domantur, vita hominum conſeruatur: denique bonum vniuerſi, eſt ordinis pulchritudo. Quoniam autem omnia ordine conſtant; non eſt fas dicere in ſanctis illis intelligentiis, ordinem huiuſmodi non inueniri. Eſt ergo in angelis, qui à Mercurio dij appellantur, ordinum diſtributio, ſicut ipſemet plurimis in locis, ſparſim profiteri videtur: nam in Dialogo 3. Pymandri. Dij, *inquit*, in aſtrorum ideis, cum ſignis eorum conſpiciebantur. vnde quiſque deorum, ſiue angelorum, ex interna virtute, aſcriptum ſibi opus impleuit. *Si igitur quilibet angelorum, proprium opus aſcriptum habet, & implet; abſque dubio ordine certo diſtinguuntur. Et Dialogo 5. Deum, ex rerum ordine, facilè intelligi poſſe, proteſtatur.* Deum, *inquit*, ſi videre volueris, ſuſpice Solem, ac Lunæ curſum, ſuſpice ſyderum ordinem reliquorum; quis agè perpetuum horum ſeruat ordinem? ordo quippe omnis numeri, lociq; limitibus terminatur. Sol Deus deorum cœleſtium præſtantiſsimus: ſoli cœlites reliqui, veluti principi, regiq; parent. Aſtrorum ergo ordo, ex ſolis lumine, atq; motu dependet. *Ex quorum profectò ordine, angelorum ordines perpendimus, ex viſibilibus gradatim, ad inuiſibilia aſcendentes. In decimo autem dialogo, apertiſsimè diſtinguit angelorum choros:* Chori deorum, *inquit*, gemini, vagantium vnus, non vagantium alter. *quaſi diceret, quidam angelorum diuino vultui ſemper aſtant, nec vnquam foras egrediuntur, quidam verò ad officia externa mittuntur. Et in eodem:* Mũdi totius adminiſtratio, ex vnius natura dependet, *ait*, perq; vnam materiam rectè diſcurrit, qua nihil validius, nihil diuinius, nihil denique magis vnitum. hominum ad deos, ad homines deorum communio. *Et* 11. Neque enim ocioſus eſt Deus, alioqui omnia ocioſa forent, cuncta ſiquidem plena ſunt Deo, ocium verò in nullis mundi partibus inuenitur: inſpice quæſo, quomodo omnia lumine illuſtrantur ab actu Dei, bonorum omnium genitoris, totius ordinis principis, ſeptemque mundorum ducis æterni. vnus planè Deus ſingula facit in multis: neque poſſibile eſt illa, ſine Dei numine fieri; nam ſi ab illorum conſtructione ceſſaret; minimè Deus eſſet. id autẽ ſuſpicari nefarium. *Facit igitur omnia Deus, ab vno fiunt omnia conditore. Reuera, totus hic mundus, vt 12 Dialogo loquitur, imago Dei eſt, patris ordinem, voluntatemq; ſeruans, vitæ totius integra plenitudo. Et ad Aſclepium:* Cœlum autẽ ſenſibilis Deus adminiſtrator eſt omnium corporum: & omnium quæ in mundo ſunt, ipſe gubernator eſt, qui eſt omnium effector Deus: Genus ergo deorum, dæmonumque, æquè & hominum, ſimiliter volucrum, & omnium quæ in ſe mundus habet, ſui ſimiles mundi ſpecies generat. Mundus omnium eſt receptaculum, omniumque agitatio, atque frequentatio, quorum Deus gubernator, diſpenſans omnibus rebus, quantùm vnicuique neceſſarium. *Clariſsima eſt ergo Mercurij doctrina, quæ omnia à Deo condita fuiſſe, atque ab eodem gubernari, aſſerit. Addit etiam in Aſclepio, angelorum ordines, ita deſcribens:* Sunt, *inquit*, omnium ſpecierum principes dij, hos ſequuntur dij, quorum eſt princeps Vſia: vnuſquiſque opus ſuum illuminans. Cœli, vel quidquid eſt, quod eo nomine comprehẽditur, Vſiarches, eſt Iupiter. Triginta verò ſex ſyderũ, Vſiarchis eſt, quem Panthomorphon, vel Omniformem vocant, qui diuerſis ſpeciebus, diuerſas formas facit. His ita ſe habentibus, ab imo ad ſummũ ſibi connexa ſunt omnia. ſumma verò gubernationis ſummo illi Dño paret, vt non multa, ſed potiùs vnũ: ex vno etenim cũcta pendẽtia: ex eoq. potiùs defluentia, cũ diſtantia videntur, creduntur eſſe plurima diuiſim; adunata verò, vnum, vel potiùs duo, vnde fiunt omnia, & à quo fiunt o-

Mercurius. de ordine angelorum.

Duo chori angelorum.

Deus non eſt ocioſus.

Deus omniũ rerum gubernator.

Ordines angelorum.

Princeps Vſia

Angelorũ ordines.

fiunt omnia, id eſt, de materia, de qua fiunt, & ex eius voluntate, cuius nutu efficiuntur alia. Diis verò, ſiue angelis, quamuis mundiſſima natura effectis, quamuis immortalitas, & vnius ſemper ætatis vigor ipſe ſit eis prudentia, & diſciplina; tamen propter rationis vnitatem, pro diſciplina, & intellectu, ne ab his eſſent alieni, ordinem, neceſſitatis lege conſcriptum, æterna lege conſtituit. *Cuncta ergo pulcherrimo ordine, à Deo condita ſunt: omnia enim Deus, & à Deo omnia, & eius voluntatis omnia, & ſine ipſo nec fuit aliquid, nec eſt, nec erit: omnia enim ab eo, & in ipſo, & per ipſum. Redit iterum ad angelorum ordinẽ enucleandũ.* Dii cœleſtes, *inquit*, inhabitant ſumma cœleſtia: vnusquisq; ordinem, quem accepit complens, atque cuſtodiens. hi verò noſtri ſigillatim quædam curantes, quædam prouidentes, quædam ſortibus, & diuinatione prædicentes, hisque pro modo ſubuenientes, humanis, quaſi amica cognatione, auxiliantur. *Hæc à ſapientiſſimo Mercurio dicta ſunt, quæ ſimul texere curaui, vt ſit perſpicuum nobis, quàm diſertè, dilucideq; de angelorum ordinibus, deque omnium rerum pulcherrimo ordine, magnus ille Triſmegiſtus diſputauerit.*

Plato Mercurij ſtudioſus.

Plato, Mercurij æmulus, in Phædro, eandem viam prorſus ſequitur: Magnus, inquit, dux in cœlo Iupiter citans alatum currum incedit, exornans cuncta, prouidèque diſponens: hunc ſequitur deorum, dæmonumq; exercitus per vndecim partes ordinatus; atque ſuæ quiſque functioni præeſt, vt quiſque eſt ordinatus: permulta igitur beataq; ſpectacula, diſcurſusq; intra cœlum exiſtunt, quibus deorum genus beatorum intendit; ſuum quiſque officium peragens. Si itaq; quilibet angelorum certo ordine, ſuo munere fungitur; conſtat ſatis, angelos inter ſe ordinibus eſſe diſtinctos.

Plotinus Platonis interpres.

Plotinus, præclarus Platonis interpres, & ſectator, enneadis 4. lib: 3. cap: 16. Exiſtimandum certè eſt, inquit, communem hunc ordinem vniuerſi, non eſſe diuinitatis, iuſtitiæq; expertem; ſed exactiſſima quadam ratione, quod conuenit vnicuique reddere; cauſas tamen in ſe latentes habere; ideoq; ignorantibus occaſionem criminandi præbere. Et enne: 5. lib: 8. cap: 4. Permanet quilibet angelorum, inquit, non quaſi in alieno pauimento, ſed in ſuo ordine diſtributo. Et cap. 3. Dij namque omnes pulchri, venuſti, venerandi, ineſtimabili decore pollentes, omnem regionem diſcurrunt, & quæ ſunt eiuſmodi multa, ab eodem ſcribuntur nobi.

Auguſtinus Platonis æmulator.

Auguſtinus quoque, Platonicæ philoſophiæ non ignarus, pacem omnium in ordinis tranquillitate conſtituit. lib: 19. de ciuit: Dei cap: 13. pax omnium rerum eſt tranquillitas ordinis. ordo autem eſt parium diſpariumq; rerum, ſua cuique loca tribuens, diſpoſitio. Reuera, ſi res ita ſe habet; quomodo in angelis ordo non erit, in quibus eſt ſumma pax, ac iuſtiſſima rerum omnium diſtributio? Sanè, ſi omnium ibidem exiſtentium, & amandi, & cognoſcendi, natura omninò eſſet eadem; ordinis propria ratio inueniri non poſſet; ordo enim eſt parium, diſpariumq; rerum æqua diſtributio. Et lib: 10. ca. 4. Angeli, inquit, qui Dei veritate incommutabili perfruuntur, & quod faciendum eſt, modis ineffabilibus audiunt, ad iſta vſque viſibilia incunctanter perducunt. Et libro 12. cap. 6. bonorum, atque malorum ordinem diſtinguit, illorumq; miſeriæ, ac felicitatis apertiſſimè cauſam oſtendit: duas quoque ciuitates, quarum altera bonis, altera verò malis competit ſpiritibus.

Dionyſius.

Dionyſius Areopagita, non minùs philoſophus, quàm theologus diuiniſſimum de angelica ierarchia, librum conſcripſit, in quo de angelorum officiis ordinibus, aliiſq; muneribus ſapientiſſimè, ſanctiſſimèq; diſputauit, ſicut ex his quæ dicta ſunt, & dicentur, patet ſatis. Itaque in angelis, ſecundùm philoſophorum doctrinam, ordines diſtinctos haberi, perſpicuum eſſe puto.

CAP. II.

Angelorum ordines per ſacras oſtenditur ſcripturas.

Angelorũ ordines.

Nouem ordines.

Iſa.

Ezechiel.

Nouem eſſe angelorum ordines, ſanctarum ſcripturarum teſtimonia clariſſimè docent. etenim, ſeraphicus, ac primus angelorum ordo, ab Iſaia capite 6. mirificè deſcribitur: Seraphim ſtabant, inquit, clamãtia, & dicentia: Sanctus, ſanctus, ſanctus. Ordinis autem cherubici meminit Ezechiel 28. alloquens principem tenebrarum: Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore, in delitiis paradiſi Dei fuiſti: Omnis lapis prætioſus ornamentum ſiue operimentum tuum, ſardius, topazius, iaſpis, chryſolitus, onyx, beryllus, ſapphirus, carbunculus, ſmaragdus. Nouem intelligentiarum ordines, ſub lapidum nouenario numero, diſtinxit. Quinque ordines à Paulo enumerantur: in epiſtola ad Epheſ: 1.

Paulus.

quatuor: Super omnem, inquit, principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationes. ad Coloſſenſes, addidit, thronos: Siue throni, inquit, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates. De angelis autem Dauid locutus eſt, pſalm 103. Qui facit angelos ſuos ſpiritus; angelorum enim vocabulum nomen eſt officij, non naturæ. Senſus ergo eſt, qui è ſpiritibus illis, nuncios facit. Porrò, de archangelorum ordine, Lucas euangeliſta cap: 1. clariſſimè loquitur: Miſſus eſt archangelus Gabriel à Deo &c. Ex ſacris ergo ſcripturis, nouem angelorum ordines eſſe, apertè didicimus, quorum nomina hoc modo theologi interpretari conſueuerunt:

Angelorum nomina.

Angelos nuncios ſcilicet vocantes: Archangelos, maiores nuncios, vtpotè, qui maiora nuntiant: Virtutes, ſpiritus nimirum, per quos ſigna, & miracula fiant: Poteſtates, cæteris potẽtiores, aduerſus inimicos viriliter pugnantes, ne ſibi creditos homines perdere valeant: Principatus, eos, qui ipſis quoque bonis angelorum ſpiritibus præſint, atque principantur: Dominationes, principandi diſſimilitudine, principatus tranſcendunt; nam principari, eſt inter aliquos priorem exiſtere; dominari verò, eſt etiam ſubiectos quoſq; poſſidere. qui ergo inter angelos, mira potentia præeminent, dominationes appellantur: Throni, quibus ad exercenda iudicia, Deus benedictus præſidendo vtitur. throni planè ſunt, qui tanta diuinitatis gratia donati ſunt vt in eis dominus ſedeat, atque per eos ſua iudicia decernat. vnde Dauid loquitur pſal: 9. Sediſti ſuper thronum, qui iudicas iuſtitiam: Cherubim plenitudo ſcientiæ; quò enim viciniùs Deo aſſiſtunt, eò perſpicaciùs atque copioſiùs, alia contemplantur: Seraphim, ardentes, vel incendentes nominantur, ob ſingularem amorem, quo altius cæteris ardent.

Officia angelorum.

Prima hierarchia.

Cæterùm, hi nouem angelorum ordines, in tres hierarchias ſunt diſtributi: prior autẽ ex tribus conſtat ordinibus, nempe ex ſeraphim, cherubim, & thronis: ſeraphim, diuinam attentè contemplantur bonitatem: cherubim verò eiuſdem veritatem: throni autem, æquitatem. Seraphim, diuino amore ardentes, ad eundem allicere ſtudent, imitandiq́; diligendi formam omnibus tribuere, atque imprimere cupientes. ij planè Deo immediatè iunguntur; ideoq; puriùs, perfectiusq́; & amant, & intelligunt. Cherubim verò diuini radio luminis, maximè relucent, quippe, qui primæ veritati, cæteris inferioribus, proximiores ſunt, quibus profectò competit in alios, diuinam cognitionem transfundere, quam ipſi à diuina veritate inceſſanter accipiunt. In thronis diuini iudicij rectitudo, maximè ſplendeſcit. In ſeraphim Deus amat, vt charitas: in cherubim noſcit, vt veritas: in thronis ſedet, vt æquitas.

Secunda hierarchia.

Secunda hierarchia dominationes, principatus, & poteſtates cõtinet. Dominationum autem intereſt, angelorum officia diſtribuere, in bello ſpirituali inſtruere, quonam modo quiſque prælationis fungi queat munere, qualiterq́; ſubditi parere debeant, atque obtemperare maioribus. in his Deus dominatur, vt maieſtas, ſuæ vtiq; imperium maieſtatis exercens. Principatus, capitibus præſunt populorum, atque illa ad miniſterium diuinum explendum diſponunt. ad hos attinet, homines inſtruere, vt vnicuique ſecundùm illius gradum, reuerentiam exhibeant: vt quilibet iuſtitiam exerceat, idq́; non propriæ vtilitatis gratia; ſed diuini potiùs amoris, atque honoris. illorum etiam muneris eſt, ad Dei ſimilitudinem, vnius regni, ſeu gentis vniuerſale regimen ducere. Poteſtates coërcent dæmonum potentiam, ne tantùm nocere valeant, quantùm obeſſe vel-

Angelorũ ordines.

lent. ad hos ſpectat, angelos inferiores, quòad fieri poteſt, diuinæ potentiæ conformes reddere: in ſpirituali certamine laborantes confortare; ne laboribus victi, ſpirituale regnum amittant.

Tertia hierarchia.

Tertia quoq; hierarchia, ex tribus conſurgit ordinibus, ſcilicet, ex virtutibus, archangelis, & angelis. Virtutes, authore Dionyſio, eſt medius ordo ſecundæ hierarchiæ: principatus verò, tertiæ, primus. horum autem ſpirituum, munus eſt miracula facere, aliiſq; faciendi virtutem præbere, prælatos docere, vt prælationis onera prudenter exerceant, atque patienter ſuſtineant. Archangelorum autem intereſt, ſumma Chriſti myſteria hominibus nuntiare: dæmones ab hominibus remouere: prophetias reuelare: illuminationes, quas à ſuperioribus acceperunt, in inferiores, hominesq; transmittere, atque annuntiare. Angeli in cœleſti diſpoſitione ſunt vltimi, hominibus magis propinqui, quos ad diuinam cognitionem adducere ſtudent. hi ſurſum tendunt, per diuinam dilectionem: in ſeipſis autem firmantur per cognitionem atque cuſtodiam ſui, ac ſub ſe progrediuntur, in auxilium proximi. Sic itaq; ſpiritus illi cœleſtes, ordine pulcherrimo cuncta adminiſtrant.

Angelorum tituli.

Porrò, in beatis illis ſpiritibus eſt dignitas creationis: gratia confirmationis: amor creationis: viſio diuinitatis: eſſentiæ ſubtilitas: intelligentiæ perſpicacitas: liberi arbitrij facultas, agilitatis velocitas, proptè omnes obediunt, maiores ſine elatione præſunt: minores ſine vitio ſubſunt: qui ad exteriora exeunt, ab interiori contẽplatione nõ recedunt: qui excellunt in natura, præcedunt in gratia & gloria; natura quidẽ mutabiles ſunt, ſed contẽplatione im̃utabiles facti: animo impaſſibiles: mente rationales: felicitate ſecuri: diſtincti in perſonis: diſpoſiti in dignitate: perfecti in genere ſuo: im̃ortalitate perpetui: mente puri: affectu benigni: religione pij: vnanimitate indiuiſi: pace ſecuri: diuinis laudibus & obſequiis dediti. Cæterùm, quemadmodum in rebus ordinatis, tripliciter aliquid eſſe contingit, proprietate videlicet, exceſſu, aut participatione. proprietate, inquam, quando aliquid rei naturæ proportionatur. exceſſu verò, quando id, quod alicui attribuitur, minus eſt, quàm res, cui attribuitur; conuenit tamen illi per quendam exceſſum. participatione autem, per quendam defectum, quomodo homines dij eſſe dicuntur. Porrò, ſuperior perfectio, angelo ſuperiori per proprietatem attribuitur, per participationem verò inferiori. è conuerſo, inferior attribuitur inferiori per proprietatem, ſuperiori autem per exceſſum. Quoniam autem angelorum nomina, biſariam conſiderari poſſunt: vel quatenus ſpirituales ipſorum perfectiones reſpiciunt: vel quatenus externa tantùm miniſteria.

Dionyſius diuerſimodè ordinauit ordines.

primum autem modum, in ordinibus computandis, Dionyſius reſpexit: ſecundum verò, Pontifex ſummus Gregorius; de principatuum enim, & virtutum enumeratione loquuntur differenter.

Ratio Dionyſii.

nam Dionyſius, virtutes ſub dominationibus collocat, & ſupra poteſtates: principatus autẽ, ſub poteſtatibus, & ſupra archangelos. Gregorius verò, alio modo, vt dixi.

Dionyſius & Gregorius cõciliantur.

Dionyſius imitatur Apoſtolum ſcribentem ad Eph: Super omnem, inquit, principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem. Gregorius autem eundem ſcribentem ad Colo: vbi ſic deſcendendo loquitur: Siue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates. Cæterùm, quoniam Deus nõ ſolùm angelicorum miniſteriorum finis, ſed totius prorſus eſt creaturæ; hac de cauſa, ad primam hierarchiam pertinet, quæ à Deo rationes rerum immediatè recipit, conſideratio finis. ad mediam verò, quæ ex cauſis pendet vniuerſalibus, conſideratio vniuerſalis de agendis. ad vltimam, applicatio diſpoſitionis ad effectum, quæ eſt operis executio; ipſa enim determinationem ſequitur ad ſpeciales effectus.

Ordinum officia.

Cùm ergo Dionyſius ordinum proprietates, atque officia acutè inſpexiſſet; ideo ſic diſtribuit omnia, atque diſtinxit: primæ hierarchiæ diuinam cognitionem, amorem, atque iudicium attribuendo: ſecundæ autem cauſarum vniuerſalium curam: tertiæ verò, extrinſeca miniſteria, atque officia. Huiuſmodi autem hierarchiæ ſe habent ad Deum, velut exercitus ad Ducem, cuius aliqui, duci coniunctiſſimi ſunt, aliqui verò à ſecretis, nonnulli externa miniſteria exercẽt. Primæ autem hierarchiæ ſpiritus Deo familiariſſimi, coniunctiſſimiq; ſunt: nam throni,

veluti

Angelorū ordines.

veluti ſedes Dei, rerum rationes in ipſo Deo immediatè cognoſcere valent: Cherubim verò ſupereminenter, diuina ſecreta rimantur: Seraphim autem Deo maximè ſummèque coniunguntur, quod eſt omnium donorum maximum. Ad ſecundam hierarchiam cuius intereſt gubernationis negotium, tria pertinent, nempe diſtinctio eorum, quæ agenda ſunt, quod eſt dominationū proprium. ſecundum, angendorum præbere facultatē, qua impleri poſſint agenda, quod quidem opus virtutibus competit. poſtremò, vt quæ præcepta ſunt, executioni mandentur, & id ad poteſtates attinet. Porrò, in cuiuslibet actus executione, quidam actionem incipiunt, ſuntq; aliorum duces, ſicuti in bello fieri ſolet, quod quidem munus, ad principatus ſpectat: alij iuſſa capeſſunt, ſiue exequuntur, quod angelorum proprium eſt: alij, vtpotè archangeli, medio modo ſe habent. hæc autem ordinum diſtributio, à Dionyſio ſic diſtincta admodum congrua eſt, atque rationi conſentanea: ſemper enim id, quod in inferiori ordine ſupremum eſt, cum vltimo ſuperioris conuenit, atque affinitatem habet. Seraphicus ordo ob amoris incendium, affinis eſt, atque proximus ſanctæ trinitati, cuius perſona vltima eſt amor. Throni, cum dominationibus affinitatem habent. Cùm enim per eos diuina exerceantur iudicia, illuminationes accipiunt, quibus ſecundæ hierarchiæ ſpiritus illuminare ſtudent, ad quos diuinorum miniſteriorum pertinet diſpoſitio. Ordo verò poteſtatum, affinitatem habet cum principatuum ordine: poteſtatum enim eſt, ſubiectis ordinationem imponere, quæ nomine principatuum deſignatur, qui in diuinorum exequutione myſteriorum primi nominantur, vtpotè gentium, regnorumq; gubernationi præſidentes, quod in diuinis miniſteriis primum, atque præcipuum habetur. profectò eò bonum eſt diuinius, quò communius. Et hæc quidē dicta ſunt ſecundùm eam, quàm Dionyſius diſtribuit ordinum diſtinctionem. Cæterùm, quæ à Gregorio data eſt ordinum diſpoſitio, congrua quoque eſt, atque rationi conuenit: cùm enim dominationes, quæ ad diuina attinent myſteria, decernant agenda, atque facienda præcipiant; ſecundùm eorum diſpoſitionem, in quibus diuina ſunt exercenda miniſteria, ordines ſibi ſubditos inſtruunt, vt agenda videant, & quæ viderint, agere valeant. Sanè, corpora inferiora quodam ordine per ſuperiora reguntur: & omnia per ſpiritualem creaturam: & ſpiritus malus per ſpiritum bonum. poſt dominationes, ſunt principatus, qui bonis principantur ſpiritibus. deinde poteſtates, per quas arcentur malignorum ſpirituum inſultus. hos ſequuntur virtutes, quæ naturæ dominantur corporali, magniq; habentur in miraculorum potentia. poſtremò archangeli, atque angeli: illi ſumma, iſti minora officia, atque miniſteria exercentes. Itaq; nouem eſſe angelorum ordines, atque illorum officia ſic eſſe diſtributa, ex ſacris intellexiſſe ſufficit.

Congrua D. Dion: ratio in ordinibus angelorum.

D. Gregorij ratio approbatur.

CAP. III.

Angelorum nomina, & officia, non eſſe rectè diſtributa, argumentis probatur.

OMnes angelorum ordines, ſpiritus dicuntur cœleſtes, angeli, virtutes, atque poteſtates: non ergo recta eſt illa nominum diſtinctio, quæ angelis attribuitur; communia enim nomina, incongruè aliquibus appropiantur. Eodem quoque modo, quæ Deo competunt, creaturis non ſunt attribuenda. ſed dominium, poteſtas, atque principatus, ſoli Deo congruunt, atq; conueniunt: non ergo aliqui ſpiritus cœleſtes, dominationes, poteſtates, aut principatus ſunt appellandi. Denique archangeli ſunt quaſi angelorum principes: ad principatus ergo ſpectat hæc nominum diſtinctio: non ergo angelorum nomina rectè diſtinguuntur. Amplius, Seraphim ab amore, Cherubim verò à ſcientia, nomē acceperunt. ſed amor, & ſcientia ſunt nomina, atque dona, omnibus quidem ſpiritibus communia: non ergo venuſtè ali- 1. 2.

Angelorũ ordines. *ſtè aliquibus deputantur, vt propria. Throni prætereà omnes angeli dicendi ſunt, quippe, cùm quilibet illorum ſit ſedes ſapientiæ: igitur in diſtribuendis angelorum ordini-*
3. *bus, atque nominibus, congrua denominatio, nequaquam ſeruatur. Iterùm, prælatorum ordo, cæteris eſt præferendus, vtpotè ſupremus, & excellens. ſed dominationum ordo, ad prælatos pertinet: igitur cæteris ordinibus eſt anteponendus. hoc idem de ordine thronorum dici poteſt: nam quò propinquiores Deo, eò planè ſuperiores ſunt habendi. ſed throni Deo ſunt cæteris viciniores; nihil enim propinquius ſedenti, quàm ſua ſedes: igitur inter cæteros ſuperiores ſunt, & numero primi. huic accedit, quòd ſcientia ſit prior amore, & intellectus altior voluntate. ſed ſcientia ad cherubim ſpectat, amor verò ad*
Soluuntur argumenta. *ſeraphim: in prima ergo hierarchia, cherubim primatum obtinent. Sed ad hæc, atque ſimilia argumenta, ita reſpondemus: ad primum quidem dicimus, virtutem duobus modis intelligi poſſe, vno planè modo communiter, quatenus ſcilicet inter eſſentiam, atque*
Virtus quid. *operationem medium tenet; atque ita, omnes planè cœleſtes ſpiritus, virtutes nominantur, ſicuti & cœleſtes eſſentiæ. alio autem modo, quatenus importat quendam fortitudinis exceſſum, ſicq; eſt proprium ordinis nomen; ſignificat enim quandam virilem, &*
Angelus. *inconcuſſam fortitudinem, vt refert Dionyſius cap: 5. cœl: hier: Angelus prætereà, cùm ſit nomen officij, atque Dei nuntius, omnes profectò angeli dici poſſunt, quotquot diuina nuntiare poſſunt, ſiue nuntiant. Porrò, inferior, ſiue infimus ordo, ad angelos ſpectat, atque angeli appellantur, quia ſcilicet nobis diuina immediatè nuntiant: nec vllam addunt excellentiæ proprietatem, in manifeſtatione diuinorum, ſanctorumq; ſecretorum; ſicuti ſuperiores angeli, qui in diuinis enucleandis, aperiendiſq; ſecretis, præcipua pollent*
Dominatio. *virtutis excellentia. Ad confirmationem reſpondet Dionyſius 12. cap: de diui: nom: Dominatio, inquit, laudatur in Deo per quendam exceſſum, aliis autem attribuitur per quandam participationem, imitationemq;. etenim dominationum nomen, eodem authore 8. cœle. hierar. quandam primò ſignificat libertatem, à ſeruili conditione, pedeſtriq; ſubiectione: deinde rigidam, & inflexibilem gubernationem, quæ ad nullum actum ſeruilem inclinatur: poſtremò, appetitum, & participationem veri dominij, quod eſt in Deo, apertè denuntiat ſimiliter quoque cuiuslibet ordinis nomen, eius, quod eſt in Deo, participationem ſignificat. Ad tertiam confirmationem reſpondet Dionyſius, affirmans ar-*
Archangeli. *changelos inter principatus, atque archangelos eſſe conſtitutos, qui profectò reſpectu*
2. *angelorum, principes angeli, reſpectu verò principatuum, angeli vocantur. Ad 2. re-*
Seraphim. *ſpondet Dionyſius cap: 7. cœle: hierar: dicens: Seraphim ex amoris exceſſu, nomen ſortita eſſe; igne enim diuino maximè ardent. in igne autem eſt motus continuus ſurſum, virtus actiua, acutè penetrans omnia, poſtremò eſt ipſius claritas; ſic etiam angeli illi, infatigabili amore ad Deum ſemper aguntur: in ſubditos ſibi illorum feruor pertingit, & tranſit, excitando ſcilicet, atque purgando, denique ſuos illuminando, per inextin-*
Cherubim. *guibilem lucem, qua ipſi illuminanti, alios, illius luminis participes efficere ſtudent. Cherubim etiam, à quodam ſcientiæ exceſſu nomen acceperunt: vnde plenitudo ſcientiæ no-*
6 *minantur. pleni vtique ſunt, quia perfectè Deum vident, diuiniq; luminis lucem plenam recipiunt: ordinis quoque pulchritudinem à Deo profectam, pleniſſimè contemplantur:*
Throni. *poſtremò, huiuſmodi cognitionem, qua ipſi pleni ſunt, in nos copioſè effundunt. Ad confirmationem dico, thronorum ordinem diuinorum operum rationes in Deo immedi-*
c *atè, excellentiùs cæteris ordinibus inferioribus contemplantur. Ineſt autem huiuſmodi*
Excellens virtus inferioris angeli, in ſuperiori continetur. *virtus contemplandi ſeraphim, atque cherubim; excellens enim virtus inferioris, in ſuperiori continetur; non è diuerſo tamen, ideoq; ordines ab inuicem diſtinguuntur. Sedes autem, teſte Dionyſio, dicti ſunt ad materialis ſedis ſimilitudinem; ſedes enim à terra eleuatur; ſic & ipſi ad Dei rationes inueſtigandas, quæ circa res conditas verſantur, immediatè eleuantur. in ſede materiali, firmiter aliquis ſedet, atque ipſa è diuerſo firmantur virtute ſedentis. ſedes prætereà ſuſcipit ſedentem, in eaq; defertur; ſic illi beatiſſimi*

ſpiritus,

Angelorũ ordines.

ſpiritus, deum in ſeipſis ſuſcipientes, ad nos quodam modo deſerunt. ſedes inſuper ex vna parte eſt aperta, ad ſuſcipiendum ſedentem; quod certè illorum promptitudinem ſignificat, qua parati ſunt ad deum ſuſcipiendum, promptèq; illi famulandum. Ad 3. in angelis potiùs atq; excellentiùs eſt, deo ſubijci, quàm alijs: hac de cauſa, qui deo immediatiùs ſubſunt, in ordinibus primi numerantur, non hi, qui prælationis officio funguntur. Ad confirmationem dixi, eandem virtutis excellentiam in ſuperioribus inueniri ordinibus. Ad aliam confirmationem reſpondeo, cognitionem eſſe atq; haberi, quatenus cognita ſunt in cognoſcente; amorem verò, quatenus amatum vnitur amanti: ſuperiora autem nobiliori modo in ſeipſis, quàm in inferioribus ſunt; inferiora verò in ſuperioribus, quàm in ſeipſis nobiliorem ſtatum obtinent. Quamobrem, licet inferiorum cognitio, eorundem dilectione præſtantior ſit; ſuperiorum tamen dilectio, dei præſertim cognitioni præeminet. hac de cauſa cherubicus ordo, ſeraphico nequaquã eſt anteponendus. Cæterùm, ordo gubernationis in angelis, qui eſt ordo multitudinis, ſub principatu exiſtentis, reſpectum habet ad finem. finis autem angelorum duplex eſt: naturalis quidem, qui ſecundùm naturalia dona attenditur: & gratuitus, qui per gratiam habetur, quiq; in diuinæ eſſentiæ viſione conſiſtit. Itaq;, ordines completiuè in angelis, ex fine gratuitò diſtinguuntur; diſpoſitiuè verò, ex fine naturali; nam angelis gratuita dona conceſſa ſunt, ſecundùm capacitatem naturalium. Patet ergo, quomodo ordines angelici, ſecundùm naturam eſſe dicantur. In vna autem hierarchia multi ordines numerantur; hierarchia enim eſt multitudo ordinata, ſub regimine gubernantis; quæ profectò ordine omninò vacaret, ſi diuerſis non eſſet ordinibus diſtincta. Indiget ergo hierarchia ordinũ diuerſitate, quæ quidẽ ſecũdùm diuerſa officia actusq; conſideratur, nempe ſecundùm principium, medium, & finem: ideoq; in qualibet hierarchia ſunt primi, ſiue ſupremi, medij, & vltimi. Non ergo omnes angeli vnius ſunt hierarchiæ: nam teſte Dionyſ: de cœl. hierar. cap: 4. Hierarchia eſt diuinus ordo, ſcientia, & actio deiformis, quantum eſt poſſibile ſimilans, & ad inditas diuinitus illuminationes, proportionaliter in dei ſimilitudinem conſcendens. Hierarchia igitur eſt principatus quidam ordinatus; in quo ſunt multi ordines perſonarum, ad illum principatum pertinentium: ordo autem eſt cœleſtium ſpirituum multitudo, quæ inter ſe vno munere gratiæ ſimilantur, & ad officium, vel ſimile deputantur. Porrò, ſub nomine principatus, duo intelliguntur, nempe ipſe princeps, & multitudo ordinata ſub principe. Quia autem angelorum hominumque vnus eſt princeps; idcirco vna omnium creaturarum dici appellariq; poteſt hierarchia. Verùm, quoniam multitudo non vno eodemq; modo gubernatur à principe, ſed ſecundũ vniuſcuiuſq; proprietatem, adhibetur regiminis diſpoſitio; hanc ob cauſam, angelos omnes vnius eſſe hierarchiæ, eſt impoſſibile. Reuera, ſi quidam angelorum vniuerſalioribus veritatis cauſis intendunt, quidam autem huiuſmodi rationes accipiunt, & aliquo quodã modo multiplicant, alij verò, ſingulis quibuſdam rebus applicant; patet omninò, triplicem eſſe angelorũ hierarchiã: primam quidẽ deo immediatè intentam: ſecundam verò, bono vniuerſi conſulentem: tertiam autem, rebus particularibus intendentem. Sanè, ſecundùm Platonicos, tres ſunt ordines rerum, videlicet mentium, animarũ, & corporũ Prima ſeries, prouidentia: ſecunda, ſatum: tertia, natura appellatur. Mentes ſunt puri intellectus, vtpotè angeli, à corporibus liberi. Animæ ſunt rationales, vt ſunt cœlorum animæ, ſecundùm Platonicos, animæ Dæmonum, atque hominum. Tertio in genere, ſunt omnia cœleſtia corpora, elementa, humores, & mixta. Triplex præterea illa hierarchia, cum ternario numero diſtributa, trinitatis myſterium præſeſerre ſtudet, alijsque annuntiare ſatagit. De huius autem numeri Sacramento, in principio huius ſecundi libri dixi. Omnes ergo angelos vnius non eſſe hierarchiæ, patere arbitror. Sed dicet aliquis, hierarchia eſt ordo, ſcientia, & actio: igitur omnes angeli vnius ſunt hierarchiæ; vno enim ordine omnes ad deum tendunt, quem cognoſcunt, à quo in ſuis profectò acti-

3. Angeli.

Angelorum finis duplex.

In vna hierarchia multi ordines.

Omnes angeli non ſunt vnius hierarchiæ.

Hierarchia quid ſit.

Quare tres hierarchiæ.

Triplex ordo rerum ſecundùm Platonicos.

Angelorū ordines.

onibus regulantur. Adde, quòd omnes homines vnius ſint hierarchiæ: ergo & angeli ſimiliter; nam ſacer Principatus, qui hierarchia dicitur, in hominibus quoq; inuenitur. Inſuper, optima multitudinis diſpoſitio, ſub vno principe continetur, authore philoſopho 3. Politicorum, & 12. met. angeli autem in optima ſunt diſpoſitione: igitur ſub vna tantùm hierarchia omnes continentur.

Solutio.

Reſpondeo, omnes angelos, vnum habere modū cognoſcendi, reſpectu obiecti cogniti, quia deum cognoſcunt, & per proprias eſſentias cognoſcunt: quia tamen naturarum nobilitas non omnibus eſt eadem, atq; ſecundùm illarum nobilitatem diſponitur cognoſcendi facultas; idcirco diuerſus ineſt illis modus cognoſcendi. Species præterea innatæ eandem planè ſubeunt differentiæ rationem. Ad confirmationem, negatur ſimilitudo, vt dictum eſt. Ad aliam confirmationem dico, illud intelligi ex parte principii; multitudinem enim regi ab vno principe, optimum atque perfectum eſt: ex hoc tamen non ſequitur, quin multitudo diuerſis principatibus diſtingui non poſſit, qui vni ac primo principi ſubſeruiant; tunc planè argumenti ratio eſſet admittenda, quando diuerſi illi principatus vni principi non ſubeſſent, quod planè falſum eſt.

Modus cognoſcendi in angelis diuerſus.

Obiectio.

Sed iterùm aliquis arguet, ſub vna hierarchia multos ordines non contineri, hoc modo opponendo: Multiplicata diffinitione, multiplicatur & diffinitum. ſed hierarchia eſt ordo: igitur, ſi multi ordines ſub vna hierarchia continentur, plures quoque erunt hierarchiæ; & tot quidem quot ſunt ipſi ordines. Adde, quòd diuerſi ordines, diuerſi ſint gradus, qui diuerſa dona ſpiritualia ſequuntur. ſed in angelis huiuſmodi dona ſunt communia: non ſunt ergo diuerſi angelorum ordines. In Eccleſiaſtica præterea hierarchia, authore Dionyſio cap: 5. diſtinguuntur ordines, ſecundùm purgare, illuminare, & perficere. ſed quilibet angelorum his muneribus fungitur: ergo quod prius.

Solutio.

Dico, ordinem aliquando intelligi ipſam ordinationem, diuerſos gradus amplectentem, atq; ita hierarchia ordo nominatur: aliquando verò, vnum tantùm gradum ſignificare, atq; hoc modo plures ordines, vnius eſſe hierarchiæ. Ad confirmationem reſpondeo, quòd quamuis omnia dona angelis ſint communia, quia ad bonum commune proficiunt; vnus tamen altero excellentius obtinet, quatenus in docendo excellentiori munere donatur. Ad aliam negatur ſimilitudo: nam inferior angelus, quolibet puro homine in illis muneribus eſt ſuperior: ideo nō eſt ſimile. Tres ergo in angelis eſſe hierarchias, atq; ſub qualibet illarum tres ordines contineri, iam dixi.

QVAESTIONIS SECVNDAE CAP. I.

Quomodo ſit illuminatio mentium, & angelorum, & hominum.

Deus illuminat mentē.

DEus benedictus, lumen intelligibile, excelſum & immenſum, ſuæ diuinæ lucis contactu, creaturam rationalem atq; intellectualem illuminat, quemadmodum diuinus propheta canit: Illuminatus, inquit, à montibus æternis, hoc eſt, à cœlis ſanctis tuis: eos profectò, qui in mœroris caligine & tenebrarum confuſione verſantur.

Auguſtinus.

Quam ob cauſam diuus Auguſtinus lib: 15. contra Fauſt: cap: 8. Quod oculis, inquit, eſt ſanitas ad videndum ſolem; hoc eſt gratia mentibus ad implendam legem.

Anima quomodo illuminatur.

Et 11. de Ciuit: Dei, cap: 10. vult animam noſtram ita ad dei lucem ſe habere, vt àer reſpectu luminis. Vnde, ſicut per contactum luminis àer clareſcit; ita planè per diuinæ lucis contactum anima ſcientias acquirit, etiam illas, quas philoſophi ſcientias appellant: Sicut, inquit, àer iſte tenebreſcit ſine luce; ita anima abſq; luce intelligibili. neq; hoc ita dixerim, quaſi àer ſit anima, quod putauerunt quidam, qui non potuerunt incorpoream cogitare naturam. Anaximanes namq; Mileſius, & eiuſdem philoſophiæ Diogenes Apolloniates, Anaxagoras quoque, ceu aërem quendam

Angelorũ illuminatio.

quendam animam eſſe arbitrati ſunt. Porrò, Heraclytus à reſpiratione animam viuentiũ progigni cenſebat, vnde dicta ſit ψυχὴ, vt inquit Plato in Cratylo, ἀπὸ τȣ ψύχω, quod eſt refrigero. Veteres aërem illum, qui eſt in anhelitu, videntur animam putaſſe: de qua quidem materia lib. 6. latiùs diſputaui. Itaq́; ſicut ſe habet viſus ad viſibile; ſic pene ad intelligibile intellectus. ſed viſus omnia viſibilia, non niſi in ſolis fulgore diſcernit; ita abſq; dubio intellectus, non niſi lumine ſupernaturali illuſtratus, res diuinas atq; humanas ritè poteſt intelligere. Verùm eò magis intellectus ſupernaturali indiget lumine, quò magis diſtat à primo intelligibili, quàm viſus à viſibili. Quamobrẽ Auguſtinus 20. de Ciuit. cap. 14. & 11. de Trinit, cap: 7. & de Geneſi ad lit. 12. cap. 31. Aliud autem eſt, inquit, quo illuſtratur anima, vt omnia vel in ſe, vel in illo veraciter intellecta conſpiciat: nam illud ipſe deus eſt, hoc autem creatura; quæ cùm conatur lumen illud intueri; palpitat infirmitate, & minùs valet. inde eſt tamen quicquid intelligit, ſicut valet. Cùm ergo illuc rapitur, & à carnalibus ſubtracta ſenſibus, illi viſioni expreſſiùs præſentatur; non ſpacijs localibus, ſed modo quodam ſuo etiam ſupra ſe videt illud, quo adiuta videt, quicquid etiam ſe intelligendo videt. Reuera, ſicut omne calidum remiſſum, à ſummo calido proficiſcitur; ita proculdubio omne lucidum, à ſummo lucido efficitur, & ſeruatur, & omne intelligibile à ſummo manat intelligibili: ſic enim loquitur Auguſtinus 12. confeſſionum cap: 25. Ambo, inquit, in ipſa, quæ ſupra nos eſt veritate, videmus. Siue igitur naturali lumine, tanquam oculo mentis ſamiliari vſi fuerimus, ſiue infimorum radijs angelorum, tanquam igne, ſiue ſupernorum angelorum luminibus, tanquam ſtellis; vniuerſum hoc infiniti ipſius Solis radijs intelligitur: naturale ſiquidem lumen nobis ab initio deus benedictus tribuit; ideoq́; illud nobis ineſt per modum habitus & quietis: ſupernaturale verò, nouiter multis largitur, & hoc per modum tranſeuntis paſſionis infunditur. vnde ſic definitur lumen ſupernaturale, quòd nimirum ſit diuinitus intellectui, inſtar paſſionis tranſeuntis, infuſum, ſaluti conſulens, & maxima cum certitudine, earum notas rerum cauſas oſtendens, quæ humanæ potiſſimæ cognitioni occultantur. Quam ob cauſam Dionyſius cap: 4. de diuinis nominibus, ipſum bonum, lumine quouis excelſius, lumen intelligibile nuncupauit. In primo Pymandri, nulla de lumine, modoq́; intelligendi locuti ſumus. Cæterùm, lumen illud ſacrum à mentibus, quibus infunditur, ignorantiam atq; errorẽ expellit, purgatq́; intuentium mentes: etenim, quẽadmodum tenebræ corporales, ea, quæ poſſident teguntq́; corpora, ſqualida atq; ſordida reddunt, fereq́; immobilia; ita etiam ſpirituales tenebræ: erroribus ſiquidem intellectum complent: affectibus impuris animam: redduntq́; inertes & ocioſos homines. Verùm ſacrum illud, ſanctumq́; lumen, veritatis cognitione, errores pellit: obductamq́; ex ignorantia caliginem diſcutit: animam ab improbis planè affectibus, veri puriq́; amoris hauſtu, purgat, redditq́; illam viuam, ac pro viribus omnia agentem. Excuſſis igitur ab intellectu huiuſmodi tenebris, purgatisq́; affectibus, fit ipſe quodam modo lumẽ, cùm omnia videat in lumen conuerſa, idq́; gradatim, & per quendam quodammodo circulationis ordinem: nam ex lumine creſcit luminis deſiderium; & ex deſiderio aucto, creſcit lumen; illud autem nouarum reuelationum infuſione intellectũ implet. Itaq́;, Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminũ, à quo omnis illuminationis proceſſus, teſte Dionyſio, angelicæ hierarchiæ cap. 1. ad nos bonitatis dono peruenit: qui quidem, ſicut nos ſanctitate implet; ita profectò conuertit ad congregantis patris vnitatem & deificam ſimplicitatem. Sanè, lumen illud eſt veritatis manifeſtatio, quippè, cùm omne, quod manifeſtatur, teſte Apoſt: 5. Epheſ: lumen ſit. Illuminare igitur nihil aliud eſt, quàm agnitæ veritatis manifeſtationem tradere: Mihi, inquit Paulus cap. 3. ad Epheſ. omniũ ſanctorũ minimo, data eſt gratia illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſeculis in Deo. Dauid etiam ſæpè precatur: Illumina oculos meos, illumina lucernam meam domine. Iſaias excitat Ieru-

Plato.

Auguſtinus.

Deus eſt cauſa intelligendi.

Lumen naturale.

Supernaturale lumen.

Dionyſius.

Lumen ſacrũ expellit ignorantiam.

Quomodo intellectus illuminatur.

Paulus.

Quid ſit illuminare.

Dauid.

ſalem iam torpentem, cap: 60. Surge illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum. Deniq; vnigenitus Dei venit illuminare hi, qui in tenebris & vmbra mortis erant. Quãobrem, qui alium inſtruit docetq; veritatis cognitionem; is planè illuminat eos, qui in ignorantiæ tenebris priùs latitabant Vnde Dionyſius cap: 7. cœleſt: hierarch: ait, theologos planè monſtrare cœleſtium ſubſtantiarum ornatus, à ſupremis mẽtibus doceri deificas ſcientias.

Quomodo angeli illuminãtur.

Quamuis enim deus benedictus ex ſuæ abſolutæ potentiæ authoritate, inferiorem quempiam angelorum illuminare valeret, abſq; alicuius ſuperioris adminiculo; rationi nihilominùs conſentaneum eſſe videtur, vt per ſuperiores angelos inferiores illuminet.

Primus modus.

Quomodo autem huiuſmodi illuminatio fiat, non vna eſt omnium ſententia: nonnulli enim aiunt, angelorum illuminationes ita fieri, nempe, vnum virtutem intelligendi, lumenq́; ſpirituale à ſuperiori virtutem accipere; eſt enim illius lumen perfectius: ideoq́; quemadmodum corpus minùs calidum, ex vicinitate calidioris corporis recipit caloris augmentum; ita planè virtus intelligendi inferioris, ex conuerſione ad ſuperiorem fortificatur & creſcit.

Cõtra primũ modum arguitur.

Sed huic ſententiæ ſic obuiare nonnulli ſtuduerunt: Si ita res ſe habeat, inquiunt; tunc planè ſuperior inferiori lumen infunderet, quod fieri nõ poteſt, cùm huiuſmodi lumen ſubſtantia ſit, ſolaq; creatione haberi poſſit. Tale præterea lumen in eodem præſertim ſuppoſito, magis minùſq; non recipit. Poſtremò, ad vlteriorem pergere gradum, nequaquam ſitum eſt in potentia naturali. Quòdſi quiſpiam dixerit, non aliquo intrinſeco, ſed extrinſeco potiùs lumine accedente, huiuſmodi illuminationem fieri, veluti, ſi vnum lumen, alterius luminis acceſſu, clariùs videre diceremus; hoc quoq; minimè conſtat, nec omnibus modis rationi conſentit, alioqui angelus inferior, non in proprio, ſed in ſuperioris lumine videret, quod eſt falſum. Præterea, quòd vnum lumen alteri coniunctum, clariorem viſionẽ reddat, in cauſa eſſe poteſt; aut quia vnum auget alterum in ſubiecto, aut in medio, aut ſaltem in vtroq;, ex quibus profectò nullum poteſt contingere. Angelus præterea ſuperior, & illuminaret, & illuminaretur, vtpotè, qui cum inferiori clariùs lucidiùſq; videret, quod planè ordinatiſſimæ angelorum politiæ ordiniq; aduerſatur.

Secundus modus illuminãdi.

Addunt ſecundum illuminationis modum, ita interpretando. Superiorem, inquiunt, inferiorem illuminare dicimus, quatenus, quæ ſub vniuerſali ſuperior intelligit, pro ſuæ naturæ amplitudine, ſigillatim diſtinctèq; inferiori ſignificat, quæ profectò ſub illa vniuerſalitate capere non poterat. Vnde Dionyſius, 5. cœleſt: hierarch: ait, quòd vnaquæque ſubſtantia intellectualis, datam ſibi vniformẽ intelligentiam prouida virtute diuidat, & ad inferiores multiplicet.

Contra ſecundum modum arguitur.

Cæterùm, hunc quoq; modum nequaquam aduerſarij approbant, imò efficaciter euertunt: Si, inquiunt, huiuſmodi modus veritatem haberet; aut certè id fieret, quia nimirum ſuperior angelus, ſuum mutaret modum intelligendi, incipiendo vtiq; intelligere particulatim, quæ priùs ſub vniuerſali intellexerat. Sed hoc ipſis minimè placet huius ſententiæ authoribus, qui aiunt, ſuperiorem magis vniuerſaliter magiſq; vnitè intelligere, quã inferiorum quicunq;. Deniq;, ſi ita particulariter intelligeret, ineſſent vtiq; illi particulares ſpecies intelligendi, quibus planè vacant. aut, quia ſuperior in huiuſmodi officio particularibus ſignis vteretur, quod profectò in eandem relabitur confuſionis iniuriam. Porrò, Dionyſii authoritas ſic eſt intelligenda, nempe, ſuperiores diuidere, hoc eſt diſtribuere, prouidèq; inferioribus miniſtrare omnia, idq́; ſecundùm ordinatiſſimam dei voluntatẽ, quæ terrenis atq; cœleſtibus moderatur.

Tertius modus illuminãdi.

Accedit adhuc tertius illuminationis modus, quem ſic diſtinguere poſſumus. Quatuor modis aliquid illuminari dicitur: aut luminis infuſiõe: aut alicuius rei luminoſæ ſeu lucidæ præſentia: aut impedimenti remotione: aut diſpoſitionem congruam cauſando, contrariamq́; remouendo.

Quatuor modis aliquid illuminari.

Porrò, primus modus, dei eſt ſolius, cæteri verò angelis competere poſſunt; nam ſuperior angelus aliquod poteſt obiectũ lucidum, inferioris intellectui offerre, illumq́; dei capacem efficere, & illuminando, & ad id agendum diſpoſitionem inducendo. Huic accedit totius mundi ordinatiſſima connexio, quæ

Angelorũ illuminatio.

xio; quæ ſanè non ſolùm in diuerſis naturarum gradibus; verùm etiam in earundem diſpoſitionibus, operationibusq́ conſpicitur. Congruit ergo & bono, & ordini vniuerſi, vt inferiora à ſuperioribus regantur, illuminentur, virtutemq́ intelligendi accipiant. Occurrunt nonnulli huic modo dicendi, ſic arguendo: Si ſuperior angelus obiectum luminoſum offerendo, inferiorem illuminat; aut certè aliquid luminis, ſeu virtutis in huiuſmodi actione, menti inferioris infundit; aut nihil. Quòd ſi nihil ipſum agere dixeris; non angeli, ſed obiecti virtute inferior illuminatur, quod planè falſum eſt: alioqui angelorum illuminationes irritæ eſſent & inanes. Si verò aliquid agat in inferioris mentem, lumen vtiq́ infundendo; hoc profectò prius exploſum eſt; quandoquidem ad deum tantùm ſpectet, lumen intelligibile infundere: vana eſt ergo ſiue minùs efficax huiuſmodi ſententia. Illud præterea, quod de impedimenti remotione addunt, patet argumentis non paucis, eiſdemq́ neruoſis. Etenim illa impedimenti remotio, aut nimia eſſe videtur loci intercapedo, ſeu diſtantia, qua inferior à ſuperiori abeſſe dicitur, quod reuera minimè placet: angelus enim ſuperior, quamuis ad inferiorem ſeipſum moueat, ipſum autem mouere non valet. aut indiſpoſitio contraria actui intelligendi. aut inaduertentia, & inconſideratio in angelo intelligente, quorum neutrum illi congruere poteſt. Reuera, ſi talis diſpoſitio intellectui ineſſet angelico; vtique illi quoq́ ignorantia diſpoſitionis ineſſet, quod eſt falſum. neque inaduertẽtia, aut inconſideratio dici poteſt: quandoquidem euellenda non ſit, niſi alicuius rei nouiter creatæ acceſſu. Illa autem aut habitus eſſet, aut ſpecies, aut deniq́ aliquod lumẽ. at habitus inferioris angeli eſt illi cõgenitus; ſpecies verò ab illis negligitur; lumen autem à ſolo deo immittitur atq́ infunditur: quo ergo nomine illa res noua gaudebit? Præterea, cùm ipſi dicant ad intelligendum duo neceſſaria eſſe, virtutem vtiq́ intellectiuam, & intellectæ rei ſimilitudinem, atque ſecundùm hæc duo, inferiorem à ſuperiori lumen recipere: primùm quidem virtutem illius intellectiuam fortificando ex loci propinquitate: ſecundò autem manifeſtando veritatem ex parte ſimilitudinis intellectæ. Sanè, huiuſmodi confortatio, aut fieret per vnius in alium actionem, aut ambobus in vnum eundemq́ concurrentibus effectum. Porrò, ſi per actionem fieret; id certè bifariam contingeret: vel intellectus lumen intenſius cauſando: vel aliquod nouum lumen adhibendo. at neutrum iſtorum veritati conſonat. etenim, lumẽ illud eſt potentia naturalis in natura inuariabili; nouum verò lumen ab angelo produci non poteſt. Ad hæc, atq́ ſimilia ſic aliqui reſpondere conſueuerunt: angelum videlicet ſuperiorẽ, non offerre prius lumen inferiori, deinde veritatem oſtendere; ſed ſimul offerre veritatẽ cognitã, vt illuminatã. hoc autem modo ad vidẽdam huiuſmodi veritatem, intellectus illuminatur, & ex conſequenti fortificatur, ex conſortio vtiq́ ſuperioris luminis participati, ob veritatis illuminatæ participationem. Siquidem, quando aliquod occultum, vt cognitum proponitur, vt illuſtratum profertur; etiamſi ab eo, cui offertur, ob debilitatem videndi, ſeu intelligendi, videri intelligiq́ non poßit. Hanc autem eſſe dicunt in angelis primam illuminationis radicem: quilibet enim ſuperior, obiectum, vt cognitum & illuſtratum, inferiori offerre ſatagit. Quia autem hæc prima illuminationis radix, veritati intelligendæ non ſufficit; ſecunda neceſſaria eſt, nempè conceptuum particularis diſtinctaq́ notitia. Porrò, ex his duabus radicibus, vt ita dicam, totus pullulat illuminationis ordo. Itaq́, angelus ſuperior, inſtar doctoris ad diſcipulum, remota diſcurſus imperfectione, ad inferiorem ſeſe conuertit, quæ profectò conuerſio, nõ in actione, aut concurſu, per modũ naturæ, vt illi volunt; ſed in actione potiùs in alium, per modum artis cooperatiuæ naturæ, conſiſtit. ſed de his hactenus. Veriſimilius tamen eſſe dixerim, ſi res ita intelligatur, nimirum, inferiorem à ſuperiori illuminari, quum ſcilicet alicuius ſingularis ſibi reuelati ſuperior, ſua memoria virtute, conceptum inferiori ſignificat; qui profectò auditio in angelo quidem illuminato vocatur. Itaq́, prius illuminat lumine veritatis intelligibilis, qui planè eſt ipſemet actus intelligendi infuſus,

Contra tertiũ modum arguitur.

In angelis nõ eſt incõſideratio.

Aliæ obiectiones.

Reſponſio.

Duo modi illuminandi.

Verior ſententia.

ſeu cauſa-

Angelorũ illuminatio.

ſeu cauſatus, vocaturq́ locutio de obiecto reuelato, quæ planè perfectior eſt in loquente. Deinde angelus inferior, auditione recepta, conuertit ſe ad videndum, quod ab angelo loquente, ſiue illuminante audierat: & hæc quidem viſio, præcedenti auditione perfectior eſt. Poſtremò, ad huiuſmodi viſionem habendam, maximè afficitur, vt videat in verbo, quod in angelo priùs conſpexerat. ſiquidem in angelo, quaſi in ſpeculo imperfecto conſpexerat; in verbo verò, vti in perfectiſsimo exemplari intuetur, ſicq́ perfecte completur deſiderium videntiũ. Quomodo ergo vnus angelus ab altero illuminetur, dixi, ſic, vt quilibet tamen abundet in ſenſu ſuo; ſalua tamen ſemper ſanctarum ſcripturarum authoritate, & catholicæ fidei veritate.

CAP. II.

Vnum angelum non illuminari ab alio, argumentis probatur:

1. LVx non poteſt illuminari: nam illuminatio eſt mutatio ab oppoſito in oppo-
ſitum, à tenebris ſcilicet ad lucem. ſed angelus eſt lux & non tenebræ: il-
luminari ergo non poteſt. Reuera, illuminare idem eſt, quod lumen cauſa-
re, & infundere, quod planè alicui angelorum minimè cõgruere paulò antè
2. annotauimus: ergo quod priùs. Amplius, triplex eſt lumen in angelis,
nempe naturæ, gratiæ, & gloriæ: naturæ autem lumine à creante illuminatur: gratiæ
verò à iuſtificante: gloriæ, à beatificante: igitur non ab angelo; hæc enim dei ſolius ope-
ra reputantur. profectò, lumen eſt quædam mentis forma: mens autem à ſolo deo, nul-
la creatura accedẽte, formatur, authore Auguſt. lib: 83. quæſt. Angelũ ergo ab angelo
3. non illuminari, patet ſatis. Præterea, eadem planè beatitudine modò gaudent angeli, qua
nos ſperamus eſſe gauiſuros atq; fruituros. Sed tunc temporis, teſte Ieremia Propheta,
31. Vir non docebit proximum ſuum; ſed erunt omnes docti, ſiue docibiles dei: vnus er-
go angelus alium illuminare nequit, cùm omnes à Deo immediatè illuminentur. ergo
quod priùs.

Lumen triplex in angelis.

CAP. III.

Soluuntur Argumenta.

1. AD primum, maior veritatem habet in pura luce, quæ non habet aliquam
partem tenebrarum, nempe, in deo benedicto: non autem in angelo, qui
non omnia nouit, & illuminatione eget. Ad confirmationem dico, illumi-
nationem in angelo, mutationem quidem eſſe ab oppoſito priuatiuè, ad op-
poſitum, quia nimirum à priuatione ad habitum; non autem ab oppoſito
ad oppoſitum contrariè; quandoquidem in angelo non ſit aliquod poſitiuum contrarium
illuminationis termino, cuiuſmodi eſt diſpoſitionis ignorantia, ſed illa tantùm, quæ neſci-
entia appellatur. Ad aliam probationẽ dico, lumen quod eſt naturale, quodq́ eſt ſub-
ſtantia, ab angelo ſuperiore creari non poſſe; ſed lumen tantùm, qui eſt ipſe actus intel-
2. ligendi. Ad 2. iam patet reſponſio: angelus enim ſuperior illuminat quidem, non lumẽ
creando; ſed modo, quem iam diximus. Ad confirmationẽ reſpondeo, mentem rationa-
lem immediatè à deo formari, ſicut imaginem ab exemplari, aut ſubiectum ab vltima
forma completiua: niſi enim primæ inhæſerit veritati; ſemper profectò informis & in-
diga reputabitur. aliæ autem illuminationes id præſtare nequeunt, quippè, cùm ad vl-

timam

*timam formam diſpoſitiones tantùm ſint. Ad 3. verum quidem eſt, omnes angelos dei
eſſentiam immediatè videre, atq; ſecundùm huiuſmodi viſionem prophetam fuiſſe locu-* 3.
*tum; diuinorum tamen operum rationes, non ſimiliter omnibus patent. Reuera, quan-
tò aliquis perfectiùs videt, tantò vtiq; perfectiùs copioſiùsq; diuina percipit myſteria,
atq; ita aliũ illuminare poteſt: vnus ergo angelus aliũ illuminare poteſt. Sed dicet ali-* Alia argumẽ-
quis: Nũquid ſuperiores angeli omnia nũtiant inferiorib. quæ illis cognita ſunt? Minimè. ta.
*ſiquidem authore Dionyſio 12. cœl. hier. vniuerſali ſcientia præditi ſunt ſuperiores; in-
feriores verò magis particulari: nõ ergo omnia inferioribus ſignificant; vniuerſali nam-
que ſcientia multa continentur, quæ à particulari haberi non poſſunt. Sanè, ſi omnia in-
ferioribus annunciant; non ergo deinceps atq; de cætero aliquid oſtendere poſſent. Ad-
de, ſuperiores angelos Chriſti myſteria cognouiſſe, inferiores autem minimè. Vnde qui-
buſdam ſciſcitantibus, quis eſſet ille Rex gloriæ, alij, vtpotè doctiores ſapientioresq; re-
ſpondent: Dominus virtutum, ipſe eſt Rex gloriæ. Porrò, ſecundùm Dionyſii ſententi-
am hoc dici non poſſet, ſi ſuperiores omnium, quæ nouerunt, inferiores participes atque
illuminatos redderent. Cæterùm, his aduerſari videtur illud Dionyſii cœl. hier. cap. 15.* Solutio
*vbi ait, vnamquamq; cœleſtem eſſentiam, intelligentiam, à ſuperiori ſibi datam, infe-
riori communicare. Sanè, in illa cœleſti patria, quamuis quædam data ſint excellenter;
nihil tamen particulariter poſſidetur. Reuera, cuilibet innatum eſt creaturæ, boni quod* Si illuminent
accepit deſiderium communicandi; ad bonum enim pertinet, ſeſe alijs communicare. de omnibus.
*Cùm autem ſuperiores pleniſſima Dei luce, bonitateq; fruantur, ſuis conſodalibus & na-
turæ conſortibus, licet inferiores gradus obtinentibus, lucis bonitatiſq; munera commu-
nicare ſtudent. Ex hac autem communionis ſocietate, ſuperioribus non adimitur naturæ
ſcientiæq; nobilitas, quippè, cùm excellentiori potiantur intelligendi ordine, modoque
cognoſcendi. hac de cauſa ſuperiores, vniuerſaliori ſcientia pollere dicuntur, quia nimi-
rum eminentiori ordine gaudent in intelligendo, vnde inferiores non ita plenè, ac ſupe-
riores, ſaluatoris noſtri gratiam cognouerunt; propterea edoceri cupiebant, quia ſcili-
cet vſq; ad extrema tempora, de mundi regimine ſaluteq; electorum, ſupremis angelis
noua aliqua ſemper reuelantur: vnde & inferiores ſemper illuminare poſſe, rationi om-* Si inferior il-
ninò conſentaneum eſſe videtur. Sed dubitabit aliquis, an ſuperior ab inferiori illumi- luminet ſupe-
nari poſſit? Ad quod quidem breuiter reſpondeo, quòd ſeruato ordine cœleſti à Deo in- riorem.
*ſtituto, quo inferiora à ſuperioribus diſponuntur; abſq; dubio, inferior ſuperiorem illu-
minare non poteſt: quòdſi aliquid tale fieri contigerit; præter ordinem id accidere pu-
tandum eſt. Quomodo ergo angeli illuminentur, dixi.*

QVAESTIONIS TERTIAE CAP. I.

De locutione Angelorum.

DE Angelorum locutione, paulò ante nonnulla dixi. Vt autem copioſior ſit Angelorũ
de hac materia inquiſitio, aliquid addere tentabo. Angelos adinuicem lo- locutio.
*qui, mutuiſq;, in diuinis miniſterijs gerendis, colloquijs ſermonibusque vti,
cùm ratione nobis conſtat, tùm etiam ſanctarum authoritate ſcripturarũ.
Reuera, ſuos poſſe alteri conceptus exprimere, non paruæ profectò perfe-* 1.
*ctionis eſſe videtur in creatura rationali: hoc autem ad officium ſpectat loquendi. ſed
quidquid perfectionis eſt in creatura rationali; abſq; dubio ſpirituali eſt tribuendum:
igitur loquendi officium, ab optima ſimpliciſſimaq; creatura non eſt remouendum. V-
nus præterea angelus, diuina reuelatione illuſtratus, de diuinis ſanctiſſimiſq; myſterijs* 2.
*aliquid percipit, quod alius percipere nequit. Cùm autem diuinæ charitatis munere ful-
geat, ſe ſuaq; omnia alteri inſinuare geſtit. Et viciſſim, intellectus alterius angeli audi-*

locutio. re cupit, quæ profectò abſq; ſpirituali locutione fieri non poſſunt. Profectò, quando a-
3. ctiuum eſt in actu primo, in potentia ſufficienti ad recipiendum paſſiuo conſiſtente, ſi
inuicem complexa ſeſe fuerint; vnum ſine dubio, agentis officio, alterum patientis funge
tur. ſed angelus loquens habet memoriam fœcundam verbi, atq; productiuam; alius ve
4. rò, vt ita dicam, paſſiuam: mutua igitur collocutione fruuntur. Sanè, vbi actiuum & paſſiuum eiuſdem ſunt rationis; ab eiſdem planè eundem producendum eſſe effectum, clariſſimum eſt: præſertim, ſi potentia actiua ſit in actu; receptiua verò in potentia eſſentiali & ſufficienti ad recipiendum, quemadmodum & illa ad producendum. ſed memoria angeli loquentis, intellectui poſſibili eiuſdem rationis in ambobus exiſtenti, ſuum verbum imprimere poteſt: ergo quod prius. Scripturæ inſuper diuinæ, huic ſententiæ atq; rationi abundè copioſeq; ſuffragantur, quemadmodum antè dixi. Itaq; angelos
Modus loquẽdi mutua colloquendi ſocietate vti, conſtat ſatis. Modus autem loquendi, quo ipſi vtuntur, eſt nobis incognitus, propterea variam peperit ſapientum ſententiam; nam nonnulli hũc
Prima opinio loquendi modum probauerunt: Angelus, inquiunt, angelo loquitur, dum ſua voluntate aperit, clauditq; conceptus mentis; res enim intelligibilis, cuiuſmodi eſt conceptus, trifariam ſeſe habet ad intellectum. vno quidem modo habitualiter, idq; ſecundùm memoriam. deinde actualiter, in ipſo planè actu intelligendi atq; actuali conceptu. poſtremò, cùm prius intellectum & in actu conceptum, ad aliud refertur imperio voluntatis: à primo gradu, ad ſecundum, ab habitu, ad actu intellectum: ex ſecundo verò, ad alium proficiſcitur ordinem atq; finem, in quo quidem conſiſtit angelorum locutio: hoc enim eſt loqui angelicum, ſuos certè conceptus alteri exprimere. Oppugnant nõnul-
Obiectio. li huiuſmodi loquendi modum, ita arguendo: Conceptus, inquiunt, in actu eſt vtiq; ens
1. in actu, & ex conſequenti, intelligibilis in actu: illius ergo occultatio non ſubeſt imperio voluntatis. Poſito igitur obiecto, & actiuo, atq; paſſo iam coniunctis, atq; diſpoſitis; ſequitur actio, quæ à voluntate impediri non poteſt: non ergo voluntati ineſt an-
2. gelicæ obiecti claudendi libertas. Amplius, ſi imperio angelicæ voluntatis ſubeſt alicuius rei abſconſio, vt puta albi cognitio, ſiue intellectio; & intellectionis vtiq; intellectio: nam ſi conceptum illius abſcondere poteſt; & intellectionem etiam. Sed intellectio intellectionis albi, eſt qualitas in mẽte angeli, quæ profectò ab alio angelo impediri non poteſt. ergo. Sanè, intelligens intellectionẽ albi, à nigri intellectione vtiq; diſtinctè diſcernit. Porrò, intellectus ab actu non diſtingueret, niſi obiectum ab obiecto ſecerneret: intellectus ergo intellectionem albi, ab intellectione nigri diſcernens, obiecta quoque diſtinguat, neceſſe eſt. Igitur, quemadmodum vnus angelus, alteri impedimento eſſe non poteſt, quominùs intelligat intellectionem intellectionis albi; ita etiã, vt albi obiectum non percipiat, atq; ita vnus angelus, alteri ſuum celare nequit conceptum. Ad-
3. hæc, ſi voluntas angeli conceptum alteri celare poteſt; aut certè aliquo actu, aut ſine omninò aliquo velle, id erit præſtitura: non ſine aliquo actu, alioqui ſemper impedimentum præſtare poſſet: aliquo actu igitur. Quòd ſi ita fuerit; tunc non indoctè aliquis dubitabit, vtrum integrum illi ſit huiuſmodi actum abſcondere, necne? Quòd ſi celare nequiuerit; nec ergo actum intellectus, aut ipſam notitiam occultare valebit; plus enim dominij in ſuum actum, quàm in extrinſecas potentias habere, clariſſimum eſt. Reuera, ſi huiuſmodi actum tegere nequit, neq; etiam obiectum, vt dixi: celarè ergo poteſt. quòd ita ſit, aut reuera eadem volitione, ſiue actu, aut aliquo alio. non eodem actu, alioqui pari facilitate manifeſtandi quoq; haberet facultatem, atq; ita vno eodemq; actu, vnã eandemq; rem, & aperiret & clauderet, quod eſt falſum: alio actu igitur, & ille deinceps ab alio, atq; ſic proceſſus infinitus ſequetur, quod fieri minimè poteſt: igitur
4. quod prius. Iterum, quod neq; in eſſe, neq; in fieri, ſubeſt voluntatis dominio; ab ea vtique impediri non poteſt. ſed actio naturalis agentis eſt huiuſmodi: à voluntate igitur angelica impediri non poteſt, niſi à diuina tantùm. Itaq;, cùm intellectio in mente angeli

loquentis,

Angelorũ locutio.

*loquentis, alterius angeli intellectui, æquè proxima ſit, ac naturale actiuum, ſuo paſ-
ſiuo, idq; tanquam obiectum proportionatum; profectò illius voluntas, alterius intelle-
ctionem impedire nequibit. Cæterùm, ſi huiuſmodi vera ſint; obiecto igitur præſente, ac
debitè approximato, intellectus non poſſet non intelligere; etiamſi aliud voluntas præ-
ciperet, quod planè veritati, atque experimento nequaquam conſonare videmus. Qua-* Secunda opinio.
*re, diligens lector, diligenter omnia conſiderato. Cæterùm, quia res eſt admodum
obſcura; idcirco præclara ingenia, quæ huiuſmodi difficillimis rebus gaudent, exer-
cere non deſtitit. Inter alios ergo huius rei ſpeculatores, quidam certè non paruæ au-
thoritatis viri, talia tradiderunt: Angelorum locutio, inquiunt, eſt alicuius obiecti no-
titia, de quo quidem vnus angelus, alteri eſt locuturus. Quam ob cauſam, quæ memoria
priùs tegebatur, in actu, acieq; intelligentiæ ponitur aliis videnda, quæ profectò ſic* Obiectio.
*in actu poſita, angelus aſsiſtens, ſi attentus perſtiterit, illicò percipit, quod in alterius
acie intuetur. verùm hæc quoque ſententia licet ſubtilis, & ingenioſa ſit; nonnullas ta-
men difficultates patitur. Etenim, ſi res ità ſe haberet, huic velle loqui, alteri verò* 1.
*minimè, in angeli poteſtate ſitum non eſſet: omnes ſiquidem æqualiter conſpicerent con-
ceptum in acie angeli loquentis nouiter apparentem, atque ità vni loquens, omnibus lo-
queretur, quod eſt falſum; deſtrueret enim diuini ordinis politiam. Amplius, huiuſ-* 2.
*modi locutio obiecti quidem eſſet, non autem certi obiecti; audiens namq; in angelo lo-
quente, notitiam priùs cognoſceret, cuius medio obiectum intelligeret. Adde, angelum
audientem, de locutionis obiecto certiorem fieri non poſſe; ſed de illius tantùm notitia,
quæ vera ſeu falſa eſſe poteſt, exiſtente vel non exiſtente illius obiecto. Poſtremò, ſi
angelus loquens, in intellectu angeli audientis, nihil ageret; per accidens vtiq; loquere-
tur. Cum autem hæc omnia abſurdiſsima ſint, iuſtè talium ſententia non eſt audien-* Tertia opinio.
*da. Non deſunt, qui alium loquendi modum introducere tentarunt, huiuſmodi videli-
cet: Sunt, inquiunt, aliqui conceptus, omnibus fermè angelis naturaliter noti, nempè
omnium quidditatum vniuerſales, atque generaliſsimi: particulares autem, ſiue ipſa
particularia, non ſimiliter omnibus patent; ſed vnus altero plus, minùsq; poſsidet, atq;
intelligit: particularia autem, quoniam ſunt infinita, omnibus omnia nota eſſe non poſ-
ſunt. de conceptibus igitur particularibus, non autem vniuerſalibus eſt angelorum lo-
cutio. Cùm itaque angelus ſuperior, alicui inferiorum, pro rerum adminiſtratione, ele-
ctorumq; ſalute conſeruanda, loqui diſponit; huiuſmodi ſuum conceptum particularem,
per vniuerſales intimat illi, atque ſignificat. Ex multis ergo conceptibus vniuerſalibus
ſimul aggregatis, atque vtriq; notis, expreſsio fit particularis conceptus, atque hæc di-* Obiectio.
*citur eſſe angelorum locutio. Porrò, hæc ſententia eſt multùm tenuis paruæq; imò nul-
lius fortitudinis. Reuera, falſum eſt, quod aſſerit, videlicet, ſingulare, ab angelico in-
tellectu directè, primò, ac naturaliter intelligi non poſſe. Etenim, ſi ſingulare non eſt* 1.
*minus in actu ens, quàm illius quidditas, illa autem ab angelo rectè, & primò intelli-
gitur, & ſingulare etiam; ſingularia quoque non ſunt actu infinita, nec ab angelo* 2.
*omnia intelligi neceſſe eſt, etiamſi actu infinita exiſterent, vt authores huius ſententiæ
dicere videntur. Adde, eos ſupponere quod declarare intendunt: priùs ſiquidem de* 3.
*particulari, aliquo modo conceptus habetur, atq; vt particulare ab angelo audiente per-
cipitur, priuſquam per vagos cõceptus deſcribatur, alioqui quid ſibi deſcriberetur, igno-
raret: priùs ergo nouit ſingulare, quàm fuerit illi deſcriptum: huius autem notitiam
ab angelo loquente recepit: loquitur autem (vt ipſimet dicunt) per vagos conceptus;
igitur, ille priùs loquitur quàm loquatur, & iſte priùs audit, quàm audiat, quod eſt* 4
*apertè contradictio. Adhuc, ſi angelus loquens nihil agat in angelum audientem,
quippè, qui intra ſuum intellectum, ſuum conceptum contegat; perinde profectò eſt,
ac ſi angelus loquens non adeſſet, imò idem eſt, quaſi non ſit; illa enim expreſsio, eſt
actio immanens, & non tranſiens: igitur, ſua præſentia, angelo audienti præſtabit ni-*

bil, quod

Angelorũ locutio.

Quarta ſententia, ſiue opinio.

hil, quod eſt falſum. Itaq; hanc tertiam opinionem, legitimè fuiſſe exploſam, atque excluſam à viris doctiſſimis, patet ſatis. Adeſt & quarta ſententia, quæ rationabilior cæteris eſſe videtur, tametſi aduerſarijs non vacet. Sic autem angelorum locutionem fieri arbitratur: Angelus, inquit, loquens, ex ſuæ virtute memoriæ, ex ſuæ quoque voluntatis imperio, notitiam actualem in angelico intellectu cauſat, ſiue producit: illa autem notitia, eſt illius obiecti, de quo loquitur verbum intelligibile, in aure intellectus. Id verò, angelum præſtare poſſe, patet: nam agens, vt dixi, virtute ſua perfecta continens aliquem effectum, in paſſiuum ſibi vicinum, atque proportionatum immittere, atque transfundere poteſt. ſed ſic ſe habet angelus loquens, ad angelum audientem: igitur, inuicem loquuntur, ſicut paulò antè dixi.

Quatuor modi intelligendi.

Adde, quadruplicem intelligendi modum, qui in angelo inuenitur. Primus vocatur intuitiuus, à ſe ipſo certè immediatè notitiam recipit. Secundus intuitiuus in alio angelo. Tertius abſtractiuus per ſpeciem vel per aliquod medium repræſentatiuum. In his autem modis, nullam angeli notitiam, auditionem eſſe aiunt, quippe cùm nulla illarum ab intelligente expreſſa ſit, in quantùm ſcilicet intelligens eſt: accidit enim ſic mouens, intelligere: æquè namq; moueret, etiamſi non eſſet intelligens. obiectum præterea primum, vel ſpecies, inſtar cauſæ partialis cum intellectu ſe habet. Quarto modo angelus aliquid cognoſcere dicitur, in quantum per intellectum, vel memoriam eius exprimentem, ita in ipſo intellectio ſit; vt neque intellectus recipiens, nec ſpecies, aut obiectum in actum, aliquid cauſalitatis actiuæ habere queat.

Angeli auditio.

Porrò, hæc cognitio ſola, in angelo intellectualis auditio, illius verò expreſſio, in angelo loquente, locutio nominatur: locutio autem, atque auditio, naturaliter, ſeu eſſentialiter ex voluntate dependent angeli loquentis. Etenim, quemadmodum voluntas in angelo loquente, propriam intelligentiam cum memoria coniungit, atque ita locutionem efficit; ita etiam in angelo audiente, memoriam intelligentiæ connectit, efficitq; actum intelligendi; non enim auditio, in alio fieri poteſt, niſi priùs locutio fiat, aut intellectio in loquente. Itaq; ſicut voluntas poteſtatem habet ſuper primum actum in angelo; ita planè ſuper ſecundum, in audiente.

Actualis intellectio.

Porrò, actualis intellectio in loquente, non eſt ratio, neque principium formale quo in loquente illius notitiæ gignendæ; ſed magis ipſa memoria loquentis, vel aliquid ad memoriam ſpectans, in loquente namque, atque in audiente, ambo actus intelligendi eiuſdem ſunt rationis; ideoq; à principio quo eiuſdem rationis, nempè à memoria, vel ab aliquo ad ipſam pertinente, deriuantur.

Propriè auditio, Viſio.

Quare, intellectio in aliquo rationem parentis habere non poteſt: ab eodem certè principio, quodam ordine actus illi procedunt. Porrò, triplex illa viſio, ſiue modus cognoſcendi, auditionem impropriè acceptam præcedit, propriè verò, minimè; imò viſionem præcedit. Propria autem auditio eſt, quando angelus loquens, eius, quod in proprio genere, vel reuelatione nouit notitiam, alteri huius rei ignaro imprimit, atque ſignificat: impreſſione autem facta, audiens conuertit ſe ad mentem loquentis, vt ibi videat, quod ab illo audiuerat.

Quomodo loquitur vni, & non alijs.

Ex quo patet, propriam, ac completam auditionem, viſionem præcedere; impropriam verò, qualis nimirum eſt de aliquo, vtriq; noto, poſteriorem viſione inueniri. Ex his autem patet, quonam pacto, vnus angelus, vni, & non alteri loquatur: ex imperio enim ſuæ voluntatis, per ſuam memoriam, alterius, vel plurium, vt lubet, intelligentiam mouet, ac ſi plures intelligentias mobiles in ſe haberet, quarum vnam mouere vellet, aliam verò quieſcere. Loqui igitur, vel tacere, in poteſtate angeli ſitum eſſe, perſpicuum eſt. Itaq; quomodo vnus angelus alteri loquatur, ſic dicunt nonnulli.

CAP. II.

Argumenta contraria.

Arguam

Angelorũ locutio.

ARguam priùs contra quartum modum dicendi, ſic. Principium produ- 1
ctiuum, habens iam terminum adæquatum, illius limites egredi non valet
in producendo: ſed memoria fœcunda angeli loquentis, habet terminum ſi-
bi adæquatũ, nempe ſuum proprium verbum: in angelo ergo auditi.nem,
ſeu locutionem, aut intellectionem cauſare non poteſt. Reuera, ſi intelle-
ctus agens & intellectus poſſibilis in vno angelo actiua ſunt, & paſſiua adæquata: igi-
tur quemadmodum anima ſuum tantùm corpus perficere poteſt; ſic etiam & illa. huic
accedit, quòd ratio illa factiuis, non autem operatiuis potentijs inſeruit; illæ enim ad ex-
tra non agunt; nam iſtarum actus, actiones immanentes ſunt: igitur iſte quartus loquē-
di modus, minimè ſibi conſtare videtur. Præterea, non quæcunque approximatio, ad 2
actum intellectus producendum ſufficit; ſed illa duntaxat, quæ eſt in eadem ſubſtan-
tia, qualis certè in duobus angelis eſſe non poteſt. Profectò, ſi ita res ſe haberet; pari
quoque ratione, vnum brutum, alteri bruto per actum imaginandi loqui poſſet: vnum
enim illorum ſufficiens haberet principium actiuum, alterum verò paſſiuum. ſed hoc
eſt falſum: ergo quod prius. Adde, actiuum, in extremum non agere, niſi priùs agat
in medium. ſed angelus loquens, ſi loco diſtet, medium mutare non poteſt: nec loqui ergo.
Sanè, eadem facilitate, anima corpori coniuncta loqui poſſet, quod experientia teſte
minimè cognoſcimus. Amplius, ſi huiuſmodi ſententia verum diceret; tunc certè vnus
angelus in altero, volitionem cauſare atque efficere poſſet: ſiquidem voluntas angeli, 3
alicuius volitionem obiecti, quam efficere in ſeipſa valet, virtualiter continet. Quoniam
autem alterius angeli voluntas, ad modum ſe habet paſſiui eiuſdem rationis, ſi profectò
proxima loquentis angeli voluntati extiterit; abſque dubio, ab illa volitionem patietur,
quod eſt falſum, quippe, libertati arbitrij contrarium. Itaq; quartus iſte loquendi modus,
huiuſmodi, atque ſimilia argumenta contraria continet. Præterea, locutio angelis non
eſt tribuenda, quod ſic probo: locutio eſt inſtituta ad exprimendum, declarandumq; 4
animi conceptum; voces enim ſunt earum paſſionum notæ, quæ in anima habentur. ſed an-
gelorum conceptus æquè inuicem patent, ac illorum ſubſtantia; conceptus enim ſibi inti-
mior, atque ſecretior eſſe non poteſt, quàm ſua ſubſtantia: in angelis ergo nullus eſt lo-
quendi modus. Sanè, locutio operis ſui indiget aliquo ſigno repræſentatiuo. ſed in ange-
lis eſt tantùm intellectio, atque volitio, quæ ſunt actiones immanentes, & non tranſeun-
tes in alterum: igitur nullus eſt illis loquendi modus. Reuera, ſi in ſtatu reſurrectionis,
authore diuo Gregorio 8. mora: vniuſcuiuſque mentem ab alterius oculis, membrorum
corpulentia non abſcondit; longè minùs mens vnius angeli, ab altero abſcondi poteſt.
at loquutio ad manifeſtandum, quod in mente alteri latet, ordinem habet: igitur vnum
angelum, alteri loqui neceſſarium non eſt. locutio præterea diſponitur alicuius perſonæ
excitandæ, admonendæq; gratia, quæ ſanè angelicæ naturæ neceſſaria non eſt: vnus er-
go angelus, alteri non loquitur.

CAP. III.

Soluuntur argumenta.

AD primum, quamuis memoria pro paſſiuo adæquato, intellectionem ha- 1
beat intrinſecam; extenſiuè tamen, ad aliam ſeſe extendit intellectionem
extrinſecam: nam ſi intellectus poſſibilis eſt illuminatus, vel illuminari
poteſt ad plures diuerſorum obiectorum actus intelligendos; multò ergo
magis intellectus agens, ad duo verba producenda. Itaque licet habet in-
trinſecam intellectionem perfectam; conſimilem quoque actum ad extra producere va-
let. Ad primam confirmationem dico, non eſſe ſimile, quod de anima adducitur; illa e-
nim eſt

Intellectio eſt operatio immanens. nim eſt cauſa intrinſeca, adæquata materiæ, intellectus verò agens in angelo, ad extrin-
ſecos actus imprimendos ſeſe extendere poteſt. Ad 2. confirmationem reſpondeo, po-
tentiam paßiuam eße, vt ita dicam, operatiuam, hoc eſt, operatiuam virtutem, intel-
lectum vtique poßibilem, agentem verò factiuam. Ad 3. dico, intelligere eße actionẽ
immanentem: actum verò intellectus agentis tranſeuntem; licet propriè non agat in ali-
quam exteriorem materiam, ſed in eiuſdem rationis paßiuum: aut certè intellectio, i-
deo immanens operatio dicitur, quia ſcilicet cuilibet intelligenti conuenire poteſt, veluti
principio actiuo, quæ profectò diſtinguitur ab operatione ſecundùm totum ſuum genus
tranſeunte: vtpote à calefactione, vel ſimili, quæ per ſe non manet in principio actiuo:
non autem quia omnis intellectio ſit immanens operatio. Ad 2. quantò virtus eſt ef-
2. ficacior in agendo, tantò minori indiget loci, ſiue rei propinquitate. ſed intellectus agens
in angelo eſt efficacißima virtus: in alium ergo ſuum conceptum immittere, atque ex-
primere poteſt. Ad confirmationem, negatur ſimilitudo: nam potentia organica, con-
tactu indiget, intellectiua autem minimè. Sanè, bruti imaginatio, ob interpoſitionem or-
ganorum, alterius bruti imaginationi coniungi non poteſt: proinde, ſi per diuinam po-
tentiam, anima bruti, ab ipſius corpore ſepararetur; virtutem vtique non haberet ad a-
liquid agendum, quippe, cùm ſine organorum miniſterio agat nihil. Ad aliam confirma-
tionem dico, nullam impreßionem intellectualem eße in medio; ideò rationem illam ni-
hil concludere. Ad vltimam confirmationem reſpondeo, animæ corpori coniunctæ loqui
non poße, propter potentiarum ordinem, quem in hoc mortali corpore perpetuò habe-
3. mus, & nobiſcum circũferre cogimur. Ad 3. verum quidem eſt, vuam voluntatem crea-
tam, per modum principij quo, in alia, volitionem cauſare, ſeu producere non poße,
idq; ob ingenita libertatis virtutem, atque naturam: intellectus autem, quia non eſt li-
4. ber; iccirco ſimilis illi ratio volitionis producendæ competere non poteſt. Ad 4. quam-
uis vnius angeli conceptus in re, atque in effectu poſitus, alteri angelo præſenti notus ſit,
atque manifeſtus; non caßa tamen, atque manis eſt illorum locutio; perfectionis enim
eſt inuicem loqui poße. Ad primam confirmationem dico, ſpiritualem locutionem hu-
iuſmodi ſigno non egere; ſed cum intellectione loquentis, in illum, cui loquitur, actionem
tranſeuntem neceßariam eße. Ad 2. confirmationem reſpondeo, quòd licet in angelis
non ſit moles corporea; eſt tamen interior mentis conceptus, qui ſubeſt voluntatis impe-
rio: quamobrem conceptus angelici ſoli Deo patent, qui eſt ſcrutator cordium, & me-
Angelus, interior loquitur ſuperiori. dullarum, cui omnia ſunt nuda, & aperta. Ad tertiam confirmationem dico, quòd ſicut
ſenſus mouetur à ſenſibili; ita intellectus ab intelligibili. proinde, quemadmodum ſigno
quidem ſenſibili ſenſus excitatur; ita planè virtute intelligibili, mens angeli audientis.
Sed dicet aliquis, num inferior angelus, ſuperiori loquatur? Ad quod quidem dubium aſ-
ſertiuè dicimus: poſſe omnem illuminationem eße locutionem in angelis; non tamen è
conuerſo: loqui ſiquidem angelo perinde eſt, ac ſuum conceptum velle alij innoteſcere.
Porrò, quæ mente concipiuntur, ad duplex quidem principium referri poßunt: nempe
ad primam veritatem, & ad propriam intelligentis voluntatem. quoniam autem veritas
Illuminatio. eſt lumen intellectus, omnis autem veritatis regula, Deus eſt; hac de cauſa, eius, quod
mente concipitur, quatenus à prima veritate dependet, locutio, illuminatio nominatur:
eius verò, quod ex voluntate intelligentis, locutio. Profectò voluntas creata, non eſt lux
vera, quæ illuminat omnem hominem: neque regula veritatis, ſed particeps lucis. Quam
Locutio. ob cauſam ea communicare, quæ à voluntate creata proficiſcuntur, illuminatio dici non
poteſt; non enim ad mei quidem intellectus perfectionem ſpectat, tuum intelligere con-
ceptum, ſed rei veritatem cognoſcere. Eorum igitur, quæ à voluntate creata oriuntur,
Purgatio. manifeſtatio omnibus ſanè communis eſt angelis: illuminatio autem non item. Ex quo
patet, quemlibet angelum, alteri loqui poſſe: illuminare verò, bonos, ac ſuperiores tan-
tum. Cæterùm purgatio, & illuminatio ſunt idem actus realiter, ſicuti formæ contrarij
introductio,

 Angelorū locutio.

introductio, vel priuationis expulſio, & appetitus ſubiecti terminatio: ideò enim illu-
minatio vocatur, quia ſcilicet alicuius intellectus veritas panditur: purgatio verò, quo- Perfectio.
niam prior, vt ita dicam neſcientia expellitur: perfectio autem, quatenus illuminati, Quomodo angelus Deo loquatur.
tali acquiſita virtute, appetitus quieſcit. Sed dicet aliquis, quomodo angelus Deo lo-
quitur, cum ipſe nouerit conceptum mentis? vt aliquid certè ab eo accipiat, non vt ali-
quid noui illi ſignificet. Conſultando igitur, vel admirando angeli Deo loquuntur: An- Si angelo diſtanti loquatur.
geli, inquit, Diuus Gregorius 2. moral. Deo loquuntur, cùm per hoc, quod ſuper ſemet-
ipſos reſpiciunt, in motum admirationis aſſurgunt. Iterum aliquis dubitabit, ſi alius
quiſpiam angelus, quocunq; modo longè poſitus, alteri angelo loqui valeat, quod quidem
à nonnullis indubie admittitur, quia ſcilicet intellectualis operatio à loco abſtrahit, &
tempore. hoc autem quibuſdam non probatur, ob hanc profectò cauſam, quia angeli lo-
cutio, in vnius angeli, in alterum tendentis, actione conſiſtit: illa autem in ſuæ virtute
memoriæ creata, & finita habetur. at nulla virtus creata & finita in aliud quantūcunq;
diſtans agere poteſt, alioqui in infinito, ſi fas eſt dicere loco, ſeu diſtantia, poſita, eandem
haberet virtutem agendi. animæ præterea defunctorum, authore Auguſtino de cura
pro mortuis, in purgatorio, ea, quæ hìc aguntur, ſcire nō poſſunt. niſi reuelatione tantùm,
quod ſanè propter loci diſtantiam contingere, dubium non eſt. Quare, vt angelus alteri
loquatur; determinata diſtantia, ſeu præſentia requiritur. Nec ratio illa. quæ operationem
intellectualem commendat, fortis eſt, & neruoſa; etenim, quamuis intellectio abſtracti-
ua, ab hìc, abſtrahat, & nunc; actio tamen vera realis, in aliud tendens, per virtutem
finitam. & creatam, in qua quidem locutio conſiſtit, à determinata diſtantia, præſentiaq;
non abſtrahit. Quomodo ergo angeli loquantur, dixi.

QVAESTIONIS QVARTAE. CAP. I.

De loco Angelorum.

DEſcripta angelorum locutione, illuminatione, purgatione, illorum quo-
que locum deſcribere, neceſſe eſt, quomodo videlicet angelus ſit in loco:
eſt enim huius rei inquiſitio neceſſaria, atque noſtro inſtituto perutilis.
Sanè, ſi angeli ſpiritus ſint, locus verò, res corporea, locus autem, & lo-
catum proportionata ſunt adinuicem; quonam modo angelus eſt in loco?
num vbiq; ? ſed Dei ſolius eſt, ſic in loco eſſe: An fortaſsis, ſicuti nos ſumus? ſed angelis Quid ſit locus.
non competit hic modus eſſendi. Quis ergo, qualiúq; ſit modus ille, dicam, loci priùs diſ-
finitione oſtenſa. Locus, authore Philoſopho 4. phy. com. 51. eſt vltima ſuperficies Philoſophus.
corporis continentis, immobilis primum. Superficies, inquam, non quæcunq;, ſed vlti-
ma, hoc eſt continua; latiùs enim ſeſe ſuperficies diffundit, quàm locus. vnde 5. met: Cōmentator.
cùm ex profeſſo, quantitatis ſpecies enumeraret, loci, veluti vnius, illarum, non me-
minit. Commentator in genere qualitatis locum collocat, quia ſcilicet, virtutem habet
conſeruandi: conſeruare autem ad qualitatem ſpectat. verùm, per accidens id, loco
conuenire videtur; quatènus ſcilicet locati naturæ congruit, alioqui violenter contenta,
conſeruare poſſet. Quoniam autem ob naturalium qualitatum cauſam, locus conſeruandi
corrumpendiq; habet virtutem; iccirco ad Phyſicum, non autem ad Mathematicum ne-
gotium, illius inquiſitio, ſpectare videtur. Ceterùm, huius rei ſpeculatio in tertio libro Modi eſſendi in loco.
eſt inquirenda. Modi eſſendi in loco, huic ſanè inquiſitioni neceſſarij ſunt, vt modum,
quo angeli in loco ſint, ſcire valeamus. Eſt autem duplex modus eſſendi in loco, qui
profectò creaturis naturaliter conuenit: circumſcriptiuus, ſiuè dimenſiuus, & diffini-
tiuus. Priori quidem modo, illa in loco eſſe dicuntur, quorum vltima, loci quoque vltima Quomodo angelus ſit in loco.
attingunt, atque ſimul conſiſtunt, hoc autem modo corpora per ſe locata, in loco eſſe di-

locutio. *cuntur. Poſterior modus, angelis competit; ſunt enim in loco certo, ac determinato; à*
1. *loco tamen non circumſcribuntur, aut continentur. Reuera, ſimplici, partem & par-*
tem non habenti nequaquam conuenit in loco circumſcriptiuè eſſe; partes enim locati
ſimul ſunt cum partibus loci. at, angelis partes non inſunt: non ergo in loco circum-
2. *ſcriptiuè eſſe dicuntur. Sanè, quod loco coextendi non poteſt, in loco circumſcriptiuè*
eſſe nequit: locati ſiquidem, & loci vltima ſunt ſimul. ſed angelus eſt huiuſmodi, vt-
potè indiuiſibilis: igitur, in loco circumſcriptiuè erit minimè: alioqui, & punctum
3. *quoque in loco circumſcriptiuè eſſe diceretur, quod eſt falſum. Amplius, quod locum*
ſuis dimenſionibus replere non poteſt; illi certè modus eſſendi in loco circumſcriptiuè
nequaquam congruit. ſed angeli dimenſionibus carent: non ſunt ergo in loco circum-
Diffinitiuè. *ſcriptiuè. Itaq; angelus eſt in loco diffinitiuè. Ei ſanè in loco ſic eſſe non repugnat, cu-*
ius ſubſtantia eſt limitata, & ſimplex pars vniuerſi, non locans alia, ſed locabilis. O-
1. *mnis ſiquidem pars vniuerſi per ſe exiſtens, aut eſt locus, aut locabilis. ſed angelus eſt*
2. *huiuſmodi: ergo eſt in loco diffinitiuè, non autem circumſcriptiuè. Profectò, quod eſt*
ens per ſe, eſt etiam in loco per ſe. ſed angelus eſt ens per ſe ſubſiſtens: non aduerſatur
Ratio eſſendi in loco duplex. *ergo illius naturæ, eſſe in loco diffinitiuè. nec ità ſibi vnum locum determinat, vt in*
alio eſſe nequeat, quippè, qui ſeſe indifferenter habeat ad omnem locum, alioqui, ex vno,
ad alterum, loco violenter moueretur. Cùm ergo angelum eſſe in loco diffinitiuè, per-
Formalis ratio. *ſpicuum ſit, quænam ſit illius cauſa, quærere non erit inutile. Duplex autem illius ra-*
tio, ſiue cauſa aſſignari poteſt, formalis vna, fundamentalis altera. Ratio autem forma-
lis in creaturis, eſt quidam præſentiæ reſpectus ad locum de genere vbi, licet non ſem-
Fundamentalis. *per ſit vbi circumſcriptiuum; ſed interdum diffinitiuum, ſiue præſentiale tantùm. Itaq;*
eſſe in loco formaliter, perinde eſt, ac huic loco adeſſe. Porrò, ratio fundamentalis, id
nominatur, quod talis reſpectus eſt immediatum fundamentum, ſicut in corporibus
ratio fundamentalis ipſius vbi, eſt ipſius corporis quantitas. Itaq;, ratio formalis eſſendi
angelum in loco diffinitiuè, eſt quidam reſpectus realis ad locum, qui dicitur vbi diffi-
nitiuum, ſicuti in corporibus vbi circumſcriptiuum. Reuera eſſe in loco, non dicit for-
maliter aliquid abſolutum, nec etiam angelus, quum ad locum mouetur, formam ali-
Quomodo fundamentaliter ſit in loco. *quam nouam acquirit, niſi aliquod reſpectiuum vbi, hoc eſt, reſpectum præſentiæ ad*
locum, quod planè Deo non competit, quia nimirum, nullum ad creaturam habet rea-
lem reſpectum. Porrò, ratio fundamentalis, qua angelus in loco exiſtit, eſt ſua ſubſtan-
tia, vel potentia paſſiua, ob quam eſt mobilis ad locum; ſi tamen aliquo modo ab ipſa
ſubſtantia diſtinguatur: idem enim eſt, & motus, & termini motus localis, & vbi im-
mediatum fundamentum: motus namq; eſt via in terminum acquirendum ipſi ſubiecto
motus. in angelo autem ipſam potentiam paſſiuam, qua mobilis eſt ad locum, immedia-
tum eſſe fundamentum, immediatamq; rationem, conſtat ſatis: idem namq; eſt imme-
diatum reſpectus fundamentum, & ipſius recipiendi, ratio immediata. ſed immedia-
ta ratio recipiendi huiuſmodi reſpectum, eſt potentia paſſiua, mobilis, potentia, inquam,
non ipſe reſpectus potentialis; ſed talis reſpectus fundamentum abſolutum: ergo, quod
prius. Quòdſi ſubſtantia, & potentia non diſtinguantur ex natura rei: tunc, abſque
dubio, ipſa ſubſtantia angeli, quæ eſt idem quod ſua potentia, eſt ratio immediata fun-
damentalis, qua angelus in loco eſt fundamentaliter. Etenim quemadmodum materia, ſe-
cundùm ſuam ſubſtantiam, atque potentiam, quæ idem ſunt, eſt alicuius formæ recipien-
Subſtantia angeli quomodo eſt ratio eſſendi in loco. *dæ immediatum ſuſceptiuum; ita etiam angelus, ſi idem ſint illius ſubſtantia, atque po-*
tentia. Cæterùm, ſubſtantia non eſt ratio eſſendi in loco formalis, vtpotè, quæ non ſit
ipſe reſpectus eſſendi in loco, ſed aliquid eſſentialiter, tali reſpectu diſtinctum, alio-
qui angelus non poſſet non eſſe in loco, ſicuti neque reſpectus, ſine termino, eſſe poteſt.
Quòd ſi, vt veriſimilius eſt, potentia ipſa mobilis, ex natura rei, ab eius ſubſtantia di-
ſtinguatur; tunc ſanè, non ipſa ſubſtantia, ſed potentia potiùs, eſt ratio eſſendi in loco.

At, ſi

 Angelorũ locutio.

*At, ſi ſubſtantia, illius ratio extiterit; non determinatè tamen erit, quaſi per aliquam
eius paſſionem, ipſam ſubſtantiam conſequentem, ſurſum, vt graue, aut deorſum, vt le-
ue, ſibi determinet. ſi enim ita ſe haberet eius ſubſtantia, violenter vtiq; moueretur: nam
manens in vno loco naturaliter, ad alium violenter moueretur, quod falſum eſſe, pla-
num eſt omnibus. Itaq; ſubſtantia eius, nempè angeli, neutra eſt, atque indifferens ad* Si per actionem tranſeuntem angelus ſit in loco.
*quemcunq; locum, ſicut & eius potentia, & motus ad quemcunq; locum. Aiunt non-
nulli, angelum eſſe in loco per accidens, id eſt, per actionem tranſeuntem; non enim eſſe
in loco poteſt per potentiam, ſiue ſubſtantiam, aut per operationem manentem: omnia
ſiquidem iſta à loco abſtrahunt. Quare, ſi in loco non fuerit per actionem tranſeuntem,
nullo modo in loco eſſe poterit. ſed horum ſententia, veritati, atque rationi minimè con-
ſonare videtur. Etenim, ſi poſterius non eſt cauſa, ſiue ratio prioris; ab ipſo enim ne-* 1.
*quaquam dependet; ſed naturali ordine, aut ſaltem ſecundùm rationem intelligendi,
angelus priùs adeſt loco, quàm in eo operetur, præſertim cùm ipſi dicant, approxima-
tionem fieri priùs, deinde actionem ſequi: approximatio ergo eſt cauſa ipſius opera-
ri, & priùs eſſentialiter: igitur, eſt cauſa eſſendi in loco. Amplius, quod eſt cauſa eſ-
ſendi in loco formaliter, per ſe, ſiue per accidens; rei profectò, quæ eſt in loco, for-
maliter inſit neceſſe eſt. Vnde corpus per ſe in loco eſſe dicimus, hoc eſt, per ſuam ſanè
quantitatem, ſubſtantiam, per ſitum, quod ſibi ineſt accidens. Reuera, cuiquam per a-
liquod à ſubiecto eius extrinſecum, in loco non conuenit formaliter eſſe. ſed operatio
angeli tranſiens, vt ipſimet dicunt, non eſt in angelo formaliter, vtpotè, quæ ab agente
potiùs quàm à paſſo abſit: non eſt ergo ratio, qua formaliter eſt in loco. Iterum, an-* 2.
*gelus motor, pro mobili ſibi adæquato, totum cœlum habet, authore Philoſopho, opera-
turq; non primò circa partem, vt falſa eſt quorundam imaginatio, ſed circa totum: igi-
tur, ſi per huiuſmodi operationem eſt in loco; in toto ergo cœlo erit, quod eſt falſum,
alioqui in oriente, & occidente ſimul eſſet. Præterea, animæ iuſtorum in cœlo, ſunt ſi-* 3.
*cut angeli Dei. ſed inibi non ſunt per aliquam tranſeuntem operationem, quippè, quæ
ipſum cœlum non moueant: non ergo per huiuſmodi operationem ſunt in loco. Item, ſub-* 4.
*ſtantia angeli, non eſt magis à loco abſtracta, quàm ſit diuina. ſed Deus per ſuam ſub-
ſtantiam, non autem per operationem eſt in loco: ſimiliter ergo, & angelus. Inſuper,* 5.
*quando aliquid eſt in loco per aliud; eodem planè modo erit in loco, ſicut & illud. ſed
operatio angeli, eſt circumſcriptiuè, vel commenſuratiuè in loco, ſicuti & corpus, in
quo recipitur: angelus ergo ſimili quoque modo erit in loco, quod planè antea repro-
bauimus. Itaq;, angelum per actionem, ſiue operationem tranſeuntem, in loco non eſſe,
patet ſatis.*

CAP. II.

Argumenta contraria.

OMne locatum, habet ſitum, igitur, eſt quantum; nihil enim habet ſitum 1.
*niſi quantum, quia ſitus eſt habitudo partium ad locum: ergo angelus non
eſt in loco, aliter eſſet locatus, atque ita eſſet quantus. Reuera, ſi angelus
eſt in loco; aut eſt in eo violenter, aut naturaliter: non violenter, aut na-
turaliter, vt dictum eſt: nullo ergo modo in loco eſſe poteſt. locus ſanè,
authore philoſopho 4. phy: continet locatum. ſed nec corpus, nec aliquid corporũ, an-
gelum continere poteſt, quum ſit aliquid minus actuale quam angelus: ergo quod prius.
Amplius, incorporalia non eſſe in loco, communis eſt propemodum animi conceptio, te-* 2.
ſte Boetio in lib: de hebdomadibus. ſed angelus eſt res immaterialis, vt paulò ante di- Boetius.
ctum eſt. non ergo eſt in loco. Suffragatur huic ſententiæ, Aug: 83. quæſt: quæſt: 20. Auguſti:

 ex profeſſo

ex profeſſo affirmantis, ideò Deum non eſſe in loco, quia ſcilicet non eſt corpus: Deus
Philoſophus. *non alicubi eſt, inquit: quod enim alicubi eſt, continetur loco, corpus eſt: Deus autem non eſt corpus: non igitur alicubi eſt; locus enim in ſpacio eſt, quod longitudine, & latitudine, & altitudine corporis occupatur, nec angelus tale aliquid eſt. Accedit ad hoc authoritas Philoſophi 4. phy: palam proteſtantis, mobilia corpora tantùm in loco eſſe. Et hoc quidem rectè: nam eſſe in loco, eſt loco menſurari, atque contineri, vt ipſemet, eodem in libro faſſus eſt. ſed angelus à loco menſurari, contineriq́ non poteſt: angelum ergo in loco non eſſe, ſatis manifeſtè patet.*
3. *Amplius, angelus non eſt in loco per ſuam ſubſtantiam. Sanè, ſubſtantia per ſe angelo conuenit, ſiue in loco fuerit, ſiue non: non ergo illud eſt cauſa eſſendi in loco, quod per ſe ad angelum ſpectat; ſubſtantia enim, ſiue eſſentia, angelo competit in potentia obiectiua, in qua nondum angelus eſt in loco. Eſt ergo in loco per applicationẽ virtutis: nam quod angelus diffinitiuè hîc ſit, non autem alibi; per virtutũ applicationem fiat, neceſſe eſt. hæc autem applicatio, aut ſecundùm ſitum fieri poteſt, ſicuti punctus loco continui applicatur, vtpotè ſitum in continuo habens, qui planè modus angelo non conuenit; non minùs enim quàm vnitas, à ſitu corporali eſt abſolutus. aut ſecundùm formam, quemadmodum anima applicatur loco corporis, cuius eſt forma. neque is quoque modus ad angelum attinet, quippe, qui non eſt alicuius forma, ſed per ſe potiùs forma ſubſiſtens. Secundùm ergo conta-*
4. *ctum virtualem, non autem corporalem, angelus eſt in loco. Præterea, angelus eſt in loco, aut per ſuam ſubſtantiam, aut per ſuam operationem. Non per ſuam ſubſtantiam, vt dixi: per ſuam ergo operationem, non quidem immanentem, ſed tranſeuntem; per idem enim, ſiue eadem eſt cauſa eſſendi illi, & in loco, & in tempore. ſed in tempore eſt per accidens, nempè per operationem tranſeuntem; & in loco ergo ſimiliter. Suffragantur*
Damaſcenus. *nobis non paucæ, aut paruæ doctiſſimorum virorum authoritates, Damaſceni, Hugonis,*
Hugo. *commentatoris, aliorumq́ ſapientum. Damaſcenus enim lib. 1. cap. 17. ſic ait: Angelus inquit, dicitur eſſe in loco, vbi adeſt: & intelligibiliter circumſcribitur, vbi operatur. Hugo de Sacramentis lib: par: 4. cap. 18. Spiritus eſt loco communi, in loco per præſen-*
Comment: *tiam naturæ, & operationis concluditur. Commentator 8. phy: com: 85. vel penulti-*
5. *mo: Intelligentia eſt, vbi potiſſimè ipſius apparet effectus. Iterum, illo ſolo modo angelus eſt in loco, quo planè illum attigit locum, eiq́ applicatur. ſed angelus, ſolo virtutis contactu, locum attigit, eiq́ applicatur: igitur per ſuæ applicationem virtutis eſt in loco. Hæc, atque ſimilima dicere conſueuerunt, qui huius ſunt fautores ſententiæ.*

CAP. III.

Soluuntur Argumenta.

1. *AD primum. Verum quidem eſt omne locatum circumſcriptiuè, tum ſecundùm totum, tum etiam ſecundùm partes, habere ſitum: angelus autem, quia non ſic eſt locatus: propterea quantus dici non poteſt. Ad confirmationem dico, angelum non eſſe in loco violenter, neque naturaliter, ſicuti ſunt leuia, & grauia; habet enim neutram potentiam ad locum. Ad 2. confirmationem dico, locum, locati dimenſionaliter, vel quantitatiuè circumſcriptiuum, ipſum locatum continere, diffinitiuum verò, ipſum diffinitum. hoc autem continere, ſiue modus continendi non eſt aliqua efficientia, vt ità dicam, ſiue actio elicita; ſed vnius potiùs reſpectus determinatio, quem contentum diffinitiuè, ad locum habere videtur. Hoc autem modo bene poteſt aliquid alterius reſpectum determinare, etiamſi minùs illo actualitatis habeat. Ad*
2. *2. communis eſt animi conceptio, incorporalia in loco non eſſe circumſcriptiuè, non autem diffinitiuè, ſicq́ Auguſtini verba ſunt intelligenda, atque philoſophi. Etenim eſſe in*

loco, non

Angelorũ locus.

*loco, non eſt angelum loco commenſurari, aut ſitum habere in continuo; hoc namq; cor-
pori conuenit locato, quatenus eſt quantum quantitate dimenſiua. neq; etiam, quia eſt
in loco, ideo continetur à loco; ſubſtantia ſiquidem incorporea, ſua rem contingens virtu
te corpoream, ipſam profectò continet potiùs, quàm contineatur ab ipſa. Ad 3. dico,* 3.
*angelum eſſe in loco per ſuam ſubſtantiam fundamentaliter, vt dictum eſt. Ad con-
firmationem reſpondeo, aliquid poſſe quidem eſſe in loco determinato, non ideo, quia a-
licuius ſit forma: nec quia inſtar puncti ſitum in continuo ſibi determinet: vel quia for
taſſis circa ipſum aliquid operetur: nec deniq; per aliquem alium contactum corpora-
lem propriũ, aut methaphoricũ, qui planè eſt per virtutẽ actiuam operantem; ſed per
ſuã magis ſubſtantiã, idq; fundamentaliter. Reuera, quemadmodũ quantitas per ſeipſam
eſt in loco fundamentaliter, mobiliq; ad locũ, non per aliquem certè contactum, ſed per
ſeipſam fundat præſentiam quanti ad locum; ita etiã ſubſtantia ſeu potentia angeli, præ
ſentiam ad locum. Ad 4. & 5. reſpondeo, angelum eſſe in loco per ſuam ſubſtantiam,* 4. & 5.
*ſiue potentiam paſſiuam, qua mobilis eſt. Illud autem de loco & tempore non eſt ſimile:
angelus enim ex ſe habet propriam durationem, nempe æuum: proinde hæc duntaxat il-
li competit, non illa, quæ eſt tempus, niſi per accidens. At angelus aliquem non habet ſi-
bi locum intrinſecum, aut vbi in actu, tametſi per ſe locabilis ſit, non per accidens. Illud
autem, cuius gratia eſt locabilis; per ſe angelo conueniat, neceſſe eſt, cuiuſmodi profe-
ctò eſt ipſius ſubſtantia, vel potentia. Ad authoritates reſpondeo, illud tantùm velle
dicere, angelum ſcilicet inibi eſſe, vbi iam operatur; operationem verò cauſam, qua an-* Quomodo ſit
gelus eſt in loco, non dicere, quaſi operatio ſit cauſa eſſendi in loco. Hæc quidem ſunt, in loco.
*quæ ad huiuſmodi argumenta à nonnullis dici ſolent: quid autem rei veritas habeat, ipſi
beatiſſimi ſpiritus nouerunt. Nec magna inter hos præclariſſimos theologiæ duces, rei,
veritatiſq; eſſe videtur diſſenſio: ſi enim angelus ſit in loco per potentiam, ſiue præſen-
tiam ſuæ ſubſtantiæ, vt quidam aiunt, aut per ſuæ applicationem virtutis, vt alij aſſerunt,
cùm huius applicatio, ab illius potentia immediatè proficiſcatur, ſitq; illi coniuncta; in
idem profectò videntur coincidere, nec plurimùm ab inuicem differre; per potentiam
nimirum fundamentaliter, aut per virtutis contactum in loco eſſe. Quamobrem, argu-* Soluuntur ar
menta primæ opinionis ſic ſoluenda veniunt. Ad illud: Deus eſt priùs rebus præſens, pri gumenta pri-
oritate vtiq; rationis, quàm operetur, vtpotè, quia immenſus eſt priùs ſecundùm ratio- mæ opinionis
nem: ergo & angelus, & ex conſequenti, operatio non eſt cauſa eſſendi in loco. Reſpõ- 1.
*deo: dei immenſitatem, non actualem dei præſentiam dicere, ſed omnibus aſſiſtendi vir-
tutem. Angelus præterea, quamuis priùs ſit, quàm operetur; poſteriùs tamen eſt, quàm
operetur in loco. Inſuper, aperta eſt contradictio, deum priùs eſſe, quàm operari in cre
atura; deo enim non operante, nulla eſt creatura. Quomodo ergo erit in creatura, niſi
operetur? Nam pater meus vſq; modo operatur, dicit dominus. Dicis, aut angelus eſt* 2.
*in loco per operationem ab illo immediatè, vel mediatè exeuntem. Si primo modo: ergo
immediatè eſt præſens, non aliqua alia operatione interueniente. ſi mediatè, adhuc quo-
que de illo medio quæſtio eſſet, & proceſſus in infinitum: angelus præterea non eſſet in
empyreo cœlo, quia nihil ibi operatur. Adde, quòd operatio, vt dictum eſt, quæ ab an-
gelo proficiſcitur, in loco ſit commenſuratiuè: angelus ergo ſimiliter ſe habebit. Reſpõ-
deo, operationem, qua angelus attingit locum, immediatè ab angelo proficiſci, non per* Cauſa præſen
aliquã cauſam mediam: ex hoc tamen non ſequitur, loco, ſine ipſius operatione adeſſe, tiæ corporalis
*quippè, cùm eius operatio cauſa ſit præſentiæ localis: eſſentia verò angeli loco immedi-
atè adeſt, immediatione vtiq; cauſalitatis. Sed hoc mihi dubium eſt, angelum loco adeſ-
ſe ſine operatione non poſſe. Nunquid præſentia localis operatione indiget? nam ſi ange-
lus immediatè loco præſens eſt immediatione cauſalitatis, eius autem eſſentia nequaquã
ſit ſine illius præſentia: non ergo cauſa præſentiæ localis, eſt angeli operatio, ſed oſtenſio
potiùs localis præſentiæ. Diligens ergo lector, hæc acutè perpendat videatq; vtra ratio-*

Angelorū locus.

nabilior ſit ſententia; interim quilibet abundet in ſenſu ſuo, ſalua ſemper fidei veræq; rationis authoritate. Ad aliud dico, angelum eſſe in empyreo per adminiſtrationem atq; contemplationem; non enim ſemper illi opus eſt mouere, ſed ſufficit illi præſidere. Illa autem angeli præſidentia, eſt illius loci exornatio, quæ ſanè eſt quædam inter corpus, ſiue locum huiuſmodi, & angelum, relatio, vim habens operationis tranſeuntis, & ordo quidam vnius ad alium congruentiæ. Ad 3. rationem reſpondeo, & negatur conſequentia: nam anima eſt in loco per corpus; non tamen eſt in loco circumſcriptiuè, ſicuti dicitur eſſe corpus. Præterea, angelus eſt in loco, ſicut operans in operato; operatio verò, ſicut accidens in ſubiecto: æquiuoca ergo eſt illis huius rei appellatio. Quomodo ergo angelus ſit in loco, dixi. Tu autem accipe, quod eſt magis rationi conſentaneum.

Angelus quomodo eſt in cœlo empyreo.

CAP. IIII.

Angeli locus, eſt in determinata magnitudine, atque multitudine.

Rationes.

POſteaquam ex multorum argumentis, angelum in loco eſſe didicimus; huic profectò negotio ſatis conuenire video, modum, quo angelus eſt in loco, nō
1. ignorare. Porrò, angelum in determinata eſſe loci magnitudine atq; multitudine dico: in cauſa autem eſt, limitata ipſius natura: locabile verò limitatum, tùm molis, tum etiam virtutis, in quantocunq; loco virtute naturali eſſe non poteſt, alioqui, qua certè ratione in maiori eſſet loco; eadem planè in alio maiori, atq; ita in infinito, quod eſt abſurdum.
2. Amplius, ſi angelus in quantocunq; loco maiori, & ex conſequenti, in infinito eſſe poſſet: igitur in locis infinitis quantitate qualibus eſſe valeret, quod eſt falſum, alioqui in cœlo eſſet & in terra, quod ſanè Damaſceno lib: 2. cap: 3. non probatur. Itaq;, angelus cùm finitæ limitatæq; ſit naturæ, par eſt, vt locus ipſius magnitudine & multitudine ſit determinata atq; finita.
3. Item, ſi angelus poſſet eſſe in maiori, vel minori, idq; naturaliter; hoc certè per ſuam voluntatem, aut aliquid ſuæ voluntati ſubiectum exequeretur, quod planè impoſſibile reputatur: nam potentia illa, qua angelus eſt in loco, non ſubeſt voluntatis imperio, ſicuti nec vegetatiua noſtræ ſubdita eſt voluntati, cùm ſit merè naturalis: tantùm ergo loci habebit, quantùm ſua ipſius exigit ſubſtantia. Dubitabit autem aliquis, ſi angelus poſſit eſſe in loco indiuiſibili ſiue punctali, ad quod quidem dicimus, rationi id lociq; naturæ nequaquam conuenire: etenim, cui ratio loci non competit; loci naturam ſubire non poteſt. ſed puncto non conuenit ratio, ſiue diffinitio loci; nam locus eſt ſuperficies, punctus autem minimè: in eo ergo veluti in loco, aliquid eſſe non poteſt.

Si angelus poteſt eſſe in pūcto.

1\.

2\. Amplius, in eo, ad quod, veluti ad localis terminum motus, aliquid moueri non poteſt, nihil eſt in loco; locus enim nō eſt: nihil ergo in eo, veluti in loco exiſtit. ſed tale quid eſt punctus: igitur alicuius locus eſſe nequit.
3. Præterea, in illo non eſt aliquid, veluti in loco, quod non eſt aliquid poſitiuum: locus ſiquidem poſitionē dicit. ſed punctus quatenus diſtinguitur à continuo, non eſt aliquid poſitiuum, alioqui aliquid eſſet abſolutum, atq; ita punctus ſine continuo, & viciſſim continuum ſine puncto eſſe poſſet, quod eſt falſum: nam linea abſque punctis eſſet infinita, poſſetq; intelligi ſine punctis, quod quidem philoſopho eiuſq; Commentatori 2. met. aduerſatur. Ergo.
4. Adhuc, ſi angelus eſſet in puncto, veluti in loco; poſſet vtiq; ſe mouere de puncto ad punctum, atq; ita motus ex indiuiſibilibus cōponeretur, & inſtantia eſſent conſequenter ſe habentia in motu, quod Ariſtoteli minimè placet, ſexto phyſ. libro. Reuera, omne quod mouetur, partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quem. ſed hoc rei indiuiſibili conuenire non poteſt. Cùm ergo

in puncto

in puncto non poſsit eſſe motus; nec etiam locus, vt dictum eſt. Sanè, quod mouetur, prius pertranſit ſpacium æquale maius, & minus quàm æquale. ſed minus puncto ſpacium non datur, etſi æquale non tranſit niſi per puncta. Item, ſi mobile pertranſit per tẽpus, ſpacium ſibi æquale; in minori profectò tempore, minus ſpacium pertranſibit. Adde, quòd continuitas temporis, à motus dependeat continuitate; motus verò à mobili. ſed indiuiſibile, cuiuſmodi eſt punctus, non eſt aliquod continuum: ergo quod priùs. Iterum aliquis ſciſcitabitur, ſi virtute naturalis agentis in duobus locis diſtinctis angelus eſſe poſsit, quorum quilibet illi adæquatus eſſet, quod quidem non approbamus; agens namq; naturale, cum ſit limitatæ finitæq; virtutis, ordinem à natura inſtitutum, propria virtute violare non poteſt. ſed huiuſmodi ordo talis eſt, vt vna vni loco, & non pluribus res inſit: vnus ergo angelus hoc modo in pluribus ſimul locis eſſe non valet. Quòd angelus non poſsit eſſe in pluribus locis. 1.

2. *Amplius, ſi angelus virtute naturali poſsit eſſe in pluribus locis ſimul; eadem quoq; virtutis potentia, & in tribus, & vbiq;, quod eſt falſum.*

3. *Sanè, cùm angelus ſit in loco per applicationem virtutis ſuæ, vt quidam dicunt, aut per potentiã, ſeu ſubſtantiam, vt alij opinãtur, illa autem ſit finita: non ergo ſua virtute naturali poteſt eſſe in pluribus locis ſimul.*

4. *Vna præterea ſubſtantia ſe, ſecundùm philoſophorum ſententiam non mouet omnes orbes immediatè; ideo illam vbiq; eſſe, neceſſarium non eſt. Itaq;, angelus virtute naturali in plurimis locis ſimul eſſe non poteſt.*

Rurſus aliquis quæret, ſi plures angeli in vno loco ſimul eſſe poſsint. Si plures angeli poſsint eſſe ſimul in eodẽ loco. *Ad quod dicimus, id fieri poſſe virtute diuina; duo enim indiuiſibilia, quouis modo ſubiecto diſtincta, veluti duo contiguarum puncta linearum, ſimul eſſe poſſunt; ſimiliter & duo angeli. Reuera, non magis repugnat vnitas loci, angelicæ quàm corporeæ naturæ. ſed duo corpora, diuina operante virtute, in vno loco ſimul eſſe dicuntur; igitur duo angeli, eodem in loco ſimul eſſe poſſunt. Naturali autẽ potentia id fieri nequit, vt duo agentia naturalia perfecta, ſint æquè eidem paſſo proxima atq; propinqua. Quare, duas intelligentias, vni & eidem loco, ſecundùm eandem paſsiuam potentiam eſſe præſentes, eſt quidem naturaliter impoſsibile. In cauſa autem eſt, quia tã natura, quã intellectus ſuperflua, & otioſa nõ admittit, ſed horret potiùs atq; execratur.*

CAP. V.

Argumenta contraria.

QVod poteſt eſſe in puncto, veluti in loco, non indiget certa atq; finita loci magnitudine atq; multitudine. ſed angelus eſt huiuſmodi, vtpotè indiuiſibilis, inſtar puncti; locus autem & locatum debent proportionari: locus ergo angeli non certæ magnitudinis, ſeu multitudinis. 1. *Profectò illi non eſt opus certa loci magnitudo, quod indifferenter ſe habet ad locum. ſed talis eſt angeli natura, vtpotè neutra, reſpectu præſentiæ localis: igitur indifferenter in maiori, vel minori loco conſiſtere poteſt. Reuera, ſi plures legiones in vno eodemq; fuiſſe ſimul, Euangelij authoritas docet; eodem quoq; modo & plures etiam angelos, in vno eodemq; loco ſimul, atq; ita non videtur neceſſaria eſſe angelo certa loci magnitudo.*

2. *Amplius, non maiori ſubditur angelus loci arctationi, ſeu neceſsitati, quàm aliquod aliud animal. ſed experientia didicimus, nonnullum animal, modò maiorem, nunc autem minorem loci magnitudinem multitudinemq; occupare, vtpotè lumacam, vt vulgares dicunt: igitur non neceſſe eſt omninò, certam diffinitamq; habere angelum loci magnitudinem.* Lumaca.

3. *Præterea non ſolùm in maioris, verùm etiam in minoris hominis corpore angelus eſſe poteſt, quod quidem ſæpè ijs accidere videmus, qui nequiſsimis ſpiritibus aguntur: non ergo certa atq; definita illi neceſſaria eſt loci magnitudo. Reuera, ſi angelus ibi eſt, vel eſſe poteſt, vbi iam operatur, quanquam operatio non ſit cauſa eſſendi in loco, vt quidam dicunt, ſed*

oſtẽſio

Angelorũ locus.

oſtenſio potiùs præſentiæ corporalis;ſed indifferenter ſe habet ad operandũ in maiori,vel
4. minori loco; ſimiliter ſe habebit ad locũ: ergo quod priùs. Iterũ,corpori non repugnat,
alteri præſens eſſe,ipſumq́ in puncto tangere, ſicuti ſphæra tangit rectum in puncto,vt
dicitur lib: primo de anima. nec etiam angelo repugnare videtur, præſertim cùm in lo-
co eſſe dicatur, quia ſcilicet loco adeſt: igitur ita corpori, ſicuti & puncto adeſſe pote-
rit,imò omninò proprius ipſius locus punctus eſſe dicitur; indiuiſibilis enim in indiuiſibi
li maneat neceſſe: nam quod eſt indiuiſibilis naturæ, & indiuiſibiliter ſe habet vbicun-
5. que fuerit; in indiuiſibili vtiq; manebit, imò manere debet: ergo quod priùs. Ampli-
us, ſi anima in pluribus locis ſimul eſſe poteſt, vtpotè, tota in qualibet corporis parte:
angelus ergo ſimiliter; imò magis, quia maioris virtutis. Sanè, ſi angelus eſt in corpore
aſſumpto, quod quidem continuum eſt: in qualibet ergo ipſius parte eſſe videtur. at il-
lius partes, pro locorum diuerſitate numerantur: angelus ergo eſt ſimul in pluribus lo-
cis. Reuera, ſi angelus ibi eſt, vbi operatur, authore Damaſceno, operatur autem in di-
6. uerſis locis, vt in Sodomorum ſubuerſione apparuit: ergo quod priùs. Adhuc, quem-
admodum corpus eſt in loco circumſcriptiuè; ita planè angelus eſt in loco diffinitiuè.
ſed duo corpora eſſe ſimul circumſcriptiuè, fieri non poteſt, quum vnumquodq; illorum
proprijs dimenſionibus diſtinguatur, quæ ſe inuicem non compatiuntur, & locatorum
numerus, locorum numerum ſequatur: nec ergo plures angeli in vno eodemq́ loco ſi-
7. mul eſſe queunt. Iterum, ſi duo puncta in vno eodemq́ ſitu eſſent; profectò non duo, ſed
vnum aliquid eſſent; ſitu enim diſtinguuntur, vt Commentator annotat ſexto phyſicò-
rum libro: igitur, ſi duo angeli in eodem loco inuenirentur, non duo, ſed vnus potiùs eſ-
ſet dicendus. Certè, ſi fieri non poteſt, vt idem angelus, pluribus in locis ſemel atq; ſimul
eſſe queat; ſimiliter etiam erit impoſſibile, duos ſimul in eodem loco inueniri. Reuera,
virtute agentis naturalis hoc fieri non poſſe, firmiter approbo: nam qua ratione duo poſ-
ſent ſimul eſſe; eadem planè & plures, deniq; infiniti, ſi fortaſſis in rerum natura inue-
nirentur, quod ſanè naturæ ordinem deſtruit. Hæc itaq; atq; his ſimilia, pro huius quæ-
ſtionis ſubtilitate ſunt dicta, & eſſent dicenda ab his, qui diſcendæ veritatis ſtudio a-
guntur.

CAP. VI.

Soluuntur argumenta.

1. AD primum, quamuis angelus ſit formaliter indiuiſibilis; in aliquo tamen in-
diuiſibili, veluti in loco eſſe nequit, quippè, cùm indiuiſibile loci naturam,
Indiuiſibile nõ eſt in loco rationemq́ ſubire non poſſit. Quare, ratio illa non eſt admittenda, angelus
vbicunq; eſt, indiuiſibilis ſemper manet: igitur ſemper eſt in loco indiuiſi-
bilis, quippè, cum locus eſſe nequeat, niſi fuerit diuiſibilis. Ad confirmationem dico,
ſicut antea dixi, naturali virtute in maiori minoriq́ loci magnitudine, angelum indiffe-
renter ſe habere non poſſe. Ad aliam confirmationem dico, plures inibi fuiſſe, ſicuti in
corpore moto & vexato, non autem ſicuti in loco; ſic etiam mouens eſt in moto. Ad 2.
2. negatur ſimilitudo, tùm quia huiuſmodi res ſunt poroſæ; proinde facilè conſtringi coar-
ctariq́ poſſunt, quod ſanè angelis congruit minimè; tùm etiam, quia conſtrictio & dila-
tatio ſunt motus locales, quibus certè ad alia loca partes transferuntur. Quamobrem, ſi
ab vno loco partes transferuntur, ſiue retrahuntur; ad alium certè meant atq; migrant.
3. Ad 3. angelum, ſi fuerit in toto homine, tanquam in aliqua re quanta maiori, idq́ ſe-
cundùm quamlibet ſui partem, non poſſe eodem modo in minori homine, ſiue aliqua re
alia eſſe, ſicuti in loco ſibi adæquato. Ad confirmationem, quamuis modus ille eſſendi,
non omnibus arrideat; ex illo tamen non ſequitur, angelum indifferenter in his rebus eſ-
ſe, ve-

*ſe, veluti in loco ſibi adæquato, circa quas ipſe operatur, propter illam ſiquidem ratio-
nem, quam paulò ante dixi. Ad 4. falſum eſt, vt quidam aiunt, angelum operatione* 4.
*tantùm in loco eſſe. angelus præterea circa punctum vel aliquod indiuiſibile, operatione
quidem tranſeunte nihil operatur; vnde nec punctum mouere poteſt, niſi per accidens
ad motum corporis: falſa ſunt ergo illa puncta, quæ vana imaginatione cogitantur, quæ-
que ab angelo moueri, nonnulli affirmant, centrum ſcilicet atq; polos, cùm ipſum po-
tiùs cœlum ab illo moueatur. Ad confirmationem dico, verum quidem eſſe, vnum cor-
pus, aliud tangere in puncto; non tamen in puncto, ſicut in loco eſſe dicitur, quippè,
cùm punctus loci rationem non habeat: vnde nec punctus in puncto, veluti in loco eſſe
poteſt. Quamobrem, quemadmodum angelus alteri adeſt, ſiue præſens eſt angelo, in
eo tamen, veluti in loco eſſe non poteſt; ita proculdubio non eſt in puncto, veluti in lo-
co, quamuis puncto adſit, ſiue præſens eſſe dicatur. Ad 5. ſecundùm Damaſceni doctri-* 5.
nam, atque vt reor rei veritatem, angelus in vno tantùm loco eſt; quando enim ſunt in Angelus non in puncto, ve-
cœlo, in terra eſſe nequeunt. Itaq;, in diuerſis ſibi locis adæquatis, angelus eſſe non po- luti in loco.
*teſt, alioqui neuter illorum ſuæ eſſet virtuti adæquatus. De locis verò diſcontinuis dubi-
tant nonnulli, ſed præſtat Damaſceni ſequi doctrinam. Ceterùm, potentia diuina in locis
adæquatis ſiue diuerſis angelum eſſe, fieri poſſe arbitror, nec inde vllum ſequi inconue-
niens, nempè, angelum à ſeipſo diſtare atque ſeparatum eſſe, quia nimirum vnus locus
ab altero ſeiungitur; illorum enim locorum reſpectu ſiue ratione, angelus illimitatæ eſt
naturæ, quemadmodum & anima totius corporis membrorum reſpectu: nam cum ſit
in pede & in capite, peſque à capite diſtet; ipſa nihilominus à ſeipſa non ſeiungitur. Ex
hoc autem patet ſolutio ad argumentum, eiuſq; confirmationes. Etenim, via, virtuteq;
naturali, non autem diuina illa intelligenda ſunt: vnde plures angeli virtute naturali,
in vno eodemq; loco adæquato eſſe non poſſunt, non propter loci impletionem, ſed natu-
ræ illorum perfectionem; duas ſiquidem cauſas completas, vnius eiuſdemq; rei imme-
diatas eſſe, eſt impoſſibile: vnius enim rei, vna eſt forma, vnumq; proximum mouens;* Angelos plu-
motores verò remoti plures. Cùm autem angelus locum contingat, vt continens perfe- res virtute na
ctum; ſingulis ſingulos eſſe locos diſtributos, nec inuicem indifferenter commixtos, re- turali in eodē
ctæ rationi conſentaneum eſſe puto. Angelus præterea, & corpus naturaliter ſimul eſſe loco eſſe non
poſſunt; in loco tamen non eodem modo ſe habent. Quare non eſt ſimile illud, quod pro poſſe.
*argumento ſtatuendo fortificandoq; adducitur. Ad aliud dico, angelum & animam nō
eſſe in loco ſimul, ſicut duo locata; ſed alterum veluti corporis formam; alterum verò
vt locatum. Ex quo patet, huiuſmodi confirmationes, quàm falſa nitantur ſimilitudine,
nihil virium atq; neruorum habere. Ad 6. duo corpora ſimul eſſe, virtute naturali fie-* 6.
*ri non poteſt, diuina autem virtus hoc efficere valet: vnde, quamuis in pluribus locis
diffinitiuè eſſe non poſſit, quia ſcilicet contradictionem implicat, quum eſſe in loco dif-
finitiuè, ſit ita eſſe hîc, vt alibi non ſit; duo tamen angeli in eodem loco diffinitiuè eſſe
queunt, quippè, cùm ita ſint in iſto loco, vt non ſint, aut alibi eſſe dicantur. Ex hoc etiam* 7.
patet ſeptimi argumenti ſolutio. Quomodo ergo angelus ſit in loco, dixi ſatis.

QVAESTIONIS QVINTAE. CAP. I.

Angelorum tempus ſiue menſum.

TRiplex eſſe entium genus, omnibus propemodum notum eſſe puto: primum Triplex genus entium.
quidem, ſi fas eſt nobis ita loqui, immutabile omninò, excelſum, immēſum,
nempe deum benedictum, cuius ſanè menſura eſt æternitas, quæ authore Æternitas quid ſit.
*Boetio, 2. de conſolatione, eſt interminabilis vitæ, tota ſimul & perfecta
poſſeſſio; æternum enim perinde eſt, ac extra terminos eſſendi, quippè,
cùm nec incipere, nec deſinere poſſit, deniq; nec aliquid noui mutationisq; in ſe recipere.*

Angelorũ tempus. *Ex quo patet, in æternitate non eſſe vnam partem altera priorem, aut poſteriorem; ſed*
duratiouẽ, vt ita dicam, & ſimpliciſsimam, & totam ſimul, atq; valde perfectam, nullũ
terminum, actu vel potentia habentem. Secundũ verò, variabile quidem atq; flexibile,
cuius partes intrinſecæ, perpetua ferè ſucceſsione rotantur: huius autem entis menſura
Tempus quid ſit. *ſiue duratio, tempus appellatur, quod quidem eſt menſura motus ſecundùm prius & po-*
ſterius. Tertium autem genus entis eſt planè in ſe ſimplex, vtpotè à partium ſibi inuicẽ
mutatione ſuccedentium liberum, variabile tamen, potentia ſcilicet ab eſſe in non eſſe,
& è conuerſo, cuius ſubſtantia non eſt ſimpliciter neceſſaria, nec extra omnes prope-
modum naturæ terminos poſita; imò certis clauditur terminis, limitibusq; concluditur:
Æuum. *huius autem duratio ſiue menſura, æuum vocatur: in hoc autem genere angeli continen-*
tur, quippè qui æuo menſurantur. Itaq; æternitas, rei eſt menſura ſimpliciter permanẽ-
tis; tempus verò, formaliter, ſucceſsiuèq; continuè deficientis: æuum autem, permanen
Menſura angelorum. *tis quidem non ſimpliciter; ſed quamdiu in rerum natura cõſiſtit. Sunt ergo angeli, quò-*
ad ſua intrinſeca omnia, ſtabiles, continuis ſucceſsibus minimè ſubditi, niſi extrinſecè
1. *tantùm. Reuera, eiuſdem ad ſeipſum relationem eſſe realem, impoſsibile fore ſiue eſſe pu*
tamus. At, ſi ratione prioris & poſterioris, ad ſeipſum angelus, ſecundùm durationem
relationem haberet, aliam atq; aliam durationis partem prioritas illa atq; poſterioritas
haberent, atq; ita reſpectus oppoſiti eſſent omninò. Profectò, ſi angelus quiſpiam de-
nuò crearetur, & poſtea annihilaretur, deinde iterum fieret, ſiue crearetur; in creati-
2. *one quidem primi, in reparatione verò ſecundi ratio inueniretur. Amplius, duo contra-*
ria in eodem ſuſceptiuo, abſq; ſucceſsione inueniri, nequaquam fieri poteſt. ſed contraria
angelis ineſſe videmus, vtpotè malitiam in reprobis: probitatem autem in electis, cùm in
iuſtitia naturali conditi fuerint: ergo quod prius. Adhuc, priuatiuè oppoſita alicui
3. *ineſſe, ſine ſucceſsionis ordine, eſt impoſsibile. ſed omnes angeli creati fuerunt ſine gra*
tia, vt paulò poſt dicturi ſumus, poſtea verò gratiam acceperunt; hæc autem ſucceſ-
ſio ab extremorum conditione ſiue natura non dependet, cùm alterum illorum ſit priua-
tiuum: ex fundamenti ergo natura emanare, atq; profluere credenda eſt. Sanè, ex v-
no contradictorio in aliud migrare, ſine amborum, vel alicuius extremorum mutatio-
ne impoſsibile reputatur & abſurdum. ſed angelus ſemper tranſit, quia nimirum tem-
pus eſt in continuo fluxu: angeli autem eſſentia iſti coexiſtit inſtanti, poſtea alteri:
deus autem non coexiſtit, vtpotè, qui realem ad creaturam relationem non habet. itaq;
Æuum non eſſe ſucceſsiuum. *in æuo ſucceſsionem non eſſe conſtat, non modò iſtis; ſed alijs etiam rationibus, quæ in*
idem recidere videntur. Reuera, menſura eſt vnigenea & conformis menſuratio, vt quar
to met: ſcribitur. ſed eſſe angeli menſuratum, non eſt ſucceſsiuum, nempè habens par-
4. *tem, & partem, vel prius & poſterius: nec igitur æuum, quod eſt ipſius menſura. Sanè*
prius & poſterius ideo tempori inſunt, quia inſunt & motui, cuius eſt paſsio ſeu menſu-
ra, vt quartus recitat phyſicorum: à ſimili ergo prius & poſterius æuo ineſſe non poſ-
ſunt, niſi æuiterno ineſſent. ſed in æuiterno non eſt prius & poſterius: in æuo ergo mini-
mè erunt. Amplius, æuum non differt à ſubſtantia angeli, vt mox dicturi ſumus. ſed
5. *angeli ſubſtantia non habet partem & partem; nec ergo æuum; non enim abſq; neceſsi-*
tate pluralitas partium eſt ponenda, etiam in quauis aliqua re: ſed nulla nos cogit ne-
ceſsitas æuo partes addere: æquè enim angelus magnus eſt intenſiua perfectione atque
Auguſtinus. *virtute, ſua manente ſimplicitate, ac durationis ſimplicitate perſeuerante. Huic accedit*
Auguſtini authoritas 83. quæſt. quæſt: 72. vbi palam profitetur, æuum ſtabile, tempus
Tempora æterna. *verò mutabile eſſe: Ante æterna tempora, inquit ad Tit: 1. Si tempora, quomodo æter-*
na? nam ſi fortè ante omnia tempora intelligi voluit, quia ſi dixiſſet, ante tempora, ne-
que addidiſſet, æterna: poſſet accipi, ante quædam tempora, quæ ante ſe haberet quæ-
dam tempora. æterna autem maluit dicere, quàm omnia; fortaſsis ideo, quia tempus nõ
cœpit ex tempore. Ante tempora æterna æuum ſignificauit, inter quod & tempus hoc
diſtat

 Angelorũ tempus.

diſtat, quod illud ſtabile eſt, tempus autem mutabile. Dionyſius prætereà Areopagita de diuinis nominibus cap: 10. proprietatem æui, ait, eſſe totum ſecundùm totum metiri. Et 5. cap: æuum vocat quietam & totam ſimul vitam. Gregorius quoq; 4. moraliũ, gaudio beatorum dicit nihil eſſe præteritum, nihilq; futurum. Plato quoq; in Timæo, æui manſionem perpetuam eſſe proteſtatur; fuiſſe verò, & fore temporis, & non æui, propri as eſſe genituras: Fecit æternitatis in vnitate manentis æternam quandam in numero fluentem imaginem, inquit, quam nos tempus vocamus. Dies porrò, & noctes, & menſes, & annos, qui ante cœlũ non erant, tunc naſcente mundo, naſci iuſſit, quæ omnia temporis partes ſunt. At, qui erat, & erit, quæ nati temporis ſpecies ſunt, non rectè æternæ ſubſtantiæ aſſignamus. Vnde Plotinus Enneadis tertiæ lib. 7. cap: 1. & ſequentibus, æternitatem ita deſcribit: Æternitas, inquit, totum ſimul complectitur, non ſicut partem, quoniam omnia eiuſmodi per ipſam dicuntur æterna. Et cap: 3. beatis ſpiritibus neq; deſiderium ineſt futuri; iam enim totum ſunt, & quicquid habere vitæ debent, iam totum poſſident, ideo nihil quærunt. Et quoniam his nihil eſt futurum; neq; igitur illud eis accidit, in quò eſt futurum. Ex quo patet, intelligentias partibus temporis non eſſe ſubditas, idq; ſecundùm intrinſecam eorum naturam, quia nimirum non diſcerpitur in partes, imò in partibus ſuis tota ſimul conſiſtit, ſibiq; deeſt nihil. cui nihil omninò, quod non ens dicitur, poteſt accidere: non ſolùm enim entia omnia oportet omni totiq; adeſſe; ſed etiam nihil aliquando non entis accidere. Hæc, inquam, proprietas, ipſiusq; natura æternitas eſt, id eſt æuum; æuum enim ab eo, quod eſt ſemper, eſt dictum. Et cap: 4. Quamobrem venerandum aliquid eſt æuum, æternitasq;, idemq; cum deo, quippè cùm vita ſit infinita, cui nihil præterit, vel poteſt eſſe futurum. Porrò, talis natura omni pulchritudine pollens, præcipuè eſt circa vnum: proinde præclara eſt ſententia Platonis, quæ ait, æternitatem manere in vno. Hæc igitur atq; ſimilia Plotini documenta, huic noſtræ ſententiæ fauere videntur. Simile quiddam Auicenna 11. met: cap: 1. profitetur: Hoc, inquit, quod nos vocamus tempus, nempe menſurationem, ſtabilitatem non habentem ſecundùm ſucceſſionis viam. Et 2. phyſ: cap. 11. ait, quòd cui conuenit, & ex ſeipſo accidit, ante, & poſt, tempus nominatur. ſed æuum non eſt tempus: ante ergo, & poſt, habet minimè; atque ita non eſt duratio ſucceſſiua, ſed ſimplex, partibus ſibi ſuccedentibus penitus vacans. Æuum igitur ſua ſtante ſimplicitate, toti ſimul coexiſtit tempori, per ſe quidem prius atq; poſterius ignorans, niſi fortaſſis ad partes temporis, cui coexiſtit, relatum. Quomodo ergo æuum non ſit duratio ſucceſſiua, dixi.

Dionyſius. Gregorius. Plato. Plotinus. Æuum. Æternitas. Auicenna.

CAP. II.

Æuum eſſe durationem ſucceſſiuam, argumentis oſtenditur.

1. *Si æuum eſt tota ſimul duratio: ergo æuum eſt infinitum in actu. Tenet conſequentia: quod enim eſt totum exiſtens in actu, infinito quidem tempori coexiſtere poteſt. ſed omne tale eſt infinitum in actu, quemadmodum & illud, quod loco poteſt coexiſtere infinito. ſed æuum partibus vacat omnibus: actu igitur eſt infinitum, quod eſt abſurdum, & planè impoſſibile. Sanè, ſi tempus eſt infinitum in potentia: igitur eſt æuum infinitum in actu; quandocunq; enim ſunt aliqua duo, quorum alterum eſt tantùm in potentia, reliquum, ſiue alterum erit ſimiliter tantùm in actu.* 2. *Amplius, angelus creari poteſt & adnihilari, iterumq; reparari, ſiue reſtaurari, etiamſi tempus non eſſet, atq; ita angelus ille, eſſe haberet interruptum atq; reparatum, nempe eſſe, & non eſſe. ſed ſimplici ac indiuiſibili*

 menſuræ

*menſuræ finitæ & limitatæ, hoc accidere nequit, alioqui contradictoria in eadem menſu-
ra ſimul conſiſterent, quod eſt impoſſibile: id enim ad infinitam illimitatamq́ pertinet
menſuram, nempe ad æternitatem: ergo. Sanè, potuit deus angelum creare nihil intelli-
gentem, deinde intelligentiam recipientem; ſimul autem non eſt intelligens & non in-
telligens, propter eandem quam diximus rationem: igitur, etiamſi tempus non eſſet,
adhuc tamen angeli menſura, hoc eſt æuum, prius haberet & poſterius, & ex conſequē
ti, æuum eſt duratio ſucceſſiua. Reuera, ſi aliquem alium angelum deus crearet; is pro-
fectò alijs iam conditis, duratione poſterior eſſet, quod planè fieri non poſſet, ſi æuum
3. prius atq; poſterius non haberet. Adhuc, ſi æuum non eſt duratio ſucceſſiua; nullum
ergo habebit temporis diſcrimen, atq; ita in angelo idem certè erit, eſſe, fuiſſe, & fu-
turum eſſe, quod prorſus impoſſibile eſſe reputamus. Quare, ſicut angelum non fuiſſe,
diuinæ non ſubditur potentiæ; ita planè ipſum futurum non eſſe. Profectò, ſi angeli du-
ratio prius & poſterius non habent, inſtar dei, cuilibet aderit futuro, & ex conſequen-
ti, futura contingentia naturaliter cognoſceret, quod eſt falſum & erroneum. Angeli
4. præterea duratio à parte poſt, eſt infinita. ſi ergo eſt tota ſimul; erit vtiq; actu infinita,
quod ſanè abſurdiſſimum eſt: deus enim ſolùmmodò eſt actu infinitus. Quòdſi ita ſit,
vt ipſamet veritas fatetur atq; tuetur; finita vtiq; eſt angeli ſubſtantia, ſiue duratio.
At, omne finitum, nouam recipere poteſt qualitatem atq; incrementum: duratio ergo
angeli non eſt tota ſimul, quippè, quæ ad nouam qualitatis, conditionisq́ diſpoſitionem
5. recipiendam, promptitudinem habeat. Adhuc, quod maiori tempori applicari poteſt,
maius vtiq; cenſendum eſt. ſed æuum menſurans, angelum iam creatum à mundi exor-
dio, tàm præterito, quàm futuro applicatur tempori: menſurans verò, angelum de no-
uo creatum, poteſt enim deus hodie aliquem alium angelum creare, minùs ſine dubio
cenſetur: duratio ergo, ſiue menſura angeli, non eſt ſimul tota, vtpotè, vna maior al-
6. tera. Iterum, angelus ab eſſe deficere poteſt, idq́ per diuinam potentiam: non ergo to-
tum, quod habere potuit, ſimul eſſe habet; plus enim potuit, quàm fuit, atq; ita ex con
ſequenti, illius eſſe non eſt to[?]m ſimul. Reuera, deus quidem poteſt angelum annihila-
re, non in illo certè inſtanti, in quo angelus eſt, alioqui ſimul eſſet & non eſſet, ſed in a-
lio inſtanti, ſicq́ illorum in æuo inſtantium ſucceſſio inueniretur: æuum ergo eſt ſucceſ-
Anſelmus. ſio ſiue duratio ſucceſſiua. Suffragtur huic propoſito Anſelmus, qui de Deo, atq; æui-
ternis, ſiue angelis ita loquitur: Tua, inquit, & illorum æternitas, tota tibi præſens eſt,
cùm illi nondum habeant de ſua æternitate, quod venturum ſeu futurum ſit, ſicuti etiam
Hieronymus. non habent præteritum. Hieronymus quoq; ſanctitate, ac omni dicendi genere celeber-
rimus, ad Marcellam ita ſcripſit: Solus deus, inquit, non nouit futurum eſſe vel fuiſſe.
Hæc igitur dignitatis prærogatiua dei eſt ſolius, non alicuius angelorum. Præterea, ſi
Auguſtinus. nunc temporis non eſſet; nec tempus etiam, authore Auguſtino 11. de ciuit: dei: pari igi-
tur ratione, ſi æuum nunc non habet, non eſt certè æuum, ſed æternitas potiùs. Ex his er
go atq; ſimilibus patere arbitror, æuum ſucceſſiuam eſſe durationem.*

CAP. III.

Soluuntur argumenta.

1. *AD primum, negatur conſequentia, & ad probationem dico, hoc intelligen-
dum eſſe de illo tantùm, quod ſuaptè natura eſt infinitum, atq; illimitatū.
Quam ob cauſam, licet æuum, omni ſiue toti coexiſtere queat tempori; nō
tamen inſtar æternitatis exiſtit, aut actu æternū dici poteſt. Porrò illa ſi-
militudo, quæ de loco adducitur, nihil habet veritatis, alioqui ſubſtantia
angeli, quæ omni temporis, atq; æui parti coexiſtere poteſt, tota ſimul eſſet actu infinita,
etiamſi*

 Angelorũ tempus.

etiamſi æuum duratio eſſet ſucceſſiua, quod planè ipſiſmet nõ probatur authoribus. Ad confirmationem dico, de his, quæ eiuſdẽ planè ſunt rationis, veram eſſe maiorem. Ad minorem ſiue conſequentiã reſpondeo, verũ quidẽ eſſe, æuum actu eſſe finitum, atq; alterius ens rationis; poteſt tamen tempori, quod eſt in potentia infinitum, coexiſtere, idque virtualiter: vnde & infinitum aliquo modo dici poteſt; non tamen ſimpliciter. Ad 2. 2.
negatur antecedens: in illo enim caſu, non eſt vnius quidẽ partis durationis angeli, ad aliam partem ſucceſſio; ſed eiuſdem potiùs ad ſeipſum. Præterea, ſi tempus continuum, aut diſcretum reale, vel imaginarium non eſſet; deus vtique vnum angelum ante alium creare non poſſet; vnum verò, alio non exiſtente, condere poſſet; ante enim, & poſt, ſine menſura diuiſibili, intelligi nequeunt. Porrò, huiuſmodi menſura tempus eſt continuum, aut diſcretum. Itaq;, eſſe, & non eſſe angeli creati, & adnihilati, duratione, quæ eſt æuum, ſimul eſſe nequeunt; nec prius & poſterius in diuerſis æui partibus habere: nam eſſe, eſt ipſum æuum, non eſſe verò, eſt æui negatio, atque deſtructio: igitur, ſimultate proprij æui, nõ eſt eſſe angeli, & eiuſdem interruptiõ eſſendi. Etenim, ſi æuum, vt ipſi dicunt, ſit accidens æuiterni, deſtructo profectò æuiæterno; ipſum quoque æuum deſtructum iri, omnemq; illius partem, neceſſarium eſt omninò. Ex his ergo, ad confirmationes patet ſolutio. Ad 3. ibi eſt neceſſitas conſequentiæ, non autem conſequentis: 3.
ſiquidem quemadmodum angelum eſſe, vel fore, deus quidem abſolutè determinare potuit; ita etiam ipſum non fuiſſe, licet poſtquam ipſum condidit, non poſſit facere, eum non condidiſſe, contradictionem implicat enim. Ad confirmationem dico, angelum, quòad ſuam durationem, qua tempori coexiſtit, nihil moræ habere: quòd autem futuro non coexiſtat tempori; non angeli, ſed futuri eſt temporis defectus. Ex hoc autem non ſequitur, futura ipſum naturaliter intelligere, quandoquidem illa non ſint ipſi præſentia. Ad 4. angeli duratio eſt infinita ſecundum quid, non autem ſimpliciter, hoc eſt, nega- 4.
tiuè, quia nimirum in ſe non habet ſuæ durationis terminum, non autem poſitiuè. Dicis, Obiectio.
cui infinitæ inſunt defectuũ negationes; infinitum quoque & ipſum eſſe oportet: negatio 1.
enim defectus eſt, poſitio perfectionis. ſed æuum infinitas habet defectuum negationes, nempè iſtius, & alterius diei; & ſic etiam ſucceſſiuè infinitorum, quia eſt totum ſimul: illi verò ſucceſſiuo ordine decurrunt: æuum ergo eſt actu infinitum. Præterea, æuum 2.
non differt à tempore ſecundùm Auguſtini ſententiam 8. ſuper Gen: Deus, inquit, adminiſtrat creaturam ſpiritualem per tempus. ſed tempus eſt duratio ſucceſſiua: igitur angelorum menſura, eſt duratio ſucceſſiua. Sanè, illa duratio eſt ſucceſſiua, quæ tota ſi- 3.
mul eſſe non poteſt. ſed æuum eſt huiuſmodi, alioqui eſſet actu infinitum: ergo quod prius. Ad hæc autem ſic reſpondeo, & ad prim: ſiquidem maiorem falſam eſſe denun- Solutio.
tio: etenim huiuſmodi perfectiones, defectibus oppoſitæ, ſolo numero diſtinguuntur; 1.
vna enim omnibus ineſt eſſentialis perfectio; craſtinæ namq; diei duratio, & ſequentis, eiuſdem planè eſt rationis. Ad 2. quamuis æuum ſubſtantiæ conueniat ſpirituali; illius 2.
tamen motui tempus debetur, ſiue eſt attribuendum; ex hoc tamen non ſequitur, æuum à tempore non differre. Ad 3. ex dictis patet reſponſio. ad confirmationem autem prin- 3.
cipalis argumenti dico, illam veram eſſe de eſſentiali additione, quod profectò angelis non competit: ipſi enim addi poteſt nihil tale, quod ipſum augere queat, niſi accidentali quodam menſuræ, ſeu durationis reſpectu; nam æuiternorum durationi, additio fieri poteſt accidentalis. Ad 5. minor eſt falſa, omne enim æuiternum, maiori, minoriq; 5.
applicari poteſt tempori: quòd ſi vnum non tanto coexiſtat tempori, quanto & aliud; id profectò per accidens ei contingere, non ſua quidem natura, putandum eſt; accidit enim illi nunc, vel in principio creari. Ad 6. quamuis angelus, vt tu dicis, potuerit plus 6.
eſſe, id tamen ſimul habuiſſet, non in parte, aut in toto diuiſum. Quare, idem eſt, quod prius, atque fallacia cognoſcitur figuræ dictionis, quid in plus mutando. Ad confirmationem reſpondeo, huiuſmodi non æui, ſed temporis diſcreti inſtantia eſſe dicenda, qui-

 bus pro-

tempus.

bus profectò inſtantibus, angeli duratio, annihilatioq́; veluti propria menſura menſu-
raretur. Reuera, nunc æui non itá differt ab æuo, nempè realiter, ac nunc temporis ab
ipſo tempore: æuum namque eſt duratio perfecta, & ſuperior, cui vniri poteſt, nunc
durationis, ſicq́; tempori coexiſtere; nunc autem temporis, ipſi non vnitur tempori, nec
Anſelmus. ipſum eſt tempus. quare non eſt ſimile, quod in argumento aſſumitur. Ad Anſelmi
authoritatem dico, illam ſic eſſe intelligendam, angelum à ſe non habere, inſtar dei, ſuæ
durationis ſuturum, aut aliquod aliud tempus; eſt enim in illo præteritum, atque futu-
rum per quandam certè noſtri comparationem temporis, ad diuerſos vtiq; rationis re-
ſpectus. Hieronymi verò, & Auguſtini ſententia de proprio ac peculiari æternitatis
nomine eſt intelligenda, quæ deo ſolummodò conuenit. Itaq́;, quomodo æuum duratio
ſucceſſiua non ſit, vtrinq; oſtendi, vt quilibet pro ſui animi voluntate accipiat, quod
rationi putat magis conſentaneum eſſe, ſalua ſemper fide catholica.

CAP. IIII.

Æuum non diſtingui realiter ab æuiterno, ſiue ab angelo.

QVoniam dixi paulò ante, æuum durationem ſucceſſiuam non eſſe, idq́; non
paucis, & cōtemnendis rationibus, atq; argumentis muniui; huic profectò
propoſito mihi congruere videtur ſpeculari, ſi æuum ab angeli eſſentia,
eſſentiali quadam ſeiunctum ſit, ac diſcretum differentia: & inprimis, vt
id efferre queam, quod ſentio. Realiter quidem diſtingui non puto. Ete-
1. nim, quando aliqua naturaliter diſtinguuntur; vnum profectò, alterum natura præ-
cedit, vnde vnum abſque alio, effectum ſortiri poteſt, cùm nullam contradictionem
implicet. Quare, ſi æuum ab angeli ſubſtantia eſſentialiter diſtinguitur, cùm ipſum an-
geli ſubſtantia poſterius ſit naturaliter; poterit vtiq; angelus, ſine æuo manere, atque
2. conſiſtere, quod eſt falſum: aperta eſt enim contradictio. Præterea, ſi æuum eſt ali-
quid aliud eſſentialiter diſcretum ab angeli ſubſtantia, cuius duratio dicitur; illud pro-
fectò, aliam planè durationem habebit, quæ aut idem cum ſua duratione propria erit,
aut certè aliam durationem ſortietur. ſi idem; pari quoque facilitate dicere non vere-
mur, angelum eiuſque æuum, idem realiter eſſe. ſin autem alia; tunc proceſſus erit
3. in infinitum, quod ſanè abſurdiſſimum eſſe omnes profitentur: angelus ergo, eiuſq́; æ-
uum ſunt idem realiter. Amplius, ſi itá res ſe haberet; æuum certè angelicæ ſubſtantiæ
accidens dici poſſet, quod eſt inconueniens, alioqui non ſubſtantia accidens, ſed acci-
dens, ſubſtantiam conſeruaret, atque durationis cauſa exiſteret. Itaq́;, idem eſt an-
gelus, eiuſq́; duratio eſſentialiter; eodem enim formaliter res durat, & exiſtit, ratione
tamen diſtinguitur: addit ſiquidem æuum, angelicæ ſubſtantiæ rationis reſpectum. Sanè,
in eſſentialiter ordinatis, & realiter diſtinctis, prius poteſt eſſe ſine poſteriori. Si ſub-
ſtantia ergo angeli eſt prior, atq; eſſentialiter à ſuo æuo diſtincta; ſine illo vtiq;, vt dixi,
conſiſtendi haberet aptitudinem, quod eſt planè falſum: æuum certè nihil reale, atq;
abſolutum addit ad eſſe angeli, niſi ſimultatem tantùm, atque indiuiſionem, ſecundum
prius, & poſterius ſibi ſuccedentia. hæc autem ſimultas, ſiue indiuiſio, aliud eſt nihil,
Obiectiones. quàm negatio, ſeu reſpectus rationis. Sed aliquis fortaſſis non temerè aduerſus huiuſmodi
1. arguet. Menſura realis, à re menſurata, realiter diſtinguitur. ſed æuum eſt angeli men-
ſura, vtpotè duratio illius: differt ergo ab angeli eſſentia realiter. Sanè, ſicut ſe habet
tempus ad motum; ita planè æuum ad angelum. ſed tempus realiter differt à motu,
quia ſcilicet non eſt velox, aut tardum vt motus dicitur eſſe: igitur æuum ab angeli
2. ſubſtantia realiter diſtinguitur. Amplius, ſicut ſe habet inſtans temporis ad mobile,
ſiue ſubie-

Angelorũ tempus.

ſiue ſubiectum; ita planè æuum, ad eſſe angeli, ſiue ſubſtantiam. ſed temporis inſtans,
à ſubſtantia mobilis realiter differt, atque ſecernitur; mobile enim cùm ſine tempore,
tum etiam ſine motu, ſi abſolutè loquamur, eſſe poteſt: æuum ergo ab angeli ſubſtantia
realiter diſtinguitur. Adhuc, quod eſt ſua duratio omninò, atque idem realiter; non 3.
poteſt vtiq; non durare, ſiue non eſſe, quemadmodum vnum & idem, non poteſt non
ipſum idem eſſe. atqui, angelus à ſua quidem duratione poteſt deficere, quippè cùm à
ſuo eſſe, diuina potentia, deſinere poſsit: angelus ergo non eſt idem prorſus, quod ſua Solutio.
duratio. Ad hæc autem ſic reſpondendum eſſe cenſeo. Ad primum quidem, minor non 1.
eſt admittenda; æuum enim ratione tantùmmodò, non autem rei veritate, eſt angeli
menſura; idem namq; eſt, quod ipſa angeli ſubſtantia, rei ſiquidem duratio intrinſeca,
non eſt propriè ipſius menſura, ſed aliquod potiùs extrinſecum. Ad confirmationem di-
co, maiorem non eſſe veram, propter diſsimilitudinem certè, quam habet inſtans tem-
poris ad æuum; etenim non ita æuum, ab angeli ſubſtantia diſcrepat, ac tempus à motu,
cui planè formaliter ineſt; illud enim realiter, hoc autem ratione diſſentit. Tempus præ-
terea non eſt duratio motus, quippè, cùm duratio motus ſit idem fermè cum motu. Dio-
nyſiũ ais hoc ſentire de diuinis nominibus cap. 4. Dico, de æuo fuiſſe locutum, quod re-
ſpectu æuiterni, rationem habet menſuræ: quo planè modo non æuiterni intrinſecum, ſed
extrinſecum magis eſt dicendum. ſic etiam à nonnullis dicitur, primi mobilis menſuram
motus, tempus non eſſe; ſed paſsionem potiùs atque aliorum motuum menſuram. Itaq;
non ita æuum ad æuiæternum ſe habere, ſicut tempus ad motum, conſtanter affirmo;
tempus enim à motu realiter diſcrepat, authore Auguſtino 11. confeſsionum ca: 23. &
Ariſt: 4. phyſic: æuum verò ab æuiæterno, minimè. Ad 2. negatur ſimilitudo: quam- 2.
uis enim inſtans temporis, nonnullam cum æuo ſimilitudinem, affinitatemq; habere vi-
deatur, quia nimirum ſicut inſtans eſt ſimplex, atque indiuiſibile; itá etiam & æuum;
vnum tamen ab alio quàm maximè diſcrepat: non enim ſicut inſtans à mobili; ita æuum
ab æuiæterno realiter diſſentit: quemadmodum paulò antè dictum eſt ſatis. Ad 3. maior 3.
vera eſt de duratione increata, non autem de duratione creata; homo ſiquidem quamuis
neceſſariò ſit homo, quamdiu eſt homo; poteſt nihilominùs à ſuo eſſe deficere, & non
eſſe. Quare, cùm angeli duratio ſit creata, cùm ipſa, tum etiam illud, cuius eſt duratio
deficere poteſt. Itaq; durationem, ſiue æuum ab angeli ſubſtantia realiter non differre,
hæc dixiſſe ſufficiat.

QVAESTIONIS SEXTAE. CAP. I.

De Angelorum beatitudine.

QVoniam angelorum miniſteria, locutiones, loca, atque tempora longo ſer-
mone proſequuti ſumus; illorum modò beatitudinem mihi deſcribendam eſ-
ſe cenſeo: vtrum ſcilicet omnes beati conditi fuerint, atque quonam modo,
quauè virtutis ope illam nacti fuerint. hoc planè cùm ipſis certè beatiſsimis
ſpiritibus, tùm etiam Deo optimo maximo, veræ beatitudinis authori, & gratum, & Quid ſit beatitudo.
debitum eſſe puto. Itaq;, de angelorum beatitudine verba facientes, inprimisq; quid ſit
beatitudo differamus. Beatitudo eſt omnium bonorum ſufficientia, ſiue plenitudo. aut,
eſt bonum ſufficiens, omnem prorſus indigentiam atque defectum excludens, vtpotè
ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Bonum ſanè eſt, quod omnia appe-
tunt; mouet enim appetitum: omne autem quod appetitur, vel eſt bonum verum, vel
apparens. Non temerè ergo Boetius 3. de conſol: proſ. 2. ſic locutus eſt: Omnis, inquit, Boetius de beatitudine.
cura mortalium, licet diuerſo calle procedat, ad vnum tamen beatitudinis callem niti-
tur peruenire; eſt enim mentibus hominum naturaliter inſita ſummi boni cupiditas.

ſummum

Angelorũ beatitudo

ſummum autem bonum vocatur, quod deſiderium prorſus replet inquirentis.

Ariſtoteles.

Quam ob rem in optimæ coniunctione potentiæ, cum ſuo optimo obiecto, beatitudinem poſitam eſſe, conſtantiſſimè philoſophus profitetur. Etenim cuiuslibet rei virtus, ſuaq; perfectio, circa id, quod in ea maximè excellit, potiſſimè verſatur; vnde aurium perfectio in optima vocum conſonantia inuenitur; oculorum verò in pulchro &c. Rationis autem

Auguſtinus. Viſio eſt tota merces.

cum Deo coniunctio, hanc ob cauſam Aug: profeſſus eſt, viſionem eſſe totam mercedem. Et Dominus in Euangelio: Hæc, inquit, eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum, &c. Contemplatio autem ſummæ cauſæ non eſt ſine amore; alioqui curioſa quædam, & inanis eſſet

Paulus.

inueſtigatio: quemadmodum illorum fuiſſe legimus, authore Paulo, qui cùm Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt. Itaq; beatitudo, quæ eſt Dei cognitio, abſq; amore eſſe non poteſt. hanc autem intellectualis, atque rationalis creatura, ſuaptè natura proſequitur, vt potè vltimam ſui perfectionem; ſuam enim vnumquodq; vltimam naturaliter perfectionem deſiderat. Porrò, perfectiſſima hominis contemplatio, quæ

Felicitas non eſt habitus.

optimum bonum intelligitur, eſt vltima ipſius felicitas. felicitas autem habitus non eſt; ineſſet enim dormienti, authore philoſopho 7. com: 10. ethicorum, & in calamitatibus maximis conſtituto: beatitudo ergo quædam ſanè eſt operatio, ſui, non alterius gratia expetenda, ipſa quippè nullius indiget rei, ſed eſt ſibiipſi ſufficiens. Beatitudo igitur non in ludo vel ioco conſiſtit; etenim abſurdum foret, humanum finem, iocum eſſe & ludum: neque in rebus caducis; ſed in virtute, cuius gratia cætera expetuntur. Quare,

Beatitudo eſt operatio virtutis.

cùm felicitas, ſiue beatitudo operatio ſit per virtutem, vt ipſemet com: 8. apertiſſimè docet; conſentaneum eſt vtique rationi per eam eſſe potentiam, quæ eſt præſtabiliſſima. hæc autem eius fuerit, quod eſt optimum. Siue igitur mens ſit hoc, ſiue aliquid aliud, quod quidem natura dominari videtur, ac imperare, & animaduerſionem habere de honeſtis diuiniſq; rebus, aut quia diuinum & ipſum eſt, aut quod eorum quæ ſunt in nobis eſt diuiniſſimum; huius operatio per virtutem propriam, ipſa felicitas fuerit, beatitudoq; perfecta.

Contemplatio res nobiliſſima.

Cæterùm, huiuſmodi eſt contemplatio, quæ eſt operatio nobiliſſima: quippe cùm & mens ſit eorum, quæ in nobis inſunt, præſtantiſſimum, & ea circa quæ mens verſatur cognoſcibilium præſtabiliſſima ſint. Eſt præterea continua maximè: nam

Vita beata.

contemplari magis continuè quàm agere quidùis poſſumus. felicitati autem amor, ſiue voluptas admixta eſt. iucundiſſima autem operationum virtutum eſt ea haud dubiè, quæ per ſapientiam prodit; ſapiens enim, etiamſi ſolus fuerit, contemplari poteſt: & quò ſapientior eſt, eò magis poteſt: ipſe profectò ſufficientiſſimus ſibi eſt. Itaq;, quoniam mens diuinum eſt ad ipſum hominem, vita planè, quæ ab hac manat, diuina eſt reſpectu

Quare dij ſint beati.

ipſius vitæ humanæ; quæ verò à virtutibus humanis proficiſcitur, felicitas cenſetur humana. Mentis autem felicitas, eſt ſeparata. Porrò, beatitudinem perfectam, contemplatiuam quandam operationem eſſe, hinc quoque fuerit manifeſtum, inquit Phylo: 10. com: Deos enim maximè beatos eſſe putamus, atque felices, quia illorum operatio eſt præcellens, & ſine controuerſia beatitudo contemplandi. Vnde humanarum qui-

Beatitudo eſt actus optimæ potentiæ continuus.

dem operationum ea homo eſt ſummè beatus, quæ illi maximè eſt cognata. Signum huius eſt, animalia cætera felicitatis expertia, eſſe tali penitus operatione priuata: nam diis quidem tota eſt vita beata, talem habentibus operationem; hominibus autem, quòad ipſos, talis operationis quædam ineſt ſimilitudo. quouſq; & contemplatio ſeſe extendit; eòvſque & felicitas ipſa: & quibus contemplatio magis ineſt; ijs & felicitas maior; non per accidens quidem, ſed per ipſam vtiq; contemplationem, hæc enim per ſeipſam eſt pretioſa. Itaq; beatitudo eſt actus optimæ potentiæ continuus, contemplatione nutritus, Deoq; ſimillimus, ſibi ſufficiens, ope alterius ad ſuam gloriam non indi-

Stoici beatitudinem ponebant in honeſto.

gens; eſt enim ſtatus omnium aggregatione bonorum perfectiſſimus, qui hac in vita haberi non poteſt, nec decet mortales in vaſis fictilibus tanti theſauri, tantiq; boni poſſeſſores eſſe. Stoici, in virtute, & bono honeſto, quando ſcilicet rectæ rationi conformiter viui-

miter viuimus, beatitudinem collocarunt. vnde eos, à vero philoſophandi genere ma-
gnopere aberraſſe dignoſcimus, qui in alijs, quàm in optimæ actu operationeq́ poten-
tiæ felicitatem, beatitudinemq́ ſtatuerunt: non ergo immeritò Machometus ab Aui- Auicenna cõtra Machometum.
cenna reprehenditur: Propheta, inquit, quem vocant Machometum, talem ſuis promit-
tit felicitatem, quam multi ſapientes reprobarunt; in actu enim optimæ potentiæ non
in opibus, alijsq́ rebus externis, ſita eſt hominis beatitudo. Proinde Deum beatum Plu- Plutarchus.
tarchus appellat, quia ſcilicet virtutum eſt pareus: nam ſine virtute, iucundum eſt ni-
hil, aut aliquid laudis haberi poteſt, aut honeſtum, ſeu vtile aliquid dici. Plato tan- Plato.
quam aliquid diuinum ſapiens in adeptione boni ſeparati, atque vniuerſalis, beatitudi-
nem poſuit. Eſt autem bonum ſeparatum Deus benedictus, quem cognitione, atque
amore conſequimur. Plotinus enneadis 1. lib. 5. diſputando multa de beatitudine loqui- Plotinus.
tur; eamq́ in vita ſummi entis ſitam eſſe aſſerit: Felicitas, inquit, in vita bona conſiſtit;
certè vita ipſa bona in vita exiſtentis, ſiue entis ipſius eſt colloeanda; hæc enim optima
eſt: non ergo tempore numeranda eſt, ſed æternitate cenſendã. & lib: 4. enn: eiuſdem
hoc negotium abundè proſequitur; falſis inprimis excuſſis, reiectisq́ opinionibus, rei
veritatem ſtatuere laborat: cap: 3. felicitatem ſeu beatitudinem in bona vita inueniri, Beatitudo cõſiſtit in bona vita.
firmiſſimè, doctiſſimèq́ affirmans: In vita, inquit, quadam beatitudo conſiſtit, vita,
inquam, ſufficienti, huic enim adeſt & optimum; ſiquidem in ipſo entium ordine opti-
mum eſt, quod verè eſt in vita; ipſaq́ eſt vita perfecta, cui aliæ vitæ comparatæ, vi-
tæ imagines dicendæ ſunt potiùs quàm vitæ: non eſt igitur felicitas in vita coniuncta.
quam ob cauſam rectè Plato petendum deſuper ſummum bonum iudicat, & ad ipſum Plato.
ei reſpiciendum eſſe, qui ſapiens ſit, beatusq́ futurus; ſic enim cætera quaſi quaſdam
loci mutationes exiſtimabit. Accedunt ad hanc diuinam, ſummamq́ philoſophorum
doctrinam, ſanctorum ſententiæ, & inprimis Chryſoſtomi hom: 8. in 4. cap. epiſtolæ ad Chryſoſt.
Romanos: Beatitudo inquit, eſt bonorum omnium faſtigium. & iterum, hom: 8. ad pô-
pulum Antiochenum: Nemo beatus, niſi qui ſecundùm Deum viuit. Conſentit planè his,
quæ à Philoſophis dicta ſunt. is certè ſecundùm Deum viuit, qui in ſummi entis contem-
platione verſatur: beatus ſiquidem dicitur, quaſi bene auidus, ſcilicet ab habendo quod
vellet, & nihil patiendo quod nollet. Profectò, iuxta Auguſti: ſententiam, ille eſt bea- Auguſtinus.
tus, qui habet omnia, quæ vult, & nihil mali vult. Ad hunc etiam modum Diuus Am- Ambroſius.
broſius lib: offi: 2. cap. 3. Nihil, ait, eſt beatum, niſi quod à peccato alienum ſit, ple-
num innocentiæ, plenum gratiæ Dei. Diuus Hieronymus ſuper cap. 3. Iſa: refert Poetæ Hieronymus.
Græci laudabilem admirandamq́ ſententiam: Primùm nimirum eſſe beatum, qui per
ſe ſapiat: Secundùm, qui ſapientem audiat: qui autem vtroq́ caret, hunc inutilem eſſe
tam ſibi, quàm omnibus. & 4. cap. epiſtolæ ad Galat: Beatus eſt, qui ambulat in vir-
tutum via; ſed ſi ad virtutes vſque peruenerit. nec prodeſt à vitiis receſſiſſe, niſi opti-
ma comprehendas: quia non tam initia ſunt in bonis ſtudiis laudanda, quàm finis. Plato Plato.
in lib. de repub. & legibus, atque in Phædone, cognitionem veritatis ſummum hominis
bonum, ſummamq́ beatitudinem eſſe dixit, quæ in hac vita perfectè haberi non poteſt:
ob hanc cauſam mortalium beatum putauit eſſe neminem. Cùm verò è vita migrabi-
mus, ſi purgati, nitidiq́ deceſſerimus, tum verè nos fore beatos; etenim tunc fruemur
veritate, atque in ſummi boni contemplatione conquieſcemus; ſoluti namq́ à corpore,
iuxta Platonis ſententiam, non primo pulchro, & charo fruemur Deo, ſed vero, qui eſt
intellectus; tametſi mox pulchro fruemur, & inde voluptas, vt in Philæbo diſtinxit:
hæc enim ſeiuncta eſſe non poſſunt. Philolaus Pythagoricus, depoſito corpore, homi- Philolaus.
nem Deum immortalem fieri, ait. Porphyrius negat aliter fieri beatum quemque poſſe, Porphyrius.
niſi relinquat corpus, & Deo coniungatur. Diuus Auguſtinus 12. de ciuit. cap. 1. Non eſt Auguſtinus.
creaturæ rationalis, ſiue intellectualis bonum, quo beata viuat, niſi ſolus Deus. Viuere
ergo Deo, de Deo, & ſumma eſt hominis beatitudo, & vltima illius perfectio.

Beatitudo quid ſit.

CAP. II.

Intellectualem, atque rationalem creaturam, beatitudinis eſſe capacem, eamq; naturaliter appetere oſtenditur.

*Aiunt nonnulli, Dei videndi, naturalem homini inſitam eſſe cupiditatem,
quòad illi eſt poßibile; ad impoßibile enim non fertur naturæ cupiditas.
Porrò, Deum intuitiuè videre, æquè viribus eſt naturæ humanæ, atque
angelicæ impoßibile, ac oculis noctuæ ad lumen ſolis. Itaq;, naturale eſſe
aiunt hominis deſiderium, deum ex effectibus intueri, non autem coram
videre, atque contemplari: verùm, ſi hæc ita ſe haberent; ſua certè perfectione ra-
tionalis creatura priuaretur, eſſetq; omnium miſerrima reputanda, quod eſt abſurdiſ-
ſimum, ne dicam impium, & impoßibile. Reuera, totum ens, in cuius cognitione ani-
mus quieſcit, eſt noſtri intellectus obiectum: illa autem cognitio, non vniuerſalis, ſed*
1. *particularis ſit, neceſſe eſt, alioqui perfecta cognitione careret, atque ita vltima ſui*
2. *perfectione priuaretur. Amplius, quod aliquo in genere eſt ſimpliciter perfectionis,
ſi inferiori illius generis competit; ſuperiori etiam eiuſdem competat, eſt neceſſarium
omninò. ſed ſenſui conuenit intuitiua cognitio; multò ergo magis intellectui conuenire*
3. *condecet. Adhuc, ſi intellectus eſt æternus, & incorruptibilis, erit ergo capax obiecti
æterni; eòq; magis capax, quò magis intelligibile fuerit perfectum: quoniam autem
anima eſt immortalis, vt in ſexto Pymandri dixi, poſt diſceßum à corpore, non erit pro-*
4 *fectò otioſa: ergo in aliqua operatione verſabitur, quæ profectò eſt perfecta dei cognitio;
non quidem per phantaſmatum abſtractionem, ſed intuitiua primi entis. Suam præterea
perfectionem, homo naturaliter appetit: hæc autem ad intellectum ſpectat potißimè:
intellectus verò, tunc eſt perfectus, cùm ſcilicet optimum capit intelligibile, atque circa*
5. *illud continuè verſatur. quare, ſi intellectus hoc vacaret actu intelligendi; natura abſq;
dubio, in ſuis actibus eſſet otioſa, quod eſt falſum. Iterum, vnaquæq; res ſuo appetit
coniungi principio, vnde illius manat perfectio. ſed deus eſt noſtri intellectus princi-
pium. ſi ergo ipſum non intelligeret; ſua proculdubio, perfectione, ſeu beatitudine*
6. *vacaret. Adde quòd deus ſit infinitus; omne verò creatum, finitum: anima autem eſt
dei imago, vtpotè, quia illius capax eſt; nihil ergo finitum, animæ explere poteſt deſi-
derium; ſemper enim inquietum eſt cor noſtrum, quouſq; in deo requieuerit. Quare, ſi
anima hac dei viſione priuaretur; eſſet vtiq; illius deſiderium inane perpetuò, atque in-
quietum: & ſic omnium creaturarum miſerrima. hæc autem, atque ſimilia, quoniam
factu impoßibilia ſunt, rectæq; rationi contraria; ſine dubio tenendum eſt, & pro com-
perto habendum, rationalem, atq; intellectualem creaturam vera eſſe beatitudine frui-
turam. Quoniam autem neceſſe eſt creaturam rationalem, atque intellectualem, ſua
perfectione fruſtrandam non eſſe, ne cæterarum eſſet infima creaturarum; & hæc qui-
dem pro comperto habere nos condecet. Iam beatitudinis obiectum inquirendum nobis
eſt, ex cuius profectò inquiſitione, duplex vtiq; nobis beatitudo innoteſcet. Sanè, ſi bea-
titudo eſt rationalis creaturæ finis perfectus, omnem prorſus eiuſdem ſatians atque ex-
plens appetitum: id autem obiecto, aut forma fieri intelligimus; profectò duplicem
inde emanare beatitudinem intelligimus: vnam quidem obiectiuam, alteram verò for-
malem. Obiectiua autem eſt ſummum bonum, in quo eſt requies & vltima inquirentis
perfectio. Ex hoc autem, bonum quoddam ſpirituale in mentem fluit contemplantis, quo
omnis illius expletur cupiditas: & hæc quidem formalis dicitur beatitudo, qua creatura
formaliter appellatur beata, ſicuti paries albedine albus. hæc autem in actu optimæ
potentiæ*

Homo eſt, capax beatitudinis.

Duplex beatitudo.

Obiectiua.

Formalis beatitudo.

Beatitudo quid ſit.

potentiæ conſiſtit, quo ſuo mens beatifico coniungitur obiecto: quod eſt ſumma creaturæ perfectio, qua ſuo connectitur fini, veluti circulus, & lumen à ſole dependens, aut flumina ad mare redeuntia, vel motus in eodem puncto. Cæterùm, prima beatitudo increata eſt, ſecunda verò creata, vtpotè qualitas, & habitus in prima ſpecie qualitatis.

Qualitas accidentalis.

Sanè, omnis creaturæ perfectio creata eſt, quia deus nullius eſt forma perfectiua. ſed beatitudo formalis, eſt perfectio creati: igitur eſt bonum creatum, & alicuius determinati generis; paucorum enim eſt hoc donum: ineſt autem, vt accidentalis qualitas, immutabilis tamen, idq́; diuinæ munere largitatis: quamuis enim accidentalis forma, atque ignobilis eſſe videatur; ex diuino tamen procedit lumine, ab eoq́; nunquam ſeparatur, atq; ideò optima, & puriſſima reputatur.

Obiectio.

Sed dicet aliquis, beatitudo eſt actus ſecundùm virtutem perfectus: non ergo eſt habitus; ille enim per actum perficitur, actus autem eſt in genere actionis.

Solutio.

Verùm, ad hoc ſic reſpondere poſſumus, beatitudinem ſcilicet purum actum non dicere; nam actus glorioſus ab aliquo planè habitu proficiſcitur: nec etiam habitum ſolum, ſed ſummam creaturæ perfectionem, quæ in continuo actu conſiſtit: vnde, & beatitudinem in iugi actu exiſtere dicimus, ſicuti eſt ſcientia, quæ in conſiderationis actu perpetuò verſatur. ex quo patet, habitum, ac deiformitatem, ipſam certè formalem beatitudinem principaliùs ſignificare. Cæterùm, obiectiua beatitudo, ſiue materialis, biſariam à nobis cognoſcitur, natura ſcilicet, & fide. Natura quidem, quatenus eſt illius principium, & author; fide verò, ſupernaturali, atq; gratuita cognitione.

Duplex cognoſcendi modus naturalis.

Ex quo fit, vt duplex quoque inde oriatur beatitudo: vna quidem naturalis, ſupernaturalis verò altera. naturalis autem, deum veluti principium naturæ clarè cognoſcit, atque amore naturali proſequitur, qua profectò donati ſunt angeli, vt poſtea dicemus, in primo ipſorum creationis momento, in quo quidem deum, vti naturæ authorem, atque parentem, & cognouerunt, & dilexerunt.

Supernaturalis.

alia autem beatitudo ſupernaturalis, & gratuita, deum & naturæ principium, & gloriæ profitetur largitorem, redemptorem, atque glorificatorem, idq́; duobus certè modis, imperfectè, atq; perfectè. perfectus autem modus in clara dei viſione conſiſtit: Hæc, inquit, Ioan: 17. eſt vita æterna, vt cognoſcant te deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Quæ iterum eſt duplex, nempè per modum tranſeuntis, & per modum permanentis. Prima autem iſtarum in Moſe inuenta eſt, Num: 12. & in Paulo Cor. 2. 12.

Beatitudo Pauli in raptu.

huiuſmodi verò beatitudo ſenſibus non vtitur humanis, præterquàm in Chriſto, qui ob hypoſtaticæ vnionis dignitatem, ſenſibus vtebatur humanis, & deo fruebatur. Porrò, ob rationem actus videndi, perfectæ beatitudinis nomen ſortitur, non ob rationem ſtatus videntis. vnde fit, vt homo mortalis, verè, ſummèq́; beatus eſſe non poſſit; deeſt enim illi immobilitas ſtatus, perfectaq́; continuatio. Alia verò, quæ imperfecta nominatur, in cognitione verſatur ænigmatica, nempe in ſpe, & virtutum habitibus atq; operibus, quæ profectò in meliorem vitæ ſtatum commutabitur, quum venerit id, quod perfectum eſt. De hac abundè ſcripturæ loquuntur: Beati immaculati in via: beati pauperes ſpiritu, &c. Perfecta autem beatitudo, eſt pleniſſimus actus intellectus atq; voluntatis; qui licet à cognitione incipiat, in amorem autẽ tranſiens, ſuam ſiſtit ſedem, ſuamq́; perfectionem acquirit, habens vtiq; ambroſiam & nectar, iuxta Platonis ſententiam.

Perfecta non fit oculis.

Cæterùm, hæc beatifica viſio corporeis oculis fieri non poteſt, quippè, cùm omnis potentia ab obiecto ſpeciem accipiat; obiectum autem viſus, eſt color, ſiue corpus, quæ deo aptari nullo modo poſſunt.

Iob. in carne mea.

Sed dicet aliquis, Iob 19. In carne mea, inquit, videbo deum ſaluatorem meum. verùm intelligendum eſt, de reſurrectione ibi Iob fuiſſe locutum, nec oculis corporeis ſe viſurum eſſe expreſſiſſe, ſed intellectuali potiùs intuitu, modoq́; videndi.

Ioannes.

Paulus.

De hac autem viſione locutus eſt Ioan: 3 1. Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt. Paulus 1. Cor: 13. Videbimus facie ad faciem, quod de facie corporali planè intelligi non poteſt: Nunc cognoſco ex parte; tunc cognoſcam, ſicut & cognitus ſum; ſed abſq; ſpecie

medioq́; ſimilitudinis nos deus cognoſcit: vnde ſanctis quoq; ſpiritibus atq; animabus id fuiſſe tributum, atq; tribuendum, firmiſſimè teneo. Quam ob cauſam Diuus Petrus 2. cap: 1. ait, nos effectos eſſe Chriſti beneficio diuinæ naturæ conſortes, quod ſanè fieri intelligimus, cùm deo immediatè vnimur. Porro, ſuæ beatitudinis cauſam neceſſariam deum eſſe theologi probè tuentur; cætera verò per accidens potiùs. At, Peripathetici, eandem fermè beatitudinis cauſam vtriſq; etiam attribuunt: vnde aiunt, deum eſſe immediatum medium beatitudinis effectiuum. Auerroes autem, Alexander, atq; Themiſtius, intellectum ſpeculatiuum medium eſſe volunt, ſine cuius adminiculo, intellectui creato deus nequaquam vniretur. ſed falſa eſt iſtorum ſententia; hoc enim modo in paucis ipſa inueniretur beatitudo. Præterea, huiuſmodi intellectum, quàmplurimi infames acquirere poſſent, atq; ita eſſent felices. Hanc ob cauſam virtutem heroicam, quæ eſt habitus in ſenſitiuo appetitu, quo intellectui rectè obtemperamus, beatitudinis medium nonnulli eſſe dixerunt. etenim, quia ex duabus conſtamus naturis; ideo perpetua lis eſt inter illas, atq; diſcordia. Porrò, quando intellectus plenum habet dominandi imperiũ, tùm temporis virtute potitur heroica, cuius declarator eſt intellectus ſpeculatiuus, quo anima fit capax beatitudinis percipiendæ. Cæterùm, qui aiunt, naturali neceſſitate beatitudinis cauſam deũ eſſe; rationalem certè animã, non niſi in corpore beatã eſſe fatentur, ſiue eam virtutis heroicæ potentia, ſiue intellectus ſpeculatiui induſtria aſſequatur; hæc enim omnia in corpore fiunt. verùm in hac vita perfecta haberi non poteſt beatitudo, cui deeſt perfecta ſecuritas, & plena heroicæ virtutis adeptio: hæc ergo vita non eſt perfectæ beatitudinis locus, ſed ſimulacrum potiùs & veræ beatitudinis imago. Ineſt autem beatitudo ipſi animæ, quatenus deo eſt coniuncta, quod ſanè amore & cognitione fieri dicimus, quæ profectò ad animæ potentias maximè ſpectant. Reuera, ſi per ſubſtantiam beatitudo animæ immediatè ineſſet; ipſa vtiq; abſq; cognitione & amore, beatitudinis bonum aſſequi poſſet, quod eſt falſum. Dicis, deus eſt intimior animæ, quàm ipſamet ſibi eſſe poſſit. Quoniam autem beatitudo influxus quidam eſt à deo in animam irruens; animæ verò ſubſtantia intimior ſit quàm potentia: in illam ergo priùs influit; influxus enim ille ab intimo proficiſcens, intimiora petit. Ad hæc autem ſic reſpondeo, verum quidem eſſe, illum ab intimo fluxum procedere; non tamen vt intimum conſeruans in eſſe naturæ, ſed vt obiectum eſſe gloriæ conſummans potiùs. Ex quo patet, potentiæ magis, quàm eſſentiæ proximiorem eſſe. Non ergo ſequitur, diuina eſſentia eſt intima: quælibet igitur ipſius influentia ſimiliter ſe habet. Quoniam ergo beatitudo potentijs priùs ineſt; amori certè priùs ineſſe, quàm cognitioni, clariſſimum eſſe puto. Etenim, beatitudo eſt ſummi boni fruitio, quæ voluntati ſubiectiuè ineſt; hæc ſanè arctiùs coniungit, nectitq; ſummo bono: præcipua ergo beatitudinis pars eſt amor, qui in voluntate conſiſtit.

Petrus.

Peripathetici reprehenduntur.

Virtus heroica.

Beatitudo ineſt animæ potentiis.

Obiectio.

Solutio.

Beatitudo eſt in amore.

1.

2. *Amplius, beatitudo eſt actus nobiliſſimæ potentiæ, & ex conſequenti, nobiliſſimæ virtutis. ſed nobiliſſima potentia eſt voluntas, cuius actus nobiliſſimus eſt charitas: ergo quod priùs; voluntas ſiquidem eſt regina in toto animæ regno,*

3. *terminatq́; intellectum, authore philoſopho 9. met. Reuera, libertas eſt præſtantiſſima animæ proprietas. ſed voluntas per eſſentiam, intellectus verò per participationem hoc dignitatis munere gaudet. ergo &c.*

4. *Adhuc, ſicut ſe habet actus ad actum; ita vtiq; potentia ad potentiam. ſed actus voluntatis, eſt nobilior actu intelligendi; fruitio enim eſt actus voluntatis. ergo.*

5. *Adde, cui debetur nobilior perfectio, illud profectò eſt nobilius reputandum. ſed nobilior perfectio, nempe charitas, volũtati debetur; intellectui verò, ſcientia: voluntas ergo nobilitate cæteris præſtat animæ potentijs. vnde fit, vt beatitudo, qui eſt actus nobiliſſimus, in ea potiùs ſita ſit, quàm in intellectu, ſiue in aliqua alia animæ potentia. Porrò, his ſolent nonnulli pluribus obuiare argumentis, atq; in primis talia obijcere. Illa potentia eſt nobilior, cuius obiectum eſt ſimplicius. ſed intellectus obiectum eſt ſimplicius, vtpote verum, quod eſt in mente; bonum verò eſt in rebus*

Quòd intellectus ſit nobilior voluntate

6. met.

6. met. quod eſt voluntatis obiectum: intellectus ergo eſt nobilior potentia. Amplius, ad quem pertinet viſio & cognitio; ad eundem planè attinet beatitudo: nam hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. ſed hæc intellectui conueniunt, non autem voluntati: ergo quod priùs. Adhuc, dirigens nobilius eſt directo: ſed intellectus eſt huiuſmodi; nam voluntas ex ſeipſa cæca eſt, & rerum prorſus omnium ignara, indigens dirigente: igitur intellectus eſt nobilior potentia, & ex conſequenti, beatitudo in illa potiſſimũ conſiſtit. Adhæc autem ita nonnulli reſpondere conſueuerunt. Ad primũ, argumentum aduerſus eoſdem militare videtur: nam voluntatis obiectum, vt ipſimet dicunt, eſt deus in ſe; intellectus verò, in patria obiectum, eſt deus in intellectu receptus. ſi autem primo modo deus conſideretur; ſimplicius vtiq; eſſe habere videtur: nam ſecundus modus multarum cùm relationum rationem, tùm etiam rerum aggregationem habet. Ad 2. in viſione abſolutè beatitudo non conſiſtit, ſed per concomitantiam fruitionis potiùs; viſio ſiquidem & complacentia, in qua perfecta fruitionis ratio inuenitur, ab inuicem ſeparari non poſſunt: viſio ergo ad fruitionem tendit. vnde Auguſtinus: Viſio eſt tota merces, cognitionem profectò non modò cognitiuam, ſed affectiuam potiùs demonſtrans. Ad 3. dirigens per modum cõſilij, ignobilius eſt dirigente, per modum imperij, cuiuſmodi eſt voluntas. Intellectus ſanè, inſtar ancillæ ſe habet, lumen ante ſuam dominam deferentis, cui conuenit dominio obedire reginæ imperantis. Quare, etſi voluntas in ſuum opus, ſine intellectus actu, ſiue auxilio egredi non valeat; ex hoc tamen nobilior dici non poteſt: ex viſione enim, in vidente viſus recipitur, ſed mutua penetratio atq; coniunctio, ſit per amorem videntis: beatitudo ergo hominis, in ſummæ veritatis cognitione, ſummæq; bonitatis delectatione, atque dilectione, deniq; in æternæ intentione iucunditatis conſiſtit atq; verſatur. veritatis autem cognitio ad intellectum; bonitatis verò delectatio, ad voluntatem; æternæ autem iucunditatis intentio, ad memoriam ſpectat. Quid ergo ſit beatitudo, & quotuplex, atq; in quibus animæ potentijs conſiſtat, hæc dixiſſe ſufficiat, quærẽti ex animo beatitudinem conſequi.

2. 3. Solutio. 1. 2. 3. In ſola viſione non conſiſtit beatitudo.

CAP. III.

Angelorum beatitudo ante confirmationem.

QVoniam, vt diximus, beatitudinem eſſe vltimam rationalis, ſeu intellectualis creaturæ perfectionem, quam ſua ſponte quælibet creaturarum deſiderat, neceſſarium nobis eſſe puto deſcribere; quonam modo ad beatitudinem creatura pertingere poſſit, virtute forſitan naturæ, an ſuperiori gratiæ largitate? Profectò, ſi naturæ officio atq; poteſtate id haberetur; eſſet abſq; dubio creatura naturaliter beata, quod planè de perfecta beatitudine intelligi non poteſt: illa enim viribus tantùmmodo naturæ acquiri non poteſt. Præſtat ergo, quæ priùs tetigimus confirmare, nempe duplicem eſſe beatitudinem: vnam quidem, quam naturæ viribus aſſequi poſſumus, quam angelis in ipſorum creationis initio attribuere valemus, quippè, quum ob ipſorum naturæ dignitatem, abſq; motu diſcurſiuo, illius poſſeſſores extiterint: alteram verò ſupernaturalem, quam diuinæ munere gratiæ conſequuti ſunt. Itaq;, angeli ab ipſorum creationis principio, naturali beatitudine gaudebant; diuinæ ſiquidem eſſentiæ repræſentatiua ſpecies illis inerat, ex qua abſtractiuam dei notitiam, eiuſq; dilectionem cõſequuti ſunt. Porrò, huiuſmodi cognitionem & dilectionem beatitudinem appellamus naturalem. Reuera, quamuis ab initio intuitiuam illis deus concedere potuerit beatitudinem; iuſtitiæ tamen illi viſum eſt magis eſſe conſentaneum, & ad ſummam illorum gloriam fore, proprijs meritis eſſe parandam, quàm à principio gratis accepiſſe. Habuerunt ergo angeli à principio beatitudinem naturalem, hoc eſt, ſtatum omnis mali exper-

Duplex beatitudo. Naturalis beatitudo angelorum.

beatitudo *li expertem; non tamen omnis boni aggregatione perfectum: conditi ſiquidem ſunt in-*
Auguſt. de beatitudine angelorum. *nocentes atq; impaſsibiles, vnde & beatitudinis donum à ſua creatione, authore Augu-*
ſtino de fide ad Petrum, diuinitus acceperunt. Et in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus
ait, angelos, qui in illa, qua creati ſunt beatitudine perſeuerant, quòd non mutentur, id
natura non poßidere, ſed dono potiùs cœleſti. Et in lib de ciuit: 11. cap: 13. ait, omnes an-
gelos æqualis beatitudinis ab initio conditos fuiſſe, ſicq; manſiſse, quouſq; iniqui ab æter-
næ veritatis lumine deſciuerint, in quibus perfecta eſſe non poterat beatitudo, ob caſum
ſanè futurum; qui verò remanſerunt, quoniam de eorum beatitudine certi non erant, æ-
terna profectò in eis felicitas ſeu beatitudo eſſe non poterat. Reuera, ſi authore Augu-
Diligere Deũ ſuper omnia. *ſtino de fide ad Petrum, tales deus angelos condidit, vt deum propter ſe diligerent, eti-*
am ſuper omnia; quod planè perinde eſt, ac dicere, velle deo maius bonum, quàm cuili-
bet creaturarum, & concupiſcentiæ, & amicitiæ amore: beatitudo autem eſt, Deo per
amorem coniungi; exploratum omninò atque firmum eſse video, angelos ab initio na-
turali potitos fuiſſe beatitudine. Sanè, quemadmodum deus fecit hominem rectum; ita
etiam & angelum: ad naturæ autem rectitudinem ſpectat, diligere deum ſuper omnia;
rectitudo enim mentis eſt amor, qui planè vera rectitudine vacaret; ſi aliquid ſupra de-
um, aut æquè vt deum diligeret. Adde, quòd recta dilectio dicenda non eſt, quæ ad na
turalis rationis dictamen conformitatem non habet. ſed naturalis ratio dictat, deum ſu-
per omnia eſſe diligendum, vt ſummum & optimum bonum: ergo quod priùs. Hæc qui-
Quomodo meruerunt beatitudinem. *dem de naturali beatitudine ſint dicta. Iam operæpretium eſt quærere, quonam modo*
ſupernaturalem beatitudinem attigerint, ſi illam meruerint, an præmium ante meritum
habuerint, vt nonnulli dicere videntur, quod certè quibuſdam minimè probatur. Etenim,
1. *ſi homo conditus non fuiſſet; angeli nihilominùs ſuam beatitudinem meruiſſent, vtpotè,*
qui ab hominibus non dependent: non ergo propter futura obſequia hominibus exhibē-
2. *da, ſuam ſibi angeli beatitudinem parârunt. Præterea, actus intrinſecus, etiã ſine quo-*
piam extrinſeco, poteſt eſſe meritorius. Quare, actus angelicus, abſq; extrinſeco homi-
3. *num obſequio, ſuam mereri potuit beatitudinem. Adde, quòd ſi res ita ſe haberet; homo*
ſibi mereri poſſet gratiam primam, ex futuro liberi arbitrij vſu, quod eſt falſum. Itaq;,
angelorum meritum duratione præceßit præmium, vt legitimus ſeruaretur iuſtitiæ ordo
Principium meriti. *atq; retributio. Sanè, omnis naturæ perfectio, quæ naturæ additur, vt illius finis, & per-*
fectio vltima, propria naturæ operatione acquiritur. ſed beatitudo eſt omnis creaturæ
rationalis vltima & completa perfectio, ſoliq; deo naturalis: propria ergo naturæ ope-
ratione eſt paranda. Cæterùm, quia huiuſmodi beatitudo ſuperat naturæ potentiam;
1. *abſq; dubio ope indiget ſuperna, vt ſuum finem attingere queat: priùs ergo auxilium*
gratiæ recipit, quàm ſuam mereatur habere beatitudinem. Profectò, idem ſimul muta-
2. *biliter atq; immutabiliter non poteſt velle voluntas: cùm autem præmium recipit, illud*
certè immutabiliter recipit atq; acceptat: quando verò eſt in actu merendi, contingen-
ter elicit actum: præmium ergo natura poſterius eſt merito. Sanè, diſpoſitio illud præ-
cedit, ad quod eſt, ſicuti etiam via terminum. ſed meritum eſt diſpoſitio, & quædam, vt
3. *ita dicam, via beatitudinis obtinendæ. Ergo. Amplius, non priùs facta eſt angelorum*
diuiſio, quàm fuerit actuum ipſorum facta diſsentio; quilibet enim angelus aliquando
fuit in gratia, ſiue in inſtanti creationis, ſiue poſt illud inſtans; nam omnes angeli cre-
ati ſunt vniformes. proinde in illo inſtanti, in quo boni angeli beatitudinem meruerunt,
in eodem planè rebelles demeruerunt. Viæ ergo decretæ æqualis fuit omnibus mora me-
rendi demerendiq;. Ex quo patet, angelorum meritum, ipſorum præmium præceßiſſe.
Ex his autē apparet tres moras, ſiue momēta, angelis à ſanctis doctisq; viris nō temerè
Tres moræ angelorum. *fuiſſe tributa, & in primo quidem omnes in eadem gratia conſtitiſse: in ſecundo verò, bo-*
nos meruiſſe, demeruiſſe malos: in tertio autem, omnes in termino fuiſse, ſiue ad termi-
num deueniſſe. Iſtæ autem moræ non fuerunt diuerſa temporis inſtantia, vt quidam di-
cunt ſed

 Angelorũ beatitudo

cunt, ſed nunc potiùs & cui; prima ſiquidem mora, inſtanti reſpondet temporis noſtri:
ſecunda verò tempori, quod inſtans conſequitur, nempè continuo; angeli enim rebelles
pluribus diuerſarum ſpecierum vitijs infecti ſunt, idq́; vnus poſt alterum, non pariter
omnes: in tota autem hac mora, qui in his actibus agebant, erant vtiq; in via. Etenim, ſi
vnum tantùm inſtans extitiſſent, in quo boni meruerunt, mali verò demeruerunt; in cœ
lo vtiq; nullum fuiſſet bellum commiſſum, nec vlla victoriæ laus atq; triumphus, quod
omnibus modis ſanctis aduerſatur ſcripturis. Porrò, tertia mora tempori, in quo & bo-
nis tributa ſunt præmia, & malis debita tormenta, correſpondere videtur. Itaq́;, angeli
ſuam meruerunt beatitudinem, priùs quàm illam reciperent, idq́; ex diuinæ gratiæ be-
nignitate, atq; nobiliſſima ipſorum natura, quæ multo tempore non indigent in operan-
do. naturalem autem beatitudinem, quæ eſt per ſpeciem diuinæ eſſentiæ repræſentatiuã,
& conſequentem dilectionem, ab initio poſſederunt. Quoniam igitur meritum meretur Meritum præ
præmium, & eſt via ad finem atq; terminum: ei autem, qui eſt in termino, non conue- cedit præmi-
nit moueri ad terminum; nullus enim meretur, quod iam habet. Actus præterea liberi um.
arbitrij, ſine gratia vltimæ perfectiſſimæq́; non eſt beatitudinis capax, neq; vtraq; ſi-
mul gratia ornari poteſt, nempè gratia merendi, vtpotè imperfecta; & gratia perfe-
cta, quæ eſt fruitionis, ſiue fruendi principium: meritum ergo angelorum, præmium i-
pſorum præceſſiſſe, & rectæ conuenire videtur rationi, & ſanctis ſcripturis eſſe conſen-
taneum: ſimul enim, & ſemel frui, atq; ſuam fruitionem mereri, eſt impoſſibile. Me- Simul frui &
ruerunt itaq; angeli ſancti, poſt primum charitatis actum, ſuam beatitudinem; gratia mereri, eſt im
ſiquidem, ſecundùm modum naturæ, ipſam certè perficit naturam. Quoniam autem il- poſsibile.
lorum beatiſſima natura, multis non eget diſcurſibus in merito acquirendo; illico poſt a-
ctum, mirabili charitate formatum, perfectiſſimæ beatitudinis facti ſunt participes, &
diuinæ quodammodo naturæ conſortes. Hæc quidem dicuntur à nonnullis, ſatiſq; probe- Obiectiones
biliter, quæ tamen alijs non probantur; imò ita in ea inſurgere conſueuerunt: Si, inqui- 1.
unt, res ita ſe haberet; nullus ergo angelorum damnationis pœnæ eſſet ſubiectus, quippè,
cùm quilibet ipſorum beatitudinẽ, vnico meruerit charitatis actu. Angelum præterea, 2.
ex vno naturæ actu, naturalem conſequi perfectionem, eſt impoſſibile: multò ergo mi-
nùs ſupernaturalem beatitudinem ex vnico charitatis actu conſequetur. Adde, quòd 3.
præmium datur ſecundùm legem præmiantis; lex autem præmiantis dei eſt: vt qui per-
ſeuerauerit vſq; in finem, hic ſalutem conſequatur. Niſi ergo vſq; in finem viæ quiſq; an-
gelorum meruerit, etiamſi vnico actu priùs meritum paraſſet; adhuc tamen beatitudi-
nem non conſequetur. Ad hæc ſic reſpondere poſſumus ſecundùm aliquorum ſententi- Solutio
am: poſt primum actum quidem meritorium, mox angelos fuiſſe in viæ ipſorum termi-
no, ideoq́; poſt illum actum beatitudinem fuiſſe conſequutos; nec mirum, cùm gratuita,
ſecundùm naturam dignitatem capacitatemq́; diſpenſentur. Quoniam autem natura an-
gelica eſt nobiliſſima; idcirco dona ſibi tributa illico ad terminum deduxit, idq́; vnico
charitatis actu. Porrò, hæc quidem ſententia ſatis videtur rationi conſentanea, quæ ange-
lorum naturam mirificè commendat; altera verò, ſacris ſcripturis conformior apparet,
quæ angelorum bellum clariſſimè deſcribunt: vtra autem iſtarum ſit magis eligenda te-
nendaq;, deus ſcit, qui omnia fecit in pondere & menſura. Itaq́;, angelos ab initio beati-
tudinem habuiſſe naturalem, ſupernaturalem verò, proprijs meritis nactos fuiſſe, dixi
ſatis quærenti, non oppugnanti veritatem,

CAP. IIII.

*Angelos fuiſſe ante confirmationem beatos, pro-
prijs verò meritis beatitudinem conſequutos
non eſſe, argumentis oſtenditur.*

Angelorũ beatitudo

1. NAtura angelica nobilior eſt natura corporali, vtpotè, quæ deo & vicinior
ſit natura nobilitate, & conformior operis dignitate. ſed creatura corpo-
ralis ab initio ſuæ creationis condita eſt perfecta, nec vlla in ea præceſſit
informitas formationem tempore, ſed natura tantùm, authore Auguſtino
primo ſuper Geneſ: ad lit. igitur natura angelica ab initio cõdita fuit per-
fecta, & ex conſequenti beata; eius enim perfectio atq; formatio, ex beatitudine ſine
dubio proficiſcitur. Sanè, ſecundùm eiuſdem authoris ſententiam, quæ in operibus ſex di
erum leguntur, ſimul facta eſſe affirmat, idq; à principio creationis rerum. at, in illis
ſex diebus, mane, ipſo teſtante, angelica fuit cognitio, ſecundùm quam, & verbum, &
res in verbo cognouerunt; ſed talis cognitio, ad ſummam perfectamq; ſpectat beatitu-
2. dinem: beati ergo ab initio ſuæ creationis angeli extiterunt. Amplius, angeli à primo
inſtanti fuerunt beati beatitudine naturali, & ſupernaturali: igitur. etenim efficacior
eſt atq; præſtantior ſupernaturalis beatitudinis cauſa effectiua, quàm cauſa efficiens na
turalis beatitudinis; angeli ſiquidem in primo inſtanti habuerunt, vel habere potue-
runt, cùm intellectum perfectum, tùm etiam voluntatem ſimiliter, atq; obiectum vtriſ-
3. que præſens: igitur in primo inſtanti fuerunt, vel eſſe potuerunt perfectè beati. Ad-
huc, angeli boni in primo inſtanti fuerunt in gratia, Auguſtino teſte 13. de Trinit. cap. 9.
Deus, inquit, ſimul condidit angelorum naturam, & largitus eſt gratiam: igitur in pri
mo fuerunt perfectè beati. Tenet conſequentia: angelus enim ſine diſcurſu ſuam perfe-
ctionem aſſequitur naturalem, præuia diſpoſitione naturali præmiſſa: accedente ergo
diſpoſitione ſupernaturali, nempe diuina gratia, illico ſuam eſt conſequutus beatitudi-
4. nem. Amplius, mali angeli ab initio fuerunt miſeri. vnde Ioan: Ille homicida eſt ab
initio, & in veritate non ſtetit. Et Iob: Hoc eſt initium figmenti eius &c. Auguſt: quoq;
ſuper Geneſ: lib: 2. cap: 8. idipſum tueri videtur: igitur angeli boni ab initio fuerunt
5. perfectè beati. Item, quòd angeli proprijs meritis beatitudinem non acquiſierint, ma-
ius præmium ſecundùm rectam quidem rationem, maius meritum expoſtulat. ſed in an-
gelis eſt maior gloria, præmiumq; glorioſius quàm in hominibus, qui diuturna atq; lon-
giſſima temporum aſſiduitate beatitudinem illam ſibi parauerunt: maius ergo meritũ
angelis eſt neceſſarium, quod planè parua temporis morula haberi non poteſt. Angeli
ergo ſuam beatitudinẽ non meruerunt. Sanè, ſi ex obſequijs, quæ erant hominibus præ-
ſtituri, aliquid præmij ſunt angeli recepturi, ſi præmium non datur ante exhibitum me-
ritum; ſpes autem quæ differtur, affligit animam: angeli ergo eſſent miſeri reputandi,
quippè, qui tanto tempore caruerint iuſta mercedis retributione, perfectaq; beatitudi-
6. ne. Amplius, actus meritorius eſt circa difficile. ſed cui ineſt bona voluntas ad bene
agendum, nulla ineſſe poteſt difficultas bene operandi. angelis autem eſt naturalis ta-
lis operatio; naturalibus verò non meremur: nullum ergo angeli meritum, ſupernatu-
ralem meruiſſe beatitudinem, multum videtur eſſe probabile.

CAP. V.

Soluuntur Argumenta.

1. AD primum, quamuis natura angelica ab initio ſuæ creationis omnem habu
erit perfectionem, ſuæ conuenientem naturæ; non eſt tamen à principio
eam aſſequuta, ad quam ſuam per operationẽ erat tandem peruentura; ſed
ad illam diuinitus adiuta peruenit. Creatura præterea corporalis, à ſuæ cre
ationis principio, non omnem prorſus eſt perfectionem ſibi poſſibilem aſ-
ſequuta, ad quam per ſuam potuit operationem pertingere; germinatio enim plantarũ
ex terra, non ſtatim fuit in primis operibus, in quibus, authore Auguſtino, terra data
eſt ſola

 Angelorũ beatitudo

eſt ſola virtus germinandi. ex quo patet totum argumentum falſum eſſe atq; erroneum. Ad confirmationem dico, angelum duplicem habere verbi cognitionem: vnam quidem naturalem, ſupernaturalem alteram, ſiue glorioſam. Porrò, naturali cognitione, verbũ per eius ſimilitudinem, in ſua relucentem natura cognoſcit; glorioſa verò, verbum per ſuam eſſentiam intelligit ſiue cognoſcit: vtraq; autem res in verbo cognoſcit; differenter tamen, vtpotè, prima quidem cognitione imperfectè; perfectè verò, ſecunda, quæ matutina cognitio dicitur, affuitq; poſt conuerſionem beatis illis ſpiritibus, prima autẽ ab ipſorum creationis principio. Ad 2. quamuis deus ſit cauſa efficacior, quàm cauſa naturalis; quia tamen reſpectu beatitudinis angelis exhibendæ proprio voluntatis arbitrio agit; non fuit certè neceſſe, vt ab initio beatitudinem illis conferret. Ad 3. dubium eſt, vtrum angeli ab initio conditi fuerint in gratia, gratum faciente. Quòdſi quiſpiam id verum eſſe dixerit, neq; in dubium vocari oportere; non ob id tamen conſequentiam veram eße cenſeo: illa enim gratia in fieri tantùm quædam eſſet diſpoſitio, ad beatitudinẽ ſupernaturalem neceſſaria, non autem in facto eſſe. Porrò, huius beatitudinis diſpoſitio, reſpectu quidem beatitudinis ſimpliciter, actus eſt meritorius, ideoq; ſimul angelo ineſſe non poßunt. Ad 4. malum angelum ab initio ſuæ creationis non fuiſſe, conſtat ſatis; ſed ab initio temporis, ſeu ſuæ inuidiæ, qua hominem peremit: nam ſi ab initio ſuæ creationis cecidißet; nunquam profectò in veritate ſtetiſſet, quod tamen ſcriptura conſtanter affirmat. Iuſtitiæ præterea non congruit commutatiuæ, viatores pro toto ſtatu viæ, actus elicere æquales, vnumq; præmium in termino accipere, alterum verò, eodem præmio vacare: vnus ergo actus meritorius, non eſt ſatis ad opus ſupernaturale acquirendum, vt quidam dicunt. Ad 5. maior beatitudo non eget maiori merito, hoc eſt, maiori meritorum pluralitate; ſed maiori potiùs conatu voluntatis, actusq; intenſione, vnde meritum maius minusq; nominatur. Patet ergo maius præmium, maiore non indigere tempore; ſed maiori ſanè dilectione, actusq; puritate. Ad confirmationem dico, angelos beatitudinem habere eßentialem, ex proprijs meritis, nihilq; in futurum eſſentialis meriti præſtolari. Quod autem per obſequia exhibita illis acciderit, accidentale appellari, ideoq; impedimento illis eſſe non poſſe, quominùs ſupernaturali potiri nõ poßint felicitate. Ad 6. præcipua ratio meriti, non eſt difficultas operis, ſed conatus voluntatis: vbi enim maior eſt conatus cæteris paribus; inibi maius quoq; inueniri meritum credendum eſt: hoc profectò angelis infuiſſe dubium non eſt, vnde & maius illorum extitit meritum. Ad confirmationem dico, mereri nos naturalibus, id eſt, his, ad quæ naturales potentias habemus. Quomodo ergo angeli meruerint ſuam beatitudinem, hæc dixiſſe puto ſufficere. Sed dicet aliquis, nunquid angeli beati, in beatitudine proficere poſſunt? Ad quod quidem dicimus, creaturam rationalem habere certam atq; determinatam beatitudinem, certumq; atq; præfixum beatitudinis modum, ſuæ naturæ conuenientem; quoniam autem illa eſt finita, finiti quoq; eſt modi: etenim, quemadmodũ beatitudo in ipſa viſione conſiſtit; ita etiam beatitudinis gradus, in certo viſionis modo, ad quem, velut ad vltimum finem à deo perducitur. Summa ſanè veritas ab omnibus beatis ſecundùm diuerſos gratiæ gradus conſpicitur, idque ex intentione dirigentis in finem. Quamuis enim rationalis creatura ad videndam diuinam producatur eſſentiam; non tamen licet aſſerere, ad ſummum viſionis modum, qui eſt comprehenſio, eſſe productam: ille ſiquidem modus dei eſt ſolius, quippè, qui cùm ſit infinitus, infinitè intelligit infinitam eßentiam. Itaq;, quoniam angeli ad determinatum beatitudinis gradum attigerunt, altiorem certè aſcendere nequeunt. Sed obijcit aliquis, in beatis angelis eſt perfecta charitas: ſemper igitur merentur, & ex conſequenti, maiores indies beatitudinis gradus accipiunt; charitas enim eſt principium merendi, vnde ſine merito eſſe non poteſt. Præterea, Deus vtitur angelis, tanquam adminiſtratorijs ſpiritibus, authore Paulo ad Hebr: 1. idq; ad bonitatem ſuam oſtendendam, atq; ad angelorum vtilitatem, qua profectò fru-

[Right margin notes, in order: Cognitio matutina. — 2. — 3. — 4. — 5. — 6. — Maius meritũ in quibus cõſiſtit. — Si angelus in beatitudine poſsit proficere. — Summus viſionis modus excedit limites creaturæ. — Obiectio. — 1. — 2.]

fectò fruſtrarentur, ſi ampliorem, quàm modò habent, ſuſcipere non poſſent beatitudi-
3. *nis gradum. Deniq; imperfecti eſt, non poſſe ampliùs proficere, eius præſertim, qui ſum-*
mum perfectionis gradum non obtinet. Ne ergo iſta abſurda ſequantur, videtur fieri poſ-
Solutio *ſe, quòd beati angeli maiorem beatitudinis gradum acquirere valeant. Verùm ad hæc*
1. *ita reſpondere valemus. Ad primum quidem illud verum eſſe, de charitate imperfe-*
cta, quæ in via habetur, cuius intereſt mereri atq; augeri, vt aucta mereatur perfici,
non autem de charitate patriæ, ad quam ob ſuam perfectionis nobilitatem, frui potiùs
2. *ſpectat præmio, quàm ipſum mereri. Ad 2. Miniſteria angelorum proſunt ipſis ange-*
lis, non quidem ad maiorẽ eſſentialis atq; ſupernaturalis beatitudinis gradum habendũ,
quum ille augeri non poſſit; ſed ad accidentalem aliquem, vt dixi, beatitudinis gradum.
3. *Ad 3. quamuis angeli beati in ſimpliciter ſummo non ſint beatitudinis gradu; vltimum*
tamen obtinent ipſorum naturæ conuenientem: proinde illorum gaudium, eſſentiale au-
gmentum non nouit. Quòd autẽ gaudere dicantur angeli, de peccatore pœnitentiam a-
gente, Luc: 15. ad illorum profectò pertinet præmium accidentale: illud verò ex ipſo-
rum beatitudinis virtute nanciſci eos dicere poſſumus. Quomodo ergo angeli in maiori
beatitudinis gradu eſſe nequeant, iam dixi.

CAP. VI.

Angelis fuit neceſſaria gratia, vt beatitudinem conſequi poſſent.

Gratia eſt principiũ meriti. *QVoniam naturalis voluntatis motus eorum omnium, quæ volumus, principium eſſe dicitur, naturalis autem inclinatio voluntatis, ad id ſuaptè natura fertur, quod eſt ſuæ naturæ conſentaneum; hac de cauſa, ad id, quod ſuas ſuperat naturæ vires ferri non poteſt, niſi cœlitus fuerit attracta atq; adiuta. Cùm igitur videre deum per eſſentiam, omnes prorſus vincat creatas potentias creaturarum: nulla ergo creatura rationalis, ad illam ſupernam veramq; beatitudinem motum habere poteſt ordinatum, ſi mota non fuerit à ſupernaturali agente, quod quidem diuinæ auxilium gratiæ appellamus. Itaq;, angeli pro beatitudine huiuſmodi obtinenda, diuinitus adiuti ſunt, quod reuera ſacris conſonat ſcripturis, quæ omnis meriti principi-*
Gratia dei vita æterna. *um diuinam gratiam eſſe profitẽtur: Gratia dei, inquit Paulus ad Rom: cap: 6. vita æterna: Poterat quidem dicere, ait Auguſtinus, merces bonorum operum, vita æterna. ſed maluit ſic loqui; quia ſcilicet principium omnis meriti eſt gratia. Item ad Cor: 1. capit: 4. Quid habes, quod non accepiſti? quod reuera non modò hominibus, ſed ipſis etiam angelis conuenire cenſeo; ſiquidem omnis creatura in ſuo conſpectu gloriari non debet: ſed qui gloriatur, in domino glorietur, à quo omne bonum, & ſine quo nullum eſt,*
Gratia gratũ faciens. *aut eſſe poteſt meritum. Itaq;, ſi angeli beatitudinem, ſine gratia, gratum faciente, meruiſſent; in hoc profectò abſurdũ nos incidere oporteret, vt aliquod meritum eſſe fateremur; & quidem vitæ æternæ, ſine gratia gratum faciẽte, quod eſt apertiſſimè falſum. Reuera, gratia gratum faciens, inſtar rationis ſeminalis in natura, ad effectum naturalem ſe habet ad beatitudinem ſupernaturalem. vnde, quemadmodum in natura effectus naturalis, abſq; auxilio rationis ſeminalis produci non poteſt; ita etiam ſupernaturalis*
Secundùm rationem naturalium, gratiã angeli conſequuti ſunt. *beatitudo, abſq; gratia gratum faciente, conceditur nemini. Patet ergo, quemadmodum beatiſſimis illis ſpiritibus neceſſarium extiterit diuinæ gratiæ auxilium, pro beatitudine, vltimaq; illorum perfectione obtinenda. Rationi præſertim quàm optimè conuenire video, non vnum eundemq; gratiæ gradum omnes angelos accepiſſe, quippè cùm naturæ gradus in angelis diuerſi eſſe videantur ſiue intelligantur. Porrò, cui ineſt maior na-*

turæ no-

 Angelorũ beatitudo

*turæ nobilitas atq; puritas, eidem & maiorem gratiam, gratum facientem, & exinde
maiorem gloriam ſeu beatitudinem ſupernaturalem, ineſſe dicimus atq; affirmamus. In
hoc planè multiformis elucet ſapientia dei, quæ ſe ita mirificè beatiſsimis illis ſpiritibus
communicauit; & angelicæ quoq; nobilitas naturæ, quæ non ſicut noſtra ex diuerſis cõ-
ſtat naturis, quibus altercantibus, bonum quod volumus perficere non poſſumus; ſed ex
vna tantũ pacifica atq; tranquilla, in qua lis vnius ſiue contentio, alteri impedimẽto eſſe
nõ poteſt, ſicuti in nobiſipſis huiuſmodi pugnã frequenter experimur, in quibus intel-
lectus dominiũ ab hoſtibus peſsimis, nempè ab indomitis ſenſibus, & perturbatur, & in-
terdũ vincitur & debellatur. ſimile quiddam hominibus accidere videmus: nam quibus
maior gratia præſtatur; eiſdem certè maior quoq; gloria debetur, atq; nobilior conuer-
ſio extat, & efficacior dilectio. Sed arguet aliquis ad ea, ad quorum exequutionem cõ-* Obiectiones.
plendam, naturalem habemus potentiam: Non opus eſt nobis gratia, gratum faciente, 1.
*vt patet. ſed angeli naturalem habere videntur potentiam ſeſe conuertendi ad Deum:
non ergo pro ipſorum conuerſione complenda, putandum eſt gratia iuſtificante illos in-
diguiſſe. Sanè, in his egemus diuinæ gratiæ adiutorio, quæ nobis ſunt difficilia; ſed ita
non ſe habet beatitudo ad angelum: ergo quod priùs. Amplius, conuerti ad deum, pe-* 2.
*rinde eſt ſeſe ad gratiam præparare: Conuertimini ad me, inquit Zachar: 1. & ego con-
uertar ad vos. ſed nobis non opus eſt gratia, vt ad gratiam præparemur, alioqui eſſet a-
bire in infinitum: angeli ergo pro ipſorum conuerſionis perfectione, gratia non indigu-
erunt, gratum faciente. Amplius, ſecundùm ſuorum naturalium capacitatem, homini-* 3.
*bus gratia non datur: nec ergo angelis; quàmplurimis enim hominibus maior gratia cõ-
fertur, quàm multis etiam non eſt angelis collata, quorum naturalia nobiliora ſunt ho-
minum naturalibus: non ergo gratia ſecundùm proportionem naturalium confertur an-
gelis atq; hominibus. Huic accedit, gratiam ex mera dei voluntate dari: non ergo ſecun
dùm naturalium quantitatem capacitatemq;. Adde, gratiæ, actum humanum natura
propinquiorem eſſe; actus enim humanus eſt præparatorius ad gratiam. ſed gratia non
eſt ex operibus, authore Paulo 11. ad Rom. multò ergo minùs in angelis, gratia gratum
faciens, ex naturalium conſideratione dependet, vt ſecundùm illorum portionem atque
menſuram ſit tribuenda. Porrò, ad hæc atq; ſimilia ita reſpondere valemus, & ad pri-* Solutio.
mum quidem dicimus, Deum, vt eſſe naturalis principium ab angelis naturaliter dili- 1.
*gi, de qua planè dilectione nõ noſtra eſt inquiſitio; ſed de conuerſione potiùs ad Deum,
qua beatitudinem beatiſsimi illi ſpiritus conſequuti, quæ, vt diximus, ex naturalibus
aſſequi non poterant. Ad confirmationem dico, angelo eſſe difficile ad deum conuerti,
quatenus ſcilicet beatitudo ſupernaturalis, à viribus purè naturalibus haberi non poſsit.
Ad 2. Quilibet voluntatis motus in deum, in ipſum conuerſio dici poteſt. Proinde,* 2.
triplicem in deum conuerſionem ſtatuere poſſumus: vnam quidem perfectam, vtpotè à Triplex conuerſio.
*perfecta dilectione manantem: & hæc ſanè creaturæ eſt iam deo fruentis, pertinetq; ad
gratiam conſummatam, quippè, cùm ibi ſit ſtatus, & non ſit neceſſe in infinitum profi-
ciſci. Hanc angelos beatiſsimos pleniſsimè poſsidere approbamus, eamq; diuinitus adiu
tos, ſibi comparaſſe dicimus. Secunda verò eſt, beatitudinis meritum, cui competit gra
tia habitualis, quæ eſt merendi principium. Tertia autem præparat ſe ad gratiam ha-
bendam; huic certè opus eſt, non aliqua gratia habituali, ſed dei potiùs operatione, ad
ſe animam conuertentis: quemadmodum gemit Ieremias Tren: vlt. Conuerte nos Domi-
ne ad te, & conuertemur. Ad 3. negatur ſimilitudo: hominibus enim non tota ſemper* 3.
*gratia confertur ſimul, quam ipſi ſunt habituri; ſed paulatim poſt primam, meritorum
numero cumulantur. Deus præterea, ſuo ex beneplacito multis potuit, & voluit, homi-
nibus maiorem gratiam tribuere, quàm vnquam tribuerit angelis. Sanè, maior eſt Dei* Mariæ gratia, excedit gratiam angelorũ.
*gratia in virgine matre, quàm in aliquo alio angelorum. Item, gratia hominis Chriſti o-
mnes facilè ſuperat, omnia gratiarum munera, quæ in illis beatiſsimis ſpiritibus, & ſunt,*

 & eſſe

& eſſe creduntur. Ad confirmationem dico, verum quidem eſſe, gratiam ex mera dei liberalitate, angelis, hominibusq́; concedi, & naturam etiam. vnde, quemadmodũ dei liberalitas, angelorum hominumq́; naturam ordinauit ad gratiam; ita etiam & gradus naturæ, ad gradus gratiæ diſpoſuit. Ad aliam confirmationem reſpondeo, actus quidem rationalis creaturæ, ab ipſa planè creatura proficiſci; naturam verò eiuſdem immediatè ab ipſo deo: quamobrem gratia conceditur ſecundùm gradus naturæ, præſertim beatiſsimis ſpiritibus, quibus nõ opus fuit diutiſsimè immorari, atq; laborare, vt beatiſſimum perfectiſsimumq́; felicitatis donum conſequerentur. Quomodo ergo angeli gratiam conſequuti ſunt & gloriam, dixi.

QVAESTIONIS SEPTIMAE. CAP. I.

De cuſtodia ſanctorum Angelorum.

QVemadmodum ad ampliſsimam, ſanctiſsimamq́; dei pertinet prouidentiam, vt mobilia, ac varietati obnoxia, ab immobilibus atq; immutabilibus regantur; ita planè, vt ſubſtantiæ ſpirituales, corporibus coniunctæ, nempe homines, humanis infirmitatibus ſubditi, à ſanctis ſpiritibus, ab omni rerum corruptione, miſeriaq́; liberrimis, gubernentur, dei prouidentiam mirificè commendat.

Plato de cuſto dia angelorũ.

Hoc Plato cùm intelligeret, angelorum cuſtodiam, ſolicitudinem, curamq́; perpetuam, quam erga homines gerunt, in quarto de legibus clariſsimè docet, ſicut etiam annotauimus in hoc ſecundo Pymandri:

Angelorum cura erga homines.

Principatus quidam, inquit, & gubernatio ſub Saturno valde felix fuiſſe dicitur. Is cùm intelligeret, nullam hominum naturam res humanas ita gubernare poſſe; vt ſi omnibus arbitratu ſuo dominetur, laſciuiori ſuperbia iniuſticiaq; non repleatur. Cùm hæc, inquam, non ignoraret, non homines, ſed diuinioris præſtantioriſq́; generis dæmones, id eſt angelos, ciuitatibus noſtris, reges principesq́ue præfecit, quod nunc nos in ouium gregibus facimus; non enim bobus boues, nec capris capras præficimus; ſed nos ipſi genus melius dominamur. Similiter, deus homines amans, genus dæmonum generi noſtro præſtantius nobis præfecit, quòd ſumma tàm ſua, quàm noſtra facilitate, noſtrarum rerum curam habebat, pacemq́;, & pudicitiam, libertatem, & iuſticiæ copiam præbens, procul à ſeditione, ac felix hominum reddebat genus. Porrò, hanc diuinam ſanctamq́; doctrinam, veriſimile eſt, à Mercurio Platonem accepiſſe:

Mercurius de cuſtodia angelorum.

ſic enim loquitur 10. Pymandri: Chori Deorum duo, vagantium vnus, non vagantium alter. *quaſi diceret: quidam ex angelis foras diſcurrunt atq; vagantur; hi nimirum, quos magnus Iupiter humano generi præfecit in cuſtodes atque principes. Superiùs plura Mercurij teſtimonia de hac re inuenies.*

Plotinus.

Hos ſequitur doctiſſimus Plotinus Enn: 5. lib. 8. cap. 3. Dij, inquit, qui cœlum habitant, otio abundant, aſſiduè contemplantur, non dedignantur homines, neque aliud quicquam eorum, quæ ibi ſunt, ob hoc ipſum, quòd ex diuinorum numero ſunt; omnem namq; regionem illam diſcurrunt, locumq́; comprehendunt conquieſcentes. Profectò, ſi dij ſiue angeli homines non dedignantur; illorum curam gerere credendum eſt. Hæc quidem præclariſsimos viros dixiſſe & ſenſiſſe legimus. Ad hoc accedunt ſanctarum teſtimonia ſcripturarum, quæ de hoc negotio & crebra ſunt, & fidelia:

Pſal. 90.

Angelis ſuis, inquit, mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Tantæ planè curæ eſt ſanctis angelis hominum genus, vt illud, velut rem optatiſsimam deo, illiſq́; chariſsimam in manibus geſtent, ne vnquã aliquid patiatur ruinæ. Et in alio Pſ. Immitet ſe angelus domini in medio timentiũ ſe, & defendet eos. Plura de hoc annotauimus in hoc ſecundo.

Aug. de cuſto dia angelorũ.

Auguſtinus de ciuit. dei, lib. 10. cap: 15. Diuinæ, inquit, prouidentiæ placuit, ordinare temporum curſum, vt diuini illi ſpiritus, mentis diuinæ nuntij, diuinam nobis ſignificarent atq; annuntiarent veritatem.

Angelorū cuſtodia.

Et lib: 19. cap: 9. in ſocietate ſanctorum angelorum eſt noſtra fiducia; quia tamen nobis non ea, qua homines familiaritate miſcentur, magna dei miſericordia eſt neceſſaria, ne quiſquam cùm bonos angelos amicos ſe habere putat, habeat malos dæmones amicos fictos. Et lib. 22. cap: 29. angeli dei noſtri vocantur angeli, ſicut & Chriſtus dei, Chriſtus eſt noſter: Dei ſunt, quia deum non dereliquerunt: noſtri ſunt, quia ſuos ciues nos habere cœperunt. Et in Pſal. 62. Angeli ſancti attendunt nos peregrinos, & miſerentur nos, & iuſſu domini auxiliantur nobis, vt ad illam patriam communem aliquando redeamus, & ibi cum illis fonte dominico veritatis & æternitatis, aliquando ſaturemur. Et ad fratres in eremo ſerm: 68. Angelus bonus, inquit, hortatur nos conſilia boni: quia cùm aliquid boni agimus, ipſum à dextris noſtris eſſe credamus; cùm verò malum aliquid cogitamus, aut facimus, ſiue paruum, ſiue magnum, hoc nulli dubium, quin malignum angelum hortatorem habeamus, qui ſuper hoc nos irridet, cùm angelus ſanctus triſtatur & dolet. Cùm ergo ingemiſcimus, & pro peccatis noſtris ſuſpiramus, aut opera virtutum facimus; tunc angelum dei ſanctum adminiſtratorem, & conſiliatorem habemus. Et ſer: 46. A naturis angelicis ſemper defendimur, ne demergamur: ipſi namq; ſunt adminiſtratorij ſpiritus miſſi in miniſterium noſtrum: ipſi prouinciarum cuſtodes, dignitatesq; noſtras tam ſpirituales, quàm temporales omni diligentia cuſtodientes: ipſi ſunt contra fomitem impetrantes: ipſi ſunt pro nobis contra dæmones victoriam obtinentes: ipſi ſunt per quos ad fletum contritionis, pœnitentiæ, & orationis inducimur: ipſi ſunt, per quos noſtra facta, vel cogitata ad cœlum hilariter portantur: ipſi ſunt fratres noſtri, qui nos valde diligunt, nos vbiq; inſtruunt, in cunctis nos protegunt, noſtrum aduentum expectantes in paradiſum: qui nobis dormientibus adſunt cuſtodes, nobis orantibus adſunt tripudiantes. Hanc eandem diuus Hieronymus profitetur doctrinam in expoſitione vndecimi capitis Eccleſiaſtes: exponens illud: Aues cœli portabunt vocem tuam: Angeli, inquit, qui terram circumeunt, & ſunt adminiſtratorij ſpiritus, ad inſtar auium, noſtra verba, & cogitationes ad cœlum perferunt. & in caput Michææ 6. Montes ſunt angeli, quibus rerum humanarum commiſſa cura eſt: Deuteronomij cantico 32. in idipſum congruente: cùm diuideret excelſus gentes, cùm diſſeminaret filios Adam, conſtituit terminos terræ ſecundùm numerum angelorum Dei. hi ſunt adminiſtratores ſpiritus &c. Et cap. 7. Eccleſ: Angeli ad perfectum numerum peruenientes, denarium, auxiliantur humano generi. Et in vltimum caput Iſaiæ. Quòd vnusquiſq; noſtrum habeat angelos, multæ ſcripturæ docent: è quibus illud eſt Matt. 18. Angeli eorum ſemper vident faciem patris. quod quidem ſic interpretatur: Magna, inquit, eſt dignitas animarum, vt vnaquæq; ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui habeat angelum delegatum. Eiusdem quoque eſt ſententiæ Baſilius magnus, exponens illud Pſalmi 48. Et dominabuntur eorum recti in matutino: Cuilibet enim fidelium eſt angelus aſſiſtens, & adiunctus, patrem qui eſt in cœlo, videre dignus. Et lib. 3. contra Eunomium. Quòd autem ſingulis fidelium adſit angelus, vt pedagogus quidam, & paſtor ad vitam dirigendam, nemo contradicet qui verborum domini recordatur dicentis: Angeli eorum vident faciem patris. Quòd verò rurſus ſint quidam angeli vniuerſarum gentium propoſiti, Moſes per canticum docet: Conſtituit terminos populorum iuxta numerum angelorum ſuorum. Et de Spiritu ſancto cap. 13. Angeli, inquit, hominibus dati ſunt, ceu pedagogi, ac morum gubernatores. Et de vera virginitate, Neque verò conuenit, vt angeli eius, cui credita eſt cura, ac cuſtodia ſalutis noſtræ, faciem aſpernetur homo, atq; imprimis virgo, quæ hunc ipſum caſtitatis ſuæ, veluti paranymphum, cuſtodemq; habet. Porrò, Origenes & antiquitate, & ſapientia nobiliſſimus, hanc quoque doctrinam conſtantiſſimè, abundantiſſimèq; confirmat: hom. 20. ſuper numeros. Adeſt, inquit, vnicuiq; noſtrum etiam minimis, qui ſunt in Eccleſia, angelus bonus, angelus domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus noſtris corrigendis, & miſerationibus expoſcendis, quo-

Epitheta angelorum.

Hieronymus de cuſtodia angelorum.

Vna quæ que anima habet angelū ſuum.

Baſilius de cuſtodia angelorum.

Cōſtituit terminos populorum iuxta numerū angelorum ſuorum.

Origenes.

cuſtodia. *tidio videat faciem patris, qui in cœlis eſt, ſicut Dominus deſignat in Euangelio: & in*
Paulus. *Apocalypſi, vnicuiq; eccleſiæ angelus præeſt, qui vel laudatur pro bene geſtis populi,*
vel etiam pro delictis eius culpatur. ſed hæc quidem per ſimilitudinem ſunt dicta: tem-
pus autem iſtius cuſtodiæ homel: 5: in Matthæum deſcribit: Qui, inquit, volunt angelum
Pſal: *nobis mox poſtquam nati ſumus delegari, his ſcripturis vtuntur, Gal. 1. Qui me ſegrega-*
Iſai: *uit ex vtero matris meæ. & illud Pſal. De ventre matris meæ deus meus. & illud: Domi-*
nus ab vtero vocauit me, & quæ ſunt generis eiuſdem. Et in Iob dicit angelos maximè
gloriari ob eximiam hominum ſanctitatem: Maximam, inquit, ſibi gloriam reputantes
Chryſoſto: *ob Iob innocentiam. Conſentaneam his, Chryſoſtomus profert doctrinam hom: 14. Circa*
finem in epiſt: ad Hebr. Vnicuiq;, inquit, noſtrum angelus aßidet. & hom: 3. eiuſdẽ epi.
Angelicæ functionis officium eſt ad ſalutem noſtram miniſterium deo perſoluere. Ad
Cyrillus. *hunc etiam modum Cyrillus contra Iulianum lib. 4. Angeli, inquit, noxias à nobis abi-*
gunt feras, & docent id omne quod laudabile, liberum iter facere, & non impeditum,
dum nobiſcum glorificant ſummum deum: hæc autem, atque ſimilia à ſanctis Eccleſiæ
Doctoribus, de ſanctorum angelorum cuſtodia præclariſſimè deſcribuntur. Reuera, di-
uinæ congruum erat pietati, vt nobis proſpiceret de fidis cuſtodibus, atque coadiutori-
bus, quibus inter tot pericula, atque ærumnas, tuta eſſe poſſet humana fragilitas: vnde
Hieronymus: Neq;, inquit, ſecura eſſet humana fragilitas inter tot, & tantas hoſtis illius
inſidias: niſi ſanctorum angelorum muniretur auxilio. Quare, cùm promptior ſit deus
ad miſerendum, quàm ad exercendum nos, ſi angelos habemus malos, nos vndiq; tentan-
tes, ac perdere cupientes; nónne decebat illius bonitatem, ſanctos adiutores nobis tri-
buere, quorum auxilio tuta eſſet, atque ſecura noſtra fragilitas? etenim homo recedit à
recta ratione agendi in ſtatu viæ, propterea, quia ſubeſt inuerſo naturæ ordini atque ty-
rannorum poteſtati, facilè, atque multipliciter aberrare poteſt: hac de cauſa, præſi-
dio indiget angelico, quo fretus flectere nequeat à recta agendi ratione. Incertæ, in-
Salomon. *quit ſapiens, Sapientiæ 9. ſunt cogitationes mortalium, & timidæ prouidentiæ noſtræ.*
Proinde, veritas diuina, à veritatis miniſtris nobis annuntiatur, quorum auxilio, doce-
mur, conſolamur, & confirmamur. decebat etiam diuinam prouidentiam, quæ circa
perpetuò manentia præcipuè verſatur. Homo autem cùm non modò ſpecie, ſed etiam in-
diuiduo ſit perpetuus, ob animæ immortalitatem, congruum fuit vt particulari, magnoq;
dei præſidio muniretur, veluti peculium dei, ac rerum propemodum omnium copula,
& contemplator egregius. Itaq;, angelos eſſe hominum cuſtodes, ac vnumquemq; homi-
num angelum habere ſibi delegatum, à tempore ſuæ natiuitatis, ex ſacrorum, atq; Phi-
loſophorum ſententia, manifeſtum eſſe arbitror.

CAP. II.

Argumenta contraria.

1. *HVmanum genus, præſertim fidelium, deum habet in cuſtodem, authore Da-*
uide: Ecce non dormitabit, inquit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael. &
iterum: Dominus cuſtodiat te &c. ad Iſa: autẽ dicitur: Ego cuſtodiam ciui-
tatem iſtam. & ſimilia multa in ſcripturis inueniuntur teſtimonia. Non
ergo opus habet angelorum cuſtodia; præſente enim maiori, minor ceſſat. Homines præ-
terea libero ſe conſeruant arbitrio, & proprijs rationibus tuentur: non ergo ſubſunt an-
gelorum cuſtodiæ. Deniq; hominum ſibi creditorum iactura, in cuſtodum dedecus, atq;
2. *detrimentum verteretur, quod fas non eſt de ſanctis angelis ſentire: angeli ergo non*
ſunt hominum cuſtodes. Amplius, non videtur rectæ rationi conuenire, vt quilibet ho-
minum delegatum ſibi angelum habeat; in cauſa autem eſt, quia omnes ſunt ſpecie æ-
quales,

Angelorũ custodia.

*quales, omnium autem angelorum, vnus eſt maior altero, teſte Dionyſio: ad cuſtodiam
ergo hominum ſufficit vnus: nam diuerſitas cuſtodum, cuſtodiendorum diuerſitatem
expoſtulat. Adhuc, angelorum cuſtodia his eſt neceſſaria, qui vitæ æternæ ſunt hæredes* 3.
*futuri, quemadmodum docet Apoſtolus ad Heb. 1. Propter eos, inquit, qui hæreditatem
capiunt ſalutis, ſed præſciti, hac planè ſpe priuati ſunt: nemo ergo illorum habet ange-
lum delegatum. Præterea, angeli ad hunc finem hoc cuſtodiæ officio funguntur, vt ele-* 4.
*cti hæreditatem conſequantur æternam. ſed hæc ſalutis hæreditas à baptiſmi incipit ſa-
cramento, quo nouum hominem induimus, veteri adam exuto, atque eiecto: non igitur,
poſt natiuitatis, ſed poſt baptiſmi diem, quilibet chriſtianorum, proprium ſortitur an-
gelum cuſtodem. ex quo ſequitur, fœtibus adhuc in vtero materno quieſcentibus, neceſ-
ſariam non eſſe angelorum cuſtodiam.*

CAP. III.

Soluuntur argumenta.

AD primum, quamùis deus benedictus homines cuſtodiat, veluti vniuerſalis 1.
*paſtor, & magiſter; huius tamen inſtructionis participes fieri angelos vo-
luit, quò, & ſuam in nos teſtatam redderet beneuolentiam, & angelorum
charitatem, & hominum dignitatem oſtenderet. Magna reuera eſt dignitas
animarum, angelos habere cuſtodes; ſumma etiam angelorum charitas, quæ in noſtri
cuſtodia oſtẽditur. Reuera, operatio boni, ſiue aliquid boni operari, duobus profectò opus* Inſtructor vniuerſalis.
*habere videtur: quorum alterum quidem eſt, affectus inclinatio ad bonum, quod planè
per moralis habitum completur virtutis. Porrò, gratia & virtutes à deo immediatè in-
funduntur; hac de cauſa immediatus hominum cuſtos deus nominatur. alterum verò
eſt, modus congruus virtutis perficiendæ, quod profectò ad prudentiæ attinet virtutem.
hic autem modus inſtruendi, licet vniuerſalem habeat inſtructorem, deum ſcilicet bene-
dictum; angelorum nihilominùs indiget miniſterio, quibus mediantibus ad homines de-
fertur inſtructio, atque doctrina: non ergo ſuperuacanea eſt in hominibus erudiendis,
angelorum adminiſtratio. Ad confirmationem dico, propria liberi arbitrij virtute ho-
minem à malo ſufficienter ſibi cauere non poſſe ob multiplices animæ paſſiones, quæ in
boni appetitionem affectum infirmum reddunt: eget ergo fortiſſimorum cuſtodum vir-
tute, vt tutus ſit, atque ſecurus cum habitantibus Cedar. Ad aliam confirmationem re-
ſpondeo, non angelorum quidem negligentiæ, ſed hominum malitiæ eſſe imputandum, ſi
infinitus propemodum ſit perditorum, atque iniquorum numerus: Audi, inquit Deus
Moſi, angelum meum: quòd ſi non audieris, non relinquet te innoxium. Ad 2. quamùis* 2.
*omnes homines ſint ſpecie æquales; ob diuinæ tamen prouidentiæ ordinem, qui in homi-
nibus apparet, maiori vnus, quàm alter cuſtodia eget: quemadmodum ſunt perſonæ illu-
ſtres, regendi authoritate ſuperiores. Ad 3. verum quidẽ eſt præcipuum effectum ange-* 3.
*lorum cuſtodiæ eſſe, hominum ſibi creditorum ſalutem quærere æternam: non ſaluan-
dorum etiam curam gerunt, quò minùs peccent, minusq́ puniantur. Ad 4. puerum in* 4.
*vtero, nonnulli dicunt eſſe veluti fructum in arbore; hac de cauſa, matris cuſtodem illi
ſufficere poſſe: poſt natiuitatem ergo, authore Hieronymo, angelus ſuſcipit curam ani-
mæ gubernandæ. Porrò, quamùis pueri illuminationis angelicæ capaces non ſint: ma-
gna nihilominùs ex angelorum cuſtodia referunt adiumenta; arcent enim ſancti angeli
dæmones, ne obſint pueris ſibi creditis, multaq́ præſtant illis beneficia. Ex hoc etiam
patet, antichriſtum habiturum fore ſibi angelum delegatum: quemadmodum enim in-* Angelus antichriſti.
*fideles, ac præſciti interiori naturalis rationis auxilio nequaquam priuantur; ita etiam
exteriori auxilio, toti humanæ conceſſo naturæ, nempè angelorum cuſtodia, iure pri-*

uandi non

Angelus an ſciat cogitationes cordis.

Chriſtus habuit angelum. Primus homo habuit custodem.

uandi non ſunt, vt dei bonitas etiam in malos mirabiliùs emineat, & creaturæ malitia omni prorſus tergiuerſatione careat. Chriſtus etiam Dominus noſter, angelum habuit non quidem in cuſtodem, ſed in miniſtrum, ſibiq́ inſeriorem. Primus quoque homo angelum habuit cuſtodem, licet innocentiæ imperium eſſet pacatum, atque tranquillum: quem ſi audiuiſſet; non vtiq́ tàm miſerabiliter cecidiſſet. Itaq́, quemlibet hominum ab ortus ſui tempore, angelum ſibi delegatum habere, perſpicuum eſſe puto his, qui ſcripturarum, atque ſanctorum authoritati fidem præſtare volunt.

CAP. IIII.

Si angelus penitus deſerat hominem ſibi commiſſum, doleatq́ de illius ruina, atque aduerſus alium pugnet.

Quomodo angelus deſerat ſuum hominem.

QVoniam autem angelorum circa homines cuſtodia, diuinæ eſt exequutio prouidentiæ; diuina autem prouidentia, non ita à rerum cuſtodia ſeſe ſubtrahit, vt eas deſerat omninò, alioqui omnia quidem abirent in nihilum; ita etiam putandum eſt, ſanctos angelos, animarum cuſtodes, non penitus homines ſibi creditos deſerere, etiam quouis crimine offenſos. deſeri autem nobis videntur, quum ij, quorum curam gerunt, in varia inciderint diſcriminum genera, & labes non paruas peccatorum incurrerint, idq́ ſecundùm diuinarum iudiciorum ordinem. Quam ob rem Ieremias cap. 51. angelorum fungens officio, de Babylone ſic loquitur: Curauimus Babylonem, & nõ eſt curata: derelinquamus ergo eam. & illud Iſaiæ 5. Auſeram ſepem eius, & erit in conculcationem. & illud Ieremiæ: Dereliqui domum meam: denique Dauid ait: Deus meus dereliquiſti me. Sed hæc quidem, atque his ſimilia ſanctarum teſtimonia ſcripturarum, ſuas deum creaturas penitus deſerere minimè proteſtantur; ſed quandam potiùs particularem diuini auxilij protectionem oſtendunt, qua ſuos cuſtodire conſueuit, ne fortè offenderet in lapidem pes eorum. Quòd ſi fortaßis aliquis illorum ceciderit, ſupponit dominus manum ſuam, ne collidatur, & magnæ pateat ruinæ. Dicis, angeli nobiſcum hic ſunt, dum verſantur in terris: at, cùm in cœlis degunt, nobis adeſſe non poſſunt. Dico, loco quidem à nobis eſſe diuiſos, non autem protectionis effectu, quippe cùm ex alto nos proſpiciant, multaq́ temporis mora non egeant ad motum localem, vt nobis opitulentur, ſubueniant, atque ſuccurant.

Si angelus custos doleat.

Sed dicet aliquis: Nunquid angelus cuſtos, aliqua afficitur triſtitia, ſi perierit ſuæ curæ comiſſus? Sanè, ſi gaudent de vno peccatore pœnitentiam agente: triſtantur ergo de hominum ruina; contrariorum enim eadem natura. Adde illud Iſa: 33. Angeli pacis, inquit, amarè flebunt. Eſtnè aliqua ſanctis angelis triſtitia, de hominium ruina? Dico, angelis non ineſſe, nec ineſſe poſſe veram triſtitiam: triſtitia ſiquidem, authore Auguſtino, eſt de his, quæ nobis nolentibus accidunt. ſed nihil angelorum voluntati accidere poteſt, quod ſit omninò contrarium, quippè cùm firmißimè ordini diuinæ iuſtitiæ eorum voluntas adhæreat. nihil autem in mundo fit, niſi quod diuina voluntas voluerit, aut permiſerit fieri, ad mundi ornatum, ſuæq́ iuſtitiæ decorem. Ex quo patet, angelorum gaudium eſſe diuinæ prouidentiæ impletionem: vnde ſcripturæ illæ ſecundùm ſenſum methaphoricum ſunt intelligendæ; à ſanctis enim angelis huiuſmodi paßiones quàm maximè abſunt.

Angelus quomodo triſtetur.

Si inter angelos ſit pugna

Iterum aliquis dubitabit; ſi inter angelos aliqua pugna inueniri poßit. in Daniele enim legimus, ſecundùm Hieronymi expoſitionem, angelum regni Perſarum, Iſraelitici populi liberatori obſtitiſſe. Profectò, diuina iudicia in diuerſis regnis, atque hominibus ab angelis exercentur, idq́ ſecundùm diuinæ iuſticiæ regulam: quoniam

autem

Angelus an ſciat cogitationes cordis.

autem diuerſorum, diuerſa ſunt merita, occulto, iuſto tamen dei iudicio fit, vt contrarijs meritis ſibi repugnantibus, diuinam conſulant ſapientiam, quid facto opus ſit; hac de cauſa nonnulla inter eos videtur eſſe reſiſtentia, quum nulla prorſus poßit eſſe voluntatis diſſentio, vbi eadem eſt voluntatis ſententia. Itaq;, inter ſanctos angelos nulla verè poteſt eſſe repugnantia, aut voluntatis diſcordia.

CAP. V.

Si angelus bonus, ſeu malus cogitationes cordis diſcere, ſeu ſcire poßit.

QVamuis paulò ante de hac materia diſputarim; libet tamen nonnihil addere, quod mihi viſum eſt addendum fore, vt plenior ſit rei diſputatio. Angelum aliquo modo in nobis intellectionem cauſare poſſe, ex Dionyſii patet ſententia de diuinis nominibus, vbi diuinas reuelationes per angelos in homines venire apertißimè docet; harum autem reuelationum modus eſt multiplex apud multiplices, variasq; hominũ ſententias: quidam enim ſic aiunt fieri: Angelus, inquiunt, quoniam ſimplicis eſt naturæ phantaſiæ adeſt organo, atq; ita ſeſe noſtro opponit intellectui, idq; per modum obiecti, vnde aliqua cauſatur intellectio, ac ſi ſpeculũ, ſpeculo opponeretur. verùm, huiuſmodi modus aliquid falſi continet, nempè intellectum noſtrum immediatè referri poſſe, ad obiectum quidem ſpirituale, nõ phantaſiatum, vt ita dicam, moueriq; ab ipſo.

Primus modus.

fuit quodammodo & Auicenna huius erroneæ ſententiæ 6. naturalium part 6. cap. 6. aiebat enim creatam atq; ſeparatam intelligentiam, veluti cauſam totalem ſpecies influere intelligibiles in noſtrũ intellectum, qui dum ad illam intelligentiam conuertitur, intelligit, ſpecies autem illæ recedunt, actu intelligendi recedente. Porrò, intelligentiam illam dixit eſſe intellectum agentẽ, vt quidam volunt: recedentibus autem ſpeciebus illis, frequentatiũ actibus circa idem obiectũ, aliquem aiunt ſcientialem habitum generari inclinatiuum ad actum circa huiuſmodi obiectum, idq; per conuerſionem ad intelligentiam agentem.

Auicennæ error.

Verùm hæc Auicennæ ſententia, non parũ diſſentit à philoſophi doctrina; etenim, ſi authore philoſopho, omnis noſtra intellectiua cognitio, quam hîc habemus, ex præſiſtenti fiat cognitione, phantaſtica ſcilicet, ſeu ſenſitiua, ſi res ita ſe haberet, vt Auicenna dicit; tunc profectò, ſine aliqua præexiſtenti cognitione, intellectionem haberemus, quod eſt falſum: intelligentem enim oportet phantaſmata ſpeculari. Adde, quòd tunc intellectus ſemper eſſet in potentia eſſentiali remota ad actum intelligendi; careret enim ſpecie obiecti repræſentatiua. Atqui 3. de anima philoſophus ait, percepta ſpecie nos poſſe intelligere quando volumus: nullus ergo angelus influere, ſeu cauſare poteſt immediatè in noſtro intellectu actum, ſeu ſpeciem intelligendi, quippè cùm ſine phantaſmate nihil intelligere queat, pro ſtatu præſentis vitæ, potentiarum ordine dominante.

Reprehenditur.

Alius modus ab alijs inducitur: dicunt enim lumen angeli noſtro vniri, indeq; fortificari ad ea intelligenda, quæ priùs intelligere non poterat. hoc autem ſuperiùs non approbauimus, nec modò approbamus, quippe cùm lumen noſtri intellectus agentis, creatione habeat ſuum eſſe: eodem ergo modo fortificari poteſt. ad quem planè modum non ſeſe extendit creaturæ potentia.

Secũdus modus.

Nonnulli adhuc dixerunt, vnius humorem, aliqua phantaſtica ſpecie informatum, angelum ad organum alterius transferre, ſicq; illo phantaſmate translato mediante, intellectionem in nobis cauſari. ſed hic quoque modus falſus reputatur: nam ita phantaſia cauſa eſt phantaſmatis, ac radiorum ipſe ſol. ſed ſole recedente, radij euaneſcunt: igitur, phantaſia nõ præſente, nullum eſt phantaſma.

Tertius modus.

Adeſt & quartus modus, qui aſſerit ideo angelum intellectionem cauſare, quia ſcilicet impe-

Quartus modus.

an ſciat cogitationes cordis.

cet impedimenta à noſtro intellectu amouet, humores ſcilicet, vel phantaſma, quibus amotis, rectiùs, faciliúsq; intelligit. Diuidere præterea aiunt humores, atque ſegregare, & ex conſequenti phantaſmata coexteuſa ordinare, congruéq; diſponere magis, quo ordinatus ſit ordo intelligendi: ſed iſte quoq; modus minimè placet: diuiſio enim, ſeu tranſmutatio phantaſmatū, nihil planè immutat circa phantaſmata, niſi ſecundùm ordinem, aut ſecundùm multitudiuem. Porrò, multitudo illa ſuperuacanea eſt; fruſtra enim in eodem organo abſque neceſſitate, eiuſdem rationis phantaſmata ponerentur. Ordo præterea non mutatur, niſi per comparationem ad intellectum; quomodocunq; enim tranſponantur, intellectus profectò æquè eſt præſens, habetq; eundem ordinem ad intellectum, ex quo patet, modum iſtum conſiſtere non poſſe.

Melior modus.

Dicamus ergo, angelum, veluti cauſam particularem, noſtrum adiuuare intellectum, ac coagere, vt perfectior ſit modus noſter intelligendi, idq; ex diuina ordinatione, ſic omnia ſuauiter diſponente. Itaq; & intellectus agentū angelici virtus, noſtrum coadiuuat, & voluntas, voluntatem ſimiliter: vnde in nobis ſit intenſior intellectus actus, atque perfectior, & etiam voluntatis.

Si angelus intelligit cogitationes cordis.

Sed iam ad rem præpoſitam redeamus: vtrúmne angelo pateant abdita cordis cōſilia. Ad quod quidem nonnullis ſic viſum eſt reſpondendum fore: nempè angelum, humani cor-
1. dis ſecreta ſcrutari poſſe: Potentia, inquiunt, non impedita, & naturaliter diſpoſita, in
actum egredi poteſt, circa quodlibet obiectum ſibi conuenienter approximatum, & poſitiuum ſed cordis ſecreta ſic ſe habent ad intellectū angelicum; ſunt enim entia limita-
2. ta, realia, intellectui angelico proxima: poteſt ergo intellectus exire in actum, id eſt,
intuitiuè illa cognoſcere. Amplius, ſi angelus animæ noſtræ ſubſtantiam intuitiuè cognoſcere poteſt; & cogitationes etiam: non enim eſt animæ intimior, atque ſecretior, quàm
3. ſua ſubſtantia. Reuera, ſicut ſe habet viſus, ad notitiam coloris intuitiuam; ita procul
dubio angelicus intellectus ad rem, actu exiſtentem. ſed viſus non impeditus, limpidè intuetur colores ſibi præſentes: igitur, angelicus intellectus cogitationes cordis acu-
4. tè perſpicere valet. Adhuc, intellectus noſter ſuam intelligit cordis cogitationem, atque
volitionem: non quidem intuitiuè, quia ſcilicet eſt corpori alligatus: intellectus ergo angelicus cum à corporis mole liber ſit, noſtras vtiq; cordis cogitationes intelligere poteſt. Sanè, ſi cognoſcit phantaſmata in phantaſia, & cogitationes quoque intelliget: vnde dæmoniaci, vt dicitur, aduentantium cogitationes ſæpè annuntiant. Si igitur, ſpiritus angelicus liber extiterit, ex egregia ſui intellectus perſpicacia, cordium conſilia intelligere valet. verùm, quomodo hæc ſint intelligenda, ſuperiùs dixi ſatis.

CAP. VI.

Quomodo angeli aſſumant corpora.

ANgelos ſubſtantias eſſe immateriales ſuperiùs oſtendere curaui; nunc de corporibus, quibus in adminiſtrandis diuinis vtuntur, loqui conſtitui. Congruit ſanè præcedenti inquiſitioni, quæ de angelorum cuſtodia diſputauit. Porrò, angelos corpora poſſe aſſumere; & rei veritas approbat, & ſanctarum ſcripturarum authoritas. Neq; enim in viſione tantùm imaginaria viſos fuiſſe, putandum eſt; ſiquidem quod imaginaria tantùm viſione videtur, eſt in ſola imaginatione videntis, non autem indifferenter videtur ab omnibus. atqui,

Quare nō habeāt corpora.

angeli non vni tantùm, ſed toti prorſus illius familiæ oſtenſi ſunt, vt Abrahæ, Tobiæ, & ſimilibus: verè ergo in aſſumptis corporibus viſi ſunt, & ex cōſequenti corpora aſſumere poterunt: non quidem ſibi naturalia; ſiquidem ſubſtantiæ non conuenit intellectuali, quatenus eſt huiuſmodi corpora naturaliter ſibi vnita habere. Intelligere planè non eſt

actus

Angelus an ſciat cogitationes cordis.

actus corporis, aut corporeæ virtutis: quòd ſi accidat humanæ naturæ, vt corpori etiam coniuncta, intelligendi officio fungatur; hoc profectò imperfectæ illius eſt aſſcribendum virtuti, quæ ſcientiæ plenitudine caret, atq; à ſenſibus mēdicat ſcientiæ dignitatem, copiam, atque plenitudinem. Porrò, in quocunq; genere eſt aliquod imperfectum; in eodem profectò, ſupremum, atque perfectum ſit, neceſſe eſt. Quare ſi in ſubſtantiarum 2.
intellectualium genere, aliqua corpori eſt coniuncta; altera prorſus erit à corpore libera. Reuera, ſi angeli naturaliter corporibus vnirentur; tunc profectò, vel corruptioni eſſent obnoxij; vel nobis inferiores; etenim, aut forma angeli, à corpore eſſet naturaliter ſeparabilis, atque ita angelus eſſet corruptibilis, aut nō ſeparabilis, & ſic nobis ignobilior eſſet. ſed vtrumq; conſtat, falſiſsimum eſſe. Adde, aut corpora angelorum eſſent 3.
cœleſtia, & ita deorſum violenter mouerentur: aut elementaria, & mixta, ſicq; corruptibilia: non ergo habent corpora naturaliter ſibi vnita. Præterea, angelus eſt forma 4.
ſimplex, ſubſiſtens, ſecundùm ſpeciem, atque indiuiduum perfecta: non ergo poteſt eſſe corporis forma, aut actus: neque per vnionem ad vnitatem ſuppoſiti; diuinæ ſiquidem perſonæ conuenit tantùm, quæ aſſumpſit naturam humanam ad vnitatem ſuppoſiti. Aſſumunt ergo angeli corpora, aſsiſtendo, & illa mouendo pro libitu ad nonnulla miniſteriorum opera complenda: exercent in corporibus opera, vtpote mouere, loqui, & ſimilia, quæ non ſunt viuentium propria; nihil enim poteſt habere opus vitæ, niſi illud vitam habuerit, quæ eſt potentia talis actionis. Sanè, cuius eſt potentia; eiuſdem etiam eſt actus. Sed hic ſiſtat calamus, & poſt ſanctorum angelorum negotium, de malis etiam loquamur angelis. Tuderti in monte ſancto, 1573. die Iouis 11. Iunij: hora quaſi 21. ſub Gregorio 13. P.

Oratio Hannibalis.

Laus tibi ſancte Pymander, Deus omnis ſpiritus, cuius voluntas à ſanctis angelis tuis adimpletur, qui tibi ſemper aſsiſtunt, & vident te, videntem omnia: illorum ergo preces, nos adiuuent, vt te videamus, & in te omnia poſsideamus.

DE DAEMONIBVS.

Quamuis ſapientiſsimus Mercurius alijs in dialogis de Dæmonum natura, proprietate, ordineq; apertiſsimè, elegantiſsimeq; diſputarit, vt commentandi ordini minimè congruere videatur, ſi illius ſententiam huic loco contexere velimus; tamen quia hic ordo viſus eſt abſolutior, & materiam angelorum ſcire cupienti aptior, ſapientiſsimi Mercurij verba, quæ ſparſim in ſuis diſputationibus habentur, & colligere ſtudui, & præcedentibus inſerere non erubui; magnum enim puto legenti laborem eſſe detractum, ſi ſub vno contextu, angelorum, dæmonumq; naturam perſpicuè intellexerit: hac ergo confidentia fretus, non veritus ſum, verba Triſmegiſti adducere, conſulens breuitati, vtilitatiq; legentium.

MERCVRIVS.

Mercurius.

Mens quidem omnes notiones concipit bonas, quoties à deo ſemen infunditur: contrarias autem, cùm à dæmonibus quibuſdam ſpermata iaciuntur: nulla profectò mundi pars eſt dæmonum præſentia deſtituta, horum lumen ab ipſo deo totum deſcendit. Dæmon denique transfuſus in hominem, ſemina propriæ operatio-

 nis in-

nis inſpergit. Mens autem conſperſa ſeminibus, prægnans,inde parit adulteria,ſtupra,homicidia,parricidia, ſacrilegia, diuinorum contemptum, iugulationes, euerſiones vrbium, peſtes hominum, ac reliqua omnia quæcunque malorum ſunt opera dæmonum.

Commentum IX.

Qvaestionis primae. Cap. I.

Poſt ſanctorum angelorum dilucidationem, deinde de malis angelis loquamur; ſunt enim iuxta Mercurij ſententiam & mali dæmones, malorum authores, malorum ſeminum ſatores. Sanè, à malo dæmone eſt initium peccati, vtpote pater peccati, quippe qui ab initio peccat. Porrò, quemadmodum à deo eſt bonum ſemen, nempè charitas, & qui hoc ſemen receperunt, & retinent, peccare non poſſunt, authore Apoſtolo Ioanne in ſua canonica, quia ſemen dei cuſtodit eos; ita planè à malo dæmone eſt malum ſemen, malitia ſcilicet, ex qua mala illa exoriuntur, quæ iam ſapientiſſimus enumerauit Mercurius: vnde & qui illud ſemen retinent non poſſunt non peccare, quia ſemen malum corrupit, perdiditq; illos ſuæ planè malitiæ veneno. Mira profectò Mercurij theologia, quæ aſſerit nullam mundi partem malorum dæmonum præſentia eſſe deſtitutam: nam & aërem incolunt, & in terris verſantur, & tartara inhabitant, denique nuſquam illius fraudes, & doli deſunt. Porrò, lumen naturale à deo in illis cuſtoditur, cuius munere fuit illis conceſſum. Et dialogo 10. ait animã Cacodæmonis .i. mali dæmonis, ritu corruptam, ſe ipſam ignorare arbitratur, ſiquidem animam prauam in mali dæmonis ordinem migrare, non quidem natura, atque ſubſtantia, ſed pœna & prauitatis affectu. Mens, inquit, cùm dæmon efficitur, ad obſequium dei iubetur igneum capeſſere corpus: inde in animam transfuſa nefariam, eam flagellis verberat peccatorum. *Videtur fortaſſis pœnam æterni ignis, qua etiam mali dæmones plectuntur, oſtendere: nam cùm ſubſtantia ſpiritualis, à re corporea mali aliquid pati non poſſit; iuſto planè dei iudicio fit, vt corpus igneum capeſſat, atque in eo flagellis vapulet multis. Reuera, hominum ad deos, ad homines deorum eſt communio: anima, quæ bono dæmone plena eſt, beata vtiq;, miſera verò, quæ vacua. In Aſclepio, dæmonum propemodum ruinam ob oculos depinxit:* Quicunque igitur dæmonum à genere ſuo defluentes, in ſpeciem fortuitò coniuncti ſunt, alicuius ſpeciei generis diuini proximitate, & conſortio, diis ſimiles habentur. Quorum verò dæmonum ſpecies, qualitate ſui generis perſeuerant, hi amantes hominum rationem, dæmones nuncupantur. *Sub caligine, & bonorum, & malorum dæmonum diuiſionem oſtendit. Boni ſiquidem in ſuo perſtiterunt domicilio; iniqui verò ſuam reliquerunt principatus dignitatem. Iudæ Apoſtoli 1. Angelos, inquit, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudiciũ magnæ diei vinculis æternis ſub caligine reſeruauit. hoc idem conſtanter tuetur Apoſtolorum princeps, Epi: 2. cap. 2, Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos, vtiq; à ſanctorum ſocietate angelorum, in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reſeruari. Et iterum ad eundem clariſſimè docet malorum dæmonum naturam.* Fit deorum ab hominibus ſeceſſio dolenda, ſoli nocentes angeli remanent,

Ioan: Apoſt.

Cacodæmon.

Igneum corpus.

Caſus angelorum bonorum.

Status bonorum angelorum.

Iudas Apoſt:

Petrus Apoſt:

Nocentes angeli.

[Dæmonũ natura.]

nent, qui humanitati commixti ad omnia audaciæ mala miſeros, manu iniecta, compellent ad bella, in rapinas, in fraudes, & in omnia, quæ ſunt animarum naturæ contraria. *Vaticinari quodammodo videtur, de vltimi iudicij tempore, quando ſoluetur Sathan de loco ſuo, iuxta Apocal. vaticinium: Et ſeducet vniuerſum orbem.* [Apocal.] Tunc, *inquit*, nec terra conſtabit, nec nauigabitur mare, nec cœlum aſtrorum curſibus, nec ſyderum curſus conſtabit in cœlo: omnis vox diuina neceſſaria taciturnitate muteſcet: fructus terræ corrumpentur: nec fœcunda erit tellus: & aer ipſe mœſto torpore langueſcet. *Quæ profectò omnia vltimi iudicij tempore ventura fore, ſcripturæ docent. Adhuc in eodem libello cauſam oſtendit, qua multi traducti, non eſſe dæmones arbitrati ſunt.* Propter ſpacij, inquit, interiecti longitudinem, aut quòd acie ſumus obtuſi, aut propter nimiam breuitatem, à multis dæmones eſſe non creduntur: dico dæmonas, quos credo commorari nobiſcum: & heroas, qui inter aeris puriſsimam partem ſupra nos & terram commorantur; vbi nec nebulis [Locus dæmonum & heroum.] locus, nec ex ſignorum aliquorum agitatione commotio. *Animæ quoq; retributionem ſeu mercedem, ad arbitrium dæmonis ſpectare, ab eoq; pœnas decerni, atque flagella diſtribui, manifeſtè demonſtrat.* Cùm fuerit, inquit, animæ à corpore facta diſceſsio; tunc arbitrium examenq́ue meriti eius trãſiliet, in ſummi dæmonis poteſtatem. [Summus dæmon.] *Poſtremò, quaſi abſoluens ſermonem:* Ne putes, inquit, ô Aſclepi, fortuitos eſſe effectus terrenorum deorum, Dij cœleſtes inhabitant ſumma cœleſtia, vnuſquiſque per ordinem, quem accepit cõplens atque cuſtodiens. [Angeli cuſtodes.] hi verò noſtri, ſigillatim quædam curantes, quędam prouidentes, quædam ſortibus & diuinationibus prædicentes, his [Sortes. Diuinatio.] q́ue pro modo ſubuenientes, humanis quaſi amica cognatione auxiliantur. *Itaq;, dæmones malos eſſe, malorum authores; bonos verò, æmulatores bonorum, atque auxiliatores, ex ſapientiſsimo Mercurio apertè didicimus. Cæterùm, tres ſunt huiuſce appellationis rationes, duæ Græcæ, vna Hebraica.* [Quare dicantur dæmones] *Plato primus author fuit in Cratylo, vbi putat dæmones ex ſententia Heſiodi vocatos, quaſi δαίμονα id eſt, ſapientes.* [Plato.] *vnde vocat aureum genus, hoc eſt, bonum atq; præclarum. Quiſquis igitur vita functus inuentus fuerit iuſtus, dæmon, id eſt ſapiens, & bonus dici poteſt. Euſebius putat dictos ab eo, quod eſt δαίμοναω inſanio, exterreo, pauefacio, quod ſpectrorum dæmonumq; ſit proprium.* [Euſebius.] *Hebraica ratio eſt hæc, Shadai, dicitur deus, & dæmon. prior litera shin, coniuncta cum daleth. Videntur itaq; Græci illi vetuſtiores, reiecta priore litera, aut iuncta cum ſequenti, vocaſſe δαίμονες, qui dicuntur Hebraicè ſdaim; vt ſi reijcias priorem conſonantem, fiat in numero plurali, daim.* [Ratio Hebraica.] *Sadaim nomen Dei omnipotentis, fortis: in numero plurali, Sadaim, ſemper dæmones malos deſignat, à verbo ſadad, euertere, vaſtare.* [Sadaim.] *Vt igitur in cæteris nominibus Hebraicis, Græcis, & Latinis, cõmunicatio fuit cum hominibus ſuperioribusq; ſubſtantijs; nam & Eloihm angelis, & iuſtis hominibus attributum eſt;* [Elhoim.] *erant enim dij gentium hoc nomine dicti. ſic videtur nominis diuini Sdai, dæmonibus, ſpiritibusq; malis facta communicatio. accommodatum eſt illis hoc nomen, ob id nimirum, quòd poteſtates ſint ſuperiores, angelis ſimiles: proinde ſimile nomen obtinuerunt. Paulus vocat Coſmocratoras, mundi rectores.* [Paulus Eph. 5] *Phylo Iudæus in libro de mundo, animas, inquit, & dæmonas, & angelos, nomine quidem differre, vnam autem atq; eandem eſſe rem.* [Philo.] *Ab Orpheo hoc nomen vſurpatur pro ſingulari Deo.* [Orpheus.] *Imperium, dæmonq; vnus, mundiq; ingens rex. Apud Homerum idem ſunt dij, ac dæmones; promiſcuè enim accipit hoc nomen. Tum venti poſuerunt, ſtrauitque æquora dæmon.* [Homerus.] *Hîc dæmonem appellat vim vniuerſalem diuinam. Similiter locutus eſt Ariſtophanes, quòd dæmon efficiat alios dominos, alios ſeruos, & parentes; is enim deus vniuerſalis eſt.* [Ariſtophanes] *Deniq;, teſtatus eſt Plutarchus, Homerum videri vti vtroque* [Plutarchus.]

 nomine

natura.

Heſiodus. *nomine promiſcuè. Heſiodus rationalia genera in quatuor diuiſit partes, deos: dæmonas malos, ac bonos: heroas: & homines: quamuis apud Heſiodum non ſint illi veri*
Thales. *naturaleſq́ dæmones. Thales Mileſius, vt refert Anthenagoras, primus partitus eſt natu-*
Ariſtoteles. *ram diuinam, in deos, & homines. Hac ratione locutus eſt Ariſtoteles, exordiens librũ de mundo, ſemper ei philoſophiam viſam fuiſſe diuinam, & dæmoniam rem, pro eodem dicens diuinam & dæmoniam. Idemq́ ait de inſomnijs, an fieri poſsit, vt per inſomnia futura cernantur; & ſi cernantur, an ea, quorum homo cauſa, vel quorum cauſa eſt dæ-*
Athenienſes vocabant Paulum. *monium. hinc dæmonium, eſt deus: vnde Paulum Athenienſes vocabant, nouorum dæmoniorum, id eſt, deorum annunciatorem. Porrò, Auguſtinus lib: 8. de ciuit. dei, cap:*
Auguſtinus. *13. ex ſententia Platonis 10. de legibus, omnes deos bonos eſſe ait, nec eſſe omninò vllum*
Socrates. *deorum malum. Socrates in conuiuio probat, ideo amorem deum non eſſe, quia nimirum*
Porphyrius. *omnes dij boni beatiq́ ſint; amor verò non eiuſmodi. Porphyrius quoq́ libro de ſacrifi-*
Stoici. *cijs tertio, deum ait nullius eſſe rei indigum, nocere nulli. Idem Stoici ſentiebant. Quam*
Cicero. *ob cauſam Cicero 2. officiorum libro, deos nocere non putat. Itaq́, proprio nomine dæmones mali, dij dici non poſſunt. Eſſe ergo dæmones malos, & quid illorum nomen ſignificet, dixi.*

CAP. II.

De vario Dæmonum genere.

Plato. *PLato in Epinomide putauit, vltra mundanos, ſummos deos ampliſſimã rerũ prouidentiã habere: ſub his in cœlo quoſdam conſpicuos eſſe: tertio loco*
Varia dæmonum genera. *infimos dæmones. Horum genus vnum ex æthere, alterum ex âëre eſſe, ac neutrum, inquit, conſpici totum poteſt. vnde, etſi nobis proximi ſint; minimè tamen à nobis videntur: aliud verò quod ex aqua eſt, ſemideum vocabimus: id nonnunquam cernitur, nonnunquam aſpectui noſtro ſe ſubtrahit: & quum videtur, tenui viſu perceptum, admirationem adfert. Præter tria hæc dæmonum gene-*
Heroes. *ra, lib: 4. de legibus, heroas inſtituit: Poſt deos iſtos, inquit, dæmonibus, vir mentis compos ſacrificabit, heroibuſq́ poſt dæmones. heroas extimorum hominum animas eſſe definiunt, à corporeis nexibus liberas. Porrò, quos Plato promiſcuè dæmones appellauit,*
Penates. *hos Latini ex officijs diſtinxerunt: qui adminiſtrandis regionibus præſunt, Dij patrij,*
Lares. *penateſq́: qui pacato numine domum poſsident, lares: aut ſi quando terrorem incuti-*
Laruæ. *ant, laruæ: qui verò nobis ſingulis teſtes, & cuſtodes additi ſunt, genij appellantur. Ce-*
Genij.
Lemures. *terùm, heroum virtutem, quos lemures veteres Latini vocabant, in Epinomide mirificè Plato deſcripſit: Prudentiæ, inquit, mirabilis participes ſunt, acuto quippè ingenio, te-*
Heroum potentia. *naciq́ memoria, cogitationes noſtras omnes cognoſcunt, honeſtos bonoſq́ homines plurimùm diligunt, improbos vehementer oderunt, vt pote, qui doloris participes ſunt. Hoc ipſum in cõuiuio Diotima fatidica mulieris authoritate ſtabiliuit. Quam vim habet dæmonum natura, interpretatur, & traicit humana ad deos, diuina ad homines; deus quidem homini non miſcetur, ſed per id medium, commertium omne atque colloquium, inter deos hominesq́ conficitur, & vigilantibus nobis atq́ dormientibus. Senſit quoq́ Pla-*
Aerea eſſe animalia. *to dæmones âëreos eſſe, in eo fortaſſè Heſiodum ſecutus, qui ex hominibus in dæmones commutatos ait, âëraq́ induti tota tellure vagantur. tribuit ſcilicet âëreum corpus dæ-*
Apuleius. *monibus, vt etiam Apuleius ex ſententia Platonicorum. Sed & Plato, & Apuleius, etiam aërem eis tribuunt, non modò, quia illorum corpora ex illo ſunt formata, exigua,*
Quare dicuntur àërea. *& tenuia; verùm etiam, quia pro regno & regione âërem poſsident, exiſtimantes nullam fuiſſe mundi partem, quam deus animalibus non repleuerit. Etenim, quemadmodũ cœlum plenum eſt animalibus, id eſt ſyderibus, quæ animalia vocantur; ſic âërem fuiſſe a-*

 Dæmonũ natura.

iſſe animalibus natura, & diuinitate genere cœleſti inſerioribus repletum. Excluſis igi
tur fabuloſis illis poëticiſq; dæmonibus, naturales dæmones priſcorum omnium, atque
philoſophorum eſt ſententia, àëreos eſſe, idq; duabus de cauſis; quòd & in regione ſint
àërea, proximè poſt lunam, & quòd ſint in corporibus àëreis, ſed propter tenuitatem,
quales ſunt ſoni & voces, inuiſibiles per omnem mundum inambulant. Vnde in Politico Quomodo in
loquens de vita, quæ ſub Saturni regno ducebatur: Tunc, inquit, totius mundi princeps, uiſibiles.
curatorq; primùm deus extitit; at nunc per varias mundi plagas, ſingulæ ipſius partes Omnia deorũ
à dijs principibus diſtributæ ſunt; quorum vnusquiſq; munus ſuum ſuſcepit curandum. plena.
In Atlantico: Dij, inquit, quondam viuentium terræ orbem ſigillatim ſortiti ſunt, in re-
giones ſingulas diſtributum, qui perſuaſione, pro gubernaculis vtebantur, eamq; ani-
mam attingebant, & pro arbitrio ſuo ita ducentes, mortale genus omne gubernabant.
Et lib: 5. de legibus, eas regiones feliciores eſſe cenſuit, quæ meliores dæmonum rectores
fuiſſent ſortitæ. vnde in Phædro commemorat, dæmonem quendã Ægyptios primùm li-
teras docuiſſe. Et lib: 4. de legibus, dicit Saturnum ciuitatibus dæmones præſtantio-
ris generis præfeciſſe. Socrates Alcibiadem allocutus ſic ait: Curator meus melior eſt, Socratis dæ-
& ſapientior, quàm tuus Pericles: Deus, ô Alcibiades, qui me vetuit ante hunc diem te- mon.
cum diſſerere. Et in Theage ait Socrates: Adeſt mihi diuina quadam ſorte, dæmonium
quoddam à prima pueritia me ſequutum. Et in Charmidem: Quibus fauet poteſtas dæ-
monij, inquit, breui ij proficiunt. Et 6. de Repub. dicit: Dæmonis autem noſtri ſignum,
referre nunc non decet. Et in lib: de legibus 6. monet vnumquenq; numen ſuum venera-
ri. Vnde Apuleius: Hic, quem dico, prorſus cuſtos, ſingularis præfectus, domeſticus ſpe- Apuleius.
culator, indiuiduus arbiter, inſeparabilis teſtis, malorum improbator, bonorum proba- Cuſtos noſter
tor, ſi ritè animaduertatur, ſedulò cognoſcatur, religioſè colatur. Omnia ergo ſunt dæ-
monũ plena. Porrò hæc eſt diffinitio, qua dæmones & boni, & mali, à Platone deſcribũ-
tur, gentem ſcilicet eſſe àëream, àëreis corporibus veſtitam. Cæterùm, veri dæmones Veri dæmo-
ſunt àërei corpore & habitatione, qui ſcelere & turpitudine delectantur, quos in 3. de nes.
Repub. dicit eſſe maleficijs præfectos: & ſic etiam in 2. & 10. de legibus. Porphyrius, Porphyrius.
per contrarios, ait, dæmones, omne maleficium peragitur, mendacium eſt his propri-
um. Vnde Euripides: Si quid turpe faciunt, non ſunt dij. Heſiodus, Aërea induti tota Euripides.
tellure vagantur Homerus: Dij ſcelerata adamant haudquaquam facta, beati Heſiodus.
Iuſtitiam ſed amant, rebus lætantur & æquis. Homerus.

Iamblichus de myſterijs Ægyptiorum: Dij, inquit, angeli, dæmones boni, non appa- Iamblichus.
rent phantaſtico modo, ſed proprio prorſus, & vero: ſpiritus verò mali, phantaſtico, Mali dæmo-
fallaciq; ſimulant deorum præſentiam, ideoq; cultorem ſuum iubent eſſe iuſtum, vt ipſi nes.
videantur boni ſicut dij. Quoniam verò natura ſunt mali, rogati mala inferre, libenter
inferunt, atq; nobis ad iniuſta conducunt: hi ſunt omninò, qui & in oraculis mentiun-
tur & fallunt, & turpia conſulunt atq; peragunt. Dij verò boni dæmones, neq; fallũt vn- Boni.
quam, neq; conferunt ad iniqua. Eſt inſuper malorum natura dæmonum ſibimet incon-
ſtans, inſtabilis, ſecumq; diſſidens, aliàs alia ſuadens; ſuperiorum verò natura ſibi con-
ſtat, eundemq; ſeruat ſemper in actione tenorem. Chaldæi quoq;, & Magi, à Zoroaſtre, Chaldæi.
fatentur dæmonas impuros, inquinatos, vltores hominum malorum, veneficijs præfectos. Magi.
Pſellus: Mendaces, inquit, natura ſunt dæmones terreſtres, & qui procul à diuina cogni Pſellus.
tione ſemoti, & tenebroſæ materiæ impliciti. Sunt ergo mali dæmones principes tenebra Nomina dæ-
rum, aëreæ poteſtates, ſpiritalia ventoſa, ſceleratorum carnifices. Chaldæus: Ex finibus, monum.
inquit, terræ exiliũt canes terreſtres, nunquam verum ſignum mortali oſtendentes. Ca- Chaldæus.
nes, inquit Pſellus, eos appellat, velut animarum vltores; terreſtres autem, vt è cœlo la-
pſos, circumq; terras vagos: igitur iſti longè à vita beata ſemoti, intellectualiq; contem-
platione deſtituti, prædicere futura non poſſunt. Quamobrem, quidquid dixerint & o-
ſtenderint, falſum eſt & arbitrarium; vident enim per phantaſias præſentia: ad futu-
ra verò

Dæmonũ genus.

ra verò coniecturis incertis, & non clarè expreſsis, ſed confuſis notionibus vtuntur. Tatianus. *Tatianus ad gentes in apologetico, dæmones, ait, in multum ſcelus prolapſi, animas apud* Orpheus. *nos initiatorum per inſcitias & apparentias deceperunt. Orpheus dicit dæmones deorũ flagello caſtigari.*

Exhorrentq; tuum rapidum, durumq; flagellum,
Dæmones humani hoſtes, atq; feri, atq; maligni,
Qui noſtris animis vacuis infanda miniſtrant,
Vt ſemper diram vitam cum crimine ducant,
Corpore peccantes, ſemper vincliſq; retenti,
Excidat vt nobis ſummi fulgor patris aulæ,
Sed tu dux animorum.

Empedocles. *Empedocles cecinit his verſibus ſeu carminibus, dæmonum tormenta.*

Æthereus motus in pontum deijcit illos.
Pontus at in terram pellit, ſed terra remittit
Ad ſolem rapidum: is vbi fit conuerſio cœli,
Ex alioq; alius fugat, execrantur & omnes.

Plutarchus. *In libro de non fœnerando, Plutarchus comparat fœnerantem dæmonijs hiſce vagis: Quemadmodum, inquit, illi labentes de cœlo, diuinituſq; exagitati vagantur.*

Dæmones errantes per terras, & mare ſemper,
Æternas pendunt diuino verbere pœnas.

Homerus. *Homerus de caſu Diaboli.*

Extemplò apprehendit Aten, de crine comanti:
Atque animis iratus, formidabile iurat
Syderum cœlum, ſummiq; cacumine olympi
Admittere Aten non vltra, noxia cunctis.

Pherecydes. *Pherecydes de caſu Luciferi.*

Quid ſit dæmon. *Eſt autem Dæmon ſpiritus, quem naturæ ſuæ per quandam morulam dereliquit Deus, in qua ſi perſtitiſſet, beatus permanſiſſet; ſed peccauit, & tranſiuit morula meriti, & demeriti ſine pœnitentia, & de cœlo in hunc aërem caliginoſum excluſus eiectuſq; eſt. Proinde Pherecydes ait, dæmones quondam Ioui rebelles, apud inferos fuiſſe detruſos,* Serpens. *eorumq; ducem fuiſſe Ophioneum, id eſt ſerpentẽ; ſub ſerpentis enim ſpecie dæmon ho-* Lucifer. *minem decepit. Maro etiam exitium, ex Cumanæ Sibyllæ carminibus diſcens, ait 4. E-* Maro. Apuleius. *gloga: Occidet & ſerpens, & fallax herba veneni. Apuleius lib: de Deo Socratis ſic diffiniuit: Dæmones ſunt genera animalium, animo paſſiua, mente rationalia, corpore* Auguſtinus. *aërea, tempore æterna. Auguſtinus 9. de ciuit. dei, tria dæmonum genera, ex ſententia Platonicorum deſcribit, ſecundùm triplicem vtiq; actum, trinamq; conuerſionem, ad* Tria genera dæmonum. *deum ſcilicet, ad ſe, ad ſequentia. Primi quidem ad deum amandum tota mente conuerſi, euaſere beati, quos deos, ſeu calodæmones appellant. Secundi ad ſe conuerſi, miſeri effecti ſunt, principio ſuo fineq; priuati. Tertij, ad infima diligenda conuerſi, omnium euaſere miſerrimi, quibus præter orbitatem illam, aliud contigit malum multiplex, perturbatio vtiq;. Primi ſunt à corporibus penitus abſoluti: ſecundi, quaſi proprio amore* Dæmonum natura. *decepti, elementis ſub luna ſimplicibus ſunt addicti; non tanquam animæ quadam propr ſus infuſi; ſed ritu quodam quaſi magico diuinitus mancipati, quibus præter orbitatem ſuperiorem, accidit conditio iſta ſeruilis, & indignatio ſequens. at, tertij compoſita corpora, venerationemq;, & cultum ab hominibus capientes, corporibus iam ex igne aëreq; vaporibuſq; terræ, & aquæ conflatis ſunt immerſi, amore id faciente, atq; deo compellente. Hinc putant aërea quædam facta eſſe animalia, vaſta quidem, & celeritate potẽtia, inuida, ſuperba, malefica. quibus vltra intellectum, & voluntatem peruerſam, cõſequenter ineſt imaginatio præceps, ira feruens, & concupiſcentia vehemens. Vnde Dionyſius*

Dionyſius.
Dæmonum conditiones.

onyſius 4. de diuinis nominibus: *Quid præterea dæmonibus malum eſt? furor irrationalis, concupiſcentia demens, imaginatio præceps: ſunt nocendi cupidi, iuſti expertes, factu elati, actu calidi, inter cœlum terramq́; habitãtes, donec poſtremò ad infera detrudantur, vt tantò eant inferiùs, quantò altiùs ſe attollere conati ſunt. Sed de his hactenus. Deinceps loquendum nobis erit, de origine & inuentione idolorum capitulo ſequenti.*

CAP. III.

Idolorum cultus.

Vnde ſit idolorum cultus.
Diophanes.
Syrophanes.

IDolorum, ſeu Dæmonum cultus, à Belis imagine, quam filius Ninus paterni leuandi memoris cauſa fecerat, initium ſumpſiſſe aiunt: alij verò à Caimo, alij à Prometheo, alij ab Iſmaele, alij à Nembroth gygante, exordia traxiſſe referunt. At Diophanes Lacedæmonum author libr: 14. antiquitatum, apud Fulgentium libro enarrationum allegoricarum, in Syrophanem Ægyptium, hũc cultum referunt. vnde ait, doloris anguſtia filij, ſibi ſimulacrum in ædibus inſtituiſſe, quo facto, vniuerſa familia in domini adulationem, aut coronas plectere, aut flores inferre, aut odoramenta ſimulacro ſuccendere conſueuit; nonnulli etiam ſeruorum criminibus ſubditi, domini feruorem euitare cupientes, ad ſimulacrum profugi, veniam merebantur, & quaſi certiſſimo ſalutis collatori, timoris affectu, florum, aut thuris offerebant munuſcula. Aſtipulatur huic, quod ſcribitur ſapientiæ 14. Acerbo, inquit, luctu dolens pater rapti citò ſibi filij, fecit imaginem. Iuſtinus Martyr, & philoſophus in lib. gentium admonitorio, Orpheum magiſtrum vocat, quòd Thracas cæremonias deorũ colendorum edocuerit. quod Athenagoras Athenienſis philoſophus, & Chriſtianus, in oratione in Marcum Aurelium Antoninum, & Aurelium Commodum confirmare videtur, dum Orpheum, ait, nomina deorum, & generationes primùm inueniſſe, & enarraſſe, & ipſum Homerum poſtea fuiſſe imitatum.

Iuſtinus.
Orpheus.
Athenagoras.

Diuerſa nomina idolorum.
Beelzebub.

Non autem ignorare oportet, diuerſas nationes, diuerſis nominibus ſua idola nuncupaſſe: Babyloni enim eorum idolum Bel nuncupabant: Moabitæ, Beel: Paleſtini, Baal: & aliquando addentes aliquid, dicebant Beelphegor; aliquando verò dicebant Balaim, qui erat deus Sydoniorum. Iudæi illud ſpernentes, appellant Beelzebul, id eſt, deum muſcarum, quarum numerus magnus erat, ob immolatarum carnium cruorem. Oraculum Delphicum, Apollo Pytheus, Dodonæus Iupiter, Capitolinus Iupiter, Veſta, Pantheum, Serapis, & quæ eiuſdem ſint generis; quæ profectò omnia falſorum deorum, id eſt, dæmonum ſimulacra fuiſſe ipſimet gentiles apertiſſimè faſſi ſunt. Vnde Mercurius ad Aſclepium ſic vaticinando locutus eſt: Futurum tempus eſt, vt appareat Ægyptios in caſſum pia mente diuinitatem ſedula religione ſeruaſſe, & omnis eorum ſancta veneratio, in irritum caſſura fruſtrabitur: è terris enim ad cœlum eſt recurſura diuinitas, linquetur Ægyptus, terraque, quæ fuit diuinitatis ſedes, religione viduata, numinum præſentia deſtituetur: alienigenis enim regionem iſtam terramque complentibus, non ſolùm neglectus religionum; ſed quod eſt durius, quaſi de legibus â religione, pietate, cultuque diuino ſtatuetur proſcripta pœna, prohibitio erit. Tũc terra iſta ſanctiſsima, ſedes delubrorum, atq; templorum, ſepulchrorum erit, mortuorumq́ue pleniſsima. O Ægypte, Ægypte, religionum tuarum ſolæ ſupererunt fabulæ, & æquè incredibiles poſteris ſuis &c. Nonnè quaſi diuinus vates, idolorum, quæ in Ægypto habebantur, ruinam prædixit? Plutarchus etiam egregiam de ſimulacrorum vanitate profert ſententiam: Stultum enim, inquit, eſt & puerile admodum, putare deum ipſum, ſicut ventriloqui ſpiritus, qui Pythones appellantur

Mercurius prophetat.
Idola eſſe deſtruenda.
Plutarchus.

Pythea fœmina. pellantur, ſubeuntem in corpora Prophetarum, ore ipſorum, & vocibus, vt organis vtentem, reſpõdere. Quid enim fuit Pythea, niſi fœmina, quæ ſuper tripode cruribus diuaricatis, malignum ſpiritum inferiùs emiſſum, parteſq́ genitales ſubeuntem, excipiens, furore repleretur, & crinibus expanſis, ſpumanſq́ ore debaccharetur, funderetq́ inſana oracula? Si quid igitur veri ab idolis dictum eſt; hoc planè à ſancto Spiritu depromptum fuiſſe, firmiter tenendum approbandumq́ eſt: Deus enim bonus, & humanus, cùm conſpiceret homines huiuſmodi decipi oraculis, neque per ſpiritus quidem malos dedignatus eſt vera reſpondere. Sic per Balam prophetauit: Orietur ſtella ex Iacob, numerorum lib. Et per Pythonem Sauli, miſſo angelo ſub perſona Samuelis. Et in Ezechiele legitur: Si adieris ad falſos Prophetas, ego tibi reſpondebo per illos. Non ergo putare debemus, idola vera numina fuiſſe, quia aliquid veri ab eis dictum ſit: quãdoquidem ſicut per Caipham prophetauit; ita etiam per dæmonum oracula, etiam ipſis nolentibus, deus aliquando vera locutus eſt. Reuera, Dijs atq́ dæmonibus, hanc ordinis dignitatem antiquì illi theologi attribuerunt. In primo ordine, Deum patrem omnium atq́ regem locandum eſſe dixerunt: in ſecundo, deorum multitudinem: in tertio dæmones: in quarto, heroas. dæmones verò, alios bonos, alios prauos eſſe arbitrantur, & hos ita primum locum in malis obtinere, ſicuti Deus obtinet in bonis. dæmones præcipiunt cœleſtes, quos & æthereos deos appellant, ſumma eſſe religione colendos: poſt eos bonos dæmones: tertiò heroum animas: extremò prauos dæmones placandos aiunt. Ex quo patet, honorem idolis impenſum, inanem eſſe dæmonum peſſimorum culturam: peſſimi, inquam, qui ad tantum nefas hominum animos adduxerant, vt ſceleſtas manus patres in filios inferrent, ac liberorum ſanguine deos placãdos eſſe dicerent. Rhodij hominem Saturno ſacrificabant. In Salamine inſula, Agraualæ Cecropis filiæ homo cædebatur. Poſtea verò in templo Palladis, Agraualæ ac Diomedis (vnum enim triũ fuit) Diomedi homo immolabatur. Apud Ægyptios in Heliopoli, homines immolatos fuiſſe legitur: Sacrificabantur verò Iunoni tres in die, quos inquirebant ſi mundi eſſent. Dionyſio etiam apud Chios, homo crudeliter diſcerptus ſacrificabatur. Lacedæmonij, vt Apollodorus ſcribit, hominem Marti ſacrificare conſueuerant: & Phœnices bellorum, aut peſtilentiæ calamitatibus, amiciſſimos. Hiſtrius quoq́, qui Cretenſium hiſtoriam collegit, Curetas, ſcribit, Saturno antiquitus pueros ſacrificaſſe. In Laodicea Syriæ, Palladi virgo immolabatur, nunc autem cerua: & Arabes ſingulis annis puerum immolantes, ſub lara ſepeliebant, omneſq́ Græci cõmuniter, authore Philarcho Hiſtorico, antequã ad bella exirent, hominem immolabant. In magna vrbe Latini, Iouis ſolennitate, hominẽ immolabant. In Arcadia, Pani Lycæo, in Carthagine Saturno, deniq́ omnes communiter homines, cùm dies ſtatutus aduenerit, quo ſacrificare hominem ſolebant, aram ſanguine hominis aſpergebant. Philo etiam, qui Phœnicum hiſtoriam conſcripſit, in primo lib: Mos inquit erat priſcis illis hominibus, magnis in calamitatibus, atq́ periculis ciuitatis, aut gentis principem, dilectiſſimum ex liberis, vlciſcenti dæmoni, quaſi redemptionis præmium tradere, & ſic traditum, myſticè iugulare. Ariſtomenes Meſſenius, Ioui, quẽ illi appellabant Ithometem, trecentos ſimul ſacrificàuit; in quibus Theopompus etiam Lacedæmoniorum Rex fuit. Scythæ autem quoſcunq́ aduenas ceperint, capiũt autẽ multos, qui fluctibus & tempeſtate ad eos depelluntur, Dianæ ſtatim immolare ſolent, quæ ſacrificia tragicè Euripides decantauit. Monymus in libro miraculorum, in Pellæa ciuitate Theſſalica, hominem Achiuum Peleo & Hironi, ſingulis annis immolatum fuiſſe narrat. Cretenſes, Anticlide teſte, Ioui hominem immolabant. Lesbi quoq́ Dionyſio, & Phocenſes Dianæ, hominem immolabant, authoribus Doſcida & Phitocule. Herecbtheus verõ Atticus, & Maccarius Romanus, filias ſuas, alter Proſerpinæ, teſte Demerato in primo libro, alter defenſori dæmoni immolare nõ dubitârunt, Dorotheo authore in 4. Italicarum rerum. Dionyſius Halicarnaſſus, Romanæ ac Italicæ hiſtoriæ peritiſſimus, in

Marginalia: Omne verum eſt à Deo. — Quadruplex ordo. — Diuerſis idolorum cultus. — Apollodorus. — Hiſtrius. — Homines immolabant. — Philo. — Ariſtomenes. — Theopompus — Scythæ. — Euripides: — Monimus. — Anticlides. — Doſcida. — Phitocules. — Demaratus. — Dorotheus. — Dionyſius. — Halicarnaſſus.

mus, in primo de antiquitate Italica ſcribit, Iouem & Apollinem, quoniam decima hominum immolata non fuerant, magnas Italis calamitates induxiſſe: Nullus in arboribus fructus, inquit, ad maturitatem vſq; permanſit; ſed immaturi omnes defluebant: nec ſpicæ ſemine replebantur, nec herbæ pecori ſufficientes germinabant: mulieres abortum patiebantur, aut nati pueri manci & diſcerpti erant. Saturno in Italia priſcis tēporibus, ex adoleſcentibus, qui ad iuuentam in annos proueniebant, deligebant, atq; ſacrificabant. Celti, & Occidentales, homicidio ſacrificabant. Hercules hanc legem reuocauit: & ne quaſi patrio ritu neglecto, homines turbarentur, ſimulacra pro viuis hominibus, quos in fluenta Tyberis proijciebant, hoſtiarum ornamēta in Tyberim mittere docuit: quæ res à Romanis, Idibus Maij fieri ſolebat: ea enim die pontifices animalibus primò ſecundùm leges immolatis, virginesq; Veſtales, Prætores, alijq; ciues, quos ſacris adeſſe fas erat, 30. ſimulacra hominum, quæ Argiuos appellabant, à ponte ſacro in Tyberim dimittere conſueuerant. Diodorus in vigeſimo hiſtoriæ volumine Carthaginenſibus, ac Agathocle tyranno Siciliæ, poſt mortem Alexandri Magni primi, Ptolemæi tēporibus obſeſſis, Saturnum iratum fuiſſe ſcripſit, quoniam ipſi excellentiores ex filijs ſacrificare conſueuerant; poſtea verò clam emptis infantibus atq; educatis, liberorum loco immolabant: itaq;, deos placare ſtudentes, ducentos ex nobiliſſimis adoleſcentibus publicè ſacrificarunt; trecenti verò alij, quoniam ſuperſtites ſe eſſe videbant, ſponte ſe tradiderunt. Erat autem apud eos ænea Saturni ſtatua, magnitudine mirabilis, cuius manus in terram extenſæ ita erant in gyrum, vt qui ad eam prouenire adoleſcentes cogebantur, ingentem foueam ignis repletam inciderent. Apud Iudæos, Dauide teſte, prophanus iſte dæmoniorum cultus ita viguit, vt filios ſuos, filiasq;, dæmonijs ſacrificare nō dubitauerint. Verum igitur eſt, quod Chaldæus dixit, dæmones malos, canes eſſe terreſtres, vtpotè, hominum ſanguine gaudentes, crudeles, immanesq; homicidas, humani generis hoſtes, fraudum doloſos artifices, malorumq; inuentores. Omnes ergo, authore Dauide, dij gentium dæmonia; Dominus autem cœlos fecit. vnde, quæ gentes ſacrificabant, dæmonibus, & non Deo ſacrificaſſe, Paulus ad Corinthios loquens prima epiſtola, apertiſſimè veriſſimeq; proteſtatur. Sanè, Deus natura bonus eſt; bonus autem nemini nocet: qui ergo humanis cædibus gaudet, & ſanguinem innoxium fundi appetit; deus vtique nec eſſe, nec dici poteſt. Cæterùm, hæc falſa dæmonum veneratio, veritate apparente euanuit, quemadmodum & ipſimet gentiles teſtati ſunt. Etenim Porphyrius, Chriſtiani nominis hoſtis, in libro, quem aduerſus religionem noſtram conſcripſit, apertè hoc ipſum teſtari videtur: Nunc mirantur, inquit, ſi tam multis annis peſte ciuitas vexatur, quum & Æſculapius, & alij dij longè abſint ab ea; poſtea enim, quàm Ieſus colitur, nihil vtilitatis à dijs conſequi poſſumus. Sed ſi dij ſunt, ô Porphyri, quomodo Ieſu virtute ſuperantur, quem vos dicitis ſeductorem fuiſſe, atq; mortalem hominem? Scribit Porphyrius reſponſa Deorum:

Hercules.

Mos Romanorum.

Diodorus.

Dauid.

Paulus.

Idolorum ruina.

Porphyrius.

Ablata eſt Pythij vox, haud reuocabilis vlli
Temporibus longis: etenim iam ceſſit Apollo,
Clauibus occluſus ſilet: ergo ritè peractis
Diſcedas patria, & redeas ad limina ſacris.

Diuus autem Auguſtinus lib: 8. cap: 24. de ciuit. Mercurij vaticinium mirificè commendat atq; colit, quod de abijciendo dæmonum cultu, clariſſimè locutum fuiſſe videmus: Quoniam, inquit proaui noſtri, multùm errabant circa deorum rationem increduli, & non animaduertentes, ad cultum religionemq; diuinam, inuenerunt artem, qua efficerent deos, cui inuentæ adiunxerunt virtutem de mundi natura conuenientem, eamq; miſcentes, quoniam animas facere non poterant, euocantes animas dæmonum, vel angelorum, eas indiderunt imaginibus ſanctis diuiniſq; myſterijs, per quas idola, & bene faciendi, & malo, vires habere potuiſſent: Neſcio, inquit Auguſtinus, vtrum ſic

Auguſtinus commendat Mercurij vaticinium.

Dæmonũ magia.

altiorem, ſanctioremq́; quàm medicinam, ita blandiſsimis deſideratiſsimisq́ promiſsis addidiſſe vires religionis, ad quas maximè etiam caligat humanum genus. atque vt hoc quoque ſuggeſſerit, miſcuiſſe artes Mathematicas, nullo non auido futura deſeſſa ſciendi: atque ea è cœlo veriſsimè peti credente, ita poſſeſsis hominum ſenſibus triplici vinculo, in tantùm faſtigij adoleuit; vt in magna parte gentium præualuerit, & in oriente regum regibus imperauerit. Nam & illic, ſine dubio orta eſt in Perſide à Zoroaſtre. Summa autem literarum claritas, gloriaq́ ex ea ſcientia antiquitus fuit petita. Nam & Pythagoras, & Empedocles, Democritus, & Plato ad hanc diſcendam nauigauêre, exilijs veriùs quàm peregrinationibus ſuſceptis, hanc reuerſi prædicauêre, hanc in arcanis habuêre. Porrò, hanc artem multa poſt ſecula Democritus ampliauit, Hippocrate medicinæ patre florente. Orta eſt autem ex malorum traditione angelorum, vnde & ſcientia facta eſt futurorum, & inferorum, inuentaq́ ſunt inuocationes, haruſpicia, augurationes, & ipſa, quæ dicuntur oracula, & necromantia fertur, & quædam maga famoſiſsima Circe, quæ ſocios Vlyſsis mutauit in beſtias. Et de ſacrificio legitur, quòd Arcades deo ſuo Lycæo immolabant, quicunq; ſumpſiſsent, in beſtiarum formas conuertebantur. hanc ob cauſam nobilis ille Poeta ſcripſit de quadam fœmina, quæ in hoc artis genere cæteris præſtantior erat:

Magiæ antiquitas.

Magicæ artis ortus.

Democritus.

Circe maga.

Hæc, inquit, ſe carminibus promittit ſoluere mentes
Quas velit, at alijs duras immittere curas.
Siſtere aquam fluuijs, & vertere ſydera retro
Nocturnosq́ ciet manes: mugire videbis ſub pedibus terram,
& deſcendere montibus hornos.

Prudentius de Mercurio ſic ſcribit.

Traditur hic extinctas ſumpto moderamine virgæ,
In lucem reuocaſſe animas; ars aliós damnaſſe neci.
Murmure nam magno tenues exctire figuras:
Atq; ſepulchrales ſcire incantare fauillas.

Porrò magi dicti ſunt, qui vulgo malefici ob facinorum magnitudinem nuncupantur; eò quòd & elementa concutiunt, & turbant mentes hominum, ac ſine vllo veneni hauſtu, violentia tantùm carminis interimunt. Vnde Lucanus ait:

Magi vnde dicti.

Mens hauſti nulla ſanie polluta veneni
Incantata perijt.

Dæmonibus enim accitis audent ventilare, vt quiſq; ſuos perimat malis artibus inimicos: hi etiam ſanguine vtuntur & victimis, & ſæpè còtingunt corpora mortuorum. Diſtinguit Diuus Auguſtinus lib. de ciuit: Dei, 10. cap. 9. Magiam, Goetiam, & Theurgiam. Magia quidem eſt inuocatio dæmonum; ſcilicet beneficiorum ad aliquid conficiendum, cuiuſmodi erant Apollonij Tyanæi prædictiones. Goetia autem fit per coactionem mortuorum, etiam inuocatione, vnde & à planctu dicta eſt, qui fit circa ſepulchrum. Theurgia eſt operatio diuina, quæ erat ſuperiorum deorum, in qua cùm erratur teſte Iamblicho, non tunc bona numina, quæ optantur occurrunt, ſed mala planè prætextu bonorum. Plato in lib. de legibus 10. corporibus lædi corpora, hoc ex natura ipſa eſſe dicit; ſed beneficiis quibuſdam magicis, & incantamentis, vinculis quoque vt vocant, & his qui nocere tentant perſuaſum eſt: quomodo autem fiant, non facilè eſt cognoſcere. vnde legem tulit: Quiſquis, inquit, aliquem venenis læxerit, conuictus extremo ſupplicio plectatur: ſi quis verò incantationibus aliquem læxerit, & vates fuerit, aut prodigiorum conſul, morte plectitor. Secutus eſt Prophetam Moyſen populo ſic præcipientem: Maleficos, & incantatores non patieris viuere; ſed tolles eos de terra. Porphyrius libro de animalium abſtinentia ſecundo, ſic inquit: Per contrarios verò dæmones vniuerſum efficitur veneficium; hos namq́ maximè, horumq́ ducem, honorare ſolent,

Auguſtinus.

Magia.

Goetia.

Theurgia.

Plato.

Lex contra Magos.

Maleficos nõ patieris viuere.

Dæmonũ magia.

qui mala veneficijs inferunt: hi ſanè dæmones omniformibus figuris, imaginibuſq́ abundant, prodigiorumq́ machina ſtrenuè fallunt. horum opera maleficia machinantur; omnis enim intemperantia, ſpeſq́ diuitiarum, atque gloriæ per hos inualeſcit, præcipuè verò deceptio.

Plotinus.

De hac autem materia Plotinus enneadis 4. lib. 4. cap. 40. abundè loquitur, aſſeritq́ magicos attractus ex quadam rerum conſenſione in patiendo manare: incantatorem præterea quibusdam vti figuris, certas vires habentibus, atque ad ſe alia trahentibus. Inſitam etiam traducendi vim carminibus cantibuſq́, mirabiliter alia ad ſe trahentem: Trahitur, inquit, anima irrationalis, muſica, & eiusmodi veneficia animas occupant. Nam quemadmodũ beſtiæ quædam hominem quandoq́ faſcinant, & muſicus puer regem generoſum; ita etiam vir magus ad inferiores ſe habet dæmones.

Bonus vir nõ ſubditur magiæ.

Sed quærit Plotinus cap. 45. Quo pacto vir probus magicis trahi poſſit machinis: reſpondet, animam illaqueari non poſſe, nec vim rationalem ita pati, vt mutetur opinione; dæmones enim rebus humanis propinquiores, nos facilè trahunt: qui autem ſeipſum ſpectat, irretiri, rapiq́ non poteſt. Quamob rem, omnis actio vitaq́ actiua trahitur, non magorum artibus, ſed arte naturæ mirabiliter ſeducentis, aliudq́ cum alio valde conciliantis. Solus ergo maleficijs eiuſmodi non rapitur, qui per alias ſui partes tractus nihil talium affirmat bonum, quæ illis bona videntur; ſed ſolum quod ipſe nouit, neque deceptus, neque ſequens, ſed iam poſſidens; hic itaq́ nuſquam trahitur. hæc Plotinus cap. 44.

Magi ſunt riſu digni.

Et enneadis 2. lib. 9. cap. 14. Conſueuit, inquit, vulgus magorum vires nimium admirari; prudentibus tamen viris nequaquam perſuaderent, morbos dæmones eſſe, cauſaſq́ multas habere.

Auguſtinus.

Rectè ergo dictum eſt ab Auguſtino 8. de ciuitate dei cap. 19. Multis legibus hanc omnium artium impiiſſimam damnatam fuiſſe: Cur, inquit, tam grauiter iſta plectuntur ſeueritate legum, ſi opera ſunt numinum colendorum? Niſi quod hæc maleficia, humano generi ſunt pernicioſiſſima. vnde Poeta ait, Æneid. 4.

Virgilius.

Teſtor chara deos, & te germana, tuumq́
Dulce caput, magicas inuitam accingier artes.

Et Bucco: Æglo: 8.

Cicero.

Atque ſatas aliò vidi traducere meſſes.

In duodecim tabulis, id eſt, Romanorum antiquiſſimis legibus Cicero commemorat eſſe conſcriptum. Et ei, qui hoc fecerit ſupplicium conſtitutum. Itaq́ omnes artes

Auguſtinus.

magicæ ſunt fallaciæ dæmonum, vt etiam ipſemet Aug: lib: 4. de Trin: cap. 10. & 11.

Magia eſt ars dæmonis.

præclariſſimè docet: Magicæ, inquit, fallaciæ curioſiores, ſuperbioreſq́ animas deceptas, illuſaſq́ præcipitant; facilè eſt enim ſpiritibus nequiſſimis per aërea corpora facere multa, quæ mirentur animæ terrenis corporibus aggrauatæ, etiam melioris affectus.

Magia decepit curioſos.

Si enim corpora ipſa terrena nonnullis artibus, & exercitationibus modificata, in ſpectaculis theatricis tanta miracula hominibus exhibent, vt ij qui nunquam viderunt talia narrata vix credant; quid magnum eſt diabolo, & angelis eius de corporeis elementis, per aërea corpora facere, quæ caro miretur, aut etiam occultis inſpirationibus ad illudendos humanos ſenſus, phantaſmata imaginum machinari, quibus vigilantes dormienteſue decipiant, vel furentes exagitent? nequaquam igitur per magicas conſecrationes animæ purgantur, quia falſus mediator non traijcit ad ſuperiora: omnis ergo magia, eſt peſſimorum dæmoniorum iniquiſſima inuectio.

Quid ſit diuinatio.

Falſis ergo artibus ſic exploſis, nonnihil de diuinatione mihi dicendum puto. Porrò, diuinationem ab halitu terreſtri fieri quidam opinati ſunt.

Cicero.

Cicero de diuinatione: Terræ vis, inquit, Pythiam Delphis incitabat, quam poſt euanuiſſe vetuſtate, vt quoſdam fontes exaruiſſe, aut in alium curſum contortos, & deflexos, videmus; ſed, vt vis acciderit, magna eſt quæſtio.

Plutarchus.

Plutarchus eiuſdem eſt ſententiæ, quod ſcilicet halitus ille terræ, quemadmodum omnia terreſtria, vt fontes, vt metallorum venæ, potuerit deficere: & diuinatio oraculorum, præcipuè Delphici, tantam celebritatem interpollari: Diuiniſſimus eſt, ait, is ſpiritus,

ſiue

ſiue per aêrea, ſiue cum humida ſcaturigine, feratur: commixtus enim cum corpore, efficit animis temperiem quandam inſolitam, & inuſitatam, de cuius proprietate clarè pronuntiare perdifficile, coniectari tantùm ratione poßit. Quippe caliditate, & diffuſione poros aperit quoſdam, rerum futurarum imaginarios: ſicut cum vinum incaluerit, multas alias commotiones facere ſolet, reuelareq; arcana quædam, & latentia. Nam debacchatio, & inſania plurimùm ex diuinatione habet, iuxta Euripidem, cùm animus calefactus, & igneus, abiecit pudorem, quem mortalis prudentia inducens ſæpenumero auertit, & extinguit furorem diuinum. ſed falſa eſt hæc doctrina: nam ſi vis terreſtris, & exhalatio incitaret; cur non omnes accedentes, aut ſi non omnes, ſaltem ex tot millibus aliquot? Cur ſola virgo Pythia incitabatur? cur non homines robuſtioris, molioriſq; ingenij, ea vis arriperet? Adde, quòd mens, & intelligentia, quæ de foris veniunt, terreſtribus non indigent ſuffumigationibus; diuinatio ſiquidem aliquid diuinum eſt, & à terreſtri vapore non dependens. Rectè ergò, atq; probè, vaticinia oraculorum à Mercurio fabulæ dictæ ſunt. O Aegypte, *inquit*, religionum tuarum ſolæ ſupererunt fabulæ. *Profectò, quæ ab oraculis dicebantur, quoniam malignorum ſpirituum erant interpretes, nihil planè boni, niſi inuiti dicere potuerunt: inanis ergo eſt omnis illa diuinatio, quæ diuino vacabat numine, mendacij, & erroris plena: Surgant, inquit Propheta Iſaias, diuini tui ô Babylon, & opitulentur tibi, augures tui, qui contemplantur ſydera, & ſtellarum ordinem obſeruabant. Sed laus tibi ſancte Pymander, qui tuo verbo lucido nos illuminaſti, vt veræ diuinationis participes eſſemus. Quid ergo ſit magia, atque diuinatio, dixi.*

Dæmonũ magia.

Euripides.

Mercurius.

Vaticinia oraculorum fuerunt fabulæ.

Iſaias 47.

QVAESTIONIS SECVNDAE CAP. I.

Dæmonum natura, caſus, atque doli ex ſacris literis oſtenduntur.

SI hactenus ex multorum philoſophorum ſententijs dæmonum naturam, lapſum, atque malitiam plus fortaßis debito, perſcribere curaui; iam rationi omninò conſentaneum reor, Prophetarum oracula omnimodæ veritatis plena, atque de huiuſmodi materia abundè, copioſeq; loquentia, in medium afferre: ex quibus & malorum dæmonum lapſum, & Pymandri iuſtitiam, potentiamq; intelligere valeamus. Moyſes inprimis ſub caligine, nè gens illa Hebræa, idolis aſſueta, idolatrandi occaſionem ſumeret, malorum angelorum lapſum deſcripſit: Diuiſit, inquit, lucem à tenebris, lucemq; appellauit diem, & tenebras noctem. Auguſtinus lib. 1. de Geneſi ad literam cap. 2. & ſequent: Facta eſt lux, inquit, id eſt, conuerſio creaturæ atque illuminatio. Dixit deus, fiat: intelligimus dei dictum incorporeum, in natura verbi eius coæterni reuocantis ad ſe imperfectionem creaturæ, vt non ſit informis, ſed formetur: in qua quidem formatione, atque conuerſione, imitatur dei filium, plena ſimilitudine, & pari eſſentia patri ſemper inhærentem, quia ipſe, & pater vnum ſunt. Quoniam autem omnis creaturæ perfectio in hoc potißimùm conſiſtit, vt ad eum, ex quo producta eſt reuertatur creatorem; hac de cauſa in exordio Geneſeos dictum eſt: In principio creauit, id eſt, in filio &c. quaſi creaturæ imperfectionẽ demonſtrans: perfectionem verò, cùm ad verbum fuerit conuerſa: Fiat, inquit, lux, & facta eſt lux, id eſt, creatura angelica ad deum conuerſa, verbumq; imitata, deiformis facta eſt, atq; vltimam perfectionis arcem aſcendit. Cæterùm filius dei vitam informem habere non poteſt, quippe cùm non ſolùm hoc ſit ei eſſe, quod viuere; verùm etiam hoc eſt ei viuere, quod ſapienter & beatè viuere. Creatura autem angelica, tametſi verbo propinquior ſit, vitam informem habere poteſt, quum non ſit ei viuere, quod beatè, ſapienterq; viuere:

Moyſes fiat lux.

Auguſtinus.

Diuiſit lucem à tenebris.

Conuerſio ad deum.

Verbum dei principium creaturæ.

Dæmonũ natura.

viuere; auerſa ſiquidem à ſapientia incommutabili, informis redditur, & miſera. formatur autem conuerſa ad incommutabile verbum dei, quod eſt principium intellectualis creaturæ: Ego principium, qui & loquor vobis Ioan. 8. & cap: 17. de gen: ad lit: pri: Apertiùs hanc ſuam elucidat ſententiam: Facta eſt, lux, non illa, inquit, quæ eſt patri coæterna, quæ illuminat omnem hominem; ſed creatura ſpiritualis, quæ per conuerſionem ad deum facta eſt lux; diuiſitque lucem à tenebris, hoc eſt, iuſtos ab iniuſtis angelis; diuiſio enim lucis diſtinctio iam eſt rei formatæ ab informi, quam illicò diſtribuit, atque diſtinxit bonorum, atque malorum omnium æquiſsimus diſtributor, & ordinator, appellauitque lucem diem, & tenebras noctem; appellatio ſiquidem diei, & noctis, inſinuatio diſtributionis eſt, quæ ſignificat nihil deum inordinatum relinquere.

Nox & dies quid.

Et lib. 4. cap. 22. Veſpera primæ diei eſt cognitio ſui, qua creatura cognouit ſe non eſſe deum: mane verò illius diei poſt veſperam hanc, quo concluditur dies vnus, & inchoatur ſecundus, creaturæ conuerſio eſt ad deum, vt gratias referat creatori: & ex verbi cognitione intelligat, quæ poſt ipſam facta ſunt. Deinde fit veſpera illius, cùm ipſum firmamentum non in verbo dei, ſed in ipſa eius natura cognoſcit. Idem ſentit contra Fauſtum lib. 22. cap. 10, & cõtra aduerſarium legis, & Prophetarum lib: cap. 11. & 12. Si homo lux dicitur, inquit, angeli lux dici non poſſunt, qui ſemper vident faciem patris. Denique, ſi lux facta eſt corporalis, quomodo erat ante ſolem, qui quarto die factus eſt? Et lib. 65. quæſt: 23. quæſt: apertiſsimè hoc oſtendit: Primus, inquit, dies ipſe eſt angelica natura, quæ primo cœli nomine nũcupata eſt. Et 25. quæſt: Et diuiſit lucem à tenebris: deus enim bona, & incommutabili voluntate creauit omnes angelos bonos: & quia ex his quoſdam per ſuperbiam ſciebat eſſe caſuros, per incommutabilem præſcientiam diuiſit inter bonos & malos. Itaque Moyſes in principio Geneſeos malorum angelorum meminit, eorumque diuiſionem à bonis, ſub caliginoſæ locutionis modo deſcripſit, nè gens Hebræa in idolatriæ profundiſsimam impietatem facilè incideret. Porrò Moyſes in Exo: cap. 7. Dæmonum malitiam in magis Pharaonis apertiſsimè deſcribit: Magi Pharaonis ſimiliter ſerpentes, inquit, fecerunt: ex hoc tamen rerum creatores magi, ſeu dæmones dici non poſſunt, authore Auguſtino, lib. 3. de Trin: cap. 8. Omnium, inquit, rerum, quæ corporaliter, viſibiliterque naſcuntur, occulta quædam ſemina in iſtis corporeis huius mundi elementis, latent: aliæ ſunt enim hæc iam conſpicua oculis noſtris ex fructibus, & animantibus, alia verò latent. vnde iubente creatore, produxit aqua natatilia, & volatilia, terra germina, & animalia; neque enim tunc huiuſmodi fœtus producti ſunt, vt in eis, quæ producta ſunt, vis illa conſumpta ſit. quæcunque igitur ad oculos noſtros naſcendo exeunt; ex occultis ſeminibus, accipiunt progrediẽdi primordia, & incrementa debitæ magnitudinis. Angelis autem pro ſubtilitate ſui ſenſus hæc nota ſunt, vnde per cõgruas temperationes corpora formant, quantùm deus illis permiſerit: nam mirum eſt, quòd ſerpentes formare potuerunt, muſcas verò, & cyniphes, minimè. Reuera, firmiter nobis tenendum eſt, angelos tranſgreſſores, in hac aëris caligine detruſos, per quos artes magicæ exercentur, nihil valere ad operandum, niſi deſuper illis poteſtate conceſſa. Conceditur autem vel ad fallendum fallaces, vel ad admonendos fideles, ne tale aliquid magni faciant. Ex quo patet corporalem materiam, deo, & non angelis ad nutum eſſe ſubiectam. Scribitur primo regum, Saulem conſuluiſſe Pythoniſſam, rogaſſeque, vt ei Samuelem ſuſcitaret, quod quidem, phantaſtico ſpiritu factum eſſe, non autem verè Samuelem à mortuis ad viuos rediiſſe, Diuus Auguſtinus ad Simplicianum lib: 2. quæſt: 3. conſtanter tuetur: Per aliquod, inquit, phantaſma, & imaginariam illuſionem, diaboli machinationibus factam opus illud à Pythoniſſa perpetratum eſſe, credendum eſt. Id autem ſcriptura Samuelis nomine appellat, quia nimirum ſolent imagines rerum, earum nominibus appellari, quarum imagines ſunt. Suffragatur huic ſententiæ id, quod ab imagine illa dicebatur, ſecum ſcilicet eſſe futurum, quod profectò verum non eſt: nam boni à

Veſpera.

Mali angeli tenebræ dicuntur.

Magi Pharaonis.

Auguſtinus.

Dæmones nõ ſunt rerum creatores.

Magicæ artes per[?]ittuntur ad [?]llendum fallaces.

Pythoniſſa ſuſcitans Samuelem.

Auguſtinus.

malis

Luciferi nomina.

malis poſt mortem teſte Euangelio, magno interuallo diſtant, atque diuiduntur: non erat ergo Samuel, ſed dæmon, ſub imagine Samuelis loquens. Sunt & quàmplurima aliarum ſcripturarum teſtimonia in libris regum, quæ commemorant ſæpenumero reges, ac vulgus Pythones conſuluiſſe. Sed his dimiſſis, ad ſanctorum accedamus oracula Prophetarum: Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles, inquit, Iob cap. 4. & in angelis ſuis reperit prauitatem; natura ſiquidem angelica, etſi contemplationi authoris inhærendo, inquit Gregorius, in ſtatu ſuo immutabilis permanet; eo tamen ipſo, quo creatura eſt in ſemetipſa viciſſitudinis mutabilitatem habet: nam mutari, ex alio in aliud ire, eſt, & in ſemetipſa ſtabilē non eſſe. Mirum certè, quòd deus benedictus ſummorum naturam ſpirituum, & bonam, & mutabilem condidit; vt qui permanere nollent, ruerent, & qui in conditione ſua conſiſterent, eò ardentiùs amarent, quò firmiùs perſtitiſſent. Quoniam ergo ipſa natura angelica eſt in ſemetipſa mutabilis; hanc ob cauſam dictum eſt à Propheta Iob: Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles, & in angelis ſuis reperit prauitatem: Omnis enim natura, inquit Hieronymus in expoſitione eiuſdem verſiculi, creata, capax eſt peccati, vt apparuit in angelo malo: propter donum tamen, & creatoris gratiam ita in amorem charitatis illius transierunt; vt iam nec velint peccare, nec poſſint. Porrò, in primo capitulo apertiùs nomen dæmonis poſuit: Quadam autem die, inquit, cùm veniſſent filij dei vt aſſiſterent corā domino, affuit inter eos etiam Sathan. Filij dei, teſte Hieronymo, vel angeli, vel ſancti intelligendi ſunt, qui dono gratiæ ſpiritus ſancti, filij dei vocantur. Inter hos ergo diabolus aſtare dicitur, quia ex permiſſione dei, plerumq; ſanctos tentare non veretur. Iob ſiquidem typus erat Chriſti, cui erant ſeptem filij, id eſt, ſeptem Eccleſiæ dona, quæ funguntur ſacramentorum communio, & tres filiæ, id eſt, Lex, Prophetæ, & Euangelium. Oues: plebs Chriſti baptiſmi innocentia induta: Cameli, gentium prauitas, cum oneribus criminum, & tortuoſis ſenſibus ad Chriſtum venientium: boues, munda animalia, aſinæ verò, immunda, numero quinq; ſenſuum concluſa, qui multiplicati, quinquaginta quinq; faciunt, peractis lubricæ ætatis fragilitatibus, in virum perfectum tranſeunt. ruina domus, eccleſiæ perſequutio: Sabæi, id eſt, captiui: Chaldæi, hoc eſt, dæmonia impugnant, & diripiunt eccleſiæ bona. Et cap. 40. Ecce Behemoth, quem feci tecum: Iſaias vocat Leuiathan, quorum alterum, Elephantum, alterum Cœtum interpretantur: quæ duo animalium genera, cùm omnium quæ mari terraq; habentur, maxima ſint, immenſam dæmonis vim ſignificare videntur. Et Elephas dæmones aêreos deſignat, Cœtus verò, aqueos. Ipſe eſt principium viarum dei; hoc eſt, ad vias dei ambulandas, & per obedientiam præcepta dominica obſeruanda, hic inter cæteras creaturas à deo conditus eſt. vel, quia in illa æternitate ſua deus ſemper manens, quaſi egreſſus in facturam creaturarum videatur, & hæ ſint viæ eius, teſte Hieronymo, vt inuiſibilia ex viſibilibus apparerent. aut vnaquæque creatura via dei eſt, per quam ad dei itur cognitionem. ſiue viæ dei illæ ſunt, quando cuilibet creaturæ rationali, deus quaſi ad eam veniens, innoteſcit. Hac de cauſa Behemoth principium viarum dei appellatur, quia videlicet primus factus, dei ſui cognitionem, à quo conditus eſt, accepit. Hanc eandem Prophetæ ſententiam Diuus Auguſtinus 11. ſuper Gen: cap. 20. ad hunc modum intelligit. Hoc eſt initium, inquit, figmenti, non quia malus conditus ſit, ſed quia cùm ſciret eum propria voluntate malum futurum, vt noceret bonis, ad hoc illum creauit, vt de illo bonis ipſe prodeſſet: hoc eſt enim, vt illudatur ab angelis, quoniam ſic illuditur, quum ſanctis proſunt eius tentationes. hoc autem deus per ſanctos angelos facit illo opere prouidentiæ, quo creaturas adminiſtrat, bonis malos angelos ſubdens. Qui ergo putant in veritate nunquam ſtetiſſe; eiuſdem etiam putandum eſt, à veritate nunquam cecidiſſe: quomodo enim cecidit inde, vbi nunquam ſtetit? Sed hoc euangelio aduerſatur, aſſerenti, diabolum à veritate cecidiſſe. Et lib. 11. de ciuit. cap. 15. & 17. Vbi eſt vitium malitiæ, ibi natura non vitiata præceſſit; vitium enim ita contra naturam eſt; vt

Iob, in angelis reperit prauitatem.

Gregorius.

Hieronymus.

Satan inter filios dei.

Hiſtoria Iob exponitur.

Behemoth Leuiathan.

Principium viarum dei.

Hieronymus.

Auguſtinus.

Initium figmenti eius.

Quomodo cecidit.

Dæmon non eſt natura malus.

non poßit niſi nocere naturæ. Non itaq; eſſet vitium recedere à deo, niſi naturæ, cuius id vitium potiùs competeret eſſe cum deo. Quapropter etiam voluntas mala, grande teſtimonium eſt naturæ bonæ: ſed deus ſicut naturarum bonarum optimus ereator eſt; ita malarum iuſtißimus ordinator: vt cùm malè illæ vtuntur naturis bonis, ipſe benè vtatur etiam voluntatibus malis. Ex quo patet diabolum natura quidem, atque conditionè bonum eſſe, voluntate verò, malum; ſed dei prouidentia nobis vtilem, quibus non parum proſunt illius tentationes, & fraudes. Non debebat ergo (inquit Dionyſius 4. de diuinis nominibus) Deus abſtinere à productione tam nobilis creaturæ, propter futuram ex propria voluntate, iniquitatem; præuidebat enim iuſtis illius iniquitatem fore profuturam. hoc idem confirmat Auguſtinus ſuper Gen: 11. cap; 9. & ſuper Pſal. 45. Ex his ergo ſeripturis diaboli malitia cognoſcitur.

Dionyſius.

Auguſtinus.

CAP. II.

Diaboli effigies à Iob Propheta depingitur.

Fœnum.

ECce Behemoth, inquit quem feci tecũ, fœnum, quaſi bos comedet: quia omnis caro fœnum; boues enim non niſi fœno mundo veſcuntur. Profectò, diaboli eſca, teſte Habacuc 1. eſt electa: fœnum igitur Behemoth comedit, quaſi bos, quia vitam ſanctorum malitiæ dente rodere tentat: Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius: in lumbis, & vmbilicis, carnis luxuria intelligitur, quæ membris genitalibus inſerta eſt. in his certè ſuam exerit fortitudinem, atque virtutem. Stringit caudam quaſi cedrum: id eſt, in nouißimis ſuis ad deum non eſt reuerſurus; ſed vi ſuæ poteſtatis, exaltatus vt cedrus, nulla pœnitudine flectetur: cordis enim ſui duricia durißimo ligno comparatur. Vel, cauda diaboli, eſt antichriſtus, vltimum diaboli iaculum, qui eleuatus vt cedrus, ſtringet ſe, atque armabit contra Chriſti fideles. Nerui teſticulorum eius perplexi erunt: id eſt, illecebroſis voluptatibus, carnales homines implicabit. Oſſa eius, velut fiſtulæ æris. Cartilago illius, quaſi laminæ ferreæ: id eſt, diabolus cum ſuis durus eſt, rigidus, pertinax, & inflexibilis; in oßibus namq;, & cartilagine, intus, & foris, opere, & cogitatione, perfecta illius demonſtratur malitia. Qui fecit eum, applicabit gladium eius: id eſt, malo, quo alios punit, ipſe punietur. Huic mõtes herbas ferunt: omnes beſtiæ agri ludent ibi: id eſt, ſuperbi, temporariam iocunditatem. in quibus montibus Ludunt beſtiæ, miniſtri ſatanæ: ludunt, inquit, fluxu, laſciuiaq; vitiorum. Sub vmbra dormit in ſecreto calami, in locis humentibus: id eſt, in peccatis, quæ ſicut vmbra corpori, ita ipſa morti vicina ſunt. In ſecreto calami: id eſt, lumborum, quæ ſunt loca humentia. Protegunt vmbræ: id eſt, peccata, vmbram eius, id eſt, diaboli malitiam, quæ noſtris peccatis quodammodo protegitur, & creſcit. vel, diaboli vmbra: id eſt, malitia, peccata hominum, quadam ſuæ nequitiæ protectione defendit, & contegit. Circumdabunt eum ſalices torrentis: ſiue ſtirpes, & virgultum, nempè mundus iſte mortalis, ſua volubilitate, torrenti ſimilis. ſalices etiam iuxta vnum modum intelligendi, ſunt arbores ſteriles, ſemper virentes, cuiusmodi ſunt homines luxui dediti, à quibus viror male agendi nunquam marceſcit. Ecce abſorbebit fluuium, & non mirabitur: hoc eſt, genus humanum, de quo ſcriptum eſt: Meus eſt fluuius &c. genus namq; humanum inſtar fluminis, ſuis fluit, & per effluit deſiderijs. Et non mirabitur: retroactis temporibus vniuerſum planè abſorbuiſſe orbem; ſed fiduciam habet, quòd influat Iordanis in os eius: id eſt, fideles baptiſmi ſacramento renouati: Iordanis namq;, fluuius eſt baptiſmi. In oculis eius, quaſi homo capiet eum: homo, id eſt, Chriſtus, noſtra carne veſtitus: in oculis, hoc eſt, in ipſo intelligentiæ lumine: captus eſt, in ſui ipſius muſcipula, quam Chriſto parauerat: morte enim

Lumbi.
Vmbilicus.
Cauda teſticuli.
Nerui.
Oſſa.
Cartilago.
Gladius.
Herba.
Dormit.
Vmbra.
Salices.
Fluuius.
Os.
Iordanis.
Oculi.
Nares.

quam

Luciferi effigies.

quam intulit, periit, eiuſque imperium deſtructum eſt. Et in ſudibus perforabit nares eius. ſudes ſunt pali, qui acuuntur, vt figantur: ſudes ergo ſunt acuta ſanctorum conſilia. nares verò odor eſt peſtiferi hoſtis, quo res longè poſitas intelligit. In ſudibus ergo nares Behemoth perforantur, cùm eius inſidiæ, ſanctorum conſilijs pateant, atque vires admittant. An extrahere poteris Leuiathan hamo? Leuiathan additamentum interpretatur, quia ſcilicet in veritate non ſtetit, ſed ſuperbiam addidit, quaſi ſupra naturæ bonum, tumorem, & elationis morbum: hunc autem draconem, ne in aquis gentium dominaretur, hamo ſuæ paßionis dominus extraxit: hamo ergo captus eſt Leuiathan, quia dum redemptorem noſtrum per ſuos ſatellites, corporis eſcam momordit, illius diuinitatis aculeo confoſſus eſt, atque transfixus. Et fune ligabis linguam eius? id eſt, iniquitatibus ſuis conuictus, obmuteſcet. Nunquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillam eius? ſermones ſunt diuinæ potentiæ, quibus ſuperbus ille humiliatus eſt, atque attritus. Circulus autem in naribus Behemoth, eſt illius potentiæ refrenatio: nam & animalium naribus circulos ponimus, quæ ſuperba eſſe cognouimus. Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? ſuperbus enim cum ſit, precum execratur patrocinium, molliaq́ verba abominatur omninò. Nunquid feriet tecum pactum, & accipies eum ſeruum ſempiternum? nullo pacto vult ligari, nec alicuius ſeruituti ſubdi, niſi inuitus. Nunquid illudes ei, quaſi aui: aut ligabis eum ancillis tuis? alligatur enim, atque tanquam auis illuditur ab animabus ſanctis, quæ ſunt Chriſti ancillæ. Concident eum amici, diuident eum negotiatores: ſancti vtiq, dei amici, atque euangelici negotiatores. Nunquid implebis ſagenas pelle eius, & gurguſtium piſcium capite eius? pelles diaboli, ſunt iniqui, qui indiſſociabili connexione ei coniuncti ſunt: his ergo pellibus ſagenæ euangelicæ erant implendæ. Caput Behemoth, ſuperbi, quibus piſcium gurguſtium, id eſt, arcta prædicationis euangelicæ doctrina, exploſa ſuperbia, atque reiecta, impleri debuerat. Pones ſuper eum manum, nec addas vltra loqui, & memento belli: pones ſuper eum manum, ſi potes, & memento belli, quod ille gerit contra te. Ecce ſpes eius fruſtrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur: nempè in die iudicij videntibus omnibus præcipitabitur in gehennam, ignemq́ ſempiternum. Quis reuelabit faciem indumenti eius? id eſt, artes nequitiarũ eius? transfert ſe enim in angelum lucis; ſed à domino illius fraudes detegentur. Et in medium oris eius, quis intrabit? Os diaboli indeſinens blaſphemia, aut infernus, ad quem ſaluator deſcendit, vt deuoratos à diabolo homines liberaret. Portas vultus eius, quis aperiet? Abditam fortitudinem hypocriſeos diaboli dicit dominus ſe patefacturum, idq́ ſuæ paßionis tempore. Per gyrum dentium eius formido. beſtia ſanè eſt rapaciſsima, dentibus omnia conſumens; ideò timendum eſt incidere in illius dentes. Corpus illius, quaſi ſcuta fuſilia, corpus diaboli omnes eius conſortes, qui indiſſociabili connexione ei coniuncti ſunt, vnde ſubdit, & compactum, quaſi ſquamis ſe prementibus. Vna, vni coniungitur, & ne ſpiraculum quidem incedit per eas: hoc eſt, nullus eſt illũ additus, quo ad pænitentiæ bonum ſeſe conuertant: vnde addit: Vna alteri adhærebit, & tenentes ſe nequaquam ſeparabuntur: hoc eſt, maligni, ita ſibi inuicem in malitia cohærent; vt nullum illis ſit ſpiraculum reſpirandi ad deum. Sternutatio eius ſplendor ignis, & oculi eius, vt palpebræ diluculi. Alij dixerunt: In ſternutamento illius illuceſcit ſol, & oculi eius, vt ſpecies Luciferi. Sternutatio ſordes cerebri egerit, & vitia ex interno concepta depurgat: ſternutatio ergo Behemoth, eſt ſordium illius effuſio, quibus nos inficit, & maculat. Oculi illius: falſi Prophetæ intelligendi ſunt, à quibus lumini veritatis vicina dicuntur, ideò palpebræ diluculi appellantur, cùm tamen nihil luminis dei poßideant. De ore eius, lampades eius procedunt, ſicut tedæ ignis accenſæ: ſacrilegi, & blaſphemi, os diaboli dicuntur, ex quibus faculæ ardentes, id eſt, blaſphemiæ procedunt, quaſi tedæ ignis; teda ſiquidē cùm accenditur, odorem habet ſuauem, lumen verò obſcurum: huiuſmodi ſunt diaboli prædicatores,

Sudes. Leuiathan. Hamus. Lingua. Funis. Circulus. Armilla. Preces. Pactus. Ancillæ. Auis. Amici negotiatores. Pelles. Caput. Spes. Præcipitabitur. Facies indumenti. Os. Porta. Vultus. Dentes. Corpus. Scuta fuſilia. Squamæ. Sternutatio. Oculi. Lampades. Teda.

Lucifer effigies. *dicatores, qui vitæ quidem ſuauitatem prætendunt; opera tamen iniquitatis exercent.*
Fumus. *De naribus eius procedit fumus, id eſt, ſuperbia, ſicut ollæ ſuccenſæ, atque feruentes.*
Halitus. *Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egredietur: id eſt, ipſe incendit*
Flamma. *nos, & ad luxuriæ, & ad blaſphemiæ vitium. In collo eius morabitur fortitudo: colli no-*
Collum. *mine, id eſt, ceruicis, tumorem arrogantiæ diaboli dicit. Vnde Iſa: 48 dicit: Neruus fer-*
Facies. *reus ceruix tua, in qua principalis peccati malum habitat. Et faciem eius præcedet ege-*
ſtas: quibus enim diabolus appropinquat, illicò adeſt bonorum omnium miſeranda pau-
Membra. *peries. Membra carnium eius cohærentia ſibi, iniqui ſunt membra carnium diaboli:*
quippe, qui carnalibus, ac flagitioſis actibus dediti, ei, velut authori malorum cohære-
Flumina. *ant. Mittet contra eum flumina, & ad locum alium non ferentur: fulminabitur à deo*
igneis dei eloquiis, de ſanctis nubibus increpabitur. quæ quidem fulmina, non in locum
Cor. *alienum, ſed in diabolum iaculabuntur. Cor illius indurabitur tanquam lapis, & ſtrin-*
getur quaſi malleatoris incus: ſiue ſtat ſicut incus infatigabilis. cor diaboli durum, &
Incus. *inflexibile, ſtat ſicut incus, quæ non producitur: incus namq; cæditur, ſed non produci-*
tur: ſuperiecta edomat, immobilis autem ipſa conſiſtit: talis diabolus eſt. Cùm ſublatus
Purgabunt. *fuerit, timebunt angeli, & territi purgabuntur: in primi ſeculi temporibus ſcire potue-*
runt angeli ſancti, quando præſumptor tyrannidis cœli arce deiectus eſt. territi purga-
buntur, ad homines refertur, qui ad angelorum conſortium ſunt aſſumendi, qui diaboli
damnationem intuentes, ſeſe à vitijs cum timore purgare ſtudent. Cùm apprehenderit
eum gladius, ſubſiſtere non poterit, neque haſta, neque thorax. Alij maniſeſtiùs tran-
Haſta. *ſtulerunt dicentes: Si occurrerint ei lanceæ, nihil facient ei, id eſt, nullis metallis terro-*
Thorax. *rum poterit emendari, neque in haſta, neque in thorace: haſta, aduerſarium percutimus:*
thorace, illius iacula excludimus: haſta igitur, eſt prædicationis iaculum, thorax verò
Ferrum. *patientiæ fortitudo, quibus omnibus malignus ille domari non poteſt. Reputabit quaſi*
Paleæ. *paleas ferrum, & quaſi lignum putridum æs; tanta enim virtute ſuperbiæ ſe induit, vt*
Lignum. *hæc omnia arma aduerſus ſe ſuſcepta, palearum aceruis, & lignis putridis ſimilia repu-*
Æs. *tet. Non fugabit eum vir ſagittarius: id eſt, nullo ſanctorum ſic vinci poterit, vt ad pœ-*
Sagittarius *nitentiæ lamenta redire velit. In ſtipulam verſi ſunt ei lapides fundæ: funda eſt quilibet*
Lapides. *ſanctorum, qui manu domini continentur: ferreus ergo, atque pertinax diabolus, quæ-*
Funda. *cunq; ſanctorum iacula nihili pendet. Quaſi ſtipulam æſtimabit malleum, & deridebit*
Malleus. **Vibrans haſtam.** *vibrantem haſtam. verbum diuinum eum contundens pro ſtipula æſtimabit, & deride-*
Stipula. *bit trementem ſermonem, id eſt, quemlibet ſanctorum fortiſſimum. Sub ipſo erunt radij*
Radij. *ſolis: hoc eſt, angeli, quos ſecum traxit: vel homines, qui ſub præuaricatione Adæ con-*
Solis. *tinentur: vel docti, ac virtute inſignes, dæmoni tamen ſeruientes. Et ſternet ſibi aurum,*
Aurum. *quaſi lutum: id eſt, homines ſanctos, dormientes in fide, qui auro comparantur, quod*
cæteris præſtat puritate, pretioſitateq́; metallis, in lutum viliſſimum, pedibuſq́; concul-
candum, deniq; in ſuum miſerabile cubile rediget. Feruеſcere faciet, quaſi olla profun-
Mare. *dum maris. mare, hoc ſeculum, obſcuritate ſua, ac nimia ſtultitiæ cæcitate tenebroſum,*
Olla. *quod diabolus ad terrenorum amorem velut ollam carnali concupiſcentia, accendere*
Vnguenta. *conſueuit. Et ponet quaſi cum vnguenta ebulliunt: hoc eſt, feruеſcentibus iniquis carna-*
lium concupiſcentia, æqui, & iuſti inde proficient, atq; veluti vnguenta ſuauiſſima bonæ
Semita. *vitæ flagrantiam, ſuauitatemq́; alijs emittent. Poſt eum lucebit ſemita: ſemita, Chriſti*
eſt humilitas, diaboli verò ſuperbia, quæ ipſum ſuperbum inſequitur. vel ſemita ad pœ-
Abyſſus. *nitentiæ bonum, quam ipſe ſequi nullatenus voluit. Æſtimabit abyſſum, quaſi ſeneſcen-*
tem: ſiue, vt alij dixerunt, quaſi deambulacrum: hoc eſt, mundum, ſuis peccatis inue-
Poteſtas. *teratum, atquo corruptum. Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei: nulla*
planè creatura peccatrix, illius malitiæ comparari poteſt. Qui factus eſt, vt nullum
timeret: proprijs ſiquidem liberi arbitrij voluntate elatus, neminem veretur, nec ipſum
quidem dominum, niſi, vt pertinax, & malus ſeruus, nullũ habens dilectionis timorem.

Omne

 Luciferi lapſus.

Omnè enim ſublime videt: id eſt, ſublimia tantùm, atque ſuperba appetit. Contra: Domi- Sublime.
nus humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit. Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ: Rex ſuperbiæ
Id eſt, Caput & princeps omnium ſuperborum. Hæc Propheta ſanctiſſimus, atque pati-
entiſſimus ſcripſit, vtpotè, qui impijſſimi Behemoth certamen, fraudes, atque potentiam
tentandi, ſingulari quodam modo, in ſeipſo expertus fuerit. Proinde, cæteris acuratiùs
horribilem illius effigiem formamque, ante oculos poſuit, vt quilibet fidelium intelligat, Turpis diabo
quantũ ſibi ab iſto maligno cauendum ſit, cuius forma, tantam præſefert malitiæ vaſti- li effigies.
tatem, nequitiæ turpitudinem, ac omnium vitiorum execrandam, fugiendamque enormi-
tatem. Hæc paulò ſolitò longiùs deſcribere placuit, quia nobis ſalutaria eſſe reputaui.

CAP. III.

Dauid, & aliorum Prophetarum oracula, de lapſu, & natura Dæmonum.

AVditis diuinis oraculis, Moyſis, & Iob, ad alia Prophetarum oracula mihi
tranſeundum eſſe putaui, quo dilucidior nobis fiat dæmonum malitia atque
iniuſtitia, quæ à tot tantisque Prophetarum oraculis, & apertiſſimè deſcribi-
tur, & iuſtiſſimè condemnatur. Dauid Prophetarum eximius, ſcui ho- Dauid.
ſtis aſtutiarum non ignarus, ſæpenumero ſuis in Pſalmis illum meminit,
multisque vocat, atque deſcribit nominibus. In primo Pſalmo, nominat impium, vtpotè ve- Impius.
ram pietatem, id eſt, dei cultum execrantem. Conſilium, inquit, impiorum: id eſt, Lu-
ciferi, Adæ, & Euæ. Pſal. 5. vocat malignum: Neque, inquit, habitabit iuxta te mali- Malignus.
gnus, id eſt diabolus, omnesque illius malitiæ ſectatores: malignus, qui beneficijs factus
eſt deterior, omniaque bona in malitiam conuertit. Pſal: 6. operarius iniquitatis: Diſce- Operarius ini
dite à me operarij iniqui; ipſe enim peruerſus ſpiritus nequam, & iniuſtus, ſemperque ad quitatis.
non eſſe nos allicit. Pſal: 9. Increpaſti gentes, & perijt impius, id eſt, diabolus ſonitu Impius.
Euangelicæ tubæ. Et in eodem, nominat peccatorem: Laudatur peccator in deſiderijs a- Peccator.
nimæ ſuæ; ipſe enim per anthonomaſiam peccator dicitur, vtpotè peccator, & pater e-
ius. Proinde, in eodem Pſalmo dicitur: In operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt
peccator: id eſt, rei malè poſſeſſæ damni pœnam ſuſtinuit. Pſal. 12. appellat inimicum: Inimicus.
Illumina, ait, oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus
meus, prævalui aduerſus eum. cauendum nobis eſt ab huiuſmodi ſomno, quo gaudet ini-
micus ſe inde contra nos laudis victoriam comparaſſe. Pſal. 21. appellat leonem: Salua Leo.
me ex ore leonis; os leonis rugientis & ſuperbi, eſt infernus, à quo liberari rogat; quia
ſcilicet, non relinques animam in inferno. Appellat quoque canem, vtique propter ſanguinẽ, Canis.
quo malignus ille ſemper lætatur & viuit. Et vnicornium: vno enim cornu nos petit, o- Vnicorni.
dio videlicet perpetuo. Pſal. 71. nominat calumniatorem: Et humiliabit calumniatorem,
id eſt, diabolum, qui iniuſtam contra genus humanum compoſuit calumniam. Pſal: 73.
vocat draconem: Tu confregiſti capita draconis: id eſt diaboli, in aquis, ſcilicet bapti- Draco.
ſmi. Et Pſal: 103. Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei: Draco, inquam, ob ve- Calumniator
nenum, quod Euæ primæ mulieri peſtiferis ſuaſionibus inſpirauit; illuditur autem, dum
iuſtè increpatur, quippè, qui creatus fuerit bonus, & fœdis ſe miſcuerit peruerſitatibus;
illuditur, dum nobis proficit ſuis nequitijs, quibus obeſſe tentauerat. Iſaias Propheta Iſaias 14.
clariſſimè depingit huius draconis ſuperbiam, & horribilem lapſum: Quomodo cecidi-
ſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Cecidit, inquam, propria nequitiæ malignitate; Lucifer.
quia omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur. Dicebas in corde tuo: In cœlum, id eſt, ad di- In cœlum a-
uinam dignitatem aſcendam, eroque ſimilis altiſſimo, etſi non natura, poteſtatis tamen ſcendam.

 dignita-

Leuiathan nomina Diaboli

dignitate, atq; authoritatis dominio & imperio. Et cap: 27. nominat Leuiathan, id eſt, diabolum, calumniatorẽ, ſathan, aduerſariũ, apoſtatam, præuaricatorem, belial, abſq; iugo draconẽ, colubrũ antiquũ, cœtum magnũ, behemoth dæmonium, malignũ, impiũ, leonem, & draconem, aſpidem, baſiliſcum, canẽ, vnicornẽ, ſiue ceraſtem, peccatorem, inimicũ, operarium iniquum, luciferum, accuſatorem fratrum, verſipellem, & quæ ſunt generis eiuſdem: In die illa, inquit, viſitabit dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti, ſuper Leuiathan ſerpentẽ vectem & tortuoſum, & occidet cœtum, qui eſt in mari: vectem, inquam, id eſt concludentem, quòd multos ſuo carcere clauſerit. Hebræi autumant Leuiathan ſub terra: ſed fabula iudaica eſt. In die ergo iudicij dominus noſter viſitabit Leuiathan, & gladio ſuæ potentiæ illum interficiet, auferetq; de medio, ne ampliùs ſeducat gentes. Et cap. 47. de inani Luciferi iactantia ſic loquitur: Sapientia tua, & ſcientia tua, hæc te decepit: & dixiſti in corde tuo: Ego ſum, & præter me non alius. Veniet ſuper te malum, & neſcies ortum eius: irruet ſuper te calamitas, quam non poteris expiare. Reuera, diaboli peccatum eſt inexpiabile, ob ſuæ malitiæ duritiam, peruerſamque voluntatem.

Ezechiel 28. Signaculum ſimilitudinis.

Ezechiel Propheta cap: 28. Sathanæ lapſum, naturæq; excellentiam, qua cæteris præſtabat angelis, depingit: Tu, inquit, ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapiẽtia, & perfectus decore, in delicijs paradiſi dei fuiſti; ſignaculum, inquam, vt quò ſubtilior eſt in eo natura, eò Dei imago inueniatur ſimilior. Septuaginta tranſtulerunt ἀποσφράγισμα id eſt, reſignaculum, quaſi pro ſignaculo fecerit reſignaculum. Plenus ſapientia: vbi enim ſimilitudo dei, ibi & plenitudo ſapientiæ. Et perfectus decore, ſiue quaſi diuerſis floribus ornata atq; compoſita corona virtutum, quam proprio ſtudio auget diligens, dum naturæ bonum nutrit, induſtria, & negligens minuit.

Nouem lapides.

Omnis lapis pretioſus onamentum tuum, Sardius, Topazius, & Iaſpi, Chryſolitus, Onyx, & Beryllus, Sapphyrus, Carbunculus, & Smaragdus. Nouem lapidum ordinibus, nouem angelorum ordines complectitur. Itaq;, inquit Auguſtinus lib: de ciuit. 11. cap: 15. Si in delicijs paradiſi fuit omni lapide pretioſo ornatus; intelligitur vtiq; aliquando fuiſſe ſine peccato.

Angeli mali.

In Pſal: legimus quoſdam angelos malos eſſe, immiſſiones per angelos malos.

Zacharias. Sathan.

In Zacharia quoq; inuenitur aliquid ſimile cap. 3. Et oſtẽdit mihi dominus Ieſum ſacerdotem magnum, ſtantem coram angelo domini, & Sathan ſtabat à dextris eius, vt aduerſaretur ei; ſemper enim aduerſarius ille, domino, membriſq; eius aduerſatus eſt. vnde & Apoſtolorũ Princeps ait: Aduerſarius diabolus, tanquã leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.

Paſtor Stultus.

Et cap: 11. ab eodem Propheta, vocatur paſtor ſtultus: Aſſume, inquit vaſa paſtoris ſtulti. quæ autem ſit illius ſtultitia oſtendit: Derelicta non viſitabit: diſperſum non quæret: & contritum non ſanabit: & id quod ſtat, non enutriet: & carnes pinguium, & vngulas eorum diſſoluet. O paſtor, & idolum, derelinquens gregem:

Duo diaboli oculi.

gladius ſcilicet domini ſuper brachium eius, & ſuper oculum dextrum eius, nempe ſuperbiam: duo ſiquidem ſunt oculi diaboli, ſuperbia ſcilicet & inuidia. brachium diaboli, poteſtas & dominium, ariditate ſiccabitur, illius poteſtate euacuata: & oculus dexter, id eſt ſuperbia, tenebreſcens obſcurabitur, ſuæ vtiq; elationis fumo.

Perdix. Ieremiæ 17

A Hieremia vocatur perdix, cap: 17. Clamauit perdix, congregauit, quæ non peperit, fecit diuitias ſuas non cum iudicio, in dimidio dierum eius derelinquent eum, & in nouiſſimis eius erit ſtultus. perdix, id eſt diabolus, in primis parentibus maſſam humani generis ſurripuit, & extunc fouit, quæ non peperit, fecitq; diuitias non in iudicio, quia princeps huius mũdi factus eſt; ſed in nouiſſimis erit ſtultus, quippè cum ſpolia perdiderit, & arma, in quibus confidebat.

Daniel. 7. Beſtiæ.

Daniel: 7. vidit ſub ſpecie beſtiarum, de quibus dicemus, quum ad elucidandam Apocalypſim peruenerimus. Quatuor beſtiæ grandes, & inter ſe diuerſæ aſcendebant de mari.

Habac. Diabolus.

Habacuc cap: 3. nominat diabolum: Egredietur diabolus ante pedes eius, quia quadraginta diebus dominum in ſolitudine tentauit. Hæc atq; his ſimilia de ſanctorum promptuarijs deprompſimus Prophetarum, atque depromenda eſſent, ni

methodi

methodi ratio aliud exigeret, ex quibus clarè conſpicimus ſathanæ malitiam, lapſum, atq; ruinam; vt iam fidenter cum David dicere poſsimus: Super Aſpidem & Baſiliſcũ ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. In nouo autem teſtamento, præclara ſunt huius rei teſtimonia. Apud enim Euangeliũ Matthæi cap: 4. & tentator, & ſathan appellatur: Acceſsit, inquit, tentator. Et, Vade retro ſathana. In primo cap: Marci: Et tentabatur à Sathana. Apud Lucam cap: 10. Videbam ſathanam, ſicut fulgur cadentem de cœlo. Vidit ipſe diaboli ruinam, antequam diabolus ab ipſo conderetur; idcirco poteſtatem dedit calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones. Dæmones præterea, à multorum corporibus vi diuina fuiſſe expulſos, Euangelia clariſsimè proteſtantur. In Ioannis Euangelio cap: 14. vocatur princeps huius mundi: Venit, inquit, princeps huius mundi: mundi, inquam, terrigenarum, quæ ſunt mundi maximè appetentium. Paulus ad Cor. 2. cap: 2. Ne circumueniamur à Sathana, inquit; non enim ignoramus cogitationes eius. Sanè, conſcius erat Apoſtolus conſiliorum verſipellis, in angelum lucis ſæpè ſe transfigurantis, ac ſub prætextu pietatis, venena inferentis atq; propinantis. Ad Epheſ. 6. Induite, ait, armaturam dei, vt poſsitis ſtare aduerſus inſidias diaboli, quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, id eſt, terrenos homines; ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum; contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus, id eſt, contra nequiſsimos ſpiritus, in cœleſtibus commorantes, ac nos hæreditate cœleſti ſpoliare cupientes. Ad Cor: 2. cap: 4. vocat deum huius ſeculi: In quibus Deus huius ſeculi excœcauit mentes infideliũ, vt non cognoſcerent Euangelij gloriam, atq; virtutem. Ad Theſſal: cap: 2. epiſtola prima: Impediuit nos Sathanas. Et cap: 3. Ne fortè tentauerit vos is, qui tentat, & manis fiat labor noſter. Diuus Ioannes in prima Canonica cap: 3. diaboli malitiam præclarè oſtendit: Qui facit peccatum, inquit, ex diabolo eſt, quoniam ab initio diabolus peccat: ab initio, inquam, ſui peccati, non autem creationis. Vnde in Euangelio eiuſdem cap: 8. Ille homicida, & mendax, ac pater mendacij eſt, quia ab initio in veritate non ſtetit. Sed in hoc apparuit filius dei, ait Ioannes, vt diſſoluat opera diaboli. In Apocal: diaboli malitia, qua ab initio laborauit aduerſus Eccleſiam, mirificè deſcribitur, cap: 12. Draco, inquit, ſtabat ante mulierem, id eſt, Eccleſiam, quæ fide in Patriarchis Chriſtum conceperat, parturierat Prophetarum tempore, peperit noui teſtamenti ætate. Draco autem ille habebat capita ſeptem, & cornua decem, & in capitibus ſuis ſeptem diademata: & cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum in terram. Septem capita, id eſt, ſeptem regna, Pharaonis primum, atq; Ægyptiorum, filios Iſraël odientium, vnde & maſculos in flumen præcipites iri iuſsit, & cæteros maximarum onere affligi moleſtiarum. Secundum draconis caput, Iezabel, alijq; prophetarum homicidæ, de quibus tertius Reg: cap: 19. & ſecundus Paralip. cap: 24. abundè loquuntur: in quibus Helias Propheta conqueritur: Domine, altaria ſuffoderunt, prophetas tuos occiderunt; & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam. Tertium draconis caput, Regnum Babylonicum, in quo Nabuchodonoſor Rex Babylonis, maximè afflixit Iudæorum genus, ex quo oriturus erat Chriſtus dominus. Quartum draconis caput, Regnum Perſarum, ſiue Medorum, vbi Aman Iudæorum genus funditus euertere tentauit, quemadmodum liber Heſter diſertè copioſèque loquitur. Quintum ſerpentis caput, Regnum Macedonicum, vtpotè Antiochus Epiphanes, qui templum violauit, atq; omnia ſacra temerare minimè erubuit, vt ſcribit liber Machabæorum primus cap: 1. & ſecundus 6. Sextum caput, Regnum fuit Romanorum, in quo Nero, Domitianus, Traianus, cæteriq; tyranni, Eccleſiam multis perſequuti ſunt flagellis: Sed ſagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum. Septimum caput eſt Antichriſtus, de quo apud Danielem plurima ſcribuntur, cap: 7. Et ſermones contra excelſum loquetur, inquit: & ſanctos altiſsimi conteret: & putabit, quòd poſsit mutare tempora, & leges: & tradentur in manu eius vſq; ad tempus, & tempora, & dimi-

Luciferi capita.
Super aſpidẽ.
Matth: 4.
Tentator.
Marci 1.
Lucæ 10.
Ioan: 14.
Princeps huius mundi.
2. Cor: 2.
Epheſ: 6.
Principes.
Poteſtates.
Rectores.
Deus huius ſeculi.
1. Ioan. 3.
Pater mendacij & homicida.
Apocal. 12.
Draco.
Mulier.
Prima eccleſia
Capita ſeptẽ.
Cornua 10.
Primũ caput.
2. caput.
3. caput
4. caput.
5. caput.
6. caput.
7. caput.

dium

Luciferi bellum.

Cornua decẽ.

dium temporis. Septem draconis capitibus, decem cornua adiunxit; quod planè à Daniele in eodemmet capite ſtabilitur. ſed nonnulla diſsimilitudo inuenitur; ibi enim de regno Romanorum loquitur, hîc autem abſolutè de dracone, qui ſeptem capitibus, ſeptem regnorum gloriam geſtabat, ex quibus vnum, nempe regnum Macedonum, poſt Alexandri mortem, in quatuor partes diuiſum eſt, quibus quatuor præfuiſſe Duces clariſsimè conſtat: Ægypto ſcilicet Ptolemæum Lagi filium: Macedonibus Philippum, qui & Arideus, Alexandri frater: Syriæ, ac Babyloniæ, omnibusq́; Orientalibus regnis, Seleucum Nicanorem: Aſiæ verò Antigonum. Itaq́; ſeptem capita, ſed decem cornua, ſeptem extitere regna, quibus decem reges præfuêre. In capitibus autem ſeptem, decem cornua, non autem decem diademata; quia nimirum ex quatuor illorum principum ſemine, vnus tantùmmodo, nempe Antiochus Epiphanes, aduerſus Eccleſiam erat pugnaturus. De quo Daniel cap: 8. loquitur: Ex vno, inquit, ex eis egreſſum eſt cornu vnum modicum, & factum eſt grande.

Regnum Alexandri diuisũ. Ptolemæus. Philippus. Seleucus. Antigonus. Septem diademata.

CAP. IIII.

Capita Draconis alio modo exponuntur, & bellum etiam Draconis.

Herodes. Nero. Conſtantinus. Coſdroe. Henricus. Soldanus. Federicus.

Poſſunt & alio modo hæc Draconis capita intelligi, vt primum draconis caput fuerit Herodes Proſelytus: ſecundum verò, ſceleſtiſsimus Nero: tertium autem, Conſtantinus Arianus: quartum, Coſdroe, cuius temporibus Mahometus cornua aſſumpſit imperandi: quintum draconis caput, Henricus primus Alemanorum Rex: ſextum autem, Saladinus Soldanus Babylonis: at ſeptimũ, Federicus primus. vnde primum draconis bellum Iudæorum extitit: ſecundum Paganorum: tertium Arianorum: quartum Sarracenorum: quintum Alemanorum: ſextum item Sarracenorum: ſeptimum Hæreticorum. Octauo loco in cauda draconis, qui eſt Antichriſtus, bellum erit immaniſsimum: Et Michael pugnabat cum dracone. operæpretium eſt ſcire, quonam modo huiuſmodi angelorum geſtum ſit bellum, vt clarius aliquid inde intelligi poſsit. Sunt autem quatuor bellorum genera, quæ quidem ad immanentes operationes ſpectare videntur: vnum planè inter ſenſitiuum appetitum atq́; intellectiuum verſatur; huiuſmodi enim appetitus ad oppoſita feruntur obiecta: aliud verò bellum, inter intellectum & voluntatem inuenitur; ſæpè namq́; contingit, rationem decernere aliquid eſſe faciendum, voluntatem verò reniti, nolleq́; obedire: tertiũ bellum eſt, duarum inter ſeſe voluntatum pugnantium; quando vnius ſcilicet voluntas ab alterius voluntate diſſentit: quartum autem bellum eſt inter vnum & alterum intellectum, quãdo ſcilicet vnius intellectus, vnam ſequitur doctrinam, alterius verò alteram. Primum autem bellum in angelis eſſe non potuit, quippè, cùm appetitu ſenſitiuo vacent omninò, vtpotè incorporei, & immateriales. Neq́; etiam ſecundi belli genus angelis congruere potuit; ratio enim mea non contra quidem alterius, ſed meam potiùs pugnat voluntatẽ. Nec quoque quartum genus belli eſt illis attribuendum, quo vnus contra alium pugnat intellectus; alioqui error fuiſſet vtiq́; prior culpa, quod eſt falſum. Reſtat ergo, vt tertius pugnandi modus, quo vnius contra alterius pugnat, certatq́; voluntas, angelis ſit concedendus. Reuera, Michael atq́; angeli boni, bona voluntate ad deum ferebantur; mali verò, mala voluntate ad malum, atq́; ita factum eſt prælium magnum in cœlo; bonarum ſiquidem ac malarum voluntatum, ad inuicem certantium. Etenim, ſi ad ſua ſenſus deſideria intellectum flectere poteſt; multò magis vnus angelus, diſpoſitionem aliquam inclinantem, in alium immittere valet, vt aliquid efficaciter velit. In hoc autem

Michaelis bellum. Quatuor bella. Quale bellum fuerit in angelis. Mala voluntas. Bona volũtas.

genere

genere certandi, actus belli quatuor numerantur : vnus ſiquidem, quo alter alterum per- Quatuor actus
cutit : ſecundus verò, quo percutienti reſiſtit : tertius autem, quo iniuria laceſsitus, per- belli.
cutere volentem, repercutit : poſtremus & vltimus, quo ille reſiſtit. Porrò primus bel- 1.
li actus, ad Michaelem eiusq; pugnatores ſpectat ; etenim, cùm ad bonum conuerſi eſ-
ſent, ad dei obedientiam, amoremq;, reliquos allicere, attrahereq; conabantur. ſed mali 2.
illico iniquis diſpoſitionibus reſtiterunt ; idcirco actus illis ſecundus iure competere po-
teſt. in tertio verò actu, iniqui, iniquæ adhærentes ſocietati, ad malum, bonos allicere 3.
tentabant. verum in quarto pugnæ actu, boni viriliter pugnantes, malos & vicêre, & 4
expulêre. Completo conſummatoq; prælio, mox actus potentiæ executiuæ acceſſerunt:
nam & Michael cum ſuis ſeſe accinxit, vt Luciferum, illiq; adhærentes è cœlo extru-
deret ; & is quidem extitit primus executiuæ potentiæ actus. at in actu ſecundo, illi Actus belli executiui.
maligni ſeſe opponētes, ad ſua loca remigrârunt. porrò in tertio actu, mali ſeſe accinxe- 1.
runt, vt bonos ſecum ducerent. in quarto verò actu, Michael cum ſuis obtinuit victo- 2.
riam, palmamq; triumphi, impijs atq; peccatoribus è cœlo expulſis. Hæc quidē de bel- 3.
lo angelorum dixiſſe ſufficiat. Nunc ad alia, quæ nonnihil ſpeculationis, obſcurioris tamē 4.
habent, properandum nobis eſt : & inprimis Luciferi priuilegia, ſi in veritate ſtetiſſet, Luciferi priuilegia.
adducenda nobis ſunt, vt quantum malum ſit ſuperbia, omnibus pateat. Primum itaq;
Luciferi priuilegum, ſiue dignitas, intellectualis pulchritudo, qua cæteris præſtabat : 1.
vnde & Lucifer, ob luminoſæ pulchritudinis claritatem dictus eſt : nam ſicut Lucifer
poſt ſolem cæteris eſt lucidior præſtantiorq; ſyderibus ; ita planè primus angelus, cæte-
ris erat angelis & pulchritudinis gratia formoſior, & beatitudinis naturalis dignitate
eminentior. Secundum, omnium extitiſſet creaturarum optimus ; quò enim naturæ do- 2.
na fuerat aſſecutus maiora, eò potior in gratiæ donis fuiſſet inuentus. Tertium autem 3.
priuilegium, Deo ſupra omnes gratiſsimus extitiſſet ; etenim, maior in naturalibus per-
fectio, maiorem in gratuitis excellentiam habuiſſet. Quartum, omnium fuiſſet angelo- 4.
rum feliciſsimus, vtpotè plus meritorum habens cæteris. Quintum, Deo fuiſſet ſimili- 5.
mus, vnde & ſignaculum diuinæ ſimilitudinis à Propheta vocatur, Ezech : 28. Sextū, 6.
Deo familiariſsimus extitiſſet, vtpotè, Seraphici ordinis ſupremus. Septimum, omnium 7.
ditiſsimus, omnium ſcilicet perfectionum pleniſsimus. Octauum, omnium potentiſsimus: 8.
eius enim naturalia nulla planè impedimēta neſciſſent. Quare quidam arbitrantur, Em-
pyrei voluendi poteſtatem illi committendam fuiſſe, ſi conſtans, ac grauis in ſuo domi-
cilio perſtitiſſet. Nonum, omnium fuit angelorum princeps : in quolibet ſiquidem ordi- 9.
ne, authore Dionyſio, eſt vnus princeps; at iſte fuiſſet ſimpliciter omnium primus. De- 10.
cimum, fuiſſet omnium Pontifex, quia nimirum ad vnum cultum ordinandorum, prin-
ceps extitiſſet omnium. Vndecimum, fuiſſet omnium doctor, illuminando, purgando, 11.
perficiendo, vtpotè Deo immediatiſsimus. Duodecimum, fuiſſet omnium pater, ob na- 12.
turalium dignitatem. Cauendum igitur nobis eſt ſummopere à ſuperbia, quæ Luciferum Primum peccatum ſuperbia.
tot tantisq; gratiæ muneribus indignum reddidit. Quòd autem Luciferi peccatum ſu-
perbia extiterit, ſic patere arbitror : Cùm enim duo ſint noſtræ voluntatis actus, nolle
ſcilicet, & velle ; duplicem quoq; amorem, amicitiæ videlicet, & concupiſcentiæ, ad hos
ſequi neceſſe eſt. Reuera, omnis actus nolendi, præſupponit actum volendi : omnis Amor amicitiæ malus.
autem concupiſcentiæ actus, præſupponit amorem amicitiæ, vnde non poteſt eſſe actus
deordinatus nolendi, ſi priùs non fuerit actus deordinatus volendi. Porrò, actus deor-
dinatus concupiſcentiæ, in actum deordinatum amicitiæ reſoluitur : nam omne negati-
uum reſoluitur in affirmatiuum. Ex quo patet, peccatum angeli, inordinatum extitiſſe
amicitiæ amorem ; non enim eſſe potuit actus nolendi, nec prima deordinatio amor con-
cupiſcentiæ : ille autem amicitiæ amor non fuit in Deum, ſed in ſe potiùs ; quia ſcilicet Amor ſui.
non poteſt nimis diligi Deus: nec in aliam creaturam, ſiue in nullam ſanè creaturam fe-
rebatur priùs, quàm in ſuam ipſius eſſentiam, quæ ſibi priùs innotuerat : fuit ergo deor-

Luciferi bellum.

dinata ſuiipſius dilectio, quæ eſt diabolicæ ciuitatis fundamentum: amor ſui vtiq; vſque
Amor commodi.
ad contemptum Dei. Acceſſit adhæc & amor beatitudinis indebitè obtinendæ, & amor
commodi; res enim ſummi commodi, eſt felicitas: vnde peccatum primum non potuit
eſſe in iraſcibili, ſed in concupiſcibili; primum enim concupiſcibile, eſt felicitas. Adde,
quòd ille non appetierit bonum ratione honeſti, nec etiam vtilis: delectabilis ergo tan-
Præſumptio.
tùm. Dubitatur autem à nonnullis, quomodo primum peccatum fuerit ſuperbia, quippè
cùm ſuperbia, amor ſit propriæ excellentiæ, quæ ad amorem concupiſcentiæ attinet. at-
qui amorem amicitia præcedere dixi; proinde aiunt, ex ſui præſumptione inchoaſſe: de-
Quomodo peccauit appetendo beatitudinem.
inde in ambitionem erupiſſe: poſtremò, in odium ſedem fixiſſe. Præſumptio autem illa,
errori intellectus non eſt attribuenda, ſed voluntati potiùs, quatenus ſcilicet dilexit ſe
vltra condignum; voluit enim eſſe beatus, idq; amore ſui commodi, non propter ipſum
beatitudinis bonum. Deniq;, ſine gratia, vel ex proprijs meritis, ad beatitudinis apicem
aſcendere contendit: quam ob cauſam, quamuis beatitudo, authore Auguſtino, 13. de
Trinitate, ab omnibus naturaliter appetitur; in huiuſmodi tamen appetitu, peccatum
contingere poteſt, quando nimirum voluntas in appetenda beatitudine immoderatè ſe
gerit, aut maiori forſitan conatu, quàm ſibi conueniat, aut citiùs, quàm conueniat, aut
aliter, quàm congruat, puta ſine, vel ex proprijs omninò meritis. Itaq;, malignus ille,
beatitudinem appetitu inordinato concupiuit; ſumma enim peruerſitas eſt, frui vten-
dis, & vti fruendis. Deinde, ſtatim illam habere volebat, quum tamen Deus poſt moru-
lam viæ dare decreuiſſet. Poſtremò, ex ſuis naturalibus illam aſſequi volebat, vt nulli ſe
Quòd non fuerit ſuperbia primũ peccatum.
aliquid debere, aut debitorem eſſe ſeſe iactitare poſſet. Cæterùm, nõnullis viſum fuit, pri-
mum peccatum non fuiſſe ſuperbiam, quod quidem ita ſtatuere conati ſunt. Immodera-
tus amor ſui, ſuperbia dici non poteſt, ſed peruerſæ potiùs excellentiæ, authore Augu-
ſtino 14. de ciuit. dei cap. 13. ſed primus angelus, atq; primus homo ſic peccauerũt: ergo
Aug. de ciuit. dei, quid ſit ſuperbia.
illorum peccatum, proprio nomine ſuperbia non fuit: Quid, inquit Auguſtinus, eſt ſu-
perbia, loco iam dicto, niſi peruerſæ celſitudinis appetitus? peruerſa enim celſitudo eſt,
deſerto eo, cui debet animus inhærere principio, ſibi quodammodo fieri, atq; eſſe prin-
cipium: hoc fit, cùm ſibi nimis placet: ſibi verò ita placet, cùm ab illo bono immutabi-
li deficit, quod ei magis placere debuerat, quàm ipſe ſibi. Spontaneus eſt autem iſte de-
fectus: quoniam ſi voluntas in amore ſuperioris immutabilis boni, à quo illuſtrabatur, vt
videret, & accendebatur, vt amaret, ſtabilis permaneret; non inde ad ſibi placendum
auerteretur, & ex hoc tenebreſceret, & frigeſceret. Et cap. vltimo eiuſdem libri: Fe-
Duo amores, fecerunt duas ciuitates.
cerunt itaq; ciuitates duas amores duo, terrenam ſcilicet, amor ſui vſq; ad contemptum
Dei; cœleſtem verò, amor Dei, vſq; ad contemptum dei: amor ergo ſui inordinatus, fe-
cit ciuitatem diaboli; nec ibi priùs fuiſſe videtur dei contemptus, ſed amor ſui potiùs:
1. contemptus enim Dei eſt, nolle Deum; aut Deum deſpicere; non autem deſpiceretur,
niſi aliquid priùs amaretur: primi ergo angeli peccatũ fuit, amor ſui immoderatus. Am-
2. plius, ſuperbia eſt appetitus excellentiæ ſupra alios. ſed primi angeli appetitus fuit, nõ
excellẽtiæ ſupra alios; priùs enim diligitur inordinatè in ſeipſo, quàm comparatione ad
3. alterum: ergo quod priùs. Adde, quòd appetitus ſummi commodi, & delectabilis,
quatenus eſt tale, ſuperbia dici non poteſt. atqui in appetenda beatitudine angelũ pec-
caſſe aſſerunt; huiuſmodi autem appetitus eſt boni commodi, & delectabilis in ſeipſo,
4. non autem voluntas excellentiæ ſuper alios: ergo &c. Adhuc, ſuperbia eſt in iraſcibi-
li; reſpicit enim arduum ſecundum quod huiuſmodi; ſed paſſiones iraſcibilis, ex concu-
piſcibili proficiſcuntur: ergo quod priùs. Suffragatur huic ſententiæ Apoſtolus Tim: 1.
cap: 6. ita loquentis: Radix, inquit, omnium malorum eſt cupiditas. Itaq;, primi ange-
Amor ſui.
li peccatum, amorem ſui fuiſſe putant, quo ſeipſum inordinatè dilexit, ac beatitudinem
concupiuit, non quò alios excelleret, ſed vt ſibi bonum & commodum: hæc igitur pri-
ma extitit amoris deordinatio, amor vtiq; inordinatus; concomitanter verò alios ex-
cellere

 Luciferi ſuperbia.

cellere voluit, vtpotè alijs præeſſe. Hæc quidem dicta ſunt, quæ profectò à diuinarum ſcripturarum authoritate non longè abſunt, tametſi initium omnis peccati ſuperbia ſit, concomitanter vtiq;.

CAP. V.

Primum peccatum fuit ſuperbia, argumentis oſtenditur.

VElle Deum videre, in quo ſumma inuenitur beatitudo, peccati rationem {Obiectiones.}
habere non poteſt, niſi modo indebito appetatur, nempe, id aſſequi velle {1.}
ex proprijs meritis, aut ſupra cæteros excellentiæ cuiuſdam prærogatiua
eminere: vterq; autem iſtorum abſq; dubio, ſuperbia eſt. ſed primi ange-
li peccatum in vtroq; iſtorum cõtinetur; nam & cæteros excellere voluit,
& proprijs viribus beatitudinem obtinere: igitur illius peccatum ſuperbia fuit. Suf-
fragatur huic rationi Auguſtinus 12. de ciuitate dei cap: 8. Malæ, inquit, voluntatis ini- {Aug: dicit, Initium malæ voluntatis ſuperbia.}
tium fuit ſuperbia: Vitium, inquit, eſt animæ peruerſæ, amantis poteſtatem ſuam, potē-
tioris iuſtitia contempta: ac per hoc, qui peruersè amat cuiuſlibet naturæ bonum, etiam
ſi adipiſcatur, ipſe fit in bono malus, & miſer meliore priuatus. Et 11. de ciuitate dei, ca
pit: 13. Recuſauit, inquit, diabolus creatori ſubeſſe ſuperbia ſua, velut priuata poteſtate
elatus, ac per hoc falſus, & fallax, vtpotè, qui per piam ſubiectionem noluit tenere quod
verè eſt, affectauit per ſuperbiæ elationem ſimulare, quod non eſt. Tum etiam ſcriptu
ra hoc proteſtatur Eccleſiaſtici primo: Initium omnis peccati ſuperbia: igitur primi
angeli peccatum ſuperbia fuit. Amplius, primus angelus bonum habere voluit ſpiri- {2.}
tuale, ſuperiori, ſeu diuina lege contempta, quippè, qui illi ſubdi noluit, quod ad ſcien-
tiæ peruerſæ vitium attinet, nolle ſcilicet ſuo ſuperiori ſubdi: ergo fuit ſuperbiæ vitium.
Iterum, in rerum planè acquiſitione, priùs eſt velle fin[illegible]m, quam ea, quæ ſunt ad finem. {3.}
ſed in huiuſmodi, finis eſt ob aliquam excellentiæ dignitatem obtinendam, præſertim in
his, quæ ſenſibilia minimè ſunt: igitur angelus primò appetiuit ſui excellentiam, quod
planè eſt ſuperbiæ peccatum. Omne præterea bonum, authore philoſopho 8. ethicorum {4.}
eſt honeſtum, aut vtile, vel delectabile: ſed non appetiit vtile, vtpotè, non primum ap-
petibile, nec delectabile; quandoquidem appetitu ſenſitiuo vacet omninò: appetijt ergo
bonum honeſtum indebitè, quod planè ad ſuperbiæ vitium ſpectat. Adde, quòd ſuper- {5.}
bia in eo clarè cognoſcitur, quum ſcilicet voluntas ſuarum egreditur virium, naturaq;
proportionem atq; quantitatem. ſed tale aliquid in angelo fuiſſe videtur: igitur ſicut di-
ximus, primi angeli peccatum ſuperbiam fuiſſe, clariſſimè conſtat. Hæc atq; his ſimilia
dici ſolent ab his, qui primi angeli peccatum ſuperbiam fuiſſe contendunt. & reuera, in
ſpiritualibus bonis peccatum contingit, dum ſuperioris regula contemnitur; quod pro-
fectò ſuperbiæ vitium eſt, in eo quod debet, ſuperiori ſubdi nolle. Illico acceſſit & inui- {Superbia.}
diæ malum: nam authore Bernardo, vidit, & inuidit: inuidus autem bono alieno mœret, {Inuidia.}
quatenus ſuum æſtimat bonũ inde impediri: ideo ergo inuidit, ne ſuæ nobilitas dignita-
tis alicuius creaturæ prærogatiua, detrimentum pateretur: aut fortaſſis inuidit factori,
ad cuius diuinitatis apicem ſe aſcenſurũ fore deſperabat, quem ſibi impedimento eſſe co-
gnoſcebat, quòminus ipſe ſingulari nobilitatis dignitate, omnibus prorſus & præſtanti-
or eſſet, & nobilior. hoc certè excæcauit ſuperbum illum, amor vtiq;, vtiq; ſui: qui pla
nè, quoniam ſuperioris ordinem contempſit, ſumma extitit ſuperbia, quia initium omnis {Solutiones.}
peccati ſuperbia, & radix omnium malorum cupiditas, id eſt, amor ſui. Ex hoc autem {1.}
præpoſitæ ſolui poſſent rationes: & ad primam quidem dico, angelum non voluiſſe pri- {Radix omniũ malorum ſuperbia cupiditas.}
mò beatitudinem, ſed ſemetipſum inordinatè priùs dilexiſſe, inde ſequutum fuiſſe inor-

 dinatum

Luciferi ſuperbia.

dinatum appetitum be ·itudinis habendæ. Ad 2. quamuis nolle ſubdi Deo, concomitã-
2. ter in peccato primi angeli inuentum fuerit; non fuit tamen primum peccatum, ſed po-
3. tiùs amor ſui. Ad 3. ex mordinato amore, angelus ſtatuit ſe pro fine, atq; ita priùs in-
4. ordinatè ſe dilexit, quàm ſupra cæteros eminere appetiuit. Ad 4. peccauit, bonum v-
5. tile ſecundùm ſeipſum appetendo, quia ſeipſo frui volebat, idq; ob amorem ſui. Ad 5.
amore ſui malignus ille primò ſe extulit ſupra ſe, & plus debitò, concomitante ſuperbia.

Quomodo intelligitur, ſuperbia eſt initium omnis peccati.

Ad authoritatem ſcripturæ Ecclesiaſtici dico, illam intelligi debere de ſuperbia communiter dicta, qua homo, ſiue ſpiritus quiſpiam ſeſe effert, atq; eleuat, contra diuinum præceptum, quæ quidem in omni peccato inuenitur, atq; aliquo modo eſt initium omnis peccati. Alij autem aliter fortaſsis dicerent, quòd ſuperbia illa eſt nimia complacentia in ſeipſo, nimiuſq; amor ſui: quam profectò ſuperbiam, Auguſtinus 10. de Trinitate, præſumptionem vocat, quæ non eſt ſpeciale peccatum, nec ab alijs diſtinguitur. Hæc quidem diximus de peccato primi angeli: quilibet ergo abundet in ſenſu ſuo, quum parua admodum ſit opinionum diuerſitas. Libet modò, & huic negotio ſatis arbitror conuenire,

Quomodo potuit peccare primus angelus.

quonam modo ille peccare potuerit, cùm mundiſsimus conditus fuerit, nullumque habuerit ad tam impium facinus perpetrandum impellentem, ſiue incitantem: peccauit nihilominùs: nam omnis intellectualis natura, cuius intellectio atq; volitio, à ſua diſcre-
pat ſubſtantia, atq; ſeparabilis eſt, peccare vtiq; poteſt: poteſt ſiquidem aliquid velle,
1. quod non eſt volendum, vel contrario modo ſe habere, vtpotè actus contingens, quæ nõ
eſt ſua regula, nec eſt omnibus modis neceſſarius. ſed angeli intellectio, ſeu volitio, eſt
huiuſmodi, quemadmodum diximus paulò antè, alioqui infinita actualiter ex ſe intelli-
geret, atq; ita intellectio ſua eſſet actu infinita, & vnica, ſicut & ſua ſubſtantia, quod
2. eſt falſum: angelus ergo potuit peccare, & de facto peccauit. Amplius, illa potentia,
quæ non eſt eſſentialiter ſua rectitudo, poteſt peccare; quia nimirum poteſt à recta
virtutis regula deficere. ſed voluntas angeli, non eſt eſſentialiter ſua rectitudo, ſicuti
nec etiam actus purus; ſed potentialis potiùs ad ſuum actum, vnde & vna volitio alteri
3. ſuccedit, & volitio ſimiliter: igitur peccare potuit. Adhuc, illa intelligentia, quæ pro
motu ſui orbis conſeruando, indiget ſuperioris auxilio dirigentis, profectò peccare po-
tuit, alioqui fruſtra vtiq; illi huiuſmodi auxilium fuiſſet accomodatum, ſi ex ſeipſa gu-
bernandi orbis regimen inflexibile haberet. ſed qualibet inter intelligentias creatas, in
mouendo orbe opus habet ſuperioris auxilio, ducatu, atq; regimine: igitur ex ſeipſa de-
4. ficere potuit. Reuera, omnis intelligentia, quæ non eſt naturaliter beata, peccare potu-
it; quia nimirum creatura eſt ex nihilo condita, & ex ſeipſa inſtabilis: angelus ergo po
tuit peccare, & de facto peccauit, quippè, qui habuit voluntatem diuinæ regulæ oppo-
ſitam. Cùm ergo hæc ita ſe habeant, modus nobis inquirendus eſt, quo ipſe peccauit: nã

Si peccatum fuit error, vel ignorãtia, vel incõſideratio.

cùm in intellectu tria eſſe poſsint, ex quibus peccatum proficiſcitur, nempè error, ignorantia, & inconſideratio: error autem ſit, authore Auguſtino 3. de libero arbitrio approbare falſa pro veris, vel è contrario, vera pro falſis reprobare: ignorantia verò, eius neſcientia rei, quam aliquis & ſcire debet, & poteſt: inconſideratio autem, inaduertentia actualis, vel conſiderationis actualis priuatio; quonam iſtorum angelus peccare potuit? non errore quidem, quandoquidem error pœna ſit: pœna autem nõ præcedit culpam: nec ignorantia lapſus eſt; ante enim peccatum, quæcunq; erant illi ſcienda, habitualiter nouerat: nec ex paſsione, quum hæc ab angelis quàm longiſsimè abſit.

Si peccauit ex inconſideratione.

Peccauitne ergo ex inconſideratione, quia debitum modum non aduertit, obtinendæ beatitudinis, vtpotè, ex gratia, & meritis, & non ex ſuis proprijs naturalibus, tametſi hunc talẽ modum habitualiter non ignorauerit? ex inconſideratione ergo peccauit. Sanè, voluntas errare non poteſt, niſi ratione errante, aut ignorante, vel non aduertente: nam au-

Auguſtinus.

thore Auguſtino 10. de Trinit. in principio inuiſa poſſumus diligere, incognita nequaquam: cùm autem oppoſitum eius, quod iudicatur, non ſit cognitum; nullo modo ad il-

lud vel

 Luciferi peccatũ.

lud vel eligendum, vel diligendum voluntas ferri poteſt, alioqui ferretur in incognitum.
Verùm huiuſmodi modus dicendi non eſt admittendus, vtpotè rectæ rationi minimè con- Solutio
formi. etenim quando angelus peccauit, aut ratio ipſius; electionis, volitionisq́; condi-
tiones obſeruandas efficaciter oſtendit, atque dictauit, aut non. ſi non, tunc planè vo-
luntas ad illarum conſiderationem, intellectum mouere non potuit, ſi nihil voluntas age-
ret, niſi quod rationis iudicio fuerit decretum: voluntas ergo peccando, eſſet innoxia,
& à culpa omninò libera, quod eſt falſum, & erroneum. Quòd ſi ratio, agenda diligen-
ter oſtendit, & voluntas ex conſequenti ſequuta eſt rationis iudicium; profectò, aut in
illa efficaci conſideratione, debita ei occurrit electionis conditio, atque ita non potuit
non debitè ordinatèq́; eligere, & ex conſequenti nequaquam peccauit: aut illi nõ occur- Peccauit ex
rit, & ita non peccauit, quippè, quæ diligenter exercuerat, quæ ſua intererant, quod eſt certa malitia.
falſum. Ex quo patet, primi angeli peccatum ex certa malitia profectum fuiſſe, eligen-
do, & tenaciter volendo, quod certò ſciebat, rectæ rationis iudicio eſſe contrarium. Nam
ſi ex inaduertentia peccaſſet, aut certè fuiſſet illi imputandũ, aut non Si primum, tunc
planè voluntatis malitia, illam præceſſiſſet, atque ita fuiſſet ignorantia affectata, quod
non eſt verum. Si ſecundum, tunc ſine dubio, ſicut ignorantia inuincibilis culpa caret;
ita certè & peccatum angeli à culpa eſſet immune. Primus ergo angelus, ex certa ma-
litia peccauit: vnde rectè Auguſtinus docet 14. de ciuit: dei cap. 6. voluntatem malam Auguſtinus.
eſſe cauſam peccati: Intereſt, inquit, qualis ſit voluntas hominis: quia ſi peruerſa eſt, Voluntas ma-
peruerſos habebit motus: ſi autem recta, non ſolùm inculpabiles; verùm etiam lauda- la cauſa pec-
biles erunt; nam teſte euangelio, bona arbor, bonos fructus facit, id eſt, bona voluntas. cati. Matth 8.
Philoſophus 3: eth: Videtur, inquit, nõ idem eligere optima, & opinari; ſed opinari quid? Philoſophus
melius: propter malitiam autem eligere, quæ non oportet. quod ſanè intelligit non ſo- quòd angelus
lùm de vniuerſali, ſed de particulari etiam. vnde 7. ethicorum contra Socratem diſpu- non potuit
tans, ait contra conſcientiam, & opinionem firmiſſimam, aliquem agere poſſe. Sic enim peccare.
arguebat Socrates 7. eth: cap. 3. Bonum per ſe, ſtante rectæ rationis iudicio, & in vni- Socratis ratio.
uerſali diligendum eſt, & in particulari etiam: voluntas ſiquidem tali iudicio aduer-
ſari, atque obſiſtere nequit, atque exinde peccare non valet; putabat enim Socrates, Prima ratio.
voluntatem, abſque rationis iudicio agere poſſe nihil, quia ſcilicet non fertur in incogni-
tum: deinde in vniuerſali, atque particulari rectitudine dominante, voluntatem, iudi-
cium non habere, quo aduerſus rectum rationis iudicium pugnare queat. iudicium ergo Secũda ratio.
illud rectum, contrario eſſet corrumpendum iudicio, quod fieri non poteſt, quippe, cum
nequeat contraria demonſtratione corrumpi: nam contra ſyllogiſmum verum non cadit Aliorum ra-
demonſtratio. nec opinione, quandoquidem nihil vincatur, aut corrumpatur, niſi à for- tiones.
tiori. ſed opinio eſt demonſtratione debilior: ergo &c. Amplius, quælibet intelligentia- 3.
rum, intelligit neceſſariò, & vult ſimiliter: igitur, ſemper eodem modo intellexit, &
voluit. Quare, aut ab initio ſemper peccauit, quod eſt falſum: aut nunquam, & hoc qui-
dem eſt hæreticum. Præterea, intelligentia ſuo fine priuari non poteſt, nempè ſua intel- 4.
lectione, & volitione, quæ eſt ſua naturalis felicitas. ſed in illa peccatum non conſiſtit:
igitur in illa peccare non potuit. Iterum, in perpetuis, authore Philoſopho nono met: non 5.
eſt error, neque malum; error enim eſt pœna damnati; nam voluntas, vt diximus, fer-
tur in præcognitum, aut bonum verum, & ita nullum eſt peccatum, aut apparens, &
ſic error contingit. ſed angeli ſunt huiuſmodi: non ergo poſſunt errare. Item, in quibus 6.
idem eſt, quod quid eſt cum eo cuius eſt; in his vtique idem erit intelligens, & intel-
lectum, volens, & volitum. ſed in talibus peccatum eſſe non poteſt, quippè cùm talium
volitio naturalis ſit, & neceſſaria. Quoniam ergo angelus eſt talis ſubſtantia; in eum er-
go peccatum cadere non potuit. Reuera, omnis mutatio vitij atque virtutis, ad aliquam
alterationem ſenſibilem, ſecundùm ſenſibiles qualitates, authore Philoſopho 7 phyſ: re-

 duci neceſſe

duci neceſſe eſt. ſed in angelis non eſt ſenſus: nec ergo huiuſmodi alterationes: & ex conſequenti nec mutatio virtutis in vitium: angelus ergo peccare non potuit.

CAP. VI.

Soluuntur argumenta.

1. Ad rationes Socratis. *AD Socratis rationes ita reſpondendum eſſe dico: verum quidem eſſe, nihil eſſe fortius ratione, quod ipſam quidem vincere queat; ſuperueniens nihilominus concupiſcentia ſui, intellectum in peccatum pertrahit, ipſum quidem diſtrahendo, vt recta ratio minimè illi recta videatur: hac autem diſtractione dominante, voluntas perperàm agit, & in rationem pugnat, præ-*
2. *ſertim voluntas angeli, quę ex certa malitia peccauit. Erat autem in angelo rectum iudicium, & in vniuerſali quidem, & in particulari etiam: potuit ergo intellectui angelico, eiuſdem voluntas præcipere, nouum vtiq; modum inquirendi, diligendiq́: inde intellectus angelicus, ſyllogizare cœpit, ſummum bonum cuilibet fore appetendum, deumq́;*
Syllogiſmus luciferi. *ſummum bonum eſſe: ergo cuilibet concupiendum, deum eſſe. hac autem concluſione facta, nouum habuit voluntas iudicium concupiſcendæ diuinitatis, atque ita à primo ſyllogiſmo vero, intellectum diuertit. Iſte autem nouus proceſſus, per nouum vtiq; propriæ, ſeu ſui concupiſcentiæ ſyllogiſmum, ignorantiam, & cæcitatem adduxit, vt peteret, quod ſe accepturum nullo pacto ſciebat: ex hoc ergo patet, quid ad prima adducta argumen-*
5. *ta ſit reſpondendum. Ad 5. Quamuis in perpetuis, non ſit error, quòad naturalia, quia nimirum non ſunt in potentia ad eſſe naturale: & malum culpæ non poßit eſſe, niſi in his, quæ ſunt in potentia; ſunt tamen in potentia ſecundùm partem intellectiuam, quatenus*
Obiectio. *in hoc, vel in illud conuerti potuerunt, atque ita in ipſis deus inuenit prauitatem. Sed dicet aliquis: naturale eſt angelo, motu dilectionis in deum ſemper ferri: naturale au-*
Solutio. *tem ſemper ineſt tale: igitur à diuina dilectione amoueri non potuit. Dico verum eſſe argumentum de dilectione naturali, qua Deus diligitur, vt principium naturalis eſſe, non autem de amore gratuito, quo Deus amatur, vt vltimæ beatitudinis obiectum; ab hoc enim auerti potuit, & auerſus eſt peccando. Itaq́;, in angelis potuit eſſe error, & de*
3. *facto fuit, non quidem præcendente in ratione, ſed ſicut dictum eſt. Ad 3. Negatur maior: nulla enim intelligentia præter primam, eſt ſua intellectio: neque ſibi actus intelligendi neceſſariò conuenit; ſed contingenter potiùs. Quare nullius eſt valoris apud nos*
4. *iſtius argumenti illatio. Ad 4. licet angelus ſuam naturalem felicitatem habere potuerit: à ſupernaturali gratia; tamen ſeſe auertit peccando, ob eas nimirum cauſas, atq; rationes, quas paulò ante adduxi. Angelus præterea non eſt ſua intellectio, quum aliquid aliud à ſe intelligere poßit, ſicut primum obiectum: nullius ergo talis intellectio, eſt idem*
6. *cum ſua ſubſtantia. Quare in ſeipſo vltimam felicitatem habere non poterat. Ad 6. Negatur minor: in ſolo enim deo idem eſt quod quid eſt cum eo, cuius eſt, quia nimirum ipſe ſolus ſeparatus eſt à natura contrahibili per differentiam indiuidualem, & eſt purus actus, ac per ſe ipſamet rectitudo. ſimiliter ipſe eſt primum intelligens, primum intellectum, & intellectio; cæteræ verò intelligentiæ alio modo ſe habent: ergo &c. Ad confirmationem dico: maiorem illam in nobis quidem, non autem in angelis veritatem habere. Angelos ergo peccare potuiſſe, & de facto pecaſſe, ſicut affatim ſuperiùs probauimus, patet.*

QVAESTIONIS TERTIAE CAP. I.

Dæmonem potuiße peccare in inſtanti.

Poſteaquam

Luciferi peccatū.

Quod angelus potuerit peccare in inſtanti.

Poſteaquàm audiuimus dæmonem, & peccare potuiſſe, & de facto peccaſſe; rationi conuenire puto, inquirere, an in inſtanti peccare potuerit, tametſi in ſuæ creationis inſtanti nō peccauerit, quemadmodum & ſacri Doctores, & ſacra teſtantur eloquia: Ille, inquit, Ioan: 8. in veritate non ſtetit, in qua vtiq; aliquando fuit, & ſimilia multa, quæ ſuperiùs annotauimus. In hac autem inquiſitionis ſpeculatione, quidam partem affirmatiuam tuentur, his rationibus freti: Voluntas, inquiunt, angeli non eſt minus efficax, in ſuo actu, atque velox; ac eſt viſus in actu videndi, præſertim, ſi obiectum habuerit præſens omniſq; neſcierit impedimenti difficultatem. ſed viſio fit in inſtanti, igitur, & voluntas angeli in inſtanti operari poterat; obiectum ſiquidem, id eſt, ſua eſſentia erat ſibi præſens, & cognita, & voluntas ſimiliter: igitur, ſicut in inſtanti ſuam cognouit eſſentiam; ita, & ea frui, vel non frui potuiſſe, dubium non eſt. 1. *Adde, quòd non opus illi fuerit phantaſmate ad intelligendum, nec tempore ad deliberandum, quippe, qui in inſtanti intelligit, demq; præſtò illi erant debitæ circumſtantiæ: potuit ergo in inſtanti & mereri, & demereri, quemadmodum etiam credimus Chriſtum à ſuæ conceptionis inſtanti, meruiſſe.* 2. *Amplius, ſi ſol ſimul cum aëre produceretur; in inſtanti vtiq; aër à ſole lumen reciperet. Quare, ſi ſol poteſt agere in inſtanti; & voluntas etiam angeli ſimiliter, additis illis, quas iam diximus conditionibus.* 3. *Adhuc, alicuius cauſæ effectus inſtantaneus, ſeu ſubitus, ſuæ poteſt eſſe cauſæ coæuus, paſſo præſente, bene diſpoſito, & nullo modo impedito. ſed actus voluntatis eſt effectus inſtantaneus voluntatis: ipſa verò, ſe habet loco paſſiui diſpoſiti non impediti; obiectum autem, in primo inſtanti adeſſe poteſt: in inſtanti ergo ſuum actum exercere potuit. Itaque primus angelus in inſtanti peccare potuit, tametſi, poſt primum inſtans peccauerit.*

Quòd non peccare potuerit in inſtanti.

Verùm non paucæ, nec paruipendendæ huic obuiant, atque occurrunt opinioni, & rationes, & authoritates. 1. *Reuera, duarum mutationum ordinem ad ſe inuicem habentium termini, ſimul eſſe nō poſſunt. ſed angeli creatio, eiuſq; voluntatis actio elicita, ſunt duæ mutationes ordinatæ; vna enim præſupponit alteram: illarum ergo termini, nempè eſſe angeli, atque peccatum, ſimul eſſe nequeunt.* 2. *Amplius, voluntatem non velle, nec velle poſſe, niſi aliquid, vt bonum, conſtat ſatis; bonum enim eſt, quod omnia appetunt: aut igitur illud bonum eſt verum; & ita animus in illius appetitu, ſiue in illo appetendo, non peccat: aut eſt veriſimile, & apparens bonum. ſed veriſimile bonum, non iudicatur, ſine præcognitione veri boni, authore Auguſtino contra Academicos: prior eſt ergo veri boni cognitio, quàm in appetendo veriſimili bono, peccatum. Igitur, in primo inſtanti peccatum eſſe non potuit.* 3. *Adhuc, actus, qui eſt purè naturalis, niſi natura mala fuerit, malus eſſe non poteſt, ſicuti claudicationem deformem appellamus, quia nimirum tibia eſt deformis: quòd ſi natura eſſet mala; auctor quoq; naturæ malus eſſet dicendus, quod eſt falſum. ſed primus actus voluntatis in angelo, eſt purè naturalis: igitur malus eſſe non potuit, alioqui deus malus fuiſſet, & natura, quod eſt impium.* 4. *Præterea, primus actus voluntatis, ſi rectus extiterit, non iuſtitiæ volentis eſt imputandus; ſed potiùs bonitati dei inſtituentis: & è contrario, ſi malus fuerit inuentus. Etenim, quemadmodum iniuſta voluntas dici nō poteſt, ſi vellet inconuenientia, quando non poſſet velle; ita planè, nec iuſta, ſi non poſſit aliter velle: primus ergo actus voluntatis non potuit eſſe peccatum, ſicuti nec à deo acceptari.* 5. *Reuera, malum ex deliberatione procedat, neceſſe eſt. at nullus actus, deliberationem conſequens in angelo, in primo inſtanti eſſe poteſt: in angelo ſiquidem prior eſt notitia ſimplex quidditatum in vniuerſali, per habitum ſcientialem concreatum: deinde eſt notitia ſui: poſtremò aliorum ſecundùm ordinem. Porrò, deliberationem, qui vnius ad alterum, actus eſt comparatiuus, hæc omnia præcedunt: actus ergo electionis, quo voluit alijs praeeſſe, eſt iſtis poſterior, & ex conſequenti in inſtanti eſſe non potuit.* 5. *Item, ſi angelus potuit peccare in inſtanti ſuæ creationis; neceſſariò ergo peccauit, quod eſt falſum:*

ſum: peccatum enim eſſe non poteſt,niſi fuerit voluntariū. valet conſequentia,quia ſi po-
tuit non peccare; aut certè hoc fuit in eodem inſtanti primo;aut in priori: non in priori,
7. *quia illud ponitur primum : nec etiam in illo ; quandoquidem omne quod eſt,quando eſt,*
neceſſe eſt eſſe : ergo quod priùs. Adhuc, ſi actio creaturæ eſſet in inſtanti : virtus er-
*go illius eſſet infinita. Tenet conſequentia: nam ſi tanta virtus agit in tanto tempore,& *
8. *maior in minori tempore: igitur, infinita in inſtanti ageret. At ſolius dei virtus eſt in-*
finita: ergo &c. Amplius, angelus non poteſt peccare, niſi aut obmittendo iuſtitiam,
aut illi repugnando, cui debitor eſt. ſed ante primum inſtans non fuit debitor iuſtitiæ;
9. *nondum enim illam acceperat : igitur peccare non potuit ; peccatum enim ſemper ali-*
quid iuſtitiæ adimit peccanti : ergo quod priùs. Item, primum voluntatū actum ange-
lus à ſe habere non potuit : aut enim volens,aut nolens ipſum haberet. ſi volens : igitur
priùs voluit ſe hoc velle, atque ita illa volitio prima dicenda non eſſet. ſi nolens : priùs
ergo habuit actum voluntatū, qui eſt nolle. vnde pari facilitate, actus ille, primus dici
non poſſet. Ex hū ergo atque ſimilibus conſtat , dæmonem in primo inſtanti peccaſſe
minimè, nec etiam potuiſſe.

CAP. II.

Soluuntur Argumenta.

QVi primam opinionem tueri cupiunt, & quibus arridet illa ſpeculatio, ita
1. *ad argumenta reſpondere conſueuerunt. Ad primum quidem dicunt, crea-*
tionem angeli, eiusq; volitionem non eſſe mutationes ſecundùm prius, & po-
ſterius natura, neceſſariò ordinatas:quamobrem in eodem durationis inſtan-
ti inueniri poſſunt, ſicuti & aëris illuminatio à ſole,& ipſius ſolis creatio. Aliquis præte-
rea poteſt in inſtanti errare, vnde oculus in inſtanti, videns baculum in aqua, iudicat
2. *eſſe fractum : ergo &c. Ad 2. potuit peccato omiſſionis in primo inſtanti, bonum ali-*
quod verum, ſiue apparens, non volendo ; in commiſſionis verò peccato, non opus erat
verum bonum priùs duratione cognoſcere, quàm veriſimile, & apparens; ſed duratio-
3. *ne ſimul hoc decerni potuit, in relatione vtiq; ad illud priùs natura cognitum. Ad 3.*
negatur minor: actio enim angeli eſt libera, & non purè naturalis, proinde ſimilitudo
illa de tibia eſt neganda,cùm illa claudicatio, ad alicuius diſpoſitionem materiæ referri
poſſit : angeli verò peccati, ad illius tantùmmodò voluntatem, quæ eo ipſo libera fuit,
5. *ac liberè agere voluit, quò & condita. Ad 5. Non opus eſt, deliberationem,actum pec-*
candi præcedere : oſtenſo enim fine in vniuerſali,ſiue in particulari, voluntas ſibi reli-
cta, poteſt velle,& non velle. vnde à Philoſopho dictum eſt,quòd perfecti artifices non
deliberant. Ad probationem dico, cum ſuæ intellectione eſſentiæ, actum nimiæ com-
placentiæ inordinatum habere potuiſſe ad ſe ipſum, non ſe comparando ad aliud, atque
ita peccaſſe ; non enim opus habuit diſcurrere per obiecta, vnum, alteri comparando,
poſtquam ſecundùm durationem terminos intellexit, vnde ſimul potuit, & terminos in-
4. *telligere, & complexionem formare, atque ita eligere, & peccare. Ad 4. dico, quòd ſi*
primus angeli actus fuiſſet in inſtanti, quoniam ex ſcipſo liberè agere potuiſſet ; fuiſſet
6. *vtiq; meritorius. Ad 6. Negatur conſequentia, quippè cùm in eodem inſtanti diuiſim,*
peccandi, & non peccandi poteſtatem habuerit. Reuera,omnis actus liberæ,atque crea-
tæ voluntatū,pro quocunq; inſtanti, & elici, & non elici poteſt, alioqui nequaquā libe-
rè eliceretur. Cùm ergo dicis, omne quod eſt,quando eſt, neceſſe eſt eſſe: verum quidem
eſt coniunctim, aliter idem ſimul eſſet,& non eſſet: non autem diuiſim ; ſimul enim hæc
duo ſtare poſſunt , nempè in inſtanti aliquid eſſe,& pro eodem potuiſſe non eſſe, diuiſim
7. *vt dictum eſt,nō autem ſimul cum eſſe. Ad 7. dico Philoſophi ſententiam illis congruere,*
quæ in maiori,vel minori tempore fieri poſſunt,in quorum numero, motus haberi poteſt;

tunc eidm

Luciferi peccatũ.

tunc enim virtus mouens in inſtanti, vel potens mouere, ſi ipſe motus hec pateretur, eſ-
ſet vtiq; infinita. Modò hæc ſententia angelo non conuenit; alioqui nec in primo, nec in
alio inſtanti peccare potuiſſet. Multæ præterea creaturarum actiones in inſtanti fiunt,
vtpote viſio, illuminatio, generatio, quæ tamen infinitam virtutem non habent. Ad 8. 8.
Angelus peccaré potuit, eam omittendo iuſtitiam, quæ illi debuit, vel potuit ineſſe: vel
faciendo contra ipſam, etiam ſi actum habuerit nunquam. vnde peccatum aliquid boni
adimere dicimus, non ſolùm actum exiſtentis, ſed quòd poterat, atque debuerat ineſſe.
Ad 9. ſi primus actus eo modo ſit intelligendus, quo vtimur, quando formam, primum 9.
actum vocamus: operationem verò, ſecundum; tunc ratio concluderet. At nos intelli-
gimus primum actum, primam planè angeli volitionem, quam nullam aliam præceſſiſ-
ſe affirmamus: atque ita illa ratio non eſt neruoſa, imò nihil virium habere videtur.
Aliæ quoque authoritates contra hæreſim Manichæorum pugnant, qui creationis termi-
num, non modò naturam angelicam, ſed illius quoque malitiam eſſe arbitrati ſunt: at-
que iſto modo angelus ab initio malus eſſe non potuit; ne deus mali author eſſet dicendus. Obiectio.
Dicis, angeli voluntas ad peccandum, & non peccandum erat indeterminata: in eodem
ergo inſtanti ad alterum iſtorum ſeſe determinare non potuit. Dico, non fuiſſe indeter- Solutio.
minatam ſi peccaſſet in inſtanti, ſed determinatam potiùs: proinde namque ſecundùm
durationem indeterminata extitiſſet. Potuit nihilominùs pro eodem inſtanti diuiſim ad
oppoſitum ſe determinaſſe, quatenus voluntas eſt libera ad vtrumlibet. Quomodo ergo
angelus potuerit peccare in primo inſtanti, dixi.

CAP. III.

Si potuerit angelus mereri in primo inſtanti.

SI vera eſt illorum ſententia, quæ tueri videtur angelum in primo inſtanti Rationes cõtrariæ.
peccare potuiſſe; non temerè quis dubitabit, ſi in primo inſtanti angelus
mereri potuerit. Et inprimis aliquæ rationes nobis obuiam veniunt, quæ no- 1.
bis perſuadere conantur, angelum in primo inſtanti nequaquam mereri po-
tuiſſe: etenim meritum & præmium ſimul eſſe non poſſunt; ſed vnum, alterum, & na-
tura, & duratione, atque tempore præcedit; meritum ſiquidem eſt gratia imperfecta,
perfecta verò præmium, ſiue gloria. atqui, eandem gratiam ſimul perfectam, & im-
perfectam eſſe, fieri non poteſt: in primo ergo inſtanti mereri nõ potuit. Amplius, quan- 2.
do aliquis meretur, poteſt non mereri, aut non elicere actum merendi. at, quando eſt
beatus, non poteſt non elicere actum, nec peccare: elicere ergo, & non elicere ſimul
eſſe, omnibus modis impoſſibile eſt. Præterea, via, & terminus non ſunt ſimul. ſed me- 3.
ritum eſt via, præmium autem, ſiue gloria, eſt terminus: ſimul ergo eſſe non poſſunt. Solutio.
Sed huiuſmodi rationes in Chriſto locum nõ habent: ipſe enim ab inſtanti ſuæ conceptio-
nis, licet haberet, meruit tamen vitam æternam: meritum ergo, & præmium ſimul ſtare
poſſunt. Præterea, ſi angeli in primo inſtanti peccare potuerunt, nullum ſequitur abſur-
dum, ſi in eodem fuiſſent puniti: vnde de merito, & præmio ſimile poteſt eſſe iudicium.
Cæterùm hæc de his, quæ ita fieri potuiſſe, à quibuſdam dicta ſunt. Res autem non ſe ita Tres moræ in
habuit: ſed tres morulas ponere, non erit inutile: primam quidem, in qua omnes angeli angelis.
in ſuis naturalibus erant æquales: ſecundam verò, in qua boni ad deum ſe conuertentes, 1.
eumq; actu naturali diligentes, vti merito de congruo, atque cœlitus in illos gratia dila- 2.
pſa, actu charitatiuo, deum amantes, de condigno vitam meruerunt æternam: tertiam 3.
autem, in qua & beatitudinem, & præmium conſequuti ſunt vitæ æternæ. Ex quo pa-
tet, meritum, præmium præceſſiſſe. Porrò, mali angeli, non quidem natura, ſed propria
malitia, primam morulam cum bonis communem habuêre: in ſecunda verò, peccaue-

 runt,

runt, atque in peccato perſtiterunt, bonosq; tentauerunt: in tertia autem, miſeri euaſêre,
Bonitas in angelis. atq; pœnis dati ſunt æternis cruciandi. Sed dubitabit aliquis, an angeli etiam mali,
boni aliquando extiterint. Ad quod quidem audacter, & liberè reſpondemus, à bono
deo, bona omnia condita fuiſſe: Vidit, inquit, deus omnia quæ fecerat, & erant valde bona;
mala autem aliunde ſubintraſſe, nempè ex bona angeli natura emanaſſe, idq; pro-
Bonitas naturalis. pria, atq; libera voluntate. Itaq; omnes boni conditi ſunt, bonitate vtiq; naturali, nõ bo-
nitate gratiæ gratum facientis: nam Lucifer, eiusq; angeli, hanc gratiam, ſiue charitatem
Gregorius. nunquam habuerunt, ſicuti clariſſimè docet Gregorius. Ezechielis 28. Omnis lapis pre-
Auguſtinus. tioſus ornamentum tuum. Simile quiddam dicit Auguſtinus in Geneſin: Angelica, inquit,
natura priùs fuit facta tenebroſa, deinde conuerſa ad lucem, facta eſt lux. Neque huic
aduerſatur ſententiæ, illud, quod 12. de Ciuit: dicere videtur, quòd deus ſcilicet ſi-
Condens naturam, & largiens gratiã. mul erat condens naturam, & largiens gratiam, quandoquidem de gratia, gratum fa-
ciente minimè loquatur; ſed de aliqua potiùs gratia gratis data, vtpotè de aliquo habi-
tu, vel ſpecie, qua deum diſtinctè cognouerunt: angeli ergo nocentes, boni conditi ſunt,
bonitate vtiq; naturali, non gratia gratum faciente, quam nunquam habuerunt, quia il-
Malitia diaboli. lam expectare noluerunt: vnde facti ſunt mali, propria ſanè malitia. Eſt autem mali-
tia, mentis atque animi deprauatio, à tramite veritatis deuia: proinde ſicut amoris igne
mens erigitur; ita abſque dubio igne malitiæ deprimitur. Quamobrem Luciferum, cæte-
rosq; malitiæ ſpiritus, nunquam pœnitet ſuæ malitiæ: nam ſicut ignis quantò amplius li-
gna ſuſceperit, in maiorem flammam erigitur; ſic animus malus, quantò magis verita-
Nequitia eſt voluntaria malitia. tem audiuerit, eò amplius in malitiam excitatur: iure ergo Lucifer appellatus eſt ſpiri-
tus nequam; nequitia enim, voluntaria malitia eſt, in quam non caſu incidimus, ſed ſpon-
tanea voluntate verſamur. malitia ergo eſt ex propoſito, & deliberatione, malo cogni-
Quare dæmõ non agit pœnitentiam. to, prono animo conſentire. Itaq; voluntas dæmonum improba, ex toto impetu atq; co-
natu ſeſe obfirmauit, malitiam, atq; malum liberè, & inflexibiliter volendo, deum autem
deſerendo: vnde ſecundùm ordinem nunc à deo inſtitutum, dæmon iuſtificari non po-
teſt, aut eum ſuæ malitiæ pœnitere, cùm deus illi cooperari nolit, ſitq; in termino, & ex-
tra viam. Porrò, ſecundùm potentiam dei abſolutam, & iuſtificari, & ad pœnitentiam
poſſet reuerti; præſentata ſiquidem illi culpa per intellectum, vt mala, illius vtiq; pœ-
nitere poſſet, atque actum elicere debitis circumſtantijs ornatum, quò ad iuſtificatio-
Obiectiones nem recipiendam actus eſſet, & diſpoſitus. Sed dicet aliquis: ſi tota ratio impœnitudi-
1. nis, ſiue obſtinationis in dæmonibus ſit à deo non acceptante, ſiue non largiente huius-
modi pœnitẽtiæ actum: deus ergo peccati, & obſtinationis cauſa dici poteſt, quod eſt fal-
2. ſum. Præterea, non minùs angelus in obſtinatione, quàm homo præſcitus perſiſteret, cùm
3. ex diuinæ hoc voluntatis determinatione dependere videretur. Adde, quòd deo perſona-
Solutio. rum acceptio eſſet attribuenda, quippe qui angeli, ſiue damnati actum, non acceptaret
1. informem, ſicuti & viatoris: Reſpondeo, deum cauſam peccati eſſe non poſſe, quomo-
docunq; teneat, aut permittat malum angelum, in actu malo iacere, & obſtinatè ma-
nere. Etenim, quemadmodum, quando angelus primò peccauit, totius ſubſtantiæ actus,
ipſe Deus author extitit, nec ideò peccator dici potuit; ita planè nec peccator eſt ap-
pellandus, etiamſi cauſa ſit continuitatis talis actus; defectus enim illi tribui non poteſt,
2. ſed effectus potiùs, atque id, quod ibi poſitiuum inuenitur. Ad 2. Præſcitus finali, ac
fructuoſa non emendabitur pœnitentia, inſtar dæmonis; quanquam dæmon magis ſit in-
3. duratus, vtpotè in termino conſiſtens, ille autem in via. Ad 3. dico, deum non eſſe per-
Perſonarum acceptio. ſonarum acceptatorem, nec ab eo, alicui iniuriam fieri, cùm ipſe nemini debeat, niſi pro
Obiectio. ſua liberalitate, & bonitate. Sed inſtabit aliquis, ſi voluntas angeli, ex ſua libertate po-
1. teſt ceſſare ab actu peccandi, nec ad talem actum cogi: ſi ergo cogatur; non ſibi certè
imputandum eſt, ſed deo cogenti. Dico, quòd ſicut angelus liberè peccauit; ita etiam
Solutio. quantùm pertinet ad naturam potentiæ volitiuæ libere reuerti poſſet: ſed deeſt illi actus,
idq; ex

idq́ ex cauſa extrinſeca, poſitiuè, vel uegatiuè, iuſtè, & legitimè prohibente: uou enim
putandum eſt, inſtar ſanitatis corruptæ, potentiam volitiuam in dæmonibus ſe habere;
nam illorum voluntas penitus corrupta, & annihilata omninò non, fuitſicuti corrumpi- Obiectio.
tur ſanitatis ſubiectum. Dicis, voluntas corrupta circa principium agibilium, eſt pror- 1.
ſus inſanabilis; ſanitate ſiquidem in corde, vbi eſt principium vitæ, corrupta, per vires
naturæ ſanitas haberi uon poteſt. ſed voluntas dæmonum eſt corrupta circa finem: igi-
tur eſt incorrigibilis. Amplius, ſi voluntas dæmonis ſanabilis eſſet, atque corrigibilis; 2.
hoc profectò ex aliquo eſſet priucipio. ſed illud principiũ eſt corruptum: ergo. Ad hæc Solutio.
ita reſpondendum eſſe mihi iudico, & ad primum dico, falſam, minimèq́ congruam eſſe 1.
ſimilitudinem: nam etſi corruptio illa circa principium obiecti extiterit; circa ſubie-
ctum nequaquam fuit, cùm prorſus deſtructa voluntas uon fuerit, ſicut penitus deſtrui-
tur ſanitatis ſubiectum. Ad 2. dico, quòd circa aliquod obiectum debitum, ex volunta- 2.
te, veluti ex principio effectiuo, actus reſurgeret. Ratio præterea huiusmodi ſi bona
eſſet; omnis planè peccans circa finem, obſtinationis vitium iucurreret, quod eſt falſum.
Adde, quòd huiusmodi corruptio circa finem fuit particularem, quem planè non opor- Obiectio.
tet volentem neceſſariò velle. Dicis, ideò angelus in obſtinationis vitium incurrit, quia
ſcilicet ex ſua libertate magna fortiter peccando impegit in ſynthereſim, & ſeipſum col-
liſit per contemptum, ſicut equus ruptis habeuis it præceps, magnamq́ ſui patitur rui-
nam. Aut ſicut ferrum vehementer infigitur carni, & retunditur oſſe, vt eius acies re-
ſtaurari non poſſit. Dico expempla huiusmodi parabolica eſſe: uam quando ferrum Solutio.
carni iufigitur, partes quidem carnis comprimuntur, atque congregantur, ferro in ſua
naturali rectitudiue nou manente. atqui voluntas in ſua uaturali libertate, quòad illius
potentiam volitiuam, manet: uegatur ergo ſimilitudo. Ad aliud etiam dico: agens, Obſtinatio
quod dominatur ſuo actui, dominari etiam modo agendi: ſed voluntas angeli quò libe- dæmonis
rior, eò vtiq; magis ſui actus domina eſt: non ergo opus erat illi, ex toto conatu ferri, vnde ſit.
atque ita, fortiter collidi, impingiq́ in ſynthereſim. Quòd ſi dixeris angelum ſuo actui 1.
non dominari circa finem ſuum præſtitutum, ſiue intentum; dominari nihilominùs actui
circa finem, ab ipſo liberè præſtitutum, inficias ire non poſſum, atq; ita habetur inten-
tum. Amplius, quo principio aliquid tendit, & mouetur in terminum; eo planè in ter- 2.
mino virtutem habet quieſcendi. ſed libera, ac contingenti voluntate, in tale mouetur
angelus obiectum: eadem ergo libertate, ab eo potentiam habet decedendi. Itaq; dæmon
ſecundùm iuſtum iudicium dei eſt incorrigibilis, atq; nunquam ſuæ malitiæ pœnitebit,
ob eas, quas diximus rationes; ſecundùm verò potentiam dei abſolutam, ſuæ volitionis
potentiam naturalem, quia naturalia iu dæmonibus integra permanſerunt, ad pœniten-
tiam redire poſſet; quod tamen vllo vnquam tempore fiet, quia nimirum illius malitia eſt
in termino, & malo adhæret, & liberè, & inflexibiliter.

CAP. IIII.

Dæmon an habeat aliquem actum bonum, & bonus angelus an poſſit peccare.

SVperiori quæſtioui, hanc inſerere placuit, quò dubia planè incidentia, faci- Dauid Pſa.19.
liùs eſſent ſoluenda, vtrumuè dæmou iu actu malo perpetuò verſetur: Inqui-
natæ, inquit Dauid, ſunt viæ illius in omni tempore. Et iu alio Pſal. Super-
bia, qui te oderuut, aſcendit ſemper. proinde, quemadmodum boni iu perpe- Bonitas natu-
tuo charitatis actu verſantur; ita & dæmones in malitiæ opere. Cæterùm, vt hæc clariùs ralis.
intelligi poſſint, uon ignorare oportet quadruplicem bonitatem deſcribi: naturalem ſci-
licet, quæ cum ente conuertitur: ſecundam verò, quæ nominatur ex genere, vtpotè ha- Ex genere.

Luciferi peccatū.

bens aliquid de bonitate generis moralis, in potentia exiſtens ad perfectam bonitatem
Moralis. moralem, quæ ex obiecto, non autem ex genere ſubiecto bonitas nominatur: tertiam
Meritoria. moralem, quæ eſt actus debitis ornatus, atque veſtitus circumſtantijs: quartam meritoriam, in qua eſt charitas, quæ eſt principium merendi. Cuilibet autem iſtarum malitia oppoſita eſt, idq́ dupliciter, priuatiuè ſcilicet, aut contrariè: priuatiuè autem eſt negatio bonitatis, contrariè verò eſt malitiæ oppoſitio.
Malitia quadruplex. Porrò, malitia priuatiuè ex genere in aliquo actu neceſſariò, malitiam contrariam concomitantem habet. Quamobrem, ſi aliquis actus, in debitum non feratur obiectum, non modò priuationem bonitatis incurrit; ſed malitiam etiam actu bonitati obuiantem. hæc autē malitiæ ex circumſtantia neceſſaria non ſunt; actus enim poteſt eſſe malus ex debitæ defectu, priuationeq́ circumſtantiæ, abſq́ alicuius malitiæ poſitione. Hæ igitur duæ malitiæ ad inuicem non conuertuntur. Quare finis poteſt eſſe malus ex defectu circumſtantiæ debitæ, non autem circumſtantia contraria. Nam ſi eleemoſyna non detur ob debitum finem, ob contrarium autem dari, non eſt neceſſe. hæc eadem malitiæ accidere neceſſe eſt, quæ bonitati aduerſatur meritoriæ: vnde aliquis actus, licet non ſit meritorius; non tamen illico neceſſe eſt eſſe demeritorium; quandoquidem valeat eſſe veſtitus, ornatusq́ debita circumſtantia
Potentia ſubiecti multiplex. naturali, ſiue morali. Quòd ſi loquamur de prima bonitate; tunc abſque dubio malitia priuatiua, prorſus actum excludit, atque deſtruit, ideoq́ malitia contraria concurrere nequit, cùm non habeat, quod deſtruat. Potentia præterea ad aliquem actum eſt tri-
1. plex: vno quidem modo reſpectu alicuius actus, principium dicit actiuum, vel paſſiuum. interdum verò ſubiecti ordinem, ad actum recipiendum: atque talis ordo eſt, reſpectus ad actum, nec eſt illius actiuum, ſeu paſſiuum principium. hic autem actus eſt
2. duplex: nam aliquando ita ſubiecto propinquus eſt, vt mox ſubiectum in actum prodire valeat: interdum verò, remotus eſt, vtpote, quando diſponente aliquo indiget, vt
3. in actum exire poſſit. tertio modo, quando non eſt repugnantia terminorum, vocaturq́ potentia logica. Impotentia etiam totidem dicitur modis: quot enim modis vnum oppoſitorum dicitur; tot etiam, & reliquum. His igitur ita excuſſis ad præpoſitam quæſtionem accedamus, atque inprimis dicimus, angelum in ſenſu compoſitionis exiſtentem, aliquem ſuæ voluntatis actum bonum habere poſſe ſecundùm quodlibet potentiarum
Dæmon ſemper vult malum. membrum, bonitate vtiq́ naturali: hæc autem bonitas, quoniam cum ente conuertitur: quemadmodum ſuus actus eſt ens; ita etiam bonus. Idem iudicium eſt de actu bono ex genere; planum eſt enim habere poſſe aliquem actum tranſeuntem in conueniens obiectum, vtpotè amare ſeipſum, pœnam odio habere; verùm ipſe puto hunc actum diabolum nunquam habere, ſiquidem ille perpetuò iniquitatem diligit: qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Tertius autem bonitatis actus illi deeſt, quippè qui debitis vacet circumſtantijs, ſitq́ deformis omnis ob habitum malum illi perpetuò inhærentem, & ad malum ſemper impellentem. hæc quidem ſententia magis mihi placet, intuens atque contemplans obſtinatam, ac firmiſſimam dæmonis malitiam: nam cùm omnium ſuarum cogitationum finis ſit malus, vtpotè ad malum ſemper; & opera quoq́ mala
Alia opinio. ſunt iudicanda, atque reputanda: dicunt autem nonnulli, nullum habitum neceſſariò voluntatem inclinare poſſe; voluntas enim angeli eſt libera, quia integra in ipſo naturalia remanſerunt. In eo præterea eſſe dicunt ſynderesim, hoc eſt, ſuperiorem rationis ſcintillam, contra malum naturaliter murmurantem, voluntatemq́, actum ſynderesi conformem habere poſſe. Adde, quòd voluntas, quò ad ſua intereſt omnem actum ſuſpendere poteſt; nihil enim ita eſt in voluntatis poteſtate ſitum, ac ipſius actus: non ergo neceſſariò vult actum malum. Idipſum ego quoque approbo, non neceſſariò, ſed liberè
Angelum bonum peccare non poſſe. velle malum; ſed libertate planè inflexibili, idq́ ex ſua firmiſſima malitia. Et hæc quidem de obſtinata dæmonis malitia dicta ſint. Iam alteri nobis quæſtioni ſatisfaciendum eſt, vtrumnè angelus bonus peccare poſſit. Ad quod quidem dicimus: angelum bonum

peccare

peccare non poſſe; peccatum enim accidit ob defectum, vel errorem, qui in intellectu præceſſit. ſed intellectus angeli beati Deum videt: nullus ergo error in ipſum cadere poteſt. Deum præterea videndo, ſuum finem vltimum videt, quem non poteſt non velle, 2. *nec odiſſe. Adde, quòd viſio, quæ eſt forma beatifica intellectus, totum efficit potentiæ* 3. *appetitum: in intellectu ergo illa viſione præcedente, voluntas peccare non poteſt. Verùm, quanquam angelus bonus peccare non poſſit; non his tamen rationibus clarè oſtenditur, imò nonnulla minimè probandæ eſſe videntur: vnde & contra eas audacter arguere, nequaquam veriti ſunt, ſic dicendo: Actus voluntatis liberè, non mutat modum* Rationes contrariæ: 1. *eliciendi; actus enim eſt voluntate poſterior; poſterius autem, ſui modum prioris immutare non poteſt. ſed angeli voluntas, liberè ac contingenter, primum ſuum elicit actum; ante ſiquidem electionem, nulla planè erat neceſſitas eliciendi: igitur, ſicut à principio liberè, & contingenter elegit; ita & deſerere valet. Reuera, cauſa ſecunda,* 2. *modum cauſæ principalis in agendo mutare non valet, alioqui ſecunda dicenda non eſſet. ſed quicquid in voluntate ſitum eſt, ſiue poſitum, ſecundæ cauſæ officio fungitur: voluntati ergo ita reſiſtere nequit, quòminus liberè agat. Verùm eadem facilitate hæ rationes, quæ & ſuperiores, ſolui poſſunt: voluntas ſiquidem, cùm mali, tùm etiam boni angeli, id, quod ſemel defendendum atque amplectendum ſuſcepit, liberè proſequutur, & inflexibiliter tenet, vt ab eo ſeſe auertere nequeat; eſt enim in termino, atque extra viam ſeſe corrigendi. Adde, quòd vtriuſque voluntas, iuſto dei iudicio, debitam accepit meriti demeritique mercedem, vnde diuertere neutri illorum licet. Sanè, ab eo angeli impeccabilitas, ſiue immunitas, à peccando maximè procedit, à quo, ſi angelus in ſuis naturalibus relinqueretur; abſque dubio angelus peccare poſſet, ſicut & mali peccauerunt. ſed talis eſt deus, qui eſt natura impeccabilis: itaque, his atque alijs conſtat rationibus, bonum* Angelum bonum poſſe peccare. *angelum, actum peccandi, malum verò bene agendi opera exercere non poſſe, nec velle. Sed arguet quiſpiam, angelus bonus potentia viget rationali, nempè voluntate: igi-* 1. *tur poteſt peccare. Tenet conſequentia, ex authoritate philoſophi 9. met. & 2. Perimenias: Potentiæ rationales ſunt ad oppoſita. Profectò, ſi voluntas angeli peccare non poteſt; non eſt omninò libera, quippè, quæ ad vnum tantùm agendum determinata ſit virtutis. Amplius, quod alicui ineſt ex natura, ab eo vtique auferri non poteſt, manente na-* 2. *tura. ſed angelus naturaliter deficere poteſt, vtpotè creatura peccato obnoxia: à nullo ergo extrinſeco eripi poteſt, quod eſt illi à natura tributum. Ad hæc autem atque ſimilia* Solutio. *facile eſt reſpondere: & ad primum quidem dico, bonum angelum ex ſua certè natura* 1. *deficere poſſe; nunquam tamen defecturum fore, tùm quia iuſto dei iudicio ita in beatitudine conſeruatur, tùm quia bono increato perfectiſſimè inhæret atque coniungitur, vt ab eo ſeparari non poſſit. Ad 2. verùm quidem eſt, virtutes rationales, in his, quæ na-* 2. *turalis ordinis expertia ſunt, ad oppoſita ſe habere: in his autem, quæ naturalis ordinis capacia ſunt, nequaquam; intellectus enim, principijs naturaliter notis aſſentitur omninò, & non poteſt non aſſentiri. ſimiliter & voluntas, non poteſt non adhærere bono, in quantum eſt bonum; in bonum ſiquidem, veluti in ſuum obiectum, naturaliter ordinatur. Itaque voluntas angeli, quòad multa ad vtrumlibet ſe habet; quòad verò ad deum, quem ſemper videt, vno modo, ſcilicet illi perfectiſſima charitate inhærendo. Reuera, peccare, defectus eſt libertatis: nam liberum arbitrium, ſeruato ordine finis, diuerſa* Peccare eſt defectus. *eligere poſſe, eſt illius libertatis perfectio; finis verò ordinem diuertere aliquid eligendo, non paruum eſt libertatis dedecus atque detrimentum: maior ergo atque præſtantior eſt libertatis excellentia in angelis, qui peccare non poſſunt, quàm in nobis ipſis, qui mẽte & corpore, peccato indefeſſè obſequimur. Quomodo ergo angelus bonus peccare non poſſit, nec malus à ſua reſilire malitia, dixi ſatis, & omnibus conſtare puto.*

CAP. V.

Luciferi peccatum

Angelum malum, diuinam æqualitatem appetiuiſſe.

Iſaias. CElebre Iſaiæ vaticinium cap: 14. dæmonis ſuperbiam præclarè deſcribit: Aſcendam, inquit, in cœlum, & ero ſimilis altiſſimo. Dubitatum eſt à multis, ſi ſuperbo illi, libido inſuit æqualitatis diuinæ, ſiue ſimilitudinis appetendæ. Quibuſdam autem viſum eſt, fieri non potuiſſe, vt diuinam æqualitatem appeteret: nam cùm angeli peccatum, ex electione fuerit profectũ, impoſſibile appetere non potuit; electio enim authore philoſopho 3. Ethico: non eſt impoſſibilium. ſed creaturam, in dei naturam æqualitatemq́; migrare, eſt omninò impoſſibile: Dei ergo æqualitatis appetendæ mentem illius non ſubijt libido.

Quòd non appeterit diuinam æqualitatem.

1\. Amplius, non licet angelo, nec cuiquam creaturarum, ſui annihilationem appetere, ac ſe eſſe non velle, cùm natura vnicuiq; inſitum ſit, vt ſe, ſuaq́; tueatur. ſed, ſi angelus diuinam æqualitatẽ directè appetiuiſſet; in hoc profectò nefas incidiſſet: ergo quod prius.

2\.

3\. Adde, quòd peccatum ignorantiæ incurriſſet, erraſſetq́; ante culpam. Porrò, error præcedere culpam non debet: magnus autem error extitiſſet, ſi petiuiſſet, quod cogitare nõn potuit: creaturam autem in dei naturam migrare, æſtimationem prorſus ſuperat omnem, vincitque mentem talia cogitantem; nam finiti ad infinitum, nulla poteſt eſſe proportio: eſſe ergo directè deum, non alicui creaturæ appetendum, cùm non ſit appetibile, nec cadat ſub creaturæ appetitum.

Solutio. Verùm ad hæc ita à nonnullis reſponſum fuiſſe legimus,

1\. & ad primum ſcilicet, hoc modo: electio bifariam poteſt intelligi: vno quidem modo, vt ſit actus voluntatis, qui circa idem obiectum certæ notitiæ actum inſequitur. hoc autem modo aliquem peccare dicimus, quando non ex errore, aut paſſione; ſed ex certa malitia peccat.

Electio duplex.

Si ergo angelus diuinam æqualitatem appetiuiſſet; hoc certè modo, eum peccatum incurriſſe diceremus: alio modo intelligitur à philoſopho 3. ethic: vt ſit actus voluntatis, ſequens actum de agibili, vel volubili in ordine ad finem, qui profectò aliquo modo per ſe, vel per alium ſubeſt voluntati, poteſtatiq́; eligentis. hoc autẽ modo, electio non eſt impoſſibilium; eligibile enim ſic acceptum eſt in poteſtate eligentis, atq; rei eſt ordinabilis ad finem. ſed iſte modus ad rem non pertinet, nec noſtro deſeruit propoſito.

2\. Ad 2. Appetere Deo æqualem eſſe, non eſt perinde, ac ſimpliciter nõ eſſe; ſed talem non eſſe, hoc eſt, angelum, vnde nobilius appetit eſſe, ideoq́; illud appeti poteſt. Præterea, miſeri appetunt non eſſe; appetitus enim illicitus poteſt eſſe impoſſibilium. damnati quoq; oderunt Deum, appetuntq́; ipſum non eſſe. vnde, quia æqualitas eſt quoddam appetibile, & concupiſcibile; intellectus quoq; æqualitatem poteſt diuinã intelligere: igitur à voluntate appetitu illicito appeti potuit.

3\. Ad 3. error ſanè extitiſſet, quando id, quod ipſe petebat, factu poſſibile credidiſſet. ſed ſciebat illud impoſſibile fore: ſicut ſi ipſe peterem eſſe immortalis, cùm hoc impoſſibile iudicem. Voluntas præterea vnum extremorum, alteri conferre poteſt, & velle vnum alteri ineſſe, ideoq́; intellectu oſtendente angelum, & æqualitatem diuinam, voluntas potuit velle vnum ineſſe alteri, etiamſi intellectus talem complexionem minimè iudicarit, nec ipſam formarit, vni extremorum alterum comparando.

Quomodo voluit eſſe deo æqualis.

Itaq́;, electione propriè dicta, atq; volitione efficaci, ſe deo æqualem eſſe, dæmon nunquam appetiuit.

Appetitu illicito, potuit appetere eſſe ſe æqualem deo.

Quòd autem per ſe, appetitu tamen illicito, Dei æqualitatem dæmon appetere valuerit, ſic quidam tuentur: Omne bonum ſimpliciter, inquiunt, eſt cuiq; appetendum, etiamſi illi accidere, atq; ineſſe non poſſit: hoc autem efficere poteſt, per voluntatis abuſum, impoſſibilia appetentis atq; deſiderantis. ſed Dei æqualitas eſt quoddam bonum, verum, & ſimplex: igitur à diuinis perſonis rectè, ab alijs autem creaturis abuſiuè & indirectè appeti potuit.

2\. Amplius, in cauſa eſſe non potuit impoſſibilitas, quò minus ab angelo appeti potuerit diuina æqualitas, cùm voluntas, authore philoſopho tertio ethicorum, ſit etiam impoſſibilium. vnde in damnatis hoc maximè apparet, qui, dum deum odio habent, cupiunt deum non eſſe. Qui aliquid odit, ait philoſophus 2. Rhetorices, vult ipſum non eſſe: ergo. Porrò, cùm

Luciferi peccatum

rò, cùm duplex ſit amor, amicitiæ ſcilicet, quo aliquod bonum diligitur, & concupi-
ſcentiæ, qui eſt reſpectu illius, quod alteri diligitur: cumq́ id, quod amore amicitiæ di- Amor amicitiæ.
ligitur, & concupiſcentiæ etiam amore ordinatè, inordinatèq́ appeti poßit; fit, vt an- Amor concupiſcentiæ.
gelus amore amicitiæ ſe diligens, diuinam æqualitatem inordinatè ſibi concupiſcere va-
luerit; voluntate ſiquidem ſimplicis complacentiæ, non autem voluntate efficaci; eſt e- Simplex complacentia.
nim duplex voluntatis actus: alter videlicet, quod eſt velle ſimplicis complacentiæ, quo
voluntas delectatur ſibiq́ complacet, etiam in re ſibi factu nequaquam poßibili, cuius
habendæ ſpecie minimè habet: alius verò, eſt velle efficax, quo aliquid ex animo volu- Efficax velle.
mus, & efficaciter conſequimur. primum autem, non autem ſecundum velle, in angelo
eſſe potuiſſe aßerimus: illud autem ad impoßibilia ſeſe extendere poſſe, conſtat ſatis.
Ex his autem, quomodo angelus diuinam æqualitatem appetere potuerit, patere puto.
Ceterùm, quod à nonnullis dictum eſt, angelum indirectè diuinam appetiuiſſe æquali- Indirectè appetere quid ſit
tatem, quia nimirum beatitudinem ex ſuis naturalibus aſſequi præſumpſit, acutè atque
ſolerter nobis eſt obſeruandum; illud enim trifariam quodammodo intelligi poteſt. Aut
effectiuè quidem, nempe, quòd ex ſuis principijs naturalibus potuerit eſſe beatus, quod Effectiuè.
omnibus planè modis factu ac cogitatu eſt impoßibile; huic enim rei, obiecti oſtenſio
beatifici, quæ ex diuinæ dependet voluntatis libertate, eſt omninò neceſſaria: non ergo
ex puris naturæ illius principijs poterat haberi: igitur non erat illi appetibile. Aut ex
ſuis naturalibus ſufficienter diſpoſitus ad beatitudinem habendam à deo, illam appete- Diſpoſitiuè.
re valuit. ſed tunc dubium eſt, vtrum hoc poßibile illi extiterit, necnè? Si impoßibile,
ab eo vtiq; appeti nō potuit, vt illorum ratio dicere videtur. ſin autem poßibile, quomo-
do verum eſt illud, quod ipſi conſtanter tuentur, animam beatificari non poße, niſi me-
diante diſpoſitione ſupernaturali, quæ eſt gratia, gratum faciens? par enim ratio eſt
quoq; in angelo expendenda, quippè, cùm ipſe creatura ſit; omnis autem creatura, ex
ſuis naturalibus, beatitudinem habere non poteſt: igitur hoc modo angelo appetibile nō
erat, quod ipſi nihilominùs aſſerere videntur. Aut ex naturalibus beatitudinem habere Tertius modus.
voluerunt, quia ipſorum natura, erat ipſis beatitudo. ſed hoc quoq; eſt magis impoßi-
bile; dei ſiquidem eſt ſolius, non creaturæ certè alicuius. Ex quo patet, quomodo ſit in-
telligendum, angelum diuinam æqualitatem appetiuiße. Quòd ſi fas eſt ita loqui; non Dæmon voluit eſſe deo maior.
modò Deo æqualem, ſed maiorem eße appetiuit: qui enim alicuius ſeſe opponere volun-
tati audet; is planè maiorem ſe illo exiſtimat. Quoniam autem malignus ille, atq; ſuper-
bus, (de quo Propheta canit: Humiliaſti, ſicut vulneratū ſuperbum,) lege ſubiectionis,
obedientiaq́ accepta, diuinæ reſiſtere voluntati præſumpſit, maiorem ſe deo vtiq; repu-
tauit: ipſius ergo peruerſa illum voluntas occidit, atq; ex bono in malignum commuta-
uit: Habebat, inquit Baſilius hom: 9. liberam vitam, & inſitam ſibi poteſtatem, aut deū Baſilius.
ſequendi, aut à bono diſcedendi. Gabriel angelus à deo iugiter ſtetit. Sathan item ange- Sathan.
lus ex ordine ſuo prorſus cecidit. Et illum propria voluntas in cœlo retinuit; hunc verò Gabriel.
voluntatis libertas cœlo deiecit: poterat enim & ille à deo deficere, & iſte non excide-
re: ſed illum ſatiabilis dilectio ſeruauit; hunc à deo relictum eſſe oſtendit per peccatum
alienatio. Cùm autem omnis ipſe mali promptuarium exiſteret; inuidiæ quoq; morbum Bellū diaboli.
in ſe recepit: animaduertens enim ſe ex angelorum ordinibus expulſum; non tulit ter-
renam creaturam, ad angelorum dignitatem per virtutis profectum exaltari. Nos igi-
tur odio proſequitur, & vt dei imaginem inſectatur. Ille igitur ſapiens, & prouidentißi-
mus rerum humanarum diſpenſator, eius vtitur ad noſtram exercitationē malignitate,
quemadmodum medicus, viperæ veneno, ad ſalutarem medicamentorum præparationē.
Sed de his hactenus. Quid ergo appetierit malignus ille atq; ſuperbus ſpiritus, hæc di-
xiße ſufficiat.

CAP. VI.

Dæmonis peccatum, fuit cauſa alijs peccandi.

AVdita Luciferi ſuperbia atq; malitia, congruum eſt perſcrutari, quonam modo in alios illius virus meauerit, ac ciuitatem illam ſanctiſsimam per-
Apocalyp. *uaſerit: Vidi, inquit Ioan: Apocal: 12. draconem ſecum trahentem tertiam partem ſtellarum. Superbus ſanè ille ſuadendo, non autem cogendo, alijs extitit cauſa peccandi, cuius ſuggeſtioni cũ paruiſſent; iure illius imperio neceſſario obediunt atq; obſequuntur: ad diuinæ enim ſpectat iuſtitiæ ordinem, vt cuius ſuggeſtioni aliquis conſentit in culpam, eius poteſtati ſubdatur in pœnam. Vnde*
Petrus. *Apoſtolorum princeps in ſua canonica 2. proteſtatur: A quo, inquit, quis ſuperatus eſt,*
Matth. *huius & ſeruus eſt. Quã ob cauſam dominus in Matth: 25. vocat Luciferũ dæmoniorum principẽ: Ite, inquit, maledicti in ignem æternũ, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Itaq; mali angeli, in eadem malitia conſenſerunt, vnumq; peruerſæ ſocietatis ordinem fe-*
Luciferi peccatũ fuit maius. *cerunt. Porrò, Luciferi peccatum maius fuiſſe videtur, tum quia maiori impetu concupiuit; vis enim concupiſcendi, naturalium ordinem dignitatemq; inſequitur, quæ profectò, quoniam in Lucifero, & maiora inuenta ſunt, atq; præſtantiora; maius vtiq; illius peccatum inuentum eſt, ob maiorem concupiſcendi virtutem: maius præterea propter occaſionem, quæ cæteros ad peccandum allexit atq; incitauit: deniq;, maius etiam duratione; præceſsit enim peccatum in primo angelo, cuius iniquam ſuaſionem atq; malitiam*
Ex omnibus ordinibus aliqui ceciderunt. *cæteri intuentes, & conſenſerunt, & illius ſuperbiam acceptarunt. Ex omnibus autem ordinibus aliquos cecidiſſe probabile eſt: nam ſi Lucifer de ſupremo ordine corruit; & de alijs etiam ordinibus corruiſſe, rationi conuenit & ſcripturæ. Numerus autem eorum qui remanſerunt, maior extitit, eo, qui lapſi ſunt: peccatum enim eſt contra inclinationem naturalem: ea autem, quæ contra naturam fiunt, vt in paucioribus, accidunt; na-*
Obiectiones. *turæ enim ſemper, vel in pluribus ſuum conſequitur effectum. Sed dicet aliquis, maius*
1. *peccatum eſſe videtur, alteri velle ſubeſſe, idq; in contemptum dei, quàm velle alteri præeſſe; minùs enim mouet ad peccandum. Quare, ſi primi angeli peccatum, alijs fuit cauſa peccandi, ea ratione, qua dictum eſt: minùs ergo ille, quàm cæteri peccauit. Ad-*
2. *de, quòd ſimul omnes peccauerunt: vnius ergo peccatum, alijs non fuit cauſa peccandi. Deniq;, peccatum angeli fuit ſuperbia; ſuperbia autem excellentiam appetit: magis autem excellentiæ aduerſatur, inferiori, quàm ſuperiori ſubdi velle. Quare, non videtur dæmones peccaſſe, quòd inferiori ſubdi voluerint, potiùs quàm deo. ſic etiam, peccatum vnius angeli, alijs fuiſset cauſa peccandi, ſi illis perſuaderet, vt illius imperio ſubijci vel-*
3. *lent: ex quo videtur, primi angeli peccatum, alijs non fuiſſe cauſam peccandi. Amplius, bonum eſt in paucioribus, malum autem in pluribus: igitur plures ceciderunt,*
Solutio *quàm in ſuo ſteterunt domicilio. Reſpondeo ad primum, quamùis angeli ſimul peccaue-*
1. *rint; impercitibili tamen tempore, in primo angelo ſuperbia, atq; malitia præceſsit, quã & cæteri ſecuti ſunt. Vnde, quia ſupremus angelus cæteris præſtabat, & prudentia, & naturalibus bonis; intenſiori vtiq; motu atq; malitia, in peccatum corruit. Cæterùm, quamùis ſuperbus, cæteris paribus, magis ſuperiori, quàm inferiori ſubdi peroptat; obtinendæ tamen alicuius excellentiæ cauſa, mauult interdum inferiori, quàm ſuperiori ſubdi. hoc autem modo angeli inferiores, ſuam ſuperbiam oſtenderunt, dum Lucifero conſenſerunt, eumq;, cui naturæ ordine ſubditi erant, in eorum principem habere volu-*
2. *erunt, cuius virtute atq; prudentia, eorum beatitudinem conſequi poſſent. Ad illud philoſophi dico, quòd illa ſententia nobis, non autem angelis congruat: nobis, inquam, quibus ſenſibilia nota ſunt omnibus, rationis autem bonum, paucis. at in angelis vna tãtùmmodò eſt natura, nempe intellectualis: non ergo eſt ſimilis ratio. Sed dicet aliquis,*
Si dæmon ſit omninò obtenebratus. *ſi in angelis vnica tantũ natura eſt, nempe intellectualis, principes tenebrarum ſuntnè ita obtenebrati, vt omnis prorſus cognitionis veritatis ſint expertes? Et reuera, ſi dæmo-*

 Dæmonũ ordines.

ter Deum non cognoſcunt; nec alia quoq; cognoſcere valent: Deus enim eſt omnium ma
nifeſtiſſimus. quod autem eſt maximè manifeſtum in natura, angelis eſt manifeſtum 1.
omninò, quippè, qui phantaſmatibus non indigeant in intelligendo. at mali angeli deum
non cognoſcunt, quia ſcilicet non ſunt mundo corde: Beati autem mundo corde, quoni-
am ipſi deum videbunt: mali ergo angeli ſunt omnis veritatis ignari. Amplius, ange- 2.
lis malis non competit cognitio matutina, vtpotè, qui non vident res in verbo: nec veſper-
tina; ea enim cognitio, ad creatoris laudem cognita referre ſummopere ſtudet. Porrò,
mali angeli dei laudem non quærunt, nec ad illius honorem aliquid fieri vellent: neutra 3.
ergo cognitione dæmones pollent. Iterum, dæmones à veritate exciderunt, & in tene-
bras dilapſi ſunt; veritatis autem manifeſtatio, fit in lumine, à quo illi quàm longiſſimè
abſunt. Ex his ergo atq; his ſimilibus nonnulli dicere videntur, dæmones eſſe omnis pror-
ſus veritatis ignaros. Cæterùm velle dicere, dæmones omnis eſſe veritatis cognitionis i-
gnaros, rationi minimè congruit; multiplex ſiquidem eſt veritatis cognitio: vna qui- Veritatis cognitio multiplex.
dem per gratiam, altera verò per naturam habetur. Porrò, prima eſt duplex: vna ſpe-
culatiua tantùm, veluti eſt ſecretorum reuelatio: alia eſt amoris affectiua, ſpectatque
ad ſapientiæ donum. quoniam autem naturalia in dæmonibus integra permanſerunt, na- Quæ cognitio ſit in dæmonibus.
turalis cognitio veritatis in illis integra perſeuerat. Secunda autem cognitio eſt in eis di
minuta, non omnibus modis deleta; illius ſiquidem in tantum conſcij redduntur, & gna
ri, in quantum diuina permiſerit prouidentia. A tertia autem veritatis cognitione, quã
remotiſſimi ſunt, vtpotè, omnis charitatis expertes. Ex his autem patet ad oppoſitas ra- Solutio.
tiones ſolutio. Ad primum, quamuis dæmones non habeant puritatem cordis, qua deum 1.
affectiua cognitione intelligere queant; habent nihilominùs puritatem naturæ, quæ ſuf-
ficit ad cognitionem dei naturalem habendam. Ad 2. dico, cognitionem veritatis in ma 2.
lis angelis non eſſe veſpertinam, ſed nocturnam, vtpotè, qui res cognitas ad dei laudem
non referant: Dæmones ergo multorum cognitionem habent: partim quidem ſubtilitate
naturæ: partim verò longa temporum experientia: partim etiam ſanctorum reuelatio-
ne angelorum, qui ſecundùm ordinatiſſimam dei voluntatem, nonnulla communicant,
non modò bonis, & angelis, & hominibus; ſed etiam cacodæmonibus. Quomodo ergo ma
li angeli alicuius veritatis ſint gnari, hæc dixi.

CAP. VII.

Ordines eſſe in Dæmonibus.

QVoniam in ſanctis angelis, paulò antè ordinem eſſe demonſtrauimus; nõ erit
puto abſurdum, poſt multa, quæ de dæmonibus dicta ſunt, inquirere, ſi in
malis angelis ordinum dignitates, ac prælatorum præfecturæ remanſerint.
Sanè, ſi ordo angelicus, ſecundùm gratiæ naturæq; gradum conſideratur, Quomodo eſt ordo in dæmonibus.
ſi ea ſpectes, quæ ad naturam dæmonum ſpectant, quoniam illa integra remanſerunt;
abſq; dubio, hoc modo ordines in dæmonibus integri perſeuerant. Quòd ſi ordo ſtatum
gratiæ oſtendit; vel eſt gratiæ conſummatæ, nempè gloriæ, atq; ita ordines in ipſis nun-
quam fuêre dæmonibus; vel eſt ſtatus gratiæ imperfectæ, ſtatus vtiq; merendi. Quoni-
am autem omnes angeli in gratia conditi ſunt: fuerunt ergo aliquando in hoc ſtatu me-
rendi, atq; in his ordinibus, ſed ab illis exciderunt. Quomodo ergo ſit ordo in dæmonibus,
patet. Eadem quoq; ratione aſſerere poſſumus, in dæmonibus eſſe quoq; prælaturas, atq; Prælatura.
præfecturas, alioqui quomodo ſtaret fortiſſimum regnum Sathanæ? Sanè, actio, rei na 1.
turam inſequitur: quam ob cauſam, quorum naturæ ordinem habent adinuicem; illorũ
profectò actiones, quodam certè ordine inter ſe diſtinctæ eſſe conſpiciuntur; ſic inferi-
ora corpora ſuperioribus, & eorum motus, actionibus, motibusq; ſuperiorum obſequun-

tur. *Quoniam autem dæmones hunc politiæ ordinem inter ſeſe mutuò conſeruant, dubium
non eſt, quin illorum actiones, ſimili politiæ ordine diſtinguantur, atq; vnius alteri a-
2. ctiones ſubdantur. Adde, hoc maximè ſpectare ad diuinæ ſapientiæ ordinem, quæ o-
mnia voluit ordine conſtare, nihilq; in vniuerſo inordinatum inueniri: quapropter & in
dæmonibus ordinem eſſe voluit, licèt imperfectum atq; peruerſum: imperfectum, in-
quam, ob gratiæ abſentiam; peruerſum verò, propter culpæ præſentiam: decebat enim,
vt qui nobiliori donati erant natura, nobiliori quoq; virtute alijs antecellerent. ſed or-
dine inuerſo, natura nobiliores, culpa quoq; maiori atq; graui cæteros anteeunt: eſt er
3. go prælationis ordo, ſed peruerſus, & inuerſus. Amplius, ſeruitutis cauſa peccatum eſt:
vbi enim nullum eſt peccatum, nulla eſt duræ ſeruitutis diſcretio. ſed peccatorum maxi-
mum eſt ambitio, præſertim inter ſpiritus cœleſtes, qui cùm ſint ambitioſiſſimi: optimo
ergo iure iugo ſeruitutis ſubduntur, vt vnus alteri inſeruiat; non quidem charitate com-
Iob. motus propinqui, ſed liuoris concitatus dolore. Non temere ergo à Propheta dictum eſt,
quòd ipſe ſcilicet Luciſer rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ, & quòd non ſit poteſtas
4. ſuper terram, quæ ei comparari valeat. Præterea, cùm ex odio implacabili dæmones
aduerſus nos bellum gerant, quamuis temerarij ſint adinuicem & ſuperbi; noſtræ ta-
men perditionis gratia, iuſſis ſuperiorum parent, ac inuiolabili fœdere principium man-
Prælatio dæmonum mala datis obſequuntur: eſt ergo inter illos prælatio libidinis plena: vindictæ cupida: iuſtitiæ
expers: maleſaciẽdi audacior: beneſaciendi ignara: nocẽdi inſolentior: vleiſcendi prom-
Obiectiones ptior: perdendi paratior: deniq; malorum omnium pleniſſima. Sed dicet aliquis, hæc quæ
1. dicta ſunt, & rationi aduerſari, & ſcripturis videntur. Reuera, vbi eſt peccatum, inibi
veri ordinis ratio eſſe non poteſt; peccatum enim corruptio eſt ordinis, modi, atq; pul-
chritudinis, ſed dæmonibus peccatũ perpetuò ineſt: in ipſis ergo nullo modo ordo inueni-
Iob. tur. Sanè, ſi in ſupplicijs inferendis, pœnarumq; generibus diſtribuendis, authore Iob 10.
nullus eſt ordo, inquit, ſed ſempiternus horror inhabitat: multò ergo fortiùs in dæmo-
nibus ordo eſſe non poteſt, in quibus eſt deordinatio culpæ, quæ maior, grauiorque
2. pœnæ deordinatione reputatur. Amplius, vbi eſt culpa, nullus planè verus ordo inue-
niri poteſt; culpa ſiquidem, & gratiæ ordinem peruertit, & naturæ; decet enim natu-
ræ ordinem, vt quò natura aliquis præſtantior ſit, eò & gratia, & virtute cæteris ſit no-
bilior. ſed in dæmonibus eſt culpa perpetua: igitur nullus rectus ordo, ſiquidem in na-
3. turalibus potentiores, in ſceleribus ſunt potentiores. Adhuc, Angelici ordines, ſub ali-
qua profectò hierarchia continentur. ſed mali angeli, nulli hierarchiæ ſubeſſe poſſunt:
hierarchia enim eſt ſacer principatus, maligni autem illi ſpiritus, omnis ſanctitatis ex-
pertes ſunt: in ipſis ergo ordines eſſe non poſſunt. Sanè, ordo rationem boni habet, quẽ-
admodum & modus, & ſpecies, authore Auguſtino de natura boni: inordinatio autem
mali: igitur ſicut in bonis angelis omnia ordinatiſſima habentur; ita etiam in malis in-
ordinatiſſima. Deniq;, ſi ex ſingulis angelorum ordinibus aliqui ceciderunt; quare ſin-
4. gulorum nomina non ſortiuntur? Amplius ſi authore Salomone in Prouerbijs 14. in-
ter ſuperbos ſemper ſunt iurgia: igitur inter dæmones ſuperbos nulla poteſt eſſe præla-
tio, quippè, cùm nulla in illis inueniatur concordia: quibus autem concordia non adeſt;
ab his profectò obedientia atq; ſubiectio quàm longiſſimè abſunt, ſine quorum adminicu-
lo, prælatio haberi non poteſt. Adde, quòd omnis prælatio, ad iuſtitiæ ordinem ſpectet.
at dæmones iuſtitiæ ſunt prorſus expertes: in illis ergo legitimus eſſe non poteſt ordo
præſidendi. Profectò, in dæmonibus, prælationis ordo ex natura eſſe non poteſt, ſubie-
ctio quippè, & ſeruitus ex peccato, non autem ex natura proficiſcitur: ad pœnam ergo
& ad culpam ſpectet, neceſſe eſt. ſed tunc ſuperiores dæmones inferioribus ſubderen-
tur, vtpotè, qui magis peccatores: patet ergo, quomodo vera prælatio in dæmonibus eſſe,
Solutio. aut haberi non poſſit. Porrò ad hæc atq; his ſimilia, ita reſpondere valemus, in dæmoni-
1. bus non inueniri ordinem perfectum atq; legitimum; ſed imperfectum atq; peruerſum,*

ideoq;

 Dæmonũ ordines.

ideoq́ rationes illas intelligi oportere de ordine perfecto atq́ legitimo, non autem de or-
dine, qui modò in dæmonibus inuenitur. Cæterùm, nomen Seraphim, quod ab ardore 2.
charitatis proficiſcitur, & Thronorum, ob diuinam gratiam inhabitantem, & Domina- 3.
tionum, propter liberalitatem quandam, dæmonibus tribui non poteſt, quia illa pecca-
to, quod dæmonibus perpetuò adeſt, aduerſantur maximè. Ex his patet ſolutio, ad tria
argumenta ſuperiùs dicta. Ad 4. dico, dæmonum concordiam, qua ſibi inuicem ſubij- 4
ciantur, non ex amicitia, ſed ex communi potiùs nequitia proficiſci, qua noſtrum genus
odio proſequuntur. hac de cauſa ſuperioribus ſubiacent, vt implacabilis libidinis deſide-
rium erga nos exercere valeant. Proinde, illorum prælationis fundamentum, non eſt il-
lorum iuſtitia, cùm iniuſtiſsimi ſint, ſed dei potiùs rectiſsimè cuncta ordinantis. Ad
confirmationem dico, in dæmonibus naturaliter prælationem eſſe, quippè, cùm vnius na
tura, alterius nobilior ſit: quod profectò in hominibus locum non habet, cùm natura pa
res ſint. Eſt etiam prælatio vitiorum, vt vitioſiores, minùs vitioſis præſint, idq́ ad præ-
ſidentium ignominiam atq́ detrimentum; præeſſe enim malis, & in malis maxima eſt
miſeria; potentiores ſiquidem, potenter tormenta patientur. Itaq́, quomodo ſint ordi-
nes in dæmonibus, atq́ prælationum dignitates, dixi. Sed dicet aliquis, nunquid boni Boni angeli
angeli dæmonibus præſunt? ſcriptura hoc palam proteſtatur in Tobia, à cuius angelo al- præſunt malis
ligatus eſt dæmon peſſimus, & his ſimilia in diuinis literis multa inueniri poſſunt. Et
rectè quidem, nam hoc exigit pulchritudo ordinis, vt qui deo, & charitate, & naturæ
nobilitate proximiores ſunt; ij planè & inferioribus, charitate, aut natura dominentur.
Hac de cauſa ſancti angeli, multa de ſanctiſsimis myſterijs, ſecundùm ordinatiſsimam
dei prouidentiam, dæmonibus nuntiant, idq́ ad malorum interdum punitionem, nonnũ-
quam verò ad exercitationem bonorum; ſancti enim angeli miniſtri cùm ſint diuinæ ſa
pientiæ, aliqua per angelos, ſiue homines malos fieri patiũtur, quatenus executores ſunt
diuinæ iuſtitiæ. Vnde bonus angelus, licet poſsit eſſe natura Lucifero inferior; illi tamen
dominatur, quia potentius eſt virtutis, quàm naturæ dominium. Quamobrem non modò Dæmones co-
à bonis angelis, verùm etiam à ſanctis hominibus, dæmones cogi poſſe, & ſcripturæ gi ab homini-
proteſtantur, & philoſophorum monumenta non tacent. In nouo teſtamento, dæmones ex bus.
obſeſsis, ſanctorum virtute expulſos fuiſſe corporibus, nemo eſt, qui ignoret: in dies ob
oculos à quàmplurimis fidelium id fieri videmus. Pythagoras ait, non ſponte, ſed neceſ- Pythagoras.
ſitate compulſos dæmones accedere, nonnullos autem, quadam accedendi conſuetudine
maximè, ſi natura boni ſint, faciliùs accedere: aliquos verò inuocatos, nocere velle, præ-
ſertim, ſi quiſpiam in ea re negligentiùs ſe habuerit. Porrò, non ſimplici, inquit, neceſ-
ſitate, ſed perſuaſione quadam coguntur. vnde extant illorum carmina:

De cœlis Hecate cur huc compulſa venire es?
Victa hominum precibus, cœleſtia numina terram
Coguntur petere, & caſus aperire futuros.

Apollo quoq́ inquit cogiſſe, hoc reſponſo declarauit,

Carminibus domitus phœbus, fulgor ab alto
Defluxit tacitus, purumq́ per aëra vectus
Afflatu ſpirans labensq́ in corda ſonoro;
Et ſubijt mentem innocuam, ſanctiq́ capacem
Numinis: & peperit mortali ex gutture vocem.

Porrò, cùm acceſſerint, nec poſſent cùm velint recedere, ex his carminibus ſci-
re atque perdiſcere poſſumus.

Ceſſa nunc tandem, & verbis iam parce, vitaq́
Da requiem, ſolue priſcas, cædensq́ figuras
Et remoue à membris, ac lintea dura reſolue.
Soluite ſerta pedes, liquidis & ſpargite lymphis,

Eꝗ manu ramum laurus auferte virentis,
Lineaſitꝗ omnis deleta, omnisꝗ character.

Porphyrius.

Porphyrius in epiſtola ad Anebonum Ægyptium, petijt ab eo, tanquam in ea re perfectiſsimo, quare tantam illud artificium vim habeat perdoceri: ſic enim dubitando interrogat: Magnam verè mihi dubitationem illud adfert, quia vt meliores rogant, & vt peioribus imperant. Chæremon etiam ſacerſcriba teſtatur, & preces ſubſcribit, quibus dæmones cogi poſſunt. Sed quicquid dictum ſit ab huiuſmodi hominibus, illud nobis perſuaſum eſt omninò, inuocationem dæmonum illicitam eſſe atꝗ malignam. In Leuitico 20 lata eſt lex, quæ iubet occidi magos, atꝗ ariolos conſulentem. Iſraelitarum rex 4. Reg: 11. durè corripitur, quòd deum Accaron conſuluerit. Saul morte mulctatur, quòd ad Pythoniſſam acceſſerit. Diuus autem Auguſtinus in multis, maximè in libris de doctrina Chriſtiana, diuinationes vocat pacta dæmonum. lib: 2. cap: 24. Quæ tamen omnia, inquit, quadam lingua cum dæmonibus fœderata ſunt. Et 23. Hinc fit, vt occulto quodam iudicio diuino, cupidi malarum rerum homines, tradantur illudendi, & decipiendi, pro meritis voluptatum ſuarum, illudentibus eos atꝗ decipientibus præuaricatoribus angelis, quibus iſta pars mundi, ſecundùm pulcherrimum ordinem rerum, diuinæ prouidentiæ lege ſubiecta eſt. Reuera, quæ ſocietas Chriſti ad Belial? aut quæ cõmunicatio lucis ad tenebras? aut enim certè ibi eſt infidelitatis peccatum, quod eſt omnium maximum; dæmoni enim tribuit diuinum numen: ſed honorem meum alteri non dabo, & gloriam meam ſculptilibus. aut eſt idolorum ſeruitus, vtpotè, in oblationibus & ſacrificijs. aut inobedientiæ malum, qui contra Eccleſiæ ſanctum iuſtumꝗ mandatum agere præſumit. In Eccleſiam igitur peccant huiuſmodi nequiſsimi, dùm Eccleſiæ aduerſarium honoribus proſequuntur, in Dei maieſtatem, cuius contemptum præſeferunt, dum ipſa, veluti imbecilla relicta, ad dæmonum auxilium, quaſi ad aliquid potẽtius, accedunt. Itaꝗ huiuſmodi inuocationes ſine peccato eſſe non poſſunt: ab illis ergo ſummopere eſt nobis cauendum.

Chæremon.
Illicita dæmonũ inuocatio.
Leuitic.
Reg. 1. 28.
Aug. diuinationes ſunt pacta dæmonũ.
Infidelitas.

Oratio Hannibalis.

Sed tempus eſt, poſt longam de angelis inquiſitionem, ad noſtrum reuerti Mercurium, eiusꝗ verba proſequi, actis priùs gratijs ſancto Pymandro, qui me illuminauit, pariter & confortauit inter multos labores, qui mihi, elapſis iam menſibus, obuenerant, vt hæc pauca de diuinis illis ſpiritibus ſcriberem. Laus tibi ſancte Pymander, Deus omnis ſpiritus, poteſtas, & actus omnis animæ viuentis, lux vera, quæ illuminas mentes hominum. Tu ſancte pater, illuminaſti tenebras meas, & accendiſti lucernam meam, vt ſcriberem in hoc ſecundo tuo volumine, quæ nunquam putaui me ſcripturum, nec etiam intellecturum. Tibi ergo gloria, tibi laus ſit ſemper bone Pymander.

Lege Lector inoffenſo pede.

MERCVRIVS.

Textus Mercurij.

Connexuit inde Dei verbum, ex elementis deorſum tendentibus, purum naturæ artificium, vnitumque eſt opifici menti; conſubſtantiale enim erat, relictaque ſunt elementa naturæ deorſum cadentia, ſine ratione, vt ſint tanquam ſola materies. Mens quidem opifex vnà cum verbo, circulos continens, ac celeri rapacitate conuertens, ſuam ad ſe machinam flexit, eamque volui á principio, ſine principio, ad finem, abſque fine præcepit; incipit enim

cipit enim illic ſemper, vbi deſinit. horum profectò cun- Dei prouidentia.
ctorum circuitus, quemadmodum ipſa mens voluit, ex
elementis inferioribus animalia conflauit rationis ex-
pertia ; neque enim præbuit rationem. Aer volatilia
protulit, aqua verò natantia. Diſtincta quoque inter ſe
ſunt aqua & terra, eum in modum, qui menti placuerat.
Terra poſtmodum animantia, quæ intus habuerat, pe-
perit, quadrupedia videlicet, ſerpentia, feras, agreſtria
pariter atque domeſtica.

Commentum X.

Mihi de ſeptem gubernatorum diſpoſitione, quod fatum vocatur, erat Cõmentator.
loquendum; ſed quoniam ſapientiſsimus Mercurius de hoc negotio
in quarto libro abundè locutus eſt, non opus eſt mihi illa huic tra-
ctatui inſerere: ad verba ergo Mercurij, accedam. Connexuit,
inquit, Dei verbum, ex elementis deorſum cadentibus, Elemẽtorum
ſiue tendentibus, purum naturæ artificium, vnitumq́ue ordinatio.
eſt opifici menti. *Mundi contexturam dei verbo tribuit, à quo* Textus expo-
facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil. hoc autem verbum lucidum cùm in pri- nitur.
ma mundi genitura videret elementa ex formis intrinſecus coaleſcentibus, deorſum fer-
ri, inſtar prudentiſsimi textoris, qui ſolicitus eſt, ne telæ fila defluant, ad inuicem ele-
menta contexuit, atque ligauit, fecitq́; purum naturæ artificium, vtpotè puriſsima, ac
ſimplicisſima elementa, quæ coniuncta ſunt opifici menti, ſecundùm vtiq; ideam in men- Deus eſt pater
te artificis exiſtentem: Conſubſtantiale, *inquit*, erat illi, *non quidem naturæ pro-* mundi.
prietate, ſed opificis intẽtione. Non temerè ergo à Platone in Timæo, deus appellatus eſt, Plato.
pater mundi: Quorum, inquit, ego pater ſum, & repertor exiiti. Mercurius in hymno Mercurius
Pymandri hoc idem confirmat. Sanctus es, *inquit*, qui verbo cuncta conſtituiſti. quod Deus ſit
Et iterum, Annue, corrobora me, atque huius gratiæ participes effice eos pater mundi.
qui in ignorantia verſantur: cognatione quidẽ mihi fratres, tibi autẽ filij;
ipſe enim pater es venerandus. *Et dialogo 3.* Principium vniuerſorum de-
us, mens, natura, ſapientia, diuinitas, actus, neceſsitas, finis, renouatio.
Et 4. dialogo: Vniuerſum mundum verbo non manibus fabricatus eſt opi-
fex; ipſe verò ſic cogita illum præſentem ſemper, agentem omnia, deum
vnicum, voluntate ſua cuncta conſtituentem. *Et iterum:* Monas, *id eſt*, Monas.
vnitas omnium principium radix, atque origo, abſque vero principio
nihil. Initium autem ex nullo niſi ex ſeipſo dependens. Initium autem
eſt non principij, ſed alterius. *Et dialogo 5. ex humani opificis ſtructura, deum* Artifex.
cunctorum artificem eſſe oſtendens, ſubiungit Etenim cùm ſtatuam & imaginem Conditor.
abſque fabro & pictore fieri nullus aſſerere audeat, miram mundi huius
conſtructionem ſine conditore conſtitiſſe putabimus? ô cæcum ho-
munculum! ô nimis impium! ô profundis obrutum ignorantiæ tenebris!
caue caue ô fili mi Tati, ne vnquam artificium priues artifice: Quinimò Pater.
congruo deum nomine patrem vocato, patremq́ue eſſe, proprium eius
opus exiſtimato. Quodſi me quiddam audacius proferre coegeris, hu-
ius eſſentiam eſſe dicam, concipere, ac facere ſingula, Quemadmodum

Dei pro-uidentia.

enim ſine factore fieri quicquam nequit; ita deum exiſtere niſi ſemper
agat omnia, impoſsibile eſt, in cœlo videlicet, aëre, terra, mari, in toto mũ-
do, in qualibet particula mundi tota, tum in eo quod eſt, tum in eo quoq;
Mens. quod nõ extat; nihil enim eſt in omni natura, quod ille ipſe non ſit. Eſt ille
ſiquidẽ, quæ ſunt: eſt ea etiam, quæ minimè ſunt: quæ quidem ſunt, dedu-
xit in lucem, quæ verò non ſunt, occulit in ſeipſo. Mens igitur intelligens,
Fabricans. deus eſt, pater fabricans, deus efficiens bonũ, bona faciens omnia. *Quantum*
Cicero. *ergo ſunt ridendi, qui aiunt mundum caſu regi, & conſtare? proinde rectè à Cicerone de*
natura deorum temerarij vocantur: Certè, inquit, ita temere de mundo effutiunt, vt mihi
nunquam hunc admirabilem cœli ornatum ſuſpexiſſe videantur: quis enim niſi inſanus,
Nihil in mũdo caſu fieri. *& mente cæcus, in his aliquam ineſſe rationem, quis ea caſu fieri dicet, quæ quanto con-*
ſilio gerantur, nullo conſilio aſſequi poſſumus? an, cùm machinatione quadam moueri
aliquid videmus, vt ſpharam, vt horas, vt alia permulta, non dubitamus, quin illa ope-
ra ſint rationis? cùm autem impetum cœli cum admirabili celeritate moueri, vertiq; vi-
deamus conſtantiſsimè conficientem viciſsitudines anniuerſarias cum ſumma ſalute, &
Orpheus. *conſeruatione rerum omnium, dubitamus, quin ſumma ratione fiant? Orpheus de deo*
ſic ait: Omnia intus inſpicis, omnia intus audis, omniaq; diſtribuis; ſed quomodo fieri po-
Cicero. *teſt, vt deus ſit, agat verò nihil? Si enim deus eſt, aget aliquid præclarum, inquit Cicero.*
Nihil autem eſt præclarius mundi adminiſtratione. Mundus ergo, & à deo conditus eſt,
& dei adminiſtratione gubernatur. vnde in calce primi de natura deorum: Si maximè
talis eſt deus, inquit, vt nulla gratia, nulla hominum charitate teneatur, valeat; quoni-
Lucretius. *am nihil propitius homini facere poteſt. ſtultè igitur dictum eſt à Lucretio: Nec bene*
Lactantius. Democritus. *pro meritis capitur, nec tangitur ira. Lactantius lib. 1. cap. 2. Democritus omnia for-*
Epicurus. *tuitò regi, inquit, ac fato dicebat: cuius ſententiæ confirmator eſt Epicurus. ſed & an-*
Stoici. *tea Protagoras, qui deos in dubium vocauit: & poſtea Diagoras, & alij nonnulli, qui nõ*
putauerunt deos; quos tamen cæteri Philoſophi, ac maximè Stoici retunderunt, dicen-
tes, nec fieri mundum ſine diuina ratione potuiſſe, nec conſtare, niſi ſumma ratione re-
geretur. ſed & Marcus Tullius Stoicorum ſententiam confirmat in omnibus Philoſophiæ
ſuæ libris, tum maximè in ijs, qui ſunt de natura deorum. Nec difficile ſanè fuit, hunc
errorem redarguere; nemo eſt enim tàm rudis, tàm feris moribus, qui oculos ſuos in cœ-
Dei prouidentia. *lum tollens, tametſi neſciat cuius dei prouidentia regatur hoc omne quod cernitur; ali-*
quam tamen eſſe intelligat, ex ipſa rerum magnitudine inſtructus. Reuera, ſi deus nihil
vnquam boni tribuit, ſi colentis obſequio nullam gratiam refert, quid tàm vanum, tàm
ſtultum, quàm templa ædificare, rem familiarem minuere, vt nihil aſſequamur? ſublata
Neceſsitas prouidentiæ. *ſanè dei prouidentia, laxatur quidem iniuſtitia: his qui poſſunt iniuſta agere, deſtruitur*
quoque miſericordia, & timor dei: ſimul autem cum his virtus interimitur, & pietas. ſi
enim non prouidet deus, neque punit, neque bene agentibus brauia tribuit; quis igitur
amplius adorabit deum? deſtruitur inſuper Prophetia, & vniuerſa præcognitio. Bonus
Singularia ſub prouidentia. *eſt deus, bonus verò exiſtens, beneficus eſt: ſi verò beneficus; etiam prouiſor. Creationi,*
prouidentia coniuncta eſt, vt ſimul, & creatorem, & prouiſorem Deum eſſe intelliga-
mus; alioqui quomodo homo ex homine, & bos ex boue ſemper naſceretur? vnde & ſin-
gularia ſub dei prouidentia contineri, certiſsimum eſt: alioqui aut deus ignoraret horum
prouidentiam bonam eſſe, aut nollet eam habere, aut non poſſet: ſed ignorantia, ſiue in-
Pigritia. *ſcitia omnifariam ab illa diuina ſubſtantia aliena eſt. Non vult, inquiunt, prouidere. at*
nolle propter duas fit occaſiones, aut ob pigritiem, aut ob indecentiam. Pigritia autem
ex duobus generatur, voluptate ſcilicet, & formidine; aut enim à voluptate aliqua at-
tracti, pigreſcimus, aut propter timorem formidantes deſiſtimus: neutrum verò ho-
rum cogitare de deo fas eſt. Nõ propter pigritiam, inquiunt, ſed quia indignum eſt bea-
tam illam ſubſtantiam vilibus, ac minutiſsimis ſe ſubmittere rebus, & electu indignis

Dei prouidentia.

contaminari. Sed hi, duo vitia peſſima deo aſcribunt, contemptum videlicet & inquinationem: quo enim pacto artifex particularia relinqueret; cùm ſciat ad totum proficere partem? ſed nunquid vult quidem, non poteſt autem? ſed imbecillis nequaquam eſt virtus dei, & potior eſt, quæ vſque ad vltima, & inſenſibilia conſeruanda deſcendit. Reuera, non leuis coniectura exiſtit, ſingularia gubernari prouidentia diuina, quod eius cognitio ſit hominibus naturaliter inſerta; neceſſitate enim aliqua obruti, confeſtim ad diuinum numen, & orationes confugimus. omne verò quod ita (vt oportet) naturaliter ſequitur, validam habet demonſtrationem, nullam contradictionem ſuſcipiens.

Rationes prouidentiæ.

Sed vnde in hanc rationem deducti ſunt, qui eſſe prouidentiam negarunt? primò certè, quòd cenſeant animam cum corpore diſſolui: ſecundò autem, quòd nequeant particularis prouidentiæ rationem inuenire, eamq́ cum libero creaturæ rationalis arbitrio conſiſtere poſſe non arbitrentur: atqui animã permanere poſt vitam ſapientiſſimi Græcorum diffiniuerunt, qui ſupplicia, & loca animarum deſcripſerunt, ſicuti in ſexto Pymandri dixi. Si verò ſingularia comprehendere non poſſumus; non ob id tamen prouidentiam negare debemus: neque enim quod menſuram maris ignoremus, & arenæ numerum, dixerit aliquis, neque arenam, neque mare eſſe.

Quare negarunt prouidentiam.

Plato, decimo de legibus, homo ſiue deus duabus de cauſis negligit: vel quia nihil intereſſe totius putat, ſi parua negligantur: vel quia licet intereſſe opinetur; pigritia tamen mollitieq́ detentus, negligit, aliter enim negligentia non contingit. Itaq́ cùm dij ſciant, videant, audiantq́ omnia, atque poſſint, ſintq́ boni, optimi: nulla ergo pigritia, nulla mollitie capi eos poſſibile eſt; nam à timiditate in nobis otium naſcitur, pigritia verò ab otio, atque mollitie. Nullus ergo deorum otio pigritiaq́ corruptus quicquam negligit; nullius enim timiditatis deus eſt particeps. Ergo relinquitur, ſi paruas paucasq́ in vniuerſo res negligunt, vt ità negligant, quia contemnendas illas eſſe ſciunt. Sed cùm dij prouidentiſſimi ſint, atq́ optimi, non eſt negligenda ſibi ſua poſſeſſio.

Plato.

Deus omnibus prouidet.

Quòd ſi medicus totum corpus curare velit, ac poſſit, ſi magnis prouiderit, parua verò contempſerit; nunquam bene ſe habebit totum. ſed nec gubernatores, nec imperatores, nec patresfamilias, nec ciuitatum moderatores, paucis paruiſq́ neglectis, multa, & ingentia gubernabunt. nam lapides quoque magnos ſine paruis bene ſtrui negant architecti. Caueamus ergo ne deum mortalibus opificijs viliorem reputemus. Iſti ſanè quantò peritiores ſunt, tantò arte vna in proprijs ipſorum operibus, & parua ſimul, & magna exquiſitiùs perficiunt: Deus verò qui ſapientiſſimus eſt, & curare poteſt, ac vult, magnis quidem prouidebit ſolùm, parua autem, quæ faciliùs gubernari poſſunt, propter pigritiam, & ignauiam negliget? neſaria, & falſa penitus eſt hæc cogitatio. nunquam à Deo negligeris, nec ſi ita paruus ſis, vt in terræ profundum ingrediaris: nec ſi adeo ſublimis fias, vt pennis elatus in cœlum voles; ſed conuenientia ſupplicia dabis, ſiue hîc manens, ſiue ad inferos profectus, ſiue ad remotiorem aliquem locum translatus. hæc diuus Plato.

Parua non contemnuntur.

Deus neminē negligit.

hunc imitatur Platonicus Plotinus enneadis 3. lib: 2. cap. 6. Probabile eſt, inquit, dei prouidentiam ſe per cuncta porrigere, idq́ eius officium eſſe, vt nihil prorſus alicubi negligat. Quamobrem ſi totum hunc mundum ab intellectu dependere concedimus, virtutemq́ mentis ſe per omnia fundere; conandum eſt omninò, quo pacto ſingula hæc ſe habeant, demonſtrare. hæc poſtea latiùs ipſe proſequitur.

Plotinus.

Reuera, vt dicit Plato decimo de legibus, improborum hominum ſucceſſus, qui licet felices non ſint, vulgò tamen felices habentur, dei prouidentiam minùs rectè cogitantibus, confuſam reddunt: aut etiam ſceleſtos homines videas ad ſenium vſque ita deuenire, vt filios, atque nepotes in maximis relinquant honoribus, & ſimilia multa. Propterea deos harum rerum authores eſſe propter ipſam cum illis coniunctionem accuſare noli; ignoras enim ad quid eorum progreſſus vniuerſo conducant: qui enim toti prouidet; ad virtutem, ſalutemq́ue totius omnia ordinat: cuius pars quæque pro viribus quod ſibi conuenit, agit, & patitur. Thales Mileſius, omnia deorum eſſe plena

Plato.

Thales.

teſtatur,

teſtatur, hinc illa antiquiſſima lex. Ad diuos adeunto: Caſtè pietatem adhibento. Hac ratione Homerus diuinam prouidentiam omnibus in rebus accerſit, qui (vt refert Plutarchus) introduxit deos cum hominibus conuerſantes, vt ſtatueret prouidentiam, oſtenderetq́ quoniam curant, & non negligant homines, dij. Apud Orpheum hymnos, & preces legimus. Euripides in epiſtola ad Sophoclem, quòd tempeſtate non perijſſet, in dei prouidentiã retulit. Maro in 6. Elyſios Campos decantat. Phocylides ait, ſi tu malè iudicaueris, te deus poſtea iudicabit. Hippocrates pluribus gentium dijs ſacra decreuit: & ſupplicationes varias inſtituit. Theophraſtus in methaphyſicis omnia diuinæ prouidentiæ retulit: Deum diuinum eſſe principium aït, per quod omnia & ſunt, & permanent. Ammonius librũ de interpretatione expoſiturus, exoptat ſibi diuinitus prouideri. Ariſtoteles primo ethicorum ait felicitatem deorum muniri, acceptam referri debere. In 5. verò eth: precibus poſtulandum cenſuit, vt quæ ſimpliciter bona ſunt, ijs ipſis etiam qui optant, eſſent bona. Iuſti, quod eſt à lege, partem eſſe ſacrificia facere, vnde poſt paululum diuina decreta humanis præſtantiora ſanxit. In 10. eth: ait hominem, qui mentem excoleret, deo eſſe amiciſſimum: Nam ſi qua, inquit, dijs rerum humanarum cura eſt, quemadmodum videtur, & conſonum vtiq́ eſt, gaudent illi optimo ſibi cognato, id eſt, mente. Aueroes, etſi quidem ſit cura deo de hominibus (vt creditur, & vt debitum eſt) gaudet de eo, qui eſt melior, & qui ei nititur aſſimilari. Ariſtoteles in primo magnorum moralium ſcribit eum, qui ita impauidus eſt, vt deos non timeat, minimè fortem eſſe, ſed inſanum. In libro de bona fortuna, affirmat bene fortunatum hominem pati quendam impetum, & adiecit eos pati ſimile ijs, qui deo ducuntur, quos habere voluit quendam ſine ratione impetum ad quippiam agendum. In 7. moralium vult deum ſe habere ad vniuerſum, vt ſe habet anima ad corpus regendum, & diſponendum. Cæterùm, firmiſſimam, ſanctiſſimamq́ dei prouidentiam non modò Philoſophorum approbant, ſed diuinarum etiam ſententiæ ſcripturarum, quarum & certiora ſunt, & ſanctiora teſtimonia. Sapientiæ 14. Tua autem pater prouidentia ab initio cuncta gubernas. Et cap. 6. Quoniam puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus. Et 7. In manu enim illius & nos, & ſermones noſtri, & omnis ſapientia, quæ attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Conteſtatur huic ſententiæ Iob. 39. Qui præparat coruo eſcam ſuam, quando pulli eius clamant ad deum vagantes, eò quòd non habeant cibos. Et cap. 5. Nihil in terra ſine cauſa. & 9. Vnum eſt quod locutus ſum, & innocentem, & impium ipſe conſumit. Dauid Pſal. 146. latiſſimè dei prouidentiam deſcribit: Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Et Pſal: 144. Oculi omnium in te ſperant domine: & tu das eſcas illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuã, & imples omne animal benedictione. Propterea Pſal. 94. Arguit homines dei prouidentiam negantes: Et dixerunt, non videbit dominus, nec intelliget Deus Iacob. Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat? qui corripit gentes, non arguet, qui docet hominem ſcientiam? Dominus ſcit cogitationes hominum quoniam vanæ ſunt. Hæc profectò omnia, abſq́ dei prouidentia eſſe nõ poſſunt. Eccleſiaſtes: Ne dicas coram angelo nõ eſt prouidentia. Tobiæ: Non ero dignus tua prouidentia. Dominus in Euangelio Matthæi 10. Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro? veſtri autem, & capilli capitis omnes numerati ſunt. Paulus ad Rom. 11. Quoniam ex ipſo, & in ipſo, & per ipſum ſunt omnia. Petrus in ſua prima canonica: Proijcientes in eum omnem ſolicitudinem veſtram, quoniam ipſi cura eſt de vobis. Vnde Pſal. 39. dicitur: Dominus ſolicitus eſt mei. Et 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Et 35. Homines, & iumenta ſaluabis domine. Quam ob cauſam, curioſam illam, atque inanem ſolicitudinem dominus à nobis amouere cupit, Matth. 6. Si lilia campi, & fœnum agri, & volucres cœli à domino paſcuntur; quantò magis

Marginal notes: Homerus. Orpheus. Euripides. Virgilius. Phocilides. Hippocrates. Theophraſtus. Ammonius. Ariſtoteles. Auerroes. Ariſtoteles. Diuinæ ſcripturæ. Sapien: Iob. Dauid. Eccleſia: Tobiæ. Math: 10. Rom: 11. Petrus. Pſal: 39. Matt. 6.

De elementis.

magis vos modicæ fidei? hæc, atque his ſimilia in diuinis literis inueniuntur multa, quæ dei prouidentiam fidentiſsimè docent. Accedunt ad hæc Theologorum præclariſsimæ ſententiæ, Baſilius magnus in exameron Homelia 7. Nihil eſt prorſus, ait, quod ſub prouidentiam dei non cadat: nihil eſt omninò, quod à Deo neglectum ſit: omnia explorat: omnia conſpicit oculus ille peruigil: omnibus adeſt, facultatemq́ ſalutis cuiq; præſtat. Baſilius.

Hieronymus in caput Ieremiæ nonum: Omnia, inquit, dei prouidentia, atque iuſtitia gubernantur. Et in Matth. 7. Si parua & vilia animalia abſque deo authore non decidunt, & in omnibus eſt prouidentia, & quæ in his peritura ſunt, ſine dei voluntate non pereunt; vos qui æterni eſtis, non debetis timere, quòd abſque dei viuatis prouidentia. Hieronymus.

Simile quiddam eructat Ambroſius primo officiorum libro cap. 13. Quidam putant, inquit, dei prouidentiam vſq; ad lunam deſcendere. Et quis operator negligat operis ſui curam? Quis deſerat, & deſtituat quod ipſe condendum putauit? Si iniuria eſt regere, nonnè eſt maior iniuria feciſſe? cùm aliquid non feciſſe, nulla iniuſtitia ſit, non curare quod feceris, ſumma inclementia. Reuera, ſi in deo viuimus, mouemur, & ſumus, ipſumq́ per terras meare, per tractus maris, cœlumq́ profundum aiunt; quare optimam illius dignitatem, nempè prouidentiam, ab eo auferendam eſſe arbitrantur? Ambroſius.

Auguſtinus lib: 3. confeſsionum cap. 11. O tu bone omnipotens, inquit, qui ſic curas vnumquemq; noſtrum, tamquam ſolum cures, & ſic omnes tamquam ſingulos. Et lib 5. de Geneſi ad literã cap. vlt. Quid abſurdius & inſulſius ſentiri poteſt, quidq́ dementius, quàm putare nullũ eſſe diuinæ prouidentiæ iudicium de moribus hominum, qui curat etiam minutiſsima animalia, dracones, abyſſos, grandines, niues, imbres, & tẽpeſtates, quæ faciunt verbum eius. Pſal. 148. Auguſtinus.

Chryſoſtomus in Pſal. 124. Deo, inquit, multa debemus, quòd nos fecerit, quòd tales creauerit, quòd factos regit, & continet, & quòd quotidie tam priuatim, quàm communiter prouidet, noſtriq́ curam gerit, idq́ clam & apertè, nobiſq́ & ſcientibus, & neſcientibus. Itaq́ rectè dictum eſt à Mercurio, Deum eſſe & factorem, & prouiſorem omnium. Sed de his latiùs, & ex profeſſo in quarto Pymandri libro diſputaui. Pſal. 124. Chryſoſt.

Mercvrivs.

Relictaq́ue ſunt elementa naturæ deorſum cadentia ſine ratione, vt ſint tanquam ſola materies. Textus Mercurij.

Commentum XI.

COnnexuit verbum Dei *elementorum ordines, proprijsq́ locis, atque naturis diſtinxit: vnde & apparuerunt elementa, ex illa confuſa materia, veluti ex vtero genitricis prodeuntia, locumq́ inferiorem petentia: propterea dicit,* deorſum cadentia. Sola materies, *inquit, quia nimirum elementa ſuis in locis, animæ viuentis capacia non ſunt.* Mens quidem opifex, *id eſt, pater* vnà cum verbo, circulos, *id eſt, motus cœleſtium* continens, ac celeri rapacitate conuertens, ſuam ad ſe machinam flexit, *nempe cœlorum corpora, de quibus in quarto diſſerui:* eamq́ue volui à principio, ſine principio, *id eſt, motu circulari, qui ſine atque principio caret,* ad finem abſque fine, præcepit. Incipit enim illic ſemper, vbi deſinit. Horum profectò cunctorum circuitus, quemadmodum ipſa mens voluit, *ſic vtique ſtatutum ordinem* Exponitur textus.

Motus circularis caret fine.

dinem acceperunt. Ex Elementis autem inferioribus animalia conflauit rationis expertia: neque enim illis præbuit rationem, *vtpote, quæ ex ſolū conſtant elementis, & in ipſa ſint reuerſura, nihil præter elementa remanente.* Aer volatilia protulit, aqua verò natantia: *Moyſen imitari videtur, talia quædam in principio Geneſeos de mundi genitura deſcribentem. Elementa ſiquidem ex ipſamet natura ita inſtituente, vim producendi acceperunt.* Diſtincta quoque ſunt inter ſe aqua & terra, eum in modum, qui menti placuerat: *ordinem enim rationemq́; elementorum ſoli aſſcribit ſapientiſſimæ, atque opifici menti.* Talem, *inquit*, ſitum obtinet mundus inferior, quia ſic placuit menti opifici. Terra poſtmodum animantia, quæ intus habuerat, *potentia vtiq; creatrice, quam à principio acceperat*, peperit: quadrupedia videlicet, ſerpentia, feras, agreſtia pariter atque domeſtica. *Sed ecce ſuauiter colloquendo cum ſapientiſſimo Mercurio, Ex ſublimibus nempè ex Pymandri potentia, verbi lucidi maieſtate, ſpiritus numine ſanctorum angelorum agminibus, ad terram veloci curſu deſcendi, vt mihi non videar deſcendiſſe: nam hæc feci, & non feci: imponendus eſt igitur finis huic ſecūdo Pymandri, ad laudem ipſius, omniumq́; ſanctorum angelorum. Nona Iulij. 1573. die Iouis hora 20. poſt veſperas octaua viſitationis in Monte ſancto Tuderti.*

Concluſio libri.

INDEX.

INDEX

Omnium quæ in hoc ſecundo libro continentur.

A.

AEtates ad mores comparantur. 237
Æternitas quid ſit. 353
Æuum quid ſit. 354
Æuum non eſſe ſucceſsiuum. 354
Æuum eſſe durationem ſucceſsiuam argumentis oſtenditur. 355
Soluuntur. 356
Æuum non diſtingui realiter ab æuiterno ſiue ab angelo. 358
Ab vno vnum prouenire. 201
Ab vno non niſi vnum producitur. 201
Acculeus propria virtute nõ producit ſubſtantiam. 58
Actus & potentia quando ſunt eiuſdem generis. 60
Actus ſpirandi trifariam cõſiderari poteſt. 91
Actus ſpirandi vnus. 87
Actio multiplex. 152
Actio quænam ſit in Deo. ibidem
Actio eſt aliquid reſpectiuum. 153
Actio tranſiens duplex. 153
Actio de genere actionis. ibidem
Actiones immanentes ſunt in deo. ibid.
Actionem de genere actionis in deo eſſe & actiones immanentes non ita differre argumentis probatur. 154
Soluuntur in eodem.
Actio tranſiens eſt in paſſo ſubiectiuè. 155
Actio quomodo eſt in paſſo. ibidem
Actio quomodo eſt in agente. 156
Actio in agente eſt eſſentialiter in patiente verò conſecutiuè. 156
Actionis immanentis & tranſeuntis diſcrimen. 157
Actio diuinis quomodo competat. 152
Actionem tranſeuntem eſſentialiter eſſe in agente, conſecutiuè verò in patiente rationibus probatur. 157
Actio dei æterna ſed non par æterno. 215
Actualiter nõ omnes forma informat. 286
Actus immanens & tranſiens in angelo. 288
Actus & potentia duobus modis accipiuntur. 313
Actus virtualis & potentia formalis. 313
Adoratio vnius trium eſt. 26
Ad aliquid formaliter & denõinatiue. 146
Adam habuit cuſtodem. 376
Aliquid competere per ſe primo, & per ſe non primo. 140
Alleluia. 185
Alæ Seraphim. 189
Alarum myſterium. 189
Alarum numerus ſenarius. ibidem
Alatæ aues. 193
Amor productus. 12
Amoris rationes quæ ſpiritui ſancto attribuuntur. 66
Amor magnus deus. 67
Amor quid ſit ſecundum Platonem. 67
Amoris duo fontes. 67
Amoris Locus. ibidem
Amor circa pulchrum. 68
Amor immortalitatis deſiderium. 68
Amor eſt productiua operatio. 75
Amor mortuus an ſit in deo. 89
Amor iucundiſsimus. 89
Amor acceptanſsimus. 103
Ambroſia. 175
Amor diuinus inflexibilis. 186
Amoris diuini fortitudo. 187
Amor finis eſt cauſa efficiens. 206
Amor amicitiæ malus. 401
Amor ſui. 401
Amor commodi. 402
Amores duo fecerunt duas ciuitates. 402
Amor ſui. 402
Amor amicitiæ. 415
Amor concupiſcentiæ. 415
Animam mundi Philoſophi dixerunt ſpiritum ſanctum. 2
Anima humana eſt imago trinitatis. 57
Animæ potentias non diſtingui ab anima eſſentialiter. 58
Anima videt deum mediante intellectu. 59
Animæ potentias ab ipſa anima eſſentialiter diſtingui argumentis probatur. 59
Soluuntur. 60
Anima per omnia means. 63
Angelorum tres Hierarchiæ. 5
Angelus exigua pars dei. 70
Animæ potentiarum modus productionis. 53

De Angelis.

Angeli vocantur dij. 172
Angelorum numerus ſimilis numero ſtellarum. ibidem
Angelorum & hominum cõmunio. 173
Angeli adminiſtratorij ſpiritus. 174
Angeli non ſunt creatores, ſed imitatores. ibidem

Angelorum exercitus in cœlo. 175
Angelos hominibus præeſſe. 175
Angeli præfecti vrbium. ibidem
Angelis abſentibus non eſt tuta humana vita, Daniel & Zacharias Propheta. 175
Angelorum nomen Platoni non eſt notum. 156
Angeli caſtigant delinquentes. ibidem
Carmina Poetarum de angelis & aliorum. 176
Angeli non ſeneſcunt. 176
Angelorũ nobis eſt inſita cognitio. 177
Angeli quomodo ſe intelligant. 177
Angelorum natura ex ſacris literis oſtenditur. ibidem
Angelus quid ſignificet. ibidem
Angelorum apparitiones. ibidem
Angelus Iacob. 178
Angeli Rubi. 178
Angelus comitabatur Iſraelitas in deſerto. 178
Angelus miniſter legis. 178
Angelus Samſonis. 178
Dauid, Eliæ, Eliſei. ibidem
Angelus Ioſuæ. 178.
Angeli currus ignei. 179
Angelus caſtra dei. 179
Angelus Iſaiæ. ibidem
Angelus interfecit centũ octoginta quinque millia. 179
Angelus Zachariæ. ibidem
Angeli Michael & Gabriel. ibidem
Angeli ſunt milites dei. ibidem
Angeli vocantur paſtores. ibidem
Angeli dicuntur montes. 180
Angeli ſunt vigiles. ibidem
Angeli ſunt principes prouinciarum. ibi.
Angeli ſunt cuſtodes. ibidem
Angelorum nomina plurima. ibidem
Angelorum miniſteria & officia ex Apocalypſi variè oſtenduntur. ibidem
Angelus ab ortu ſolis. 181
Angeli quatuor quatuor regna. 182
Angeli adorant agnum. ibidem
Angelorum coronæ. ibidem
Angeli 7. cum 7. tubis. ibidem
Angelus ante altare Chriſti. ibidem
Angelus amictus nube. 183
Angelus de templo, Angelus de altari. 184
Angelus deſcendens de cœlo. 185
Angelorum exercitus. 185
Angelus ſtans in ſole. ibidem
Angelus habens claues putei abyſſi. ibid.
Angelus Ieſu. ibid.
Angeli an ſint rationibus probatur. 186
Angeli quomodo participant diuina diſtributione. 187
Angeli nobiliores alijs creaturis. ibidem
Angelorum ordines omnes quare dicuntur angeli. ibidem
Angelorum prima Hierarchia. 188
Animæ & ſpiritus diuiſio. 191
Angelorum ordo. 199
Angeli ſunt vltimi in ordinibus. 199
Angeli noſtri præcones. 199
Angeli vnde vocentur. ibidem
Angelus eſt nomen officij nõ naturæ. ibi.
Angelorum pennæ. 200
Angelorum officium. 200
Angelus Tobiam & Danielẽ docuit. 200
Angelus conſolatur flentes. 200
Angeli pugnant cõtra noſtros hoſtes. 200
Angeli effectiuè ſunt à Deo. 201. & 205
Angelos non habere cauſam ſui eſſe. 203
Soluuntur argumenta. ibid.
Angelorum creationẽ Moyſes tacuit. 204
Angelus eſt ſupra tempus. 205
Angelus non poteſt creare. 217
Angelus poteſt producere. 218
De angelorum numero Mercurius. 235
Angelorum numerum motuum atq; mobilium numerum ſuperare. 239
Angelorum numerum, motuum atque corporalium rerum non ſuperare multitudinem, argumentis oſtenditur. 240
Angelorum plura eſſe indiuidua ſub vna ſpecie oſtenditur. 245
Soluuntur argumenta. 246
Angeli ſunt ſubſtantiæ immateriales. 258
Angeli ſunt immateriales. 258
Angelos eſſe materiales, argumentis oſtenditur. 259
Soluuntur argumenta. ibid.
De angelorum motu Mercurius. 265
Angelorum duo ordines ponuntur à Mercurio. 266
Angelorum cognitio lucida. ibid.
Angeli pennæ ventorum. 267
Anima cœli. 269
Angeli ſimplicitas. 272
Angeli mouentur localiter. ibid.
Angelus quomodo moueatur in loco. ibi.
Angelus eſt in loco per contactum. ibid.
Angelus eſt in loco diuiſibilis. 274
Angelum non moueri in inſtanti. 274
Angelũ moueri in inſtanti probatur. 277
Soluuntur argumenta. ibid.
Anima in medio cœli. 280
Anima humana non eſt forma ſecundùm Auerroem. 281
Animal cœleſte quid. 282
Animal terrenum. ibid.
Angeli quam ſimilitudinem quærunt in mouendo. 289
Angeli optima diſpoſitio & ſecundum quid. ibid.
Angeli finis intentus & euentus. 289
Angelorum beatitudo nõ pendet à motu. 290
Angelos nõ mouere orbes ſiue cœlos, argumentis oſtenditur. ibid.

Angeli

Angeli non mouent cœlum propter ſimilitudinem dei habendam. 292
Angelos motores non eſſe infiniti vigoris. 293
De angelorum cognitione. 295
Angelus ſemper intelligit verum. 296
Angelus eadem cognitione cognoſcit verbum & ea quæ ſunt in verbo. 297
Angelus quomodo cognoſcit deum. 297
Angelos intelligere extrinſeca ſecundùm mentem Phileſophi. 298
Angelus ſine ſpecie intelligibili intelligit. 299
Angelorum cognitio ſecundùm Theologos. ibid.
Angeli non cognoſcunt ſine aliqua ſpecie. ibid.
Angeli quomodo cognoſcunt ſingularia. 300
Angelus cognoſcit per rationẽ, quæ idem eſt quod intellectus cognoſcens. ibid.
Angelos non intelligere extrinſeca, nec etiam ſeipſos argumentis oſtenditur. ibi.
Soluuntur argumenta. 301
Angeli quomodo ignorent ſuas virtutes. 302
Angelos cognoſcere per ſpecies concreatas. 303
Angeli inferiores, intelligunt per formas minus efficaces. ibid.
Angeli quomodo loquuntur. ibid.
Angelorum locutio non indiget ſenſibili ſigno. ibid.
Angelum ſuperiorem non intelligere per pauciores & vniuerſaliores ſpecies, quàm intelligit angelus inferior argumentis oſtenditur. 304
Soluuntur argumenta. 306
Angelos ſuperiores nõ intelligere per ſpecies vniuerſales. 305
Angeli quid non intelligant per ſpecies concreatas. 308
Angelum per vnum habitum non intelligere omnia. 309
Angelus informatur multis ſpeciebus concreatis. 310
Angeli an intelligant ſeipſos atq; alia per ſpecies, an per eſſentiam. ibid.
Angelus ſeipſum & intuitiuè & abſtractiuè intelligit. 311
Angelus intelligit ſeipſum tribus modis. ibid.
Angelus ignorat futura. 311
Angelum non intelligere ſe per ſpecies neque per eſſentiam argumentis oſtenditur. 312
Angelus non intelligit ſe per ſuam eſſentiam. ibid.
Angelus intelligit ſe per ſuam eſſentiam. 313
Angelus poteſt ſingulare primo intelligere. 314
Angelum intelligere per ſpecies à rebus acquiſitas rationibus demonſtratur. ibi.
Soluuntur argumenta. 315
Angeli intelligunt per ſpecies acquiſitas. 314
Angelum intelligere tantũmodo per ſpecies innatas argumentis oſtenditur. ibi.
Soluuntur argumenta. ibid.
Angelum habere intellectum agentem & poſsibilem, probatur. 316
Angeli non producunt ſibi ſimile. 317
Angeli quomodo deum intelligunt. 318
Angeli quomodo naturaliter deũ cognoſcunt. 321
Angelus viſus verum cognoſcit cogitationes alterius & cordis etiam humani. ibid.
Angelus vnus, alterius angeli non intelligit cogitationes. ibid.
Diuerſum. 322
Angelum poſſe illuminare mentes hominum. 323
Angeli quomodo illuminant homines. 324
Angelus an poſsit mutare voluntatem hominis. ibid.
Angelus mouet imaginationem ibid.
Angeli quomodo myſterium Chriſti cognoſcunt. 325

De ordinibus angelorum.

Angelorum ordines quot ſint. 326
Angelorum ordo ſecundùm Mercurium. 327
Angelorum duo chori. ibid.
Angelorum ordines. ibid.
Angelorum ordines per ſacras oſtenditur ſcripturas. 328
Angelorum officia. 329
Angelorum tituli. 330
Angelorum nomina & officia nõ eſſe rectè diſtributa argumentis probatur. 331
Angelorum finis duplex. 333
Angeli omnes non ſunt vnius Hierarchiæ. ibid.
Anima quomodo illuminatur. 334
Angeli quomodo illuminantur 336
Angelum vnum non illuminari ab alio argumentis oſtenditur. 338
Angelorum locutio. 339
Angeli auditio. 342
Angelus inferior loquitur ſuperiori. 344
Angelus quomodo Deo loquitur. 345

De loco angelorum.

Angelus quomodo ſit in loco. 345
Angelus per actionem tranſeuntem an ſit in loco. 347

Angelus quomodo eſt in cœlo empireo. 350
Angeli locus eſt in determinata magnitudine atq; multitudine. ibid.
Angelus ſi poteſt eſſe in puncto, ibid.
Angelus non poteſt eſſe in pluribus locis. 351
Angeli plures ſi poſſent ſimul eſſe in eodem loco. 351
Angelus non eſt in puncto velut in loco. 351
Angelos plures virtute naturali in eodem loco eſſe non poſſe. ibid.
Angelorum tempus ſiue menſura. ibid.

De angelorum beatitudine. 359

Angelorum beatitudo ante confirmationem. 365
Angelorum tres moræ. 366
Angelos fuiſſe ante confirmationem beatos, proprijs verò meritis beatitudinem conſequutos non eſſe, argumentis oſtenditur. 367
Soluuntur. 368
Angelus in beatitudine ſi poſſet proficere. 369
Angelis fuit neceſſaria gratia vt beatitudinem conſequi poſſent. 370
Angeli ſecundum rationem naturalium gratiam conſequuti ſunt. ibid.

De cuſtodia ſanctorum angelorum.

Angelorum cura erga homines. 372
Angelorum cuſtodia ſecundum diuerſos authores. ibid.
Angelorum epitera. 373
Angeli vniuerſarum gentium præpoſiti. ibid.
Argumenta contraria, de cuſtodia angelorum. 374. Soluuntur. 375
Angelus antichriſti. 375
Angelus an penitus deſerat hominem ſibi commiſſum, doleatq; de illius ruina atq; aduerſus alium pugnet. 376
Angelus cuſtos an doleat. ibid.
Angelus quomodo triſtetur. ibid.
Angelus bonus ſeu malus an cogitationes cordis diſcere ſeu ſcire poſsit. 377
Angelus intelligit cogitationes cordis. 378
Angeli quomodo aſſumunt corpora. ibi.
Angeli quare non habent corpora. ibid.
Angeli nocentes. 380
Angeli cuſtodes. 381
Angelus primus quomodo potuit peccare. 304
Angelus non potuit peccare, ſecundum philoſophum. 405
alarum ibidem rationes.
Soluuntur argumenta. 406
Angelus quomodo potuit peccare in inſtanti. 407
Angelus ſi potuit mereri in primo inſtanti. 409
Angelum bonum peccare non poſſe. 412
Angelum bonum poſſe peccare argumẽtis probatur. 413
Angeli ex omnibus ordinibus aliqui ceciderunt. 416
Appaririones ſomniorum. 324
Arca Noe typus eccleſiæ. 39
Arra vitæ eſt ſpiritus ſanctus. 30
Arca Noe ſignum libertatis. 117
Archangelorum ordo. 198
Archangelorum virtus. 198
Archangelorum conatus, Prophetia. ibid.
Archangeli vnde vocentur. 199
Archangelorum officium. ibid.
Ariſtot. intentio de cauſa effectiua entium. e 209
Archytæ ſententia. 261
Aſcenſus ad pulchrum. 68
Aſtronomi dixerunt cœlum eſſe animatum. 283
Attributa entis. 53
Attributa fundantur in diuina eſſentia. 154
Auicenna errauit & quare. 3
Auicennæ opinio vnum ab vno non prouenire. 201
Auerroes dicit angelos effectiuè eſſe à deo. 205
Auerrois ſententia quod omnia habent eſſe à Deo. 208
Auditus angelorum & viſio. 304
Auguſtinus Platonis æmulus. 328
Auicenna contra Mahometum ac alij authores. 361
Authores varij de idolorum cultu. 386. 387. 388.

B.

Baſilij magni poſitio de ſpiritu S. 31. 77
Barbarorum ſuperſticio. 173
Babylon magna eſt. 184
Babylonis ruina. ibid.
Beati qui vocati ſunt ad cœnam agni. 185
Bellum angelorum. 183
Beatitudo intelligentiarum. 240
Beatitudo quid eſt. 359
Beatitudo eſt operatio virtutis. 360
Beatitudo eſt actus optimæ potentiæ continuus. ibid.
Beatitudo conſiſtit in bona vita. 361
Beatitudo duplex. 362
Beatitudo formalis. 362
Beatitudo Pauli in raptu. 363
Beatitudo ineſt animæ potentijs. 364
Beatitudo eſt in amore. ibid.
Beatitudo nõ conſiſtit in ſola viſione. 365
Beatitudo duplex. 365
Beatitudo naturalis angelorum. ibid.

Beatitudo

Beatitudo angelorum ſecundùm Auguſtinum. 366
Beatitudinem quomodo meruerunt. 366
Behemoth. 393
Bellum quale fuit in angelis. 400
Bella quatuor. ibid.
Belli quatuor actus. 401
Belli executiui actus. ibid.
Bellum diaboli. 415
Blaſphemiæ contra Spiritum ſanctum nō remittuntur. 43
Boetius de beatitudine. 359
Bonitas in angelis. 410
Bonitas naturalis. 410. & 411.
Boni angeli præſunt malis. 419

C.

CAthena ſanctæ Trinitatis. 28
Candor lucis eſſet æternus ſi lux eſſet æterna. 232
Cain qui occiderit ſeptuplū punietur. 238
Cauſa præſentiæ corporalis. 349
Cacodæmon. 380
Caſus angelorum bonorum. 380
Capita draconis alio modo exponuntur, & bellum etiam draconis. 400
Caſu nihil fieri in mundo. 422
Cœlum Empyrium. 70
Cœlum Empyrium. 203
Cœlum bifariè intelligitur. 245
Cœlum ſtetit tempore Ioſuæ. 276
Cœlos eſſe animatos. 279
Cœlum non augetur neq; minuitur. ibi.
Cœlum non habet membra. 280
Cœli motus. ibid.
Cœlum eſſe animatum bifariam intelligitur. 281
Cœlum eſſe animatum anima informante ſecundùm Auicennam. 281
Cœlum quomodo eſt animatum. 282
Cœlum quomodo animatum non ſit. 283
Cœlos eſſe corpora verè ac primo modo animata argumentis oſtenditur. 264
Cœlum quomodo eſt nobiliſsimum corpus. 286
Cœlum non moueri à forma intrinſeca. 288
Cœlum non mouet ſpecies motus. ibid.
Cœli motum eſſe naturalem. 291
Cœli motus quomodo ſit determinatus. ibid.
Cœlum propriè eſſe compoſitum ex materia & forma. 292
Chriſtianus quare vocatur à Chriſto. 32
Chriſtus Dei ſapientia. 104
Chori Deorum gemini. 173
Chriſtus amictus nube. 183
Cherubin, id eſt, effundentes ſapientiam. 193
Cherub extentus. 194
Chriſtus habuit angelum. ibid.
Ciuitas Tudertina. 316
Circe maga. 389
Concilia ſacra generalia myſterium Trinitatis approbantia ea videlicet, Antiochenum, Nicænum, Conſtantinop. duo Carthaginen. Sardien. Tholetanum, Braharenſe. 25. & 26.
Columba & turtur quid ſignificēt myſticè. 42
Conuerſio amoris. 60
Concilium Nicænum & Conſtantinopolitanum approbant Spiritum ſanctum à patre & filio procedere. 81
Columbæ arcæ. 118
Coruus arcæ. ibid.
Columba animal fœcundum. 119
Columba argentea & aurea. ibid.
Conditiones columbæ. 120
Columba Noe. ibid.
Coruus non redijt in arcam. ibid.
Columbæ alæ myſticæ. 121
Columbæ ſeptem proprietates. ibid.
Cognominatio angelica. 186
Cognitio cum caligine. 192
Contingentia quomodo ſit in deo. 213
Conſeruatio & creatio quomodo ſunt idem. 226
Conſeruatio & creatio diſtinguuntur penes modum ſignificandi & ex natura rei diſtinguuntur. ibid.
Conſeruare propriè ſoli deo competit. 229
Compoſitum eſt tertia alia natura. 251
Continuitas eſt de ſubſtantia motus. 275
Contrarietas propriè non eſt in corporibus cœleſtibus. 291
Cognitio angelorū ſecūdùm Plotinū. 296
Cognitio angelorum ſecundùm Auicennam. 297
Cognitio matutina & veſpertina. ibid.
Cognitio vniuerſalis eſt confuſa. 307
cognitio in vniuerſali aliquando perfectionem aliquando imperfectionem denotat. 308
Cogitationes cordis ſoli deo notæ ſunt. 321
Contemplatio vita nobiliſsima. 360
Cognoſcendi duplex modus naturalis. 363
Supernaturalis. ibid.
Cognitio matutina. 369
Conuerſio triplex. 371
Conuerſio ad deum. 393
Condens naturā & largiens gratiam. 410
Complacentia ſimplex. 415
Cognitio veritatis multiplex. 417
Cognitio quæ ſit in dæmonibus. ibid.
Creauit hominem ad imaginē ſuam quomodo interpretatur. 24
Creaturæ eſſe poſsibile. 146
Creatio actio non eſt in creatura. 151

Creationem ſiue creare deo conuenire. 210
Creare quid ſignificet. 210
Creatio dupliciter intelligitur. 211
Creatio eſt tranſcendens. ibid.
Creatio ſoli Deo conuenit. ibid.
Creare ſiue creationem Deo non competere. 212
Creatio non eſt mutatio. 214
Creatio quomodo eſt de nihilo. 215
Creare ſoli Deo conuenire ſecundùm diuum Auguſtinum. 216
Creationis effectus eſt prioris agentis. 216
Creare non ſoli Deo conuenire. 218
Creare aliquid ex nihilo maioris eſt potentiæ quàm facere aliquid ex contrario. 220
Creatio eſt aliquid in creatura, ac propriè compoſitorum non admixta naturæ: vel artis operibus. 221
Creatio in creatura, eſt relatio ad creationem. ibid.
Creationem nihil eſſe in natura, neque compoſitorum denique ſubeſſe naturæ, atque artis operibus. 222
Creatio non eſt compoſitio rerum. 223
Creatio ſubeſt operibus naturę & artis. ibi.
Creaturæ habent eſſe verum ante creationem. ibid.
Creaturæ eſſentia eſt primus terminus creationis. 224
Creatio non ſubeſt operibus naturæ. 225
Creatura non habet eſſe reale ante creationem. ibid.
Creatura dicitur nihil ante ipſius creationem. ibid.
Creationis & cõſeruationis diſcrimen. 226
Creatio duplex, actiua & paſsiua. ibid.
Creatio & conſeruatio non ſunt mutationes. ibid.
Creatio & cõſeruatio ſunt idem creaturæ. 227
Creationem & conſeruationem realiter diſtingui ab inuicem, & à creatura argumentis oſtenditur. 227
Soluuntur argumenta. 228
Creatura ſemper creatur. 229
Creaturam fuiſſe ab æterno, fuit poſsibile. 230
Creatura potuit eſſe æterna. 230
Creaturarum productio præſupponit perſonarum trinitatem. 232
Creaturæ in ſecundo ſigno intelliguntur. 234
Creaturæ productio non præſupponit diuinarum perſonarũ productionem. ibi.
Soluuntur argumenta. ibid.
Creaturarum triplex eſſe. 297

D.

Datum ex tempore. 107
Damaſcenus docet plures angelos eſſe ſub vna ſpecie. 246
Dauid & aliorum Prophetarum oracula de lapſu & natura dæmonum. 397
Deus gaudet numero impari. 4
De Spiritu ſancto diuerſæ ſcripturæ. 24
Decoræ proceſsiones. 27
Deus habitat in igne. 70
Dæmonia ejciuntur per ſpiritum S. 36
Deum quare cupiebat videre Moyſes. 116
Deus creator denominatione extrinſeca. 146
Deus quomodo dicitur dominus. 147
Dei ad creaturas nullam eſſe relationem rationis per actum intellectus diuini ſed creati. 148
Deus vtrum creator de nouo dicatur. 149
Deus ab æterno dominus. 150
Deorum tria genera. 171
Deorum genera multa. 174
Deus pater vocatur angelorum. ibid.
Deus ſtetit in ſynagoga deorum. 177
Deus eſt centrum angelorum. ibid.
Deus cauſat eſſentias intelligentiarũ. 202
Deus eſt cauſa finalis & efficiens angelorum. 205
Deum eſſe cauſam effectiuam omnium entium. ibid.
Deus cauſa exemplaris & effectiua. 206
Deum non eſſe omnium entium cauſam effectiuam. 207
Soluuntur argumenta. 208
De nihilo nihil fieri quomodo intelligitur. 209
De nihilo aliquid fieri tripliciter. 210
Deus vtrũ agat ex neceſsitate nec ne. 212
Soluuntur argumenta. 213
Deum velle hoc & nõ velle quomodo intelligitur. 214
Deus ad extra agit contingenter. 214
Deum agere immediatè quid ſignificet. 219
Deus non aliter nouit facienda quam facta. 223
Dei ſcientia vnde realis. 225
Deus per verbũ quomodo facit omnia. 235
Deus non eſt motor appropiatus ſed vniuerſalis. 269
Deus an moueat vt finis. ibid.
Deus mouet cœlum vt finis. 269
Deus mouet effectiuè & vt finis. 270
Deus mouet propter finem id eſt propter ſeipſum. ibid.
Democritus & Zeno negant omnem rerum ordinem in finem cauſamq; finalem. 295
Deus videtur in imagine. 319
Deum intelligi abſtractiuè. 319
Deus etſi non comprehenditur intelligitur tamen. 321.

Deus

Deus non eſt otioſus. 327
Deus omnium rerum gubernator. ibid.
Deus illuminat mentem. 334
Deus eſt cauſa intelligendi. 335
Deorum omnia plena. 363
Deus quare eſt miſertus humanæ & non angelicæ naturæ. 246
Deus neminem negligit. 423

De dæmonibus. 379

Dæmonum & heroum locus. 381
Dæmon ſummus. ibid.
Dæmones quare dicuntur opiniones authorum. 361

De vario dæmonum genere. 382

Dæmonum varia genera vt Heroes, Penates, lares, laruæ, genij. 382
Dæmones aerea eſſe animalia ſenſit Plato. ibid.
Dæmones quomodo inuiſibiles. 383
Dæmones veri, ſecundum varios authores. 383
Dæmones mali. ibid.
Dæmonum nomina. ibid.
De dæmonibus, carmina Poetarum. 384
Dæmon quid ſit. ibid.
Dæmonum tria genera. ibid.
Dæmonum natura. ibid.
Dæmonum conditiones. 385
Dęmonibus Græci homines immolabant. 386
Dæmonum magia & diuinatio 388
Dæmonum natura caſus atque doli ex ſacris literis oſtenduntur. 391
Dæmones non ſunt rerum creatores. 392
Dæmon quomodo cecidit. 393
Dæmon non eſt natura malus. ibid.
Dæmon rex ſuperbiæ. 397
Dæmonis epiteta. 397. 378. & 399
Dæmon quomodo peccauit appetendo beatitudinem. 402
Dæmon an ex conſideratione peccauit. 404
Dæmon peccauit ex certa malicia. 405
Dæmonem potuiſſe peccare in inſtāti. 406
Dæmonem non potuiſſe peccare in inſtanti argumentis oſtenditur. 407
Soluuntur argumenta. 408
Dæmon, quare nō agit pœnitentiam. 410
Dæmon an habeat aliquem actum bonū & bonus angelus an poſsit peccare. 411
Dæmon vult ſemper malum. 412
Dæmonem diuinam appetuiſſe æqualitatem. 414
Dæmon quomodo voluit Deo aſſe æqualis. 414
Dæmon appetitu illicito potuit appetere eſſe ſe æqualem Deo. 414
Dæmon voluit maior eſſe Deo. 415
Dæmon ſi omnino ſit obtenebratus. 416
Dæmones cogi ab hominibus. 419
Diuina fœcunditas. 4
Diſtinctio perſonarum in diuinis. 19
Dionyſij Areopagitæ doctrina de SS. Trinitate. 27
Diſcrimen miſsionis filij & ſpiritus S. 116
Diuerſi modi principiandi eidem potententiæ non competunt. 74
Diuinas productiones nempe generationem paſsiuam & ſpirationem paſsionem formaliter diſtingui. 94
Diſtinctæ emanationes indicant diſtinctionem perſonarum. 95
Diuinas productiones aut ex terminis formalibus diſtingui, aut quia eſt vna ab vno aut quia altera à duobus. 95
Diuina eſſentia nō eſt immediatum principium productionis. 97
Diligere duplex in diuinis. 102
Differendi triplex modus ſcilicet formaliter originatiuè, manifeſtatiuè. 99
Diuinitas ſancti ſpiritus oſtenditur. 27
Diſtinctio formalis an ſit ex fundamentis vel terminis. 141
Diſtinctio identitas realitas ſimilitudo. 159
Dij 12. ſunt 12. ſolennitates. 175
Dionyſij Areopagitæ doctrina de angelis. 186
Dilectio quadruplex rationalis. 189
Diuinæ pulchritudinis contemplatiui. 192
Domeſtici. 192
Differentiæ inter creare & facere. 210
Diuinæ voluntatis nō eſt demonſtratio. 215
Dionyſius de numero angelorum. 239
Differentia formalis & indiuidualis. 244
Differentia indiuidualis eſt principium indiuiduationis. 247
Differentia indiuidualis quomodo differt à ſpecifica. 248
Differentia indiuidualis non eſt materia, ſed materiæ ſimilis. 248
Differentia indiuidualis eſt ſimpliciter ſimplex. 249
Differentia indiuidualis non eſt propriè actus receptus in natura. 250
Differentia indiuidualis non ſpectat ad quidditatiuum ſpeciei conceptum. 250
Differentia indiuidualis addit negationes. 251
Diuina incarnatio ſuperat captum angeli. 311
D. Dionyſi congrua ratio in ordinibus angelorum. 331
Dij quare ſunt beati. 360
Diligere Deum ſuper omnia. 366
Diuinatio quid ſit. 390
Diaboli effigies à Iob Propheta depingitur. Lumbi, vmbilicus, cauda teſticuli, nerui, oſſa, cartilago & cætera membra eius. 394

Diademata ſeptem. 400
Diuinationes ſunt pacta dæmonum iuxta Auguſtinum. 420
Diuinæ ſcripturæ prouidentiam Dei probantes. 424
Doctrina D. Gregorij Neoceſarienſis de S. Trinitate. 25
Doctrina Diui Chriſoſt: de diuinitate Spiritus ſancti. 34
Dona S. ſpiritus. 35
Doctores latini de diuinitate & operibus Spiritus ſancti. 37
Doctrina Irenæi de S. Trinitate. 38
Doctrina D. Hieron: de Spiritu ſancto. 40
Doctrina D. Tertul: de Spiritu ſancto. 37
Doctrina D. Ambroſij de Spiritu S. 42
Doctrina D. Gregorij Papæ, de diuinitate Spiritus ſancti. 46
Doctrina D. Auguſt: de diuinitate Spiritus ſancti. 47
Dona Spiritus ſancti per ignis proprietates oſtenduntur. 71
Donum quid ſignificet in diuinis. 106
Donum Spiritui ſancto competit. 106
Donum quare dicitur. 107
Donum eſt conſtitutiua proprietas Spiritus ſancti. 107
Donum dicitur tripliciter. 109
Docta ignorantia. 191
Domeſtici. 192

Dominationum ordo. 195

Dominationum cognominatio. 195
Dominari quid ſit. ibid.
Dominationum officium. ibid.
Dominationum poteſtas liberalitas & benignitas. 196
Duæ tenebræ. 192
Duo ſpirantes, ſed non duo ſpiratores. 83
Duo Cherubin in oraculo. 193
Duo motores orbis. 208
Duo cœli motores. 270

E.

ECcleſiæ plenitudo. 117
Eccleſiæ augmentum. 179
Eidem potentiæ diuerſi modi principiandi non competunt. 74
Elementorum ordinatio. 421
Emanationes diſtinctæ indicant diſtinctiones perſonarum. 95
Entis attributa. 53
Entis ad non ens relatio realis. 145
Entis ad non ens relatio realis non eſt. 147
Epiteta Spiritus ſancti. 37
Equi Dei omnipotentis. 267
Eſſentia diuina non eſt aliquod vniuerſale. 21
Eſſentiam diuinam eſſe immediatum principium vtriuſq; emanationis argumentis probatur. 97
Soluuntur in eodem.
Eſſe relationis ſecundùm Auicennam. 125
Eſſe de quidditatiuo conceptu dupliciter intelligitur. 138
Eſſe in, & eſſe ad. 141
Eſſentiam diuinam & relationem, idem eſſe realiter, diſtingui verò formaliter ex natura rei. 163. & 164
Eſſentia non dicitur ad aliquid. 164
Eſſentia differt à relatione triplici adæquatione. 165
Eſſentiã & diuinas relationes nõ eſſe idem realiter, nec diſtingui formaliter quidam argumentis probant. 165
Soluuntur argumenta. 166
Eſſentiam & diuinas relationes ſecundùm intelligentiæ rationem tantùm diſtingui quidam probare videntur. 168
Soluuntur argumenta. 169
Eſſentia & relatio in diuinis ex natura rei formaliter diſtinguuntur. 164
Eſſentia & relatio ex natura rei formaliter differunt. ibid.
Eſſentia diuina non poteſt eſſe in potentia ad aliquod. 170
Ethnicorum ſententia de Spiritu S. 26
Exempla S. Trinitatis. 20
Exemplum S. Trinitatis. 28
Excellentia charitatis. 110
Extrema diſtincta. 142
Extaſis & raptus diſcrimen. 190
Extaſis duplex. ibid.
Euangelium æternum. 184

F.

FAlſa imaginatio eorum qui non credunt creationem. 215
Fœcunditas diuina. 4
Fœcunditas vtraque in patre. 91
Felicitas non eſt habitus. 360
Filij Dei productio. 13
Filiũ à Spiritu S. filiatione diſtingui, à quo diſtingueretur, etiamſi ab ipſo procederet rationibus oſtenditur. 82
Filium à Spiritu ſancto ſpiratione diſtingui à quo non diſtingueretur ſi ab eo procederet argumentis probatur. 83
Soluuntur argumenta. 84
Filius eſt ſapientia genita. 105
Filius an ſit ſapiens à ſeipſo. ibid.
Filius miſſus eſt à patre. 111
Filius datur à ſe ipſo. 112
Finis angelorum non eſt mouere orbes. 240
Flamma ignis. 160
Formalis diſtinctio an ex fundamentis ſit vel ex terminis. 141

Forma

Formarum diſtinctio ſed nõ formalis. 245
Forma non eſt principium indiuiduationis. 255
Forma partis. Forma totius. 260
Forma ſimplex & compoſita. 261
Fortuna. 266
Fundamentum relationis. 124
Fundamenta relatiuorum ſunt tria. 127
Fundamentum reale. 142
Fundamentum remotum & propinquum relationum. 159
Fundamentaliter quomodo angelus ſit in loco. 346

G.

GEnita ex putrefactione & ex propagatione. 16
Generare non eſt perfectionis ſimpliciter. 52
Generatio actiua, & ſpiratio actiua. 95
Generationis & ſpirationis actiuæ triplex terminus. 101
Genitum eſt nomen filij. 102
Gemitus columbæ. 120
Gedeonis angelus. 178
Genus & ſpecies in angelis ſunt tranſcendenter. 260
Genus continet omnes ſpecies poteſtate, actu verò nullam. 306
Goetia quid. 389
Gignere ſibi ſimile in angelis locum non habet. 219
Gregorij Neocæſarienſis doctrina, de SS. Trinitate. 27
Græcorum antiquorum doctrina de SS. Trinitate 27
Græci quomodo intelligendi. 81
Gratia gratum faciens. 115
Gratia noui teſtamenti. ibid.
Gratia eſt principium meriti. 370
Gratia Dei eſt vita æterna. ibid.
Gratia gratum faciens. 370
Græci homines dæmonibus immolabant antequam ad bella exirent. 386
Gubernator vnus. 174
Gubernator vnus. 326

H.

HAnnibalis oratio. 123
Hæreticorum ſocietas immunda dæmonum habitatio. 185
Hebræi reprehenduntur. 24
Eliæ duplex ſpiritus in Eliſeo. 39
Hierarchia conſtat ex tribus. 198
Hierarchia quid ſit. 333
Homo quid ſignificet. 260
Homo eſt capax beatitudinis. 362
Hypoſtaſis quid. 24
Humanitas eſt forma totius. 260

I.

IDea exemplar. 55
Ideæ apud antiquiſsimos. 296
Idolorum cultus, vnde ſit. 385
Idolorum diuerſa nomina. ibid.
Idola eſſe deſtruenda. ibid.
Idolorum diuerſus cultus. 386
Idolorum ruina. 387
Idolorum cultus ſecundùm varios authores. 386.387.388.389
Ignis proprietates aptantur Spiritui ſancto. 71
Ignis forma & vita. 72
Ignis laudes. 69
Ignis efficacia. 71
Ignis proprietates. ibid.
Ignatij martyris doctrina de ſpiritu S. 27
Igneum corpus. 380
Illuminatio quid ſit. 323
Illuminatio mentium & angelorum & hominum quomodo fit. 334
Illuminare quid ſit. 335
Illuminandi duo modi. 337
Imago Trinitatis in anima. 6
Imago Dei in filio & in homine. 56
Imaginis ratio. ibid.
Intelligere & dicere in patre. 15
In principio erat verbum apud Platonicos 51
Inquiſitio optima de S. Trinitate. 52
Ingenitum non eodem modo accipitur à D. Hieron: ſicut à D. Auguſt: 95
Ingenitum duplex. 105
Influxus Spiritus ſancti. 50
Ingenitus. 162
Introductio in diuinam caliginem. 191
Intelligentiæ quomodo diſtinguuntur in Ariſtot: 201
Intelligentiæ effectiuè ſunt à deo. 207
Intelligentiæ immediatè ſunt à deo. 219
Indiuidua plura contineri ſub vna, & eadem ſpecie intelligentiarum rationibus oſtenditur. 241
Soluuntur argumenta. 243
Indiuiduationis principium eſt differentia indiuidualis. 247
Indiuidualis differentia quid eſt. 248
Indiuidualis differentia ſe habet vt actus reſpectu ſpeciei. 248
Indiuiduationis principium, non eſſe differentiam indiuidualem argumentis oſtenditur. 249
Soluuntur argumenta. 250
Indiuiduationis principium eſſe materiam argumentis oſtenditur. 252
Soluuntur. 253
Intelligentiæ quomodo ſint materiales. 259

Intelligentia prima non mouetur. 268
Intelligentiæ ſunt finitæ virtutis. 269
Intelligentiam eſſe formam orbis, ſiue cœli, quomodo intelligitur. 278
Intelligentia quomodo eſt forma cœli. 280
Intelligentia vocatur forma finis & efficiens. 281
Intelligentiæ & intellectus quomodo vnum ſint. 286
Intelligentiæ quomodo moueant orbes. 287
Intelligentia mouet per voluntatem ſuum orbem. 288
Intelligentia quare mouet orbem. 289
Intelligentiæ quare mouent cœlos ſecundùm catholicos. 289
Infinitum perfectione vnum & nō plura. 293
Infinitum partialiter. ibid.
Intelligentiæ cauſantur à primo motore. 294
Intelligentias eſſe infiniti vigoris probatur. 294
Soluuntur argumenta. 295
Intelligentiæ vocantur dij iuniores. 296
Intelligentiæ cognoſcunt ſeſe mutuò. 299
Intelligentia media quomodo cognoſcit ſuperiorem & inferiorem. 299
Intellectus noſter quare non intelligit ſe per ſuam eſſentiam. 302
Intelligentiam vnamquamq; per vnū habitum rerum quidditates non intelligere. 308
Intellectus poſsibilis an ſit in angelo. 316
Intellectus agens. 316
Intellectus poſsibilis atq; agens eſt in angelo. 317
Intellectus agentis præcipuus actus. ibid.
Intellectus agentis neceſsitas in angelis. 317
Intellectus poſsibilis. 318
Intelligentia deum naturaliter abſtractiuè & diſtinctè cognoſcit. 320
Intellectus quomodo illuminatur. 335
Inconſideratio non eſt in angelis. 337
Intelligendi quatuor modi. 342
Intellectio actualis. ibid.
Intellectio eſt operatio immanens. 344
Indiuiſibile non eſt in loco. 352
Intellectualem atque rationalem creaturam, beatitudinis eſſe capacem, eamq; naturaliter appetere oſtenditur. 362
Intellectus eſt nobilior voluntate. 364
Inſtructor vniuerſalis. 375
Initium figmenti, diaboli. 393
Indirectè appetere quid ſit. 415
Inuocatio dæmonum illicita. 420
Iob in angelis reperijt prauitatem. 393
Iob hiſtoria exponitur. ibid.
Irenæi doctrina de S. Trinitate. 38
Iuſtini doctrina de S. Trinitate. 31

L.

Laudes Spiritus ſancti. 37
Laudes ignis. 69
Lapides igniti. 179
Lacus iræ Dei. 184
Lactantij & Origenis error. 41
Leonis Papæ doctrina de ſpiritu S. 40
Lex noua. 118
Leges fatales. 296
Lex contra Magos. 389
Leuiathan. 393
Librorum Origenis numerus. 41
Libertas eſt actiuitas voluntatis. 73
Lingua ſpiritus S. 118
Liber ſignatus. 181
Lingua mea. 118
Locus amoris. 67
Locus in quo angeli ſunt creati. 202
Locutio angelorum. 303
Locutio illuminatio purgatio perfectio. 344
Locus quid eſt. 345
Lynceus. 266
Lumen naturale in angelo. 310
Lumen naturale, & ſupernaturale. 335
Lumen ſacrum expellit ignorantiam. 335
Lumen triplex in angelis. 338
Lucem diuiſit à tenebris. 391
Luciferi priuilegia. 401
Luciferi Syllogiſmus. 406

M.

Maieſtas Spiritus ſancti. 50
Magos in Aegypto vicit Spiritus ſanctus. 39
Materiæ cauſalitas imperfecta. 211
Materia non eſt principium indiuiduationis. 243
Materia accipitur pro differentia indiuiduali. 243
Materia non eſt indiuiduationis principium. 243
Materia vniuerſale generabilium. 259
Materiam eſſe partē quidditatis ſubſtantiæ compoſitæ. 260
Materia eſt pars quidditatis. ibid.
Materiam non eſſe partem quidditatis, argumentis oſtenditur. 262
Soluuntur argumenta. 264
Materia non eſt pars quidditatis. 262
Maſculus & fœmina non differunt in genere animalis. 264
Materia naturalis non eſt ſine forma naturali ſibi propria. 292

Mariæ

Mariæ gratia excedit gratiam angelorum. 371
Magiæ antiquitas. 389
Magicæ artis ortus. ibid.
Magi vnde dicti. ibid.
Magia quid. ibid.
Maleficos non patieris viuere. ibid.
Magi ſunt riſu digni. 390
Magia eſt ars dæmonis. ibid.
Magia decipit curioſos. ibid.
Mali angeli tenebræ dicuntur. 392
Magi Pharaonis. ibid.
Magicæ artes permittuntur ad fallendum fallaces. ibid.
Mala & bona voluntas. 400
Malicia diaboli. 410
Malicia quadruplex. 412
Memoria fœcunda. 12
Memoria & intelligentia eadem potentia. 53
Memoria duplex. ibid.
Melius ſemper appetendum. 58
Meſsis eſt finis mundi. 184
Mercurius de numero angelorum. 239
Mens eſt in anima. 279
Meridiana cognitio. 297
Medium eſt duplex. 314
Menſura angelorum. 354
Meritum præcedit præmium. 367
Mereri ſimul & frui eſt impoſsibile. ibid.
Meritum in quibus maius conſiſtit. 369
Mercurius prophetat Ægyptios in caſſum laborare in cultu idolorum. 385
Miſsionem in diuinis non omnibus conuenire perſonis. 111
Miſsio quid ſit. ibid.
Miſſus filius à patre. ibid.
Mitti quid ſignificet. ibid.
Miſsio inuiſibilis. 112
Mitti dicit realem reſpectum producti ad producentem. 114
Miſsio ſpiritus ſancti viſibilis. 115
Miſsionis filij & ſpiritus ſancti differentia. 116
Miſsio viſibilis. 115
Mittere & mitti differunt. 115
Miſsio ſpiritus ſancti in die Pentecoſtes in linguis igneis. 117
Miſsio ſpiritus S. in forma columbæ. 119
Militum Dei numerus. 173
Michaelis & draconis bellum. 183
Michaelis bellum. 400
Modus productionis potentiarũ animæ. 53
Modus imaginis alius. 54
Modus ſpecies & ordo in diuinis. ibid.
Moyſes quare Deum videre cupiebat. 116
Modi relatiuorum non ſunt relatio realis, ibidem relationis 3. modi. 126
Mortuo vno filio non corrumpitur paternitas. 142
Modus cognoſcendi per raptum. 192
Motu inferiora diſponuntur ſecundùm Mercurium. 265
Motus eſt finitus ſecundùm Mercurium. 265
Motus angelorum purus. 266
Motus per ſe & per accidens. 267
Motores per ſe non moueri. ibid.
Motores non moueri per accidens. 268
Motores orbium mouentur per accidens attributiuè. ibid.
Motor primus nullo modo mouetur per accidens. ibid.
Motores orbium per ſe moueri argumentis oſtenditur. 270
Soluuntur argumenta. 272
Motum fieri in inſtanti repugnat omni virtuti. 273
Motus non fit in inſtanti. 277
Motus naturalis cœli. 287
Modus & finis intelligentiarum quæ mouent orbes. ibid.
Motus circularis ſemper eſt in toto proprio loco. 292
Motus infinitus duratione requirit potentiam infinitam. ibid.
Mouens æternum nõ eſt in magnitudine. 294
Modus cognoſcendi in angelis diuerſus. 334
Modi illuminandi. 336
4. Modis aliquid illuminari. ibid.
Modus loquendi angelis. 340
Modi eſſendi in loco. 345
Mos Romanorum. 387
Moyſes fiat lux. 591
Moræ tres in angelis. 409
Mundum quomodo creauit Trinitas. 56
Multorum diuerſæ ſententiæ, ſi pater & filius diligunt ſe ſpiritu S. 102
Mutatio non cadit in deum ſed relatio. 151
Mutationis nobilitas pendet à termino à quo. 214
Mutatio multiplex. 229
Mutatio quomodo ſit in creatione. 230
Mundum eſſe animal. 285
Mundus non à caſu regitur. 326
Myſterium Trinit. ſecundùm Philoſo: 1.
Myſterium Trinit. ex fide & reuelatione potiſsimùm conſtat. 51
Myſteria loquitur ſpiritus ſanctus. 66
Myſterium Trinitatis imperfectũ eſt ſine ſpiritu ſancto. 41

N.

NAtura in creaturis. 17
Natura Spiritus S. eſt inuiſibilis. 40
Natura intellectualis quomodo eſt veſtigium & imago. 57

Natura indiuiduatur per ſeipſam. 254
Natura non indiuiduatur per ſeipſam. 255
Natura conſequitur eſſe indiuiduale per differentiam indiuidualem. 256
Negatio duplex. 9
Neceſſarium formaliter & productiuè. 14
Neceſsitas qualis ſit in productione Spiritus ſancti. 73
Nexus in diuinis eſt Spiritus S. 76
Neceſsitas immutabilitatis eſt ſumma libertas. 75
Negans Spiritum S. negat patrem & filium. 44
Neceſſaria habent cauſam ſuæ neceſsitatis. 208
Neceſsitatis permanentia à Deo. 210
Nectar & ambroſia. 190
Nectar. 179
Nequitia eſt voluntaria malitia. 410
Neceſsitas prouidentiæ. 422
Notitia genita. 12
Noui teſtamenti ſcripturæ de vnitate eſſentiæ cum Trinitate perſonæ. 24
Nomen Iehouah. 24
Nomina Spiritus ſancti. 33
Nomina operationis & naturæ ſancti Spiritus. 35
Noui teſtamenti gratia. 115
Notiones diuinæ ſunt quinq; innaſcibilitas, paternitas, filiatio, cõmunis ſpiratio, proceſsio. 161
Notio quid eſt. 161
Notio pertinet ad originem. ibid.
Notiones quinque. 162
Notiones perſonales tres. ibid.
Nomina Archangelorum. 199
Non eſſe non præceſsit eſſe creaturæ. 231
Nomen materiale multiplex. 258
Notitia duplex in angelo intuitiua & abſtractiua. 306
Notitia intuitiua & abſtractiua. 311
Notitia triplex. 318
Nouem angelorum ordines. 329
Nomina angelorum. ibid.
Nox & dies quid. 392
Numeri neceſsitas. 4
Numerus quid ſit ſecundùm Pythagorã. 4
Numero impari deus gaudet. ibid.
Numeri ternarij obſeruatio in rebus. 5
Numeri ternarij perfectio. ibid.
Numerus ternarius in artibus. 6
Numerus ſi ſit propriè in diuinis. 8
Numerus quid ſit ſecundùm Boetium. ibi.
Numerus duplex. 9
Numerus quomodo eſt in Deo. 10
Numerum aut vnitatem non eſſe propriè in diuinis, argumentis probatur. 11
Soluuntur in eodem.
Numerus pondus & menſura. 57
Nomina Spiritus ſancti. 63
Numerus librorum originis. 41
Numerus dupli fundamentum. 124
Nubes. 160

O.

OBiectiones cõtra modos relatiuorum. 127
Soluuntur in eodem.
Obſtinatio dæmonis vnde ſit. 411
Oculus ſponſæ. 189
Oculi columbæ. 119
Oleum lætitiæ eſt Spiritus ſanctus. 44
Omnia implet Spiritus ſanctus. 65
Omnes diuinas perſonas mitti & mittere. 113
Omne compoſitum neceſſariò dependet. 147
Omne quod mouetur partim eſt in termino à quo, & partim à termino ad quem. 273
Omne verum à Deo. 386
Omnia eſſe effectiuè habere à Deo, docet Auerroes. 208
ON, eſt Deus qui verè & propriè exiſtit. 195
Operationes S. ſpiritus. 34
Operationes S. ſpiritus in Eccleſia. 38
Operatio quare dicitur actio. 56
Opera Trinit. ad extra ſunt indiuiſa. 114
Operatum eſt operationis perfectio. 155
Origenis error. 41
Orbem terrarum repleuit S. ſanctus. 46
Ordo potentiarum animæ. 53
Oraculum Apollinis. 70
Originis modi duo. ibid.
Ordo Cherubin 192
Ordo cauſæ effectiuæ. 207
Ordo vniuerſi. 209
Ordo vniuerſi ſecundùm diuerſos authores. 326
Ordinis virtus. 326
Ordinum officia. 330
Ordines multi in vna Hierarchia. 333
Ordo rerum triplex ſecundùm Platonicos ibid.
Ordo quadruplex. 386
Ordines eſſe in dæmonibus & quomodo. 417
Oratio Hannibalis. 420
Oſculetur me. 116

P.

PAter & filius vnum principium ſpiritus ſancti. 48
Pater habet duo principia productiua. 78

Pater & filius ſunt vnum principium ſpirandi. 86
Pater & filius vnus ſpirator. 87
Patrem & filium non eſſe vnum principium ſpiritus ſancti, argumentis probatur. 89
Soluuntur argumenta. 90
Pater etſi vniformiter prius tamen origine quàm filius ſpirat ſpiritum ſanctū. 90
Pater & filius ſi ſunt priores natura quàm ſpiritus ſanctus. 93
Pater & filius diligunt ſe ſpiritu ſancto. 102
Patrem & filium ſe nō diligere ſpiritu ſancto. probatur. 103
Soluuntur argumenta. 104
Pater an ſit dicendus ſapiens, ſapientia genita. 105
Pater in diuinis non mittitur. 112
Pater prius origine creat. 233
Pater mundi eſt Deus. 421
Parua non ſunt contemnenda. 423
Perfectio numeri ternarij. 5
Perſonarum Trinitas cum vnitate eſſentiæ demonſtratur. 19
Perſonarum diſtinctiò. ibid.
Perſonas tres cum vnitate eſſentiæ non poſſe conſiſtere argumētis probatur. 20
Soluuntur argumenta. 21
Perſonales proprietates tres. 23
Perſonarum trinitas per diuinas oſtenditur ſcripturas. 23
Perſona quid ſit. 24
Perſonales proprietates. 40
Perſonarum trinitatem naturalibus poſſe rationibus demonſtrari argumētis probatur. 51
Soluuntur in eodem.
Perſona ſancti ſpiritus datur. 110
Pentecoſtes dies libertatis. 117
Pœnæ impiorum ſæuiſsimæ. 184
Pennæ ventorum. 193
Per inſtans an poteſt durare creatura. 229
Peccatum ſi fuit error, vel ignorantia, vel inconſideratio. 404
Peccare eſt defectus libertatis. 413
Peccatum luciferi fuit maius quàm aliorum. 416
Phialæ. 184
Philoſo: 5. phiſi. ad relationem non eſt motus. 128
Philoſophi quid dicant de relatiuis. 124
Philoſophi quomodo cognouerunt Trinitatem. 52
Philoſophorū rationes de æternitate creaturarum. 230
Plenitudo productionis. 13
Plato in Cratylo de dijs. Homerus, Heſiodus, Orpheus & alij plurimi. 172
Platonis doctrina de angelorum creatione & natura. 174
Plato de numero angelorum. 239
Planetæ. 266
Plato de motu angelorum. ibid.
Plotinus docet angelos nos inuiſere. ibid.
Plato de cognitione angelorum. 296
Plato Mercurij ſtudioſus. 318
Plotinus Platonis interpres. ibid.
Poſsibile logicum & poſsibile reale. 14
Potentiæ pertinentes ad animam quomodo diſtinguuntur ab animæ ſubſtantia. 57
Potentias animæ ab ipſius ſubſtantia eſſentialiter diſtingui probatur. 59
Soluuntur argumenta. 60
Potentia & agere in creaturis diſtinguūtur realiter, non autem eſſe & eſſentiale. 61
Populorum numerus eſt conſtitutus iuxta numerum angelorum dei. 179
Poteſtatum ordo. 197
Poteſtatum potentia. ibid.
Poteſtates nō agunt tyrannicè in inferiores. ibid.
Poteſtates vnde dicantur. ibid.
Poteſtatum officium. ibid.
Poſsibile cum neceſsario. 209
Potentiale obiectiuū non eſt aliquid reale extrinſecum in actu reali. 212
Poſsibilitas ad formam eſt aliquod bonū. 223
Poſsibilitas ſubiectiua & obiectiua. 225
Potentia paſsiuæ naturali, correſpondet potentia actiua. 287
Potentia tertia non eſt ratio mouendi. 288
Potentia ſubiecti multiplex. 412
Productiones in diuinis duas eſſe. 12
Productiones duæ quare ſunt. 13
Productio filij Dei. ibid.
Productionem ſiue proceſsionem in diuinis nullam eſſe, argumentis oſtenditur. ibid.
Soluuntur. ibid.
Productionem vnam tantum eſſe in diuinis, argumentis oſtenditur. 15
Soluuntur. 16
Productiones in diuinis plures quàm duas inueniri poſſe, argumentis probatur. 17
Soluuntur. 18
Producere ſibi ſimile. 19
Proprietates relatiuæ in Deo. 22
Proceſsio S. ſpiritus quę amoris dicitur. 66
Proprietates ignis. 71
Proceſsio ſpiritus S. eſt libera & neceſſaria. 72
Proceſsio quid ſit. ibid.
Principium ſpiritus S. eſt voluntas. ibid.
Producere neceſſariò & liberè ad diuerſa obiecta. 75
Principium productiuum idem eſt in patre & in filio. 78

Principium in diuinis. 86
Principium quod, & quomodo. ibid.
Productiua potentia principium quomodo. ibid.
Principium completum ſpirandi in patre filio eſt voluntas. 88
Productiones diuinas nempe generationem paſsiuam & ſpirationem paſsiuam formaliter diſtingui. 94
Productiones diuinas aut ex terminis formalibus diſtingui, aut quia vna ſit ab vna, altera verò à duobus probatur. 96
Productiones non diſtingui à terminis. 96
Productio ſpiritus S. non eſt generatio. 99
Proceſsio temporalis ſancti ſpiritus. 109
Procedere eſt proprium ſpiritus ſancti. 109
Procedere duplex. ibid.
Proceſsio gemina ſpiritus S. ibid.
Proceſsio 115
Proprietates Cherubin. 192
Principatuum ordo. 197
Principatuum proprietates. 197
Prudentia officium. ibid.
Principandi diſpoſitio. 198
Proportio non entis ad poſsibile. 226
Productio perſonarum non ſunt rationes producendi creaturam. 232
Primum mouens non habet materiam.
Principium indiuiduationis eſſe formam naturam ipſam, atq; actualem exiſtentiam, argumentis oſtenditur. 254
Soluuntur argumenta. 255
Princeps angelorum vſia. Iupiter. 266
Primus motor eſt prima ars. 268
Primus motor, prima forma, primus finis. 269
Princeps vſia. 327
Principium meriti. 366
Principium viarum Dei. 393
Præſumptio. 401
Prælatio dæmonum mala. 418
Prouidentia Dei. 421
Prouidentiam quare aliqui negauerũt. 423
Pulchrum quærunt homines in quo genere. 68
Pulchrum conſtat ex omni parte. ibid.
Pulchri ſpectaculum. ibid.
Pulchritudo vera quibus ineſt. 69
Pulchritudo Deorum. 177
Purgatio, illuminatio perfectio. 193
Pugna an ſit inter angelos. 376
Pymandro laus dicitur. 171
Pythagoras ſeptenarium numerum laudabat. 238
Pythea fœmina. 386
Pythoniſſa ſuſcitans Samuelem. 392

Q.

Quare duæ ſint productiones. 83
Quare pater non dicitur miſſus viſibiliter. 116
Quælibet potentia animæ eſt ſubſtantia. 58
Quid ſit numerus. 4. & 8
Qui negat ſpiritum ſanctum, negat patrem & filium. 44
Quibus ineſt vera pulchritudo. 69
Quomodo prædicamenta ſunt decem res. 130
Quomodo motus eſt ad relationem. 133
Qui ſedes ſuper Cherubin. 193
Quando angeli conditi ſunt. 202
Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul. 202
Quomodo ſecundùm philoſophos ex nihilo aliquid fiat. 210
Quomodo vnum ſit cœlum. 244
Quantitatem eſſe principium indiuiduationis argumentis oſtenditur. 256
Soluuntur argumenta. 257
Quantum in quæ diuiditur. 257
Quomodo ex intelligentia & orbe fiat vnum. 286
Qualitas accidentalis. 365

R.

Ratio ordinis in angelis. 5
Rationes contra Auicennam. 9
Ratio principij vniuoca in Deo. 87
Ratio vera de S. Trinit. 52
Ratio apparitionis. 116
Ramus oliuæ. 120
Rationes quòd angeli facti ſunt. 200
Rationes philoſophorum quòd angeli non mouentur. 271
Raptus Pauli. 310
Ratio eſſendi in loco duplex. 346
Ratio formalis fundamentalis. ibid.
Rationes prouidentiæ. 423
Repetitio nominum & donorum ſpiritus ſancti. 36

De Relatiuis.

Relationes oppoſitæ. 19
Relatiuæ proprietates in Deo. 22
Relationes originis. 85
Relatio oppoſita & diſparata. 86
Relationum diſtinctio. 97
Relatio quid eſt. 124
Relatiua ſecundùm eſſe & ſecundùm dici. 124
Relationis fundamentum. ibid.
Relationes non eſſe extra animam. ibid.
Relatio 1. 2. & 3. modi. ibid.
Relationes habere extra animam. 125
Relatio realis quid eſt. 126
Tres conditiones eiuſdem. ibid.

Relatio realis eſt eiuſdem ordinis. 126
Relatio quomodo diſtinguatur à ſuo fundamento. 128
Relatio differt à ſuo fundamento. 129
Relatio à ſuo fundamento diffinitione nō ſubiecto diſtinguitur. 129
Relationem à ſuo fundamento realiter differre. ibid.
Soluuntur. ibid.
Relationem & fundamentū idem eſſe. 131
Relationem à ſuo fundamento realiter nō diſtingui. 131
Soluuntur. ibid.
Relatio eſt formalis ratio alterius correlatiui relationis terminandæ. 133
Relatio eſt ratio terminandi. 134
Relationis terminum formalem eſſe aliquod abſolutum. 135
Soluuntur argumenta vtriusq; partis. ibi.
Relationis terminum ad conceptum ipſius quidditatiuum attinere. 136
Relatio ſine termino non poteſt intelligi. 137
Relatio ſine termino poteſt intelligi. 138
Soluuntur argumenta. ibid.
Relatiuū ſine termino poteſt intelligi. 139
Relatiuum idē ad plura poſſe refferri. 140
Refferri duplex. 140
Relatiuum idem ad plura nō poſſe refferri. 141
Soluuntur argumenta. ibid.
Relationem realem non eſſe inter Deum & creaturas. 142.
Relatio realis. ibi.
Relatio rationis. 143
Relatio realis non eſt inter Deum & creaturas. ibid.
Contrariæ rationes. ibid.
Relatione exiſtentiæ an Deus in creatura referatur realiter. 144
Relationem realem inter Deum & creaturam inueniri. 144
Relationes ſecundi modi. ibid.
Soluuntur argumenta. 145
Relatio creaturæ eſt ad Deum realis & nō è conuerſo. 146
Relationis ad extrinſecus eſt mutatio. 147
Relatio rationis non eſt per actum intellectus diuini. 148
Relationes nouæ per actum intellectus creari. ibid.
Relationis æternæ duplex terminus. 149
Relationes Dei ad creaturam quales ſint. ibid.
Relationem rationis eſſe, in Deo reſpectu creaturæ, illāq; priorē eſſe, quàm ſunt reſpectus reales creaturæ, quidā arguūt. 150
Soluuntur argumenta. 151
Reſpectus rationis non eſt in Deo. 151
Relationes eſſe in diuinis. 158
Reales rationes in diuinis. 159
Relationes diuinæ ſuper actionem fundātur. ibidem.
Relationes in diuinis non eſſe neq; tot numero & proprietate. 160
Soluuntur argumenta. ibid.
Relationes quomodo ſint in Deo. ibid.
Relationem ſola ratione diſtingui ab eſſentia non eſt probabile. 169
Relatio non eſt actus eſſentiæ. 170
Relatio quòd ſit actus eſsētię obijcitur. 171
Relatiuorum fundamenta tria. 128
Relatio eſt perſonę & nō eſſentię actus. 171
Res creatæ non habuerunt eſſe eſſentiæ ante creationem. 221
Reſurrectio oſtenditur futura. 265
Regina Sabæ.
Reuelationes diuinæ per angelos. 187
Regeneratio noſtra eſt opus ſpiritus S. 45
Regnum Alexandri diuiſum. 400
Ritus benedicendi cum tribus digitis. 24

S.

SAcramentum & miſsio differūt. 123
Sapientia Dei eſt Chriſtus. 104
Sanctus ſanctus ſanctus. 193
Sacramenta creant gratiam inſtrumentaliter 220
Satan inter filios Dei. 393
Scripturarum teſtimonia de ſpiritu S. 23
Scripturæ noui teſtamēti de ſpiritu S. 24.
Scala Iacob. 119
Scripturæ de numero angelorum. 239
Sciētia quę eſt effectus, & quę eſt cauſa. 299
Sententiæ Auguſtini de ſpiritu S. 107
Septem proprietates columbæ. 121
Sententia Auerrois de eſſe relatiuo. 125
Septem gubernatores. 173
Sedes altiſsimæ, ſedes compactæ. 194
Sedes diuini aduentus. ibidem
Septem mundi. 175
Septem ſtellæ. 181
Septem locutiones. ibi.
Septem deſcenſus. ibid.
Septem ſygilla ſeptē myſteria Chriſti. ibi.
Seraphin quare vocantur angeli. 188
Seraphicæ proprietates. ibid.
Seraphicus amor quomodo fiat. 190
Sedes regnantium. 194
Semina rerum latent in elementis. 216
Septenarij numeri dignitas. 236
Septenarius in natura humana. 236
Septenarius numerus in ſenſibus. 236
Authores varij ibi. de numero ſeptenario.
Septenarius eſt omniū rerum nodus. 237
Septenarius numerus apud ſacras ſcripturas celeber eſt. 237
Septem ætates. 237

Septem peccata Cain. 238
Septem ſignificat vniuerſitatem. 238
Septem plagæ filiorum Iſrael in deſerto. 238
Septem ſapientes Græciæ. ibid.
Septuageſima. ibid.
Septem gubernatores ſiue motores orbiũ non eſſe mobiles nec per ſe, nec per accidens. 267
Senſus mutantur in angelo. 325
Simplices ſicut columbæ. 120
Simpliciter ſimplex. 147
Simplicij opinio. 133
Similes Deo. 195
Simplicius de cœlo animato. 283
Simplices actus habent vigorem infinitũ. 294
Singulare quomodo intelligitur ab authore. 302
Singularia ſub prouidentia Dei. 422
Solus Deus bonus. 27
Sonus repentinus. 117
Solium excelſum. 194
Subſtantia eſt generationis terminus. 58
Subſtantia immediatum principium accidentium. 61
Suppoſitum principium quod. 86
Subiectum eſt homo, fundamentum potentia generandi, terminus à quo eſt pater, terminus ad quem eſt filius, relatio paternitas. 131
Suppoſitum diuinum non eſt compoſitũ. 170
Summus gubernator. 266
Subſtantia angeli quomodo eſt ratio eſſendi in loco. 346
Spiritum ſanctum Plato vocat animam mundi. 2
Spiritus ſancti diuinitas oſtenditur. 27
Spiritus inueſtigat profunda Dei. 28
Spiritus S. natura eſt Deus. 28
Spiritus ſanctus eſt ex ſubſtantia patris & filij. 29
Spiritus ſanctus vocatur mens Chriſti, digitus dei, ſpiritus libertatis, & alijs multis nominibus. 29
Spiritus ſanctus eſt virtus dei, Arra vitæ.
Spiritus ſanctus dimittit peccata. 30
Spiritus ſanctus quomodo imprimit in nobis ſygillum diuinæ eſſentiæ. 31
Spiritus S. à patre filioq; procedit. 32
Spiritus ſanctus eſt author noſtræ reformationis. 32
Spiritus ſancti operationes. 34
Spiritus ſanctus eſt regiæ ſubſtantiæ. 35
Spiritus ſanctus ſcrutatur profũda Dei. 35
Spiritu ſancto eijciuntur dæmonia. 35
Spiritus ſancti laudes & Epiteta. 36
Spiritus ſanctus idem eſt in Prophetis & in Apoſtolis. 36
Spiritus ſancti operationes in eccleſia. 38
Spiritus ſanctus eſt verus Deus. 33
Spiritus S. vicit magos in Ægypto. 39
Spiritus ſanctus omnia ſacramenta eccleſiæ conſummat. 40
Spiritus ſanctus vnius naturæ cum patre & filio. 41
Spiritus ſanctus ſingulis momentis datur dignis. 41
Spiritus ſanctus columbæ & turturi aſsimilatur. 42
Spiritus S. recedit à cogitationibus ſtultis. 42
Spiritus ſanctus non eſt ſocius creaturæ, nec etiam eſt factus. 43
Spiritus ſancti blaſphemiæ non remittuntur. 43
Spiritus ſanctus eſt vbique totus. 44
Spiritus ſanctus eſt ſpiritus plenitudinis, dicitur etiam oleum lætitiæ, & fons aquæ ſalientis. 44
Spiritus ſanctus eſt creator diuinæ incarnationis, & creator gratiæ, & verus Deus. 45
Spiritus ſanctus eſt eiuſdem diuinitatis cũ filio. 46
Spiritus ſanctus naturaliter eſt Deus & nõ eſt creatura. 47
Spiritus S. eſt cauſa vnitatis eccleſiæ. 47
Spiritus ſanctus eſt immutabilis, inuiſibilis ſicut & pater & filius. 48
Spiritus ſanctus procedit à patre & filio, & eſt communio patris & filij. 48
Spiritus ſanctus non eſt patris ſolius, neq; ſolius filij, ſed amborum. 49
Spiritus S. principaliter procedit à patre. 49
Spiritus S. de patre & filio procedit. 49
Spiritus ſancti maieſtas. 50
Spiritus ſanctus non eſt ingenitus, neque genitus, ſed à patre & filio procedit. 50
Spiritus ſanctus omnia continet. 62
Spiritus ſanctus vnum & multa. 63
Spiritum ſanctum Deum eſſe ſacræ ſcripturæ clariſsimè oſtendunt. 64
Spiritus S. eſt fons ſanctificationis. 64
Spiritus ſanctus dat vitam. 64
Spiritus ſanctus eſt digitus Dei. ibid.
Spiritus ſanctus eſt ſpiritus ſapientiæ & etiam ſpiritus adoptionis. 65
Spiritus ſanctus implet omnia. ibid.
Spiritus ſanctus eſt libertas. 66
Spiritus ſanctus eſt iuſtificatio. ibid.
Spiritus S. eſt proceſsio quæ amoris dicitur ibidem
Spiritus ſanctus eſt nexus in diuinis. 67
Spiritus ſanctus eſt amor. 67
Spiritus ſanctus eſt ignis. 69
Spiritus ſancti dona per ignis proprietates oſtenduntur. 71

Spiritus

Spiritus ſancti principiũ eſt voluntas. 72
Spiritus ſancti proceſsio & libera & neceſsaria. 72.&75
Spiritum ſanctum non produci liberè & neceſſariò argumentis probatur. 73
Soluuntur argumenta. 75
Spiritus ſanctus non dicitur imago. 76
Spiritum ſanctum à patre & filio procedere. ibid.
Spiritus ſanctus vocatur ſpiritus Chriſti. 77
Spiritus ſanctus non procedit de patre in filium. 77
Spiritus ſanctus non eſt creatura. ibid.
Spiritus ſanctus ſi non procedit à filio materialis diſtinctio in eis inueniretur. 79
Spiritum ſanctũ à patre tantum & non à filio procedere quidam probare nituntur. 79
Soluuntur argumenta. 80
Spiratio actiua nõ conſtituit perſonam. 80
Spiritus ſanctus procedit à patre per filium ſecundùm aliquos. 81
Spiritus ſanctus quomodo quieſcit in filio. ibid.
Spiritus ſanctus ſi non procederet à filio non diſtingueretur ab eo. 83
Spirantes ſunt duo, ſed vnus ſpirator. 87
Spirandi principium completum in patre & filio eſt voluntas. 88
Spiritus ſanctus non eſt principium productiuum perſonæ diuinæ. 90
Spiratio actiua vna. 91
Spiritus ſanctus non plenius procedit à patre quàm à filio. 92
Spiritum ſanctum plenius à patre quàm à filio procedere argumentis quidam probare nituntur. 92
Soluuntur eadem argumenta. 93
Spiritus ſanctus principaliter procedit à patre. 93
Spiritus ſanctus per filium producitur. 93
Spiritus ſanctus non dicitur filius. 94
Spiritus ſanctus non dicitur ingenitus. 95
Spirationem eſſe generationem argumentis quidam probare conantur. 98
Soluuntur argumenta. 99
Spiritus ſancti productio non eſt generatio. 99
Spiritus ſanctus in diuinis duplicem habet reſpectum. 103
Spiritus ſanctus eſt amor amati. 104
Spiritus ſanctus in diuinis propriè donum dicitur. 106
Spiritus ſanctus non eſt propriè donum in diuinis, argumentis probatur. 108
Soluuntur. ibid.
Spiritus ſancti proceſsio temporalis. 109
Spiritus ſancti proceſsio gemina. ibid.
Spiritus ſanctus non datur vt forma. 110
Spiritus ſanctus ſi datur à ſe. 112
Spiritus ſancti miſsio viſibilis. 115
Spiritus ſanctus quare eſt viſibilis. 116
Spiritus ſancti miſsio in die Pentecoſtes, in linguis igneis. 117
Spiritus ſancti lingua. ibid.
Spiritus ſancti tituli. 118
Spiritus ſancti miſsio in forma columbæ 119
Spiritus ſanctus in nube & flatu oſtenditur. 121
Spiritum ſanctũ viſibiliter miſſum nõ fuiſſe quidam argumentis probare nituntur. 122
Soluuntur argumenta. ibid.
Spiritus ſancti apparitiones viſibiles, factæ ſunt miniſterio angelorum. 123
Species mutationis. 148
Species actionum variæ. 153
Species vniuerſales concreatæ in intellectu poſsibili angelico. 303
Species acquiſitæ. ibid.
Superiores angeli paucioribus intelligunt ſpeciebus. 303
Superbia primum peccatum. 401
Superbia non fuit primum peccatum. 402
Superbia quid ſecundùm Auguſt. ibid.
Superbia primum fuit peccatum, argumentis oſtenditur. 403
Superbia initium malæ voluntatis. ibid.
Superbia cupiditas radix omnium malorum. ibid.
Superbia eſt initium omnis peccati, quomodo intelligitur. 404
Stoici beatitudinem ponebant in honeſto 360
Status angelorum bonorum. 380

T.

Ternarij numeri ſacramentum. 4
Ternarij ſimilitudines in rebus. 5
Ternarij numeri perfectio. ibid.
Ternarij obſeruatio in rebus. 6
Ternarius numerus in artibus. ibid.
Termini numerales in diuinis. 10
Tertul. doctrina de S. Trinitate. 37
Templum Veſtæ. 71
Terminus generationis & ſpirationis actiuæ eſt triplex. 10
Terminum relationis ad conceptum ipſius quidditatiuum attinere. 136
Terminum eſſe de conceptu obiectiuo relationis. 136
Terminum non pertinere ad conceptum relationis quidditatiuum, nam ſine illo intelligi poteſt, argumentis probatur. 137
Soluuntur argumenta. 138

Termini non ſunt differentiæ relationum. 141
Terminus realis. 142
Tempus potuit eſſe æternum. 232
Terminus quo & terminus quod. 255
Tetragonum continet trigonum. 312
Tempus quid ſit. 354
Tempora æterna. ibid.
Theurgia quid. 389
Trinitatis myſterium ſecundùm Philoſophos. 1. 2.
Tria principia. 2
Trinitas ſecundùm Pytagoram. 3
Trinitatis veſtigium. 5
Tres Hierarchiæ angelorum. 5
Trinitatis imago in anima. 6
Trinitas perſonarum cum eſſentiæ vnitate. 18
Trinitatis exempla. 20
Tres perſonas cum vnius eſſentiæ vnitate conſiſtere arguunt quidam. 20
Soluuntur argumenta. 21
Tres proprietates perſonales. 23
Tria lumina vnum lumen. 26
Tres ſoles. ibid.
Trinitas & vnitas. 27
Trinitatis exemplum. 28
Trinitas eſt & non dualitas. 33
Trinitatis myſterium ſine ſpiritu ſancto eſt imperfectum. 41
Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, aqua, ſanguis, & ſpiritus, quomodo intelligitur. 44
Trinitatis S S. confeſsio. 49
Trinitatis myſterium ex fide & reuelatione potiſsimum conſtat. 51
Trinitatem quomodo cognouerunt Philoſophi. 52
Trinitatis S. imago & veſtigium. ibid.
Trinitatis imago in potentijs animæ. ibid.
Trinitatis imaginem non eſſe in creatura rationali, & intellectuali argumētis probatur. 54
Soluuntur argumenta. 55
Trinitatis bonitas in homine. 55
Trinitas noſtra multum differt à diuina trinitate. 55
Trinitas ſancta quomodo mundum creauit. 56
Trinitatis imago eſt anima humana. 57
Trinitatis veſtigium. 57
Triplex modus differendi. 99

Thronorum ordo. 194

Thronorum proprietates. 194
Thronus eius in flamma ignis. ibid.
Triplex cognitio in angelo naturę & gloriæ. 297
Triplex genus entium. 353
Turtur quid ſignificet. 119 & 42
Turris Babel. 117

V.

Variorum philoſophorum ſententiæ de Trinitate. 1
Vaticinium Mercurij de cultu idolorum, commendat Auguſtinus. 387
Vaticinia oraculorum fuerunt fabulæ. 391
Verbum ſapientiſsimum. 3
Veſtigium trinitatis. 5
Vera ratio de ſancta Trinitate. 52
Veſtigium Trinitatis. 57
Veritas nutrit angelos. 177
Venti 4. Angeli 4. 178
Vermis genitus ex Euchariſtiæ ſpeciebus. 218
Soluuntur argumenta. 219
Verbum mentis. 304
Verbum Dei principium creaturæ. 391
Veſpera. 392
Veritatis cognitio multiplex. 417
Vis ſpiratiua vna. 91
Virtus ſpiritus ſancti. 40
Viſibiles apparitiones ſpiritus ſancti factæ ſunt miniſterio angelorum. 123
Viri boni è vita migrant ad angelos. 175
Viſio rubi. 176
Virtus ſpirandi vna. 87

Virtutum ordo. 195

Virtutum nomina. 196
Virtutum proprietates. 196
Virtutum miniſteria, officium. ibid.
Vita æterna eſt inexplebilis. 267
Viſus. ibid.
Vita angelorum feliciſsima. ibid.
Violenti motus ſecundùm Auerroë. 285
Virtus quid. 332
ibid. Angelus, Dominatio, Archangeli, Seraphim, Cherubin, Throni.
Virtus excellens inferioris angeli in ſuperiori continetur
Viſio eſt tota merces ſecundùm Augu. 360
Vita beata. 360
Viſio perfecta non fit oculis. 363
Virtus heroica. 364
Viſionis ſummus modus excedit limites creaturæ. 369
Vir bonus non ſubditur magiæ. 390
Vnum & ens quomodo diſtinguūtur. 6
Vnum tranſcendens. 9
Vnum non eſſe meram negationem. 9
Vnitas quomodo ſit in Deo. 10
Vnitatem aut numerum non eſſe in diuinis argumentis probatur. 11

Soluuntur

SECVNDI LIBRI.

Soluuntur in eodem.
Vnitas in trinitate, & Trinitas in vnitate.
Vnum verum & bonum in anima humana. 53
Vna columba ſuper caput Chriſti. 120
Vnus tantum creator. 216
Vnum aliquid quomodo fiat. 250
Vnus vltimus finis orbium. 292
Vnaquæq; anima habet angelũ ſuum. 373
Voluntas infinita in actu recto ſemper exiſtit. 76
Voluntas in patre & filio completũ principium ſpirandi. 88
Voluntas fœcunda. 88
Voluntas mala cauſa peccati. 405
Vxor agni. 185

Z.

Zoroaſtres inuentor Magicæ artis. 388

Finis indicis ſecundi libri.

Typographus Lectori S.

Errata, præſertim à fol. 105. ad fol. 203. commiſſa, vt tu tibi reſtituas, amice Lector, vehementer oro. Quæ hoc in meliorem partem accipies, quo cauſa mea, venia dignior eſt: quæq; ex periculoſa febri tum laboranti, mihi condonari meritò debeat. Ita enim fit, domini vbi abſunt. Vale.

Fol. 118. verſ. 36. cum forma: lege, *eum forma.* 119. ver. 5. de cœlo aduenientis: lege, *de cœlo ſonus, aduenientis.* Ibidem: ver. 18. omni peccatorum: lege, *omni penitus peccatorum.* 122. ver. 41. perficit: lege, *percipit.* 125. ver. 40. relatio ergo realis, lege, *relatio realis.* 126. ver. 26. & albo & albo ſimile: lege, *& albo ſimile.* 129. ver. 8. in aliquid: lege, *in adaliquid.* 133. ver. 32. extrinſeca: lege, *ex extrinſeca.* 134. ver. 39. terminadi: lege, *terminandi.* 140. ver. 30. relatiuum eſſe: lege, *relatiuum per eſſe.* 142. ver. 21. iudicaui: lege, *indicaui.* 143. ver. 41. per vniuerſum: lege, *ſuper vniuerſum.* 144. ver. 42. relatium: lege, *relatiuum.* 149. ver. 7. ſecundùm intelligendi: lege, *ſecundùm noſtrum intelligendi.* ibidem ver. 23. quiddam: lege, *quidam.* 150. ver. 37. actione ac paſsione: lege, *actione paſsione.* 159. ver. 35. relatione: lege, *ratione.* 164. ver. 2. formaliter fieri: lege, *formaliter eſſe fieri.* ibidem ver. 8. eſſentiæ congruere: lege, *eſſentiæ nequaquam congruere.* 166. ver. 5. vt diſtincta: lege, *aut diſtincta.* ibidem ver. 25. eadem: lege, *eædem.* ibidem ver. 29. eædem: lege, *eadem.* 171. ver. 20. cùm non ſit: lege, *cùm ſit.* 173. ver. 13. dicet: lege, *dicit.* & ver. 24. circulis: lege, *circulos.* 175. ver. 23. ſperare ad deos: lege, *ſperare me, ad deos.* 181. ver. 21. & 22. zezabelem: lege, *Iezabelem.* 187. ver. 9. viſus: lege, *iuſſus.* & ver. 32. cap. 3. lege, *cap. 5.* 188. ver. 30. intendit: lege, *incendit.* 192. ver. 15. negatiua: lege, *vegetatiua.* & alia præter hæc leuia errata: quæ tamen prudens Lector facile reſtituet.

Regiſtrum.

★ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz. Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk.

Omnes ſunt duerniones.

R. SALVAREZZA
RESTAURO
Via A. Corvi n. 8
Tel. 88 37.67

Septem peccata Cain. 238
Septem ſignificat vniuerſitatem. 238
Septem plagæ filiorum Iſrael in deſerto. 238
Septem ſapientes Græciæ. ibid.
Septuageſima ibid.
Septem gubernatores ſiue motores orbiū non eſſe mobiles nec per ſe, nec per accidens. 267
Senſus mutantur in angelo. 325
Simplices ſicut columbæ. 120
Simpliciter ſimplex. 147
Simplicij opinio. 133
Similes Deo. 195
Simplicius de cœlo animato. 283
Simplices actus habent vig rem infinitū. 294
Singulare quomodo intelligitur ab authore. 302
Singularia ſub prouidentia Dei. 422
Solus Deus bonus. 27
Sonus repentinus. 117
Solium excelſum. 194
Subſtantia eſt generationis terminus. 58
Subſtantia immediatum principium accidentium. 61
Suppoſitum principium quod. 86
Subiectum eſt homo, fundamentum potentia generandi, terminus à quo eſt pater, terminus ad quem eſt filius, relatio paternitas. 131
Suppoſitum diuinum non eſt compoſitū. 170
Summus gubernator. 266
Subſtantia angeli quomodo eſt ratio eſſendi in loco. 346
Spiritum ſanctum Plato vocat animam mundi. 2
Spiritus ſancti diuinitas oſtenditur. 27
Spiritus inueſtigat profunda Dei. 28
Spiritus S. natura eſt Deus. 28
Spiritus ſanctus eſt ex ſubſtantia patris & filij. 29
Spiritus ſanctus vocatur mens Chriſti, digitus dei, ſpiritus libertatis, & alijs multis nominibus. 29
Spiritus ſanctus eſt virtus dei, Arra vitæ.
Spiritus ſanctus dimittit peccata. 30
Spiritus ſanctus quomodo imprimit in nobis ſygillum diuinæ eſſentiæ. 31
Spiritus S. à patre filioq; procedit. 32
Spiritus ſanctus eſt author noſtrę reformationis. 32
Spiritus ſancti operationes. 34
Spiritus ſanctus eſt regiæ ſubſtantiæ. 35
Spiritus ſanctus ſcrutatur profūda Dei. 35
Spiritu ſancto eijciuntur dæmonia. 35
Spiritus ſancti laudes & Epiteta. 36
Spiritus ſanctus idem eſt in Prophetis & in Apoſtolis. 36
Spiritus ſancti operationes in eccleſia. 38
Spiritus ſanctus eſt verus Deus. 33
Spiritus S. vicit magos in Ægypto. 39
Spiritus ſanctus omnia ſacramenta eccleſiæ conſummat. 40
Spiritus ſanctus vnius naturæ cum patre & filio. 41
Spiritus ſanctus ſingulis momentis datur dignis. 41
Spiritus ſanctus columbæ & turturi aſsimilatur. 42
Spiritus S. recedit à cogitationibus ſtultis. 42
Spiritus ſanctus non eſt ſocius creaturæ, nec etiam eſt factus. 43
Spiritus ſancti blaſphemiæ non remittuntur. 43
Spiritus ſanctus eſt vbique totus. 44
Spiritus ſanctus eſt ſpiritus plenitudinis, dicitur etiam oleum lætitiæ, & fons aquæ ſalientis. 44
Spiritus ſanctus eſt creator diuinæ incarnationis, & creator gratiæ, & verus Deus. 45
Spiritus ſanctus eſt eiuſdem diuinitatis cū filio. 46
Spiritus ſanctus naturaliter eſt Deus & nō eſt creatura. 47
Spiritus S. eſt cauſa vnitatis eccleſiæ. 47
Spiritus ſanctus eſt immutabilis, inuiſibilis ſicut & pater & filius. 48
Spiritus ſanctus procedit à patre & filio, & eſt communio patris & filij. 48
Spiritus ſanctus non eſt patris ſolius, neq; ſolius filij, ſed amborum. 49
Spiritus S. principaliter procedit à patre. 49
Spiritus S. de patre & filio procedit. 49
Spiritus ſancti maieſtas. 50
Spiritus ſanctus non eſt ingenitus, neque genitus, ſed à patre & filio procedit. 50.
ſpiritus ſanctus omnia continet. 62
Spiritus ſanctus vnum & multa. 63
Spiritum ſanctum Deum eſſe ſacræ ſcripturæ clariſsimè oſtendunt. 64
Spiritus S. eſt fons ſanctificationis. 64
Spiritus ſanctus dat vitam. 64
Spiritus ſanctus eſt digitus Dei. ibid.
Spiritus ſanctus eſt ſpiritus ſapientiæ & etiam ſpiritus adoptionis. 65
Spiritus ſanctus implet omnia. ibid.
Spiritus ſanctus eſt libertas. 66
Spiritus ſanctus eſt iuſtificatio. ibid.
Spiritus S. eſt proceſsio quę amoris dicitur ibidem
Spiritus ſanctus eſt nexus in diuinis. 67
Spiritus ſanctus eſt amor. 67
Spiritus ſanctus eſt ignis. 69
Spiritus ſancti dona per ignis proprietates oſtenduntur. 71

Spiritus

Spiritus ſancti principiũ eſt voluntas. 72
Spiritus ſancti proceſsio & libera & neceſsaria. 72. & 75
Spiritum ſanctum non produci liberè & neceſſariò argumentis probatur. 73
Soluuntur argumenta. 75
Spiritus ſanctus non dicitur imago. 76
Spiritum ſanctum à patre & filio procedere. ibid.
Spiritus ſanctus vocatur ſpiritus Chriſti. 77
Spiritus ſanctus non procedit de patre in filium. 77
Spiritus ſanctus non eſt creatura. ibid.
Spiritus ſanctus ſi non procedit à filio materialis diſtinctio in eis inueniretur. 79
Spiritum ſanctũ à patre tantum & non à filio procedere quidam probare nituntur. 79
Soluuntur argumenta. 80
Spiratio actiua nõ conſtituit perſonam. 80
Spiritus ſanctus procedit à patre per filium ſecundùm aliquos. 81
Spiritus ſanctus quomodo quieſcit in filio. ibid.
Spiritus ſanctus ſi non procederet à filio non diſtingueretur ab eo. 83
Spirantes ſunt duo, ſed vnus ſpirator. 87
Spirandi principium completum in patre & filio eſt voluntas. 88
Spiritus ſanctus non eſt principium productiuum perſonæ diuinæ. 90
Spiratio actiua vna. 91
Spiritus ſanctus non plenius procedit à patre quàm à filio. 92
Spiritum ſanctum plenius à patre quàm à filio procedere argumentis quidam probare nituntur. 92
Soluuntur eadem argumenta. 93
Spiritus ſanctus principaliter procedit à patre. 93
Spiritus ſanctus per filium producitur. 93
Spiritus ſanctus non dicitur filius. 94
Spiritus ſanctus non dicitur ingenitus. 95
Spirationem eſſe generationem argumentis quidam probare conantur. 98
Soluuntur argumenta. 99
Spiritus ſancti productio non eſt generatio. 99
Spiritus ſanctus in diuinis duplicem habet reſpectum. 103
Spiritus ſanctus eſt amor amati. 104
Spiritus ſanctus in diuinis propriè donum dicitur. 106
Spiritus ſanctus non eſt propriè donum in diuinis, argumentis probatur. 108
Soluuntur. ibid.
Spiritus ſancti proceſsio temporalis. 109
Spiritus ſancti proceſsio gemina. ibid.
Spiritus ſanctus non datur vt forma. 110
Spiritus ſanctus ſi datur à ſe. 112
Spiritus ſancti miſsio viſibilis. 115
Spiritus ſanctus quare eſt viſibilis. 116
Spiritus ſancti miſsio in die Pentecoſtes, in linguis igneis. 117
Spiritus ſancti lingua. ibid.
Spiritus ſancti tituli. 118
Spiritus ſancti miſsio in forma columbæ 119
Spiritus ſanctus in nube & flatu oſtenditur. 121
Spiritum ſanctũ viſibiliter miſſum nõ fuiſſe quidam argumentis probare nituntur. 122
Soluuntur argumenta. ibid.
Spiritus ſancti apparitiones viſibiles, factæ ſunt miniſterio angelorum. 123
Species mutationis. 148
Species actionum variæ, 153
Species vniuerſales concreatæ in intellectu poſsibili angelico, 303
Species acquiſitæ. ibid.
Superiores angeli paucioribus intelligunt ſpeciebus. 303
Superbia primum peccatum. 401
Superbia non fuit primum peccatum. 402
Superbia quid ſecundùm Auguſt. ibid.
Superbia primum fuit peccatum, argumentis oſtenditur. 403
Superbia initium malæ voluntatis. ibid.
Superbia cupiditas radix omnium malorum. ibid.
Superbia eſt initium omnis peccati, quomodo intelligitur. 404
Stoici beatitudinem ponebant in honeſto 360
Status angelorum bonorum. 380

T.

Ternarij numeri ſacramentum. 4
Ternarij ſimilitudines in rebus, 5
Ternarij numeri perfectio. ibid.
Ternarij obſeruatio in rebus. 6
Ternarius numerus in artibus. ibid.
Termini numerales in diuinis. 10
Tertul. doctrina de S. Trinitate. 37
Templum Veſtæ. 71
Terminus generationis & ſpirationis actiuæ eſt triplex. 10
Terminum relationis ad conceptum ipſius quidditatiuum attinere. 136
Terminum eſſe de conceptu obiectiuo relationis. 136
Terminum non pertinere ad conceptum relationis quidditatiuum, nam ſine illo intelligi poteſt, argumentis probatur. 137
Soluuntur argumenta. 138

Termini non ſunt differentiæ relationum. 141
Terminus realis. 142
Tempus potuit eſſe æternum. 232
Terminus quo & terminus quod. 255
Tetragonum continet trigonum. 312
Tempus quid ſit. 354
Tempora æterna. ibid.
Theurgia quid. 389
Trinitatis myſterium ſecundùm Philoſophos. 1. 2.
Tria principia. 2
Trinitas ſecundùm Pytagoram. 3
Trinitatis veſtigium. 5
Tres hierarchiæ angelorum. 5
Trinitatis imago in anima. 6
Trinitas perſonarum cum eſſentiæ vnitate. 18
Trinitatis exempla. 20
Tres perſonas cum vnius eſſentiæ vnitate conſiſtere arguunt quidam. 20
Soluuntur argumenta. 21
Tres proprietates perſonales. 23
Tria lumina vnum lumen. 26
Tres ſoles. ibid.
Trinitas & vnitas. 27
Trinitatis exemplum. 28
Trinitas eſt & non dualitas. 33
Trinitatis myſterium ſine ſpiritu ſancto eſt imperfectum. 41
Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, aqua, ſanguis, & ſpiritus, quomodo intelligitur. 44
Trinitatis S S. confeſſio. 49
Trinitatis myſterium ex fide & reuelatione potiſsimum conſtat. 51
Trinitatem quomodo cognouerunt Philoſophi. 52
Trinitatis S. imago & veſtigium. ibid.
Trinitatis imago in potentijs animæ. ibid.
Trinitatis imaginem non eſſe in creatura rationali, & intellectuali argumẽtis probatur. 54
Soluuntur argumenta. 55
Trinitatis bonitas in homine. 55
Trinitas noſtra multum differt à diuina trinitate. 55
Trinitas ſancta quomodo mundum creauit. 56
Trinitatis imago eſt anima humana. 57
Trinitatis veſtigium. 57
Triplex modus differendi. 99

Thronorum ordo. 194

Thronorum proprietates. 194
Thronus eius in flamma ignis. ibid.
Triplex cognitio in angelo naturę & gloriæ. 297
Triplex genus entium. 353
Turtur quid ſignificet. 119 & 42
Turris Babel. 117

V.

Variorum philoſophorum ſententiæ de Trinitate. 5
Vaticinium Mercurij de cultu idolorum, commendat Auguſtinus. 387
Vaticinia oraculorum fuerunt fabulæ. 391
Verbum ſapientiſsimum. 3
Veſtigium trinitatis. 5
Vera ratio de ſancta Trinitate. 52
Veſtigium Trinitatis. 57
Veritas nutrit angelos. 177
Venti 4. Angeli 4. 178
Vermis genitus ex Euchariſtiæ ſpeciebus. 218
Soluuntur argumenta. 219
Verbum mentis. 304
Verbum Dei principium creaturæ. 391
Veſpera. 392
Veritatis cognitio multiplex. 417
Vis ſpiratiua vna. 91
Virtus ſpiritus ſancti. 40
Viſibiles apparitiones ſpiritus ſancti factæ ſunt miniſterio angelorum. 123
Viri boni è vita migrant ad angelos. 175
Viſio rubi. 178
Virtus ſpirandi vna. 87

Virtutum ordo. 196

Virtutum nomina. 196
Virtutum proprietates. 196
Virtutum miniſteria, officium. ibid.
Vita æterna eſt inexplebilis. 267
Viſus. ibid.
Vita angelorum feliciſsima. ibid.
Violenti motus ſecundùm Auerroë. 285
Virtus quid. 332
ibid. Angelus, Dominatio, Archangeli, Seraphim, Cherubin, Throni.
Virtus excellens inferioris angeli in ſuperiori continetur
Viſio eſt tota merces ſecundùm Augu. 360
Vita beata. 360
Viſio perfecta non fit oculis. 363
Virtus heroica. 364
Viſionis ſummus modus excedit limites creaturæ. 369
Vir bonus non ſubditur magiæ. 390
Vnum & ens quomodo diſtinguũtur. 6
Vnum tranſcendens. 9
Vnum non eſſe meram negationem. 9
Vnitas quomodo ſit in Deo. 10
Vnitatem aut numerum non eſſe in diuinis argumentis probatur. 11

Soluuntur

Soluuntur in eodem.
Vnitas in trinitate, & Trinitas in vnitate.
Vnum verum & bonum in anima humana. 53
Vna columba ſuper caput Chriſti. 120
Vnus tantum creator. 216
Vnum aliquid quomodo fiat. 250
Vnus vltimus finis orbium. 292
Vnaquæq; anima habet angelū ſuum. 373
Voluntas infinita in actu recto ſemper exiſtit. 76
Voluntas in patre & filio completū principium ſpirandi. 88
Voluntas fœcunda. 88
Voluntas mala cauſa peccati. 405
Vxor agni. 185

Z.

Zoroaſtres inuentor Magicæ artis. 388

Finis indicis ſecundi libri.

Typographus Lectori S.

Errata, præſertim à fol. 105. ad fol. 203. commiſſa, vt tu tibi reſtituas, amice Lector, vehementer oro. Quæ hoc in meliorem partem accipies, quo cauſa mea, venia dignior eſt: quæq; ex periculoſa febri tum laboranti, mihi condonari meritò debeat. Ita enim fit, domini vbi abſunt. Vale.

Fol. 118. verſ. 36. cum forma: lege, *eum forma.* 119. ver. 5. de cœlo aduenientis: lege, *de cœlo ſonus, aduenientis.* Ibidem: ver. 18. omni peccatorum: lege, *omni penitus peccatorum.* 122. ver. 41. perficit: lege, *percipit.* 125. ver. 40. relatio ergo realis, lege, *relatio realis.* 126. ver. 26. & albo & albo ſimile: lege, *& albo ſimile.* 129. ver. 8. in aliquid: lege, *in adaliquid.* 133. ver. 32. extrinſeca: lege, *ex extrinſeca.* 134, ver. 39. terminadi: lege, *terminandi.* 140. ver. 30. relatiuum eſſe: lege, *relatiuum per eſſe.* 142. ver. 21. iudicaui: lege, *indicaui.* 143. ver. 41. per vniuerſum: lege, *ſuper vniuerſum.* 144. ver. 42. relatium: lege, *relatiuum.* 149. ver. 7. ſecundùm intelligendi: lege, *ſecundùm noſtrum intelligendi.* ibidem ver. 23. quiddam: lege, *quidam.* 150: ver. 37. actione ac paſsione: lege, *actione paſsione.* 159. ver. 35. relatione: lege, *ratione.* 164. ver. 2. formaliter fieri: lege, *formaliter eſſe fieri.* ibidem ver. 8. eſſentiæ congruere: lege, *eſſentiæ nequaquam congruere.* 166. ver. 5. vt diſtincta: lege, *aut diſtincta.* ibidem ver. 25. eadem: lege, *eædem.* ibidem ver. 29. eædem: lege, *eadem.* 171. ver. 20. cùm non ſit: lege, *cùm ſit.* 173. ver. 13. dicet: lege, *dicit.* & ver. 24. circulis: lege, *circulos.* 175. ver. 23. ſperare ad deos: lege, *ſperare me, ad deos.* 181. ver. 21. & 22. zezabelem: lege, *Iezabelem.* 187. ver. 9. viſus: lege, *iuſſus.* & ver. 32. cap. 3. lege, *cap. 5.* 188. ver. 30. intendit: lege, *incendit.* 192. ver. 15. negatiua: lege, *vegetatiua.* & alia præter hæc leuia errata: quæ tamen prudens Lector facile reſtituet.

Regiſtrum.

* A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp
Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz. Aaa Bbb Ccc Ddd
Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk.

Omnes ſunt duerniones.

R. SALVAREZZA
RESTAURO
Via A. Cervi n. 8
Tel. 88 57.67

Digitized by Google